

ahr
4⁸⁵ net





KAROLI PASSAGLIA SOD. E. S. J.

COMMENTARIORUM THEOLOGICORUM

PARS PRIMA


DE ECCLESIAE JURE

IN SANCIENDIS PROFITENDAE FIDEI FORMULIS

DE DIVINAE TRINITATIS RATIONE

IN VETUSTIORIBUS SYMBOLIS EXPRESSA

DE THEOLOGIA UNITA ET DISTINCTA



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

MDCCCL



ANGELO MAIO

VIRO EMINENTISSIMO

PRAEFECTO SACRI CONSILII TRIDENTINIS DECRETIS INTERPRETANDIS

POLYHISTORI AETATIS NOSTRAE PRAECLARISSIMO

CVIVS DOCTRINA ET EDITIS LIBRIS

SACRAE ET PROFANAE ERVDITIONIS MONVMENTA

AVCTA MIRIFICE INLVSTRATAQVE SVNT

KAROLVS PASSAGLIA

SODALIS E SOCIETATE IESV

DOCTOR DECVRIALIS APVD COLLEGIVM ROM.

COMMENTARIOS THEOLOGICOS

AVSPICI STVDIORVM SVOR.

DEDICABAT



Solerter inquirit vir doctissimus Melchior Canus, boni ne plus is attulerit hominibus qui multarum rerum copiam in disciplinas invexerit, an qui rationem paraverit et viam qua disciplinae ipsae facilius et commodius traderentur. Ac ipse quidem simul utriusque operam et studia perpendens, parem ab utroque utilitatem bonas artes percepisse arbitratur; et quum veteres laudat quod uberi doctrinarum suppellectile illas auxerint, tum recentiores commendat quod rectae earumdem distributioni, perspicuitati et quasi nitori diligentius consuluerint. Neque huic ego sententiae quidquam opponam. Aliud potius ab eadem quaestione non valde seiunctum investigabo, ii ne philosophicis, theologicisque disciplinis prodesse magis existimandi sint, qui nihil quod ad eas spectet suis intentatum industriis praetermittunt, omnesque illarum partes cogitando, scribendoque complectuntur, an ii satius qui arctioribus se finibus continent, illisque solum, quae difficiliora potioraque sint, explanandis, illustrandisque animum adiungunt.

Ac sane dum illorum mecum operam reputo qui universam aliquam disciplinam mente primum animoque rite concipiunt, conceptam vero apte disponunt, dispositamque lectorum oculis contemplandam subiiciunt; non possum non vehementer mirari hinc quidem exhaustos labores, insignemque eruditionem, inde vero vim intelligendi singularem, incredibilemque constantiam. Tot tantaque sunt quae cognosci, quae perpendi, quae expoliri,

quae ad harmoniam unitatemque redigi debent. Verum haec ipsa operis praestantia, ac exitus omnino difficillimus me semper deterruit ac modo etiam deterret, ne id mihi velim oneris impositum, quod summis licet conatibus ferre non possem. Quare ad alteram me partem converti, mihique opportunius atque a rei theologicae incrementis non alienum fore censui, si ex infinita scientiae amplitudine aliquot seligerem doctrinae capita vel maioris momenti vel prae ceteris impedita quae excolerem ac pro viribus locupletarem. Quod ita commentariis hisce meis praestare adgredior, ut ratum mihi sit eo acrius operi insistere, quo plenius intellexero, sin minus illos expeti, eruditis certe benevolisque lectoribus non penitus improbari.



COMMENTARIUS PRIMUS
DE NEXU
NOMINUM ET RERUM
DEQUE JURE
QUO ECCLESIA CATHOLICA
LOQUENDI FORMULAS SANCIT



ARGUMENTUM

Insigne Augustini testimonium de necessario verborum delectu in iis efferendis quae ad divinam religionem pertinent I: — consonum Aquinatis suffragium II: — huius necessitatis aperitur origo, eaque sita ostenditur in multiplici nexu quo nomina cum rebus cohaerent, III: — recensentur eiusmodi nexus, III — V: — et gravitas eorum quae ad ονοματολογιαν spectant, infertur, V: — quae rursum Scripturarum suffragio comprobatur, V: — receptoque Ecclesiae usu, monimentisque ecclesiasticae historiae stabilitur, VI: quibus omnibus et illud ostenditur, Ecclesiae praesulibus perfectum incumbere officium cavendi, ne idoneae formulae praetermittantur, praeposterae vero ac fallaces usurpentur, VII: — alia quae idem demonstrant officium argumenta, eaque nominatim quae Johannes Damascenus et Anastasius Synaita praebent, VII — VIII: — egregia Maximi martyris oratio, IX: — qua una cum officio ius pariter adesse Ecclesiae magistris comprobatur eas sanciendi formulas, quibus sincerae fidei confessioni prospiciant, X: occurritur exceptioni inde sumptae, neque magisterio Ecclesiae neque ecclesiasticis formulis opus esse, quod fidei professioni abunde iis consultum sit, quae in Scripturis habentur, IX: — eadem exceptio tum exemplis, quum auctoritate Athanasii, Augustini, Ambrosii, Gregorii Nazianzeni et Socratis refutatur, XI — XV: veterum, recentiumque haereticorum contra formulas αγραφους praescriptio, XV — XVII: —

quae ut subverti rite possit, diversae secernuntur quaestiones ab iis perperam commixtae, XVII: — prior quaestio, eiusque explanatio, XVIII: — altera quaestio, et quo enodari pacto debeat, XIX: — de tertia quaestione iudicium, XX: — item de quarta, cuius princeps auctor Curcellaeus, XXI — XXIV: — succedit quinta cui presse respondemus, XXIV: occurrimus sextae ac postremae, quam Sociniani prae ceteris urgent, XXV — XXVII.

I.

Ea, quae fide tenemus, neque avulsa neque a signis seiuncta esse, quibus efferuntur, perspicue tradunt Augustinus et Thomas: ille quum *ex licentia verborum* consequi docet, *ut impia* eorum, quae verbis significantur, *gignatur opinio*: iste quum *ex verbis inordinate prolatis oboriri haeresim* affirmat. Utriusque testimonia eius sunt opportunitatis ac praestantiae, ut heic praeteriri silentio non debeant.

Refert itaque Augustinus (1), nec prorsus improbat, quod ex platonicorum disciplina Porphyrius scripserat: *homines neque lunae, neque solis purgari* (2) *teletis*, *verum principiis*, quemadmodum *oraculi* quoque *voce fuerat expressum.* Tum subdit (3): « Quae autem dicat esse principia tamquam platonicus, novimus. Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem graece appellat paternum intellectum, vel paternam mentem: de Spiritu autem sancto, aut nihil, aut non aperte aliquid dicit: quamvis quem alium dicat horum medium, non intelligo. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animae naturam etiam iste vellet intelligi, non utique diceret horum medium, idest, Patris et Filii medium. Postponit quippe Plotinus animae na-

(1) De Civit. Dei Lib. X. Cap. XXIII.

(2) Ibid.

(3) Quanti fecerint Platonici mysticam atque telesticam purgationem, ex iis constat abunde quae scribunt Hierocles Comm. in aurea carmina, p. 214, et Porphyrius in Sententiis ad intelligibilia ducentibus, §§. 9-32; inter recentiores vero Iacobus Thomasius in dissertationibus varii argumenti, Diss. XIV de Philosophica mortis meditatione, Rodulphus Cudworthus in System. Intellect. cap. V. sect. II. §. 19, et Laurentius Moshemius in notis ad eam paragraphum subnexis.

turam paterno intellectui: iste autem cum dicit medium, non postponit, sed interponit. Et nimirum hoc dixit ut potuit, sive ut (1) voluit, quod nos Spiritum sanctum, nec Patris tantum, nec Filii tantum, *sed utriusque* (utpote ex utroque procedentem) Spiritum dicimus ». Quibus haec corollarii instar subnectit: « Liberis enim verbis loquuntur Philosophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem religiosarum aurium (en unde theologi quum de diversis disputant propositionum notis, suam dicendi formam deduxerint) pertimescunt. Nobis autem ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem ». Quod insequenti capite (2) opportunissimo in rem nostram exemplo illustrat his verbis: « Nos itaque ita non dicimus *duo vel tria principia*, cum de Deo loquimur, sicut nec *duos deos vel tres* (3) nobis licitum

(1) Non uni placuit Porphyrio dogma, quo tertia Trinitatis hypostasis inter primam et secundam media interiectaque censetur; placuit et Proclo, qui referente Cudwortho System. Intellect. cap. IV. §. 36. « illam aliquoties μεσην δυναμιν, *mediam potentiam*, et σχεσιν ἀμφοιν, *relationem quae inter primam alteramque intercedit,* appellat. Nihil vero aptius hoc reperiri potest ad nonnullorum ex christianis doctoribus opinionem, qui tertiam personam *copulam* veluti quamdam esse putant, quae Patrem iungat et Filium, istumque amorem quo se Pater atque Filius mutuo complectuntur. Quare hoc si obtineat Platonicorum scitum, non tam descensum quemdam in Trinitate fas erit animo concipere, quam orbem atque circulum ». Porro de doctoribus, qui Spiritum sanctum *copulam* dixere Patris et Filii, operae pretium fuerit Petavium contulisse de Trinit. lib. VII. cap. XII.

(2) Ibid. Cap. XXIV.

(3) Plotinus Enn. V. lib. I. περι τριων ἀρχικων ὑποστασεων, et lib. V. cap. III, Moderatus apud Simplicium in Aristot. Physic. pag. 50, Porphyrius in vita Plotini cap. XXIII, Proclus in Theologia Platonica et in Timaeum Platonis, pag. 93. seqq. eoque teste, Numenius, Harpocratio, Atticus et Amelius ceu θεολογιαν θεοπαραδοτον *doctrinam ab ipsomet Deo traditam* habuerunt, τρεις ἀρχικας ὑποστασεις, *tres principales hypostases,* τἀγαθον nimirum, νουν, et ψυχην, tria esse principia, tresque deos. Universis namque Platonicis, uti Cudworthus adnotat System. Intellect. cap. IV. §. 36. « Hoc erat in more positum, ut tres ejusmodi hypostases *tria principia, tresque deos* appellarent, atque τον πρωτον, τον δευτερον et τον τριτον θεον, *primum, secundum, tertiumque Deum* in ore haberent ». At vero, subdit, nobis christianis turpissimum foret istam licentiam imitari,

est dicere : quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur; nec dicimus tamen quod haeretici Sabelliani, eumdem esse Patrem, qui est et Filius, et eumdem Spiritum sanctum, qui est et Pater et Filius; sed Patrem esse Filii Patrem, et Filium Patris Filium, et Patris et Filii Spiritum sanctum nec Patrem esse nec Filium. »

II.

Hac Augustini, quem uti praeceptorem verebatur, imbutus doctrina Thomas, quum eam versat ac expendit quaestionem (1): *Utrum Filius sit alius a Patre*, sic habet : « Quia ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis, ut Hieronymus (2) dicit, ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela et modestia est agendum, quia ut Augustinus dicit in I. de Trinitate (cap. III.), nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quaeritur, nec fructuosius aliquid invenitur. Oportet autem in his, quae de Trinitate loquimur, duos errores oppositos cavere, temperate inter utrumque procedentes, scilicet errorem Arrii (sic), qui posuit cum Trinitate personarum, Trinitatem substantiarum, et errorem Sabellii, qui posuit cum unitate essentiae unitatem personae. Ad evitandum igitur errorem Arrii, vitare debemus in divinis nomen *diversitatis* et *differentiae*, ne tollatur unitas essentiae : possumus autem uti nomine *distinctionis* propter oppositionem relativam (quae inter personas existit, et qua realiter ab invicem distinguuntur). Unde, sicubi in aliqua scriptura authentica (quae nimirum auctoritatem faciat) *diversitas*, vel *differentia* personarum invenitur, sumitur diversitas vel differentia pro *distinctione*. Ne autem tollatur simplicitas divinae essentiae, vitandum est nomen *separationis*

ac de secundo quodam tertioque sive principio sive Deo verba facere, aut sanctam Trinitatem deorum, principiorumque trinitatem appellare.

(1) P. I. q. XXXI. a. II.

(2) Haec sententia his concepta verbis apud Hieronymum nuspiam legitur, affertur tamen a Magistro in IV. dist. XIII, ac veterum Theologorum usu trita est.

et *divisionis*, quae est totius in partes; ne autem tollatur aequalitas, vitandum est nomen *disparitatis*; ne vero tollatur similitudo, vitandum est nomen *alieni* et *discrepantis*. Dicit enim Ambrosius (1), quod *in Patre et Filio non est discrepans, sed una divinitas*. Et secundum Hilarium (2), *in divinis nihil est separabile*. Ad vitandum vero errorem Sabellii, vitare debemus *singularitatem*, ne tollatur communicabilitas essentiae divinae. Unde Hilarius dicit (3), *Patrem et Filium singularem Deum praedicare, sacrilegium est*. Debemus etiam vitare nomen *unici*, ne tollatur numerus personarum; Unde Hilarius in eodem libro dicit, *quod a Deo excluditur singularitas atque unici intelligentia*. Dicimus tamen unicum Filium, quia non sunt plures Filii in divinis. Neque tamen dicimus unicum Deum, quia pluribus deitas est communis. Vitamus etiam nomen *confusi*, ne tollatur ordo naturae a personis. Unde Ambrosius dicit (4), *neque confusum est quod unum est, neque multiplex esse potest, quod indifferens est*. Vitandum est etiam nomen *solitarii*, ne tollatur consortium trium personarum. Dicit enim Hilarius (5), *nobis neque solitarius, neque diversus Deus est confitendus*. Hoc autem nomen *alius* (ad quaestionem accedit in articuli themate propositam) masculine sumptum non importat, nisi distinctionem suppositi: unde convenienter dicere possumus, quod *Filius est alius a Patre*, quia scilicet est aliud suppositum divinae naturae, sicut est alia persona, et alia hypostasis (6).

III.

Et sane quisquis rem paullo diligentius inspexerit, non aegre assequetur, triplici potissimum nexu, eoque non ex-

(1) De Fid. Lib. I. Cap. II.

(2) De Trinit. Lib. VII.

(3) L. c.

(4) De Fid. Lib. I. Cap. II.

(5) De Trinit. Lib. IV.

(6) Cf. Didacum Ruiz de Trinit. disput. I. Sect. I. disput. XXXIX. Sect. I. disput. CXII; et Iosephum Saenz de Aguirre Theolog. S. Anselmi Tract. IV. de Trinitate disput. LVI. Sect. II.

timo sed intestino, obiecta fidei cum eorumdem signis cohaerere.

Ac principio quidem cum illis cohaerent, ut auribus percipiantur: auctore namque Paulo (1) *Fides habetur ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Ecquomodo enim homines (2) *credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante? quomodo vero praedicabunt nisi mittantur? Sicut scriptum est* (3): *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona?* Quare cum ratum esset Christo, ut homines per fidem salute potirentur, suos per universum orbem ad docendas gentes misit Apostolos (4) ad quos ista pertinent (5): *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum.* Sunt igitur vocabula totidem veluti instrumenta delecta divinitus, quibus propagetur fides, ac hominum mentibus inseratur.

IV.

Ad hunc priorem nexum alter accedit aeque perspicuus, quique ex necessitate petitur vocabulorum, ut quae fidei materiem constituunt, mente et cogitatione tractentur. Non est hujus loci illam habere impeditissimam sane quaestionem, utrum humanae cogitationes cum signo semper aliquo consocientur; abunde sufficit monere, quod iis qui secum habitant, seque pertentant, ac interrogando propemodum excutiunt, debet esse exploratissimum: vix aliquando contingere, ut sive concreta et multiplicia, sive spiritalia ac uniusmodi nullo colligata vocabulo a nobis cogitentur.

Denique non solum credendi officium iniunctum nobis est, verum etiam officio obstringimur, quoties necesse sit, fidei profitendae. Sicut enim scriptum est (6): *Qui non crediderit,*

(1) Rom. X. 17.
(2) Ibid. vv. 14-15.
(3) Is. LII. 7. Coll. Nah. I. 15.
(4) Math. XXVIII. 19. coll Marc. XVI. 15.
(5) Psalm. XVIII. 5.
(6) Marc. XVI. 16.

condemnabitur; ita scriptum pariter est (1): *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est; qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est;* ac rursum (2): *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sed quae sine vocabulis esse potest salutaris fidei confessio, quae edi ore debet, ut hominibus innotescat? igitur arctissimo cum fide nexu vocabula devinciuntur, sive ut ea primum informetur animo, sive ut repetitis deinde actibus excolatur, sive ut salubri professione consummetur.

V.

Quae quum ita sint, apparet, quae agitantur de ὀνοματολογιᾳ quaestiones, neque negligi nisi imprudenter, neque sperni sine praesentissimo discrimine posse. Cohaeret enim πραγματολογια cum ὀνοματολογιᾳ, ac in tuto illa neque est, neque esse potest, si haec exlex sit atque praepostera. Unde factum arbitror, ut in Scripturis tantopere verborum sanitas commendetur. Ad quam commendandam κυριολογιαν, et dicendi ἀκριβειαν dubio procul pertinent toties a Paulo repetitae sententiae, quibus vel iniungit, ut ab illis caveamus sollerter (3) qui non adquiescunt *sanis sermonibus*, vel (4) profanas interdicit *vocum novitates*, aut (5) *verbum praecipit sanum, irreprehensibile*, aut gravissime edicit (6) *tu autem loquere, quae decent sanam doctrinam.* Inde quoque factum arbitror, ut qui ecclesiae praesunt, sollertem dederint operam, ut integrum custodirent depositum loquutionum, quas acceperant, ac novitates repellerent, quas profani homines inducere molirentur.

(1) Matth. X. 32-33.
(2) Rom. X. 9. 10.
(3) I. Tim. VI. 3.
(4) Ibid. v. 20.
(5) Tit. II. 8.
(6) Ibid. v. 1.

VI.

Cuius quidem curae, ac ferme dixerim maternae sollicitudinis, plura, eaque perspicua suppetunt argumenta. Argumenta namque sunt fidei symbola ab ipsis christiani nominis exordiis accuratissime digesta, atque iis tradita omnibus, qui ecclesiae adiungerentur.

Argumenta sunt certae, rataeque formulae, quas concilia, romanique antistites sive damnandas, sive candide recipiendas, sive etiam iure iurando obsignandas non infrequenter proposuerunt.

Docebat Praxeas non alia quam nudi nominis distinctione Filium a Patre secerni, atque adeo ipsum fuisse Patrem, qui pro hominum genere mortem subierit. *Iste primus* (Praxeas), verba sunt Tertulliani (1), *ex Asia hoc genus perversitatis intulit romanae humo . . . . et Patrem crucifixit.* Quid porro? ne sempiterno anathemate ab ecclesiae corpore discinderetur, necesse fuit, ut non palinodiam modo caneret, verum etiam propria illam subscriptione muniret. *Denique*, subdit ibidem Tertullianus, *caverat pristinum doctor de emendatione sua, et manet chirographum apud psychicos* (2), *apud quos tunc gesta res est.*

Eadem praefinita conditio fuit Paulo Samosateno, qui eo devenerat perversitatis, ut Christum esse ψιλον ἀνθρωπον contenderet. Perspicua sunt verba patrum antiochenae synodi in epistola ad ipsum data (3): « Iam quidem in congressum, et colloquium inter nos venimus, ac fidem nostram ostendimus. Ut vero manifestius fiat quid quisque sentiat, et ea quae in quaestionem, ac dubitationem vocantur, certiorem exitum accipiant, decrevimus fidem scripto edere et exponere, quam a principio accepimus . . . . Scire volumus an eadem nobiscum sentias, et doceas, et nobis significes, an iis, quae superius scripsimus, assentiaris, an non ». Alia, quae adduci exempla commode possent, quaeque magno numero Bolgenius congerit

(1) Advers. Prax. Cap. I.

(2) Qua appellatione Montano iam addictus Tertullianus catholicos designat.

(3) Concil. Tom. I. Edit. Mansi Col. 1034.

in opere inscripto, *Fatti Dommatici* (1), ultro praetereo, ac caetera persequor argumenta, quae ecclesiae commonstrant sollicitudinem, ne verborum sanitas labefactetur.

Itaque argumenta praeterea sunt *notae* ipsae ac *censurae*, quibus propositiones inuruntur. Ecquem enim fugit, ideo plus semel propositiones reiici atque configi, quod *male sonantes* sint, *piarumque aurium offensivae*? has profecto notas una cum reliquis Constansienses Patres connumerarunt. Iam vero « eas proprie *male sonantes* propositiones, et *piarum aurium offensivas* dicimus, scribit Melchior Canus (2), in quibus nullus error fidei adversus manifeste notari potest, sed absonum nescio quid atque absurdum, quod indignum esse piis ac religiosis auribus videatur. Est enim ut linguae, nariumque, ita et aurium iudicium suum, absurdos et abhorrentes sonos respuentium. Quemadmodum autem non solum res falsae atque perabsurdae, sed graves quoque ac verae sententiae inconditis verbis elatae offendunt aures, acres praesertim et acutas; sic theologorum aures teretes et religiosae non a sententiis modo falsis et haereticis, sed ab eis etiam abhorrent, quas intelligenti iudicio percipiunt male atque absurde sonare, quamvis nullam in eis falsitatem haereseos deprehendant ».

Argumenta tandem sunt regulae, quibus ecclesiae praesules in damnandis propositionibus reguntur. Ne certi quidam Ioannis Petit articuli configerentur (3), hac se illorum vindices exceptione muniebant: *nulla propositio damnanda est, quae potest trahi ad bonum sensum*. Verum qui ad parisiensem Synodum, praeeunte Gherardo, episcopi convenerant, ea audita defensione, continuo adnotarunt: *illam responsionem cum sua additione perniciosissimam esse, et contra omnem Ecclesiarum ritum, quia sic fundabant se haeretici, prout vidimus in Wiclef et Hus, qui dum urgebantur, confugiebant ad glossas*. Quare Cardinalis Alliacensis (4) in oratione coram Pontifice habita principii loco statuit: « Quamvis aliqua propositio vel assertio possit habere aliquem sensum verum, tamen potest rationabi-

(1) Tom. I. Cap. XII. n. 109. seqq.

(2) De Loc. Lib. XII. Cap. XI.

(3) Cf. Natal. Alex. H. E. ad Saec. XIII. Dissert. XII. n. LII.

(4) Inter Opp. Gersonis Tom. I. pag. 768.

liter condemnari tamquam revocanda propter alium sensum erroneum in ea, vel in eius probatione intellectum ».

A quo prudentissimo canone numquam romani antistites descivere. Vetuit Ioannes XXII (1) undecim Ekardi articulos. Sed cuiusmodi tandem illi erant, aut quo potissimum confixi nomine? nimirum eiusmodi erant, ut *cum multis expositionibus et suppletionibus sensum Catholicum formare possent vel habere*. Proscripti autem fuere *tamquam male sonantes, temerarii, et suspecti de haeresi, ac ne corda simplicium, apud quos praedicati fuerunt, ultra inficere possent, neve apud illos vel alios quomodolibet invalescerent.*

Etiam Picus Mirandulanus Comes (2) idoneis commentariis fecerat satis Ecclesiae magistratibus, qui *aliquot ex nongentis thesibus*, quas publice susceperat vindicandas, primum improbaverant. Nihilominus Alexander VI auctor fuit, ut ex iisdem thesibus tredecim damnarentur, *quia ex vi verborum a fide catholica dissonarent, aut haeresim saperent, seu dubiae et ancipites ad erroneum sensum trahi possent.* Immo neque his contentus totam interdixit thesium συλλογήν, *ne ejus lectio corda fidelium quoquomodo corrumperet.*

VII.

Neque sane integrum erat ecclesiae praesulibus studium remittere, atque copiam ultro facere, ut quae ad Deum, divinamque pertinent religionem, quibusvis tandem loquendi formis explicarentur. Si enim iniunctum illis potissimum est (3), ut haereticos devitent homines, atque creditae sibi plebi vitandos edicant; qui fieri potest, ne gravissima pariter obligatione teneantur haereticas proscribendi phrases, illasque notandi, ne a fidelibus usurpentur? et si illorum praesertim est cavere, ne eadem cum haereticis fideles sentiant; qui fieri potest, ne ad eorum quoque spectet munus efficere, ne cum haereticis loquantur? egregie (4) ut solet, Thomas: « Cum hae-

(1) Apud Rainald. ad An. 1329.

(2) Cf. Epistolam Pici operibus praemissam.

(3) Tim. III. 10.

(4) P. III. q. XXXVI. a. VIII.

reticis nec nomina debemus habere communia, ne eorum errori favere videamur ».

Praesertim quum abunde constet, quibus artibus, dolisque malis studuerint semper haeretici (1) sinceritatem christianae praedicationis inficere; ac rursum constet, quae errorum portenta abusione verborum aut in lucem primum eruperint, aut iam oborta latissime permanarint. Operae pretium est, scribit Iohannes Damascenus (2) scire, *labi haereticos in errorem ex nominum confusione* (ὡς ἡ των ὀνοματων συγχυσις ποιει αἱρετικοις την πλανην). Quemadmodum enim monophysitis . . . . inde contigit, ut *unam naturam* (μιαν φυσιν) in Christo pronuntiarent, quod *unum et idem naturam et hypostasim esse dicerent* (το ταυτον λεγειν φυσιν και ὑποστασιν), ne scilicet in duas personas Christum dividerent : itemque nestorianis, ut *duas hypostases* (δυο ὑποστασεις) profiterentur, ne duas Christi naturas in unam confunderent; sic et monothelitis, *eo quod nescirent, quid inter voluntatem naturalem et personalem, aut quod in idem recidit, gnomicam* (3), *discriminis interesset* (το μη εἰδεναι την διαφοραν του φυσικου και του ὑποστατικου θεληματος, τουτεστι του γνωμικου), hoc in causa fuit, ut unam

(1) Atque hinc repetendos arbitror loquendi modos Patribus familiares, quibus haereticos *sublestos trapezitas* et *pessimos caupones* appellant, haereticorum vero sermones *adulteram monetam* vocant. E re fuerit legisse quae posteritati commendarunt Origines in Ps. Hom. III. n. 11, Hegesippus apud Eusebium H. E. lib. III. cap. XXXII, lib. IV. cap. XXII, Clemens alexandrinus Stromat. VII. §. 16, Irenaeus in prooemio libri primi n. 2, Cyrillus alexandrinus dialog. VIII. de Incarnatione, Synesius epist. IV, et Hieronymus in comm. ad Is. capp. I. et IX. ubi inter cetera ait : « Omnis haereticus hypocrita est aliud loquens et aliud simulans, et quidquid loquitur, licet videatur esse sapientia, tamen stultitia est ».

(2) In Lib. de duab. volunt. §. XX.

(3) Quamquam partitio *in voluntatem naturalem et gnomicam* Latinis scriptoribus inusitata fuisse videatur, illam tamen pluribus Graeci excoluerant, ac prae caeteris Maximus in suis definitionibus, et in epistola ad Marinum, Anastasius Sinaita contra Severianos, Damascenus de Fide Orthod. lib. III. cap. XIV, et Photius in libello, qui hanc praefert inscriptionem: περι των γνωμικων θεληματων ἐπι Χριστου. Quid vero utriusque voluntatis nomine significaverint, et perspicue ipsi explicarunt, et Stewartius ostendit egregia dissertatione, quam Basnagius T. II. Thesauri, pagg. 459. seqq. Photii opusculo subiecit.

in Christo dicerent voluntatem. Ut igitur errorem caveamus, quem nominum ὁμωνυμια parit, in hunc modum quaestionem de voluntate explicemus ». Eamdem animadversionem alibi repetit (1), illamque pariter inculcant Leontius Byzantinus (2) et Anastasius (3) Synaita.

VIII.

Sed propius ad praesentem tractationem faciunt, quae in aureo adversus Iacobitas libello idem notat. Hoc enim praemisso apophthègmate (4): Οὐδε το καλον, ὁτε μη καλως γενηται, σοφων ῥησις σοφη τις ἐστι. *Sapientum sapiens est effatum, nec bonum esse bonum, nisi recte geratur*, pergit (5): « Quando toto nobis hoc sermone dicendum est περι φυσεως, *de natura*, hoc praefamur: ἐπι της ἁγιας και ὑπερουσιου θεοτητος, *in sancta et supersubstantiali deitate*, hoc est, ἐπι της μοναρχικης και ὁμοουσιου τριαδος, *in unius imperii ac substantiae Trinitate*, Arium quidem et Eunomium, horumque Polytheorum, seu potius *Atheorum* (6) factionem, τρεις οὐσιας, *tres substantias* propalam delirantium more statuisse, ταις ὑποστασεσι την φυσιν συνδιατεμνοντες, *divisa cum hypostasibus natura*, cum male intelligerent, animoque sibi fingerent, naturam idem esse atque hypostasim. Sabellium vero Africanum hypostasim unam stulte asseruisse, contractamque coniunctione pessima Trinitatem confudisse, ad tuendam substantiae unitatem in hypostasi unica ».

(1) De Fid. Orth. Lib. III. cap. III.
(2) Initio Operis adversus Nestorium et Eutychem.
(3) In Ὁδηγῳ, cap. IX.
(4) N. I.
(5) N. II.
(6) Ex praeclara Athanasii sententia in Orat. Contr. Gent.: ἐλεγομεν την πολυθεοτητα ἀθεοτητα εἰναι, *dicebamus deorum multitudinem nullitatem esse deorum*. Ad quam respicit Nazianzenus Gregorius, qui (Or. XXIV) gentilium superstitionem appellat πολυθεον ἀθειαν.

IX.

E quibus ratio existit sane manifesta, cur patres neque insolentes tulerint dicendi modos, neque siverint, ut vocabula orthodoxorum usu trita, fideique professionibus sancita silentio tegerentur. Ad utrumque confirmandum animo nihil succurrit iis accomodatius, quae in actis s. Maximi legimus. Nutu Costantis Augusti Romam venerat Gregorius (1), ut discissa diu unitas veterem inter novamque Romam sarciretur. Sed non prius ille impositum sibi munus adgressus est, quam totius negotii certiorem fecerit Maximum rei catholicae columen, et acerrimum monothelitarum debellatorem. Animo propemodum gestire abbas sanctissimus visus est, nec potuit se continere, quin prae gaudio exclamaret: *Δοξα Θεῳ τῳ ποιησαντι σε ἀξιον της τοιαυτης διακονιας, Gloria Deo, qui te dignum fecit hujusmodi ministerio.* Sed pro ea dexteritate ac prudentia, qua insidias omnes, subtilioresque haereticorum fraudes habebat compertissimas, non eo usque laetitiae indulsit, ut a pacis sequestre non continuo flagitaverit: « Verumtamen sub qua conditione ac modo ineundam unionem iussit eius a Deo coronata tranquillitas? » cui Gregorius: *ἐπι τῳ Τυπῳ, sub Typo.* Quibus vix auditis, subiecit Maximus: « Impossibilis est, ut opinor, ista molitio. Non enim sustinent romani, sanctorum patrum lucidas voces una cum impuris haereticorum vocibus auferri, vel simul cum mendacio veritatem extingui, aut cum tenebris lucem pariter dissipari. Nullum enim nostrum Numen erit, *εἰ γενηται των θεοδιδακτων λογων ἀναιρεσις*, si quae divinitus edocti sumus verba perimantur. » Atqui excepit Gregorius: « Non perimit Typus sacras voces, sed silentium praecipit, ut pax obtineatur ». Scilicet reposuit Maximus: « Penes divinam Scripturam *ἐστι σιωπη και ἀναιρεσις*, silentium ipsum peremptio existit. Deus enim per Davidem dixit (2). *Non sunt loquelae, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Ergo si

(1) Acta S. Maximi Confessoris num. 4. Pag. XXXI. seqq. Edit. Paris 1675.

(2) Ps. XVIII. 3.

nec loqui licet nec audire, qui de Deo sermones sunt, nec omnino sunt, ut Scriptura testis est. » Quod nonnullis inter sertis, gravissima confirmavit patrum IV. saeculi auctoritate, subdens: « Etiam Ariani oblato libello a Constantino Imperatore hoc ipsum obtinere studuerunt, dicentes: *περιελωμεν το ὁμοουσιον και το ἑτερουσιον, και ἑνωθωσιν αἱ ἐκκλησιαι, e medio tollamus quod unius eiusdemque substantiae, et quod diversae substantiae dicitur, et amico foedere iungantur ecclesiae* ». Sed quem habuit petitio exitum? » Divini patres nostri non id tulere, sed maluerunt potius persecutionem pati, ac neci tradi, *quam silentio praeterirent vocem, quae unam Patris et Filii et Spiritus sancti supersubstantialem deitatem certo adstrueret, ἡ σιωπησαι φωνην παραστατικην της μιας του πατρος και του ὑιου και του ἁγιου πνευματος ὑπερουσιου θεοτητος*. Eamdem cum illis sententiam fovit magnus Constantinus ..., neque deinceps imperatorum aliquis suadere potuit deiloquis patribus ut *μεσαις φωναις, vocibus in utramque partem perviis* cum haereticis convenirent: sed *ταις τρανaις και κυριαις, και καταλληλοις τῳ ζητουμενῳ δογματι ἐκεχρηντο, claris vocibus, et propriis, eique doctrinae, quae in quaestionem vertebatur, consentaneis usi sunt, palam professi: ὁτι ἱερεων ἐστι το ζητειν, και ὁριζεσθαι περι των σωτηριων δογματων της καθολικης ἐκκλησιας, Sacerdotum esse quaerere ac definire de salutaribus ecclesiae catholicae dogmatis* ». Cum quibus plane consonant, quae Epiphanio et Troilo patriciis (1) Maximus Constantinopoli respondit. Ab iis describendis abstinebo, nonnullaque dumtaxat addam rei illustrandae opportunissima. Troilo aienti: « Habe in corde tuo, ut vis; qui prohibeat, nemo est »: ita Maximus occurrit: Ἀλλ᾽ *οὐ περιωρισεν ὁ θεος τῃ καρδιᾳ την ὁλην σωτηριαν, sed cordis finibus totam salutem non circumclusit Deus*, cum dicat (2): *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo, qui in coelis est*, Sacer quoque Apostolus docet (3): *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Cum ergo Deus et

(1) Acta cit. §§. XXVII—XXVIII. pagg. LXI—LXII.
(2) Matth. X. 32.
(3) Rom. X. 10.

Dei prophetae, et apostoli magnum ac tremendum mysterium, totique mundo salutare, sanctorum vocibus confiteri iubeant, nefas est voces, quibus illud effertur, taceri, *ἵνα μὴ μειωθῇ τῶν σιγώντων ἡ σωτηρία*, *ne quid inde tacentium salus detrimenti capiat* ».

X.

Nihil porro luculentius, quam ex his consequi, ecclesiae praesulibus perfectum jus esse, quo formulas determinent, quae in edenda fidei professione adhiberi debent, illasque proscribant, quae vitandae sunt. Sane officia ac iura se mutuo excipiunt, neque officium praestandi aliquid secerni ab iure in ea potest, quae ad illud implendum, necessario requiruntur. Atqui, credo, argumentis et auctoritatibus minime dubiis ostendimus, ecclesiae praesules perfecto teneri officio cavendi, ne fideles eadem cum haereticis sive mente credant, sive ore significent. Quum ergo sine iure, quo formulas usurpandas, vitandasque definiant, demandatum sibi officium implere nequeant, eo potiri iure dicendi sunt.

Ad haec, cui non illud probatur Augustini (1): « Si quid universa per orbem frequentat ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimae insaniae est » ? Sed certis confecimus testimoniis, toties eo iure ecclesiae praesules usos esse, quoties expedire censuerunt.

Praeterea theorematis loco haberi debet, fidelium coetum inaequalium societate contineri: episcopos vero huius societatis esse atque dici (2) *hierarchas*, *ἄρχοντας*, *principes*, *προεστῶτες*, *προέδρους*, *ἐφόρους* et *ἡγουμένους*. Jure igitur sacri principatus ornantur episcopi. Sed disiungi ab hoc iure facultas nequit, qua modum rationemque fidei profitendae determinent.

Rursum, quemadmodum Petro, et qui vicaria ordinatione illi succedunt, dictum est (3): *Pasce oves meas*, *pasce agnos*

(1) Epist. LIV. al. CXVIII. n. 6.

(2) Conf. Hallerium Lib. I. Hierarch. Eules. Sect. I. Cap. II., et Mamachium Orig. et Antiq. Christ. Lib. IV. Cap. IV. §. V. seqq.

(3) Ioh. XXI. 15-17.

meos; ita dictum episcopis est (1): *Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Sed dupliciter verbo pascimur, et cum nobis interdicuntur noxia, et cum salubria proponuntur.

Accedit frequentissimam in ecclesiasticis monimentis recurrere mentionem sive *throni* sive *cathedrae* episcoporum. Legi utiliter possunt quae scribunt Eusebius (2), Gregorius Nazianzenus (3), Cyprianus (4), et Hieronymus (5). Verum quo haec pertinent nomina, et quid cathedrae vocabulo, quum episcopis adscribitur, significatur? Coniectura ex iis fieri primum potest, quae a Christo prolata legimus (6): *Super Cathedram Moysis sederunt scribae et pharisaei.* Neque enim dubium est, *in cathedra Moysis sedere*, idem esse ac Moysis libros interpretari, doctrinamque illis comprehensam iure magisterii explicando proponere. Scite Athanasius, qui (7) ad illa: *Et cathedram pestilentiae non sedit*, scribit: *per cathedram significat doctrinam, ut ipse ait, super Cathedram Moysis* . . . . Ad rem quoque Hieronymus, qui (8) notat, *per cathedram doctrinam legis intelligi.* Neque minus opportune Theophylactus (9), *sedere ἐπι της Μωσεως καθεδρας super cathedram Mosis* explicat, *τα του νομου διδασκειν*, *docere quae ad legem spectant.* Quum itaque cathedrae nomen ex synagoga traductum ad ecclesiam fuerit, obscurum haud est, eo significari magisterii potestatem, quae (10) episcopis competit. Sed quis

(1) I. Petr. V. 2.
(2) Hist. Eccl. Lib. VII. Capp. XVII. XXX. XXXII.
(3) Orat. XXI.
(4) Epist. XLIII. Pag. 83. Edit. Oxon.
(5) Epist. LXXXVI. al. LXXVIII.
(6) Matth. XXIII. 2.
(7) In Comm. ad Ps. I. 1.
(8) Lib. III. in Matth.
(9) In Comm. ad h. l.

(10) Haec significatio ecclesiastico loquendi usu praeterea stabilitur. Hieronymus Epist. XV. ad Damasum eodem accipit sensu hinc *Petri cathedram* inde fidem apostolico ore laudatam; et Epist. XCVII. al. LXXVIII. ad Pammachium *praedicationem cathedrae Marci* vocat epistolam paschalem Theophili Alexandrini, qua catholica fides adversus Origenis errores defendebatur; ac rursum *praedicationem cathedrae Petri* eas dicit Anastasii Pontificis literas, quibus ut Theophili epistola confirmaretur,

ausit inficias ire, cum cathedra et magisterio necti, atque arctissime potestatem cohaerere, qua cogitandi, et quae animo cogitaveris efferendi modus praescribitur? quamdiu ergo cathedra et magisterio insignes erunt episcopi, tamdiu iure potientur inspiciendi et cavendi, ne praeposteris absonisque verbis sinceritas christianae professionis adulteretur.

XI.

Neque in minimo versaretur errore qui exciperet, propterea neque magisterio neque sollicitis ecclesiae curis admodum opus esse, quod in Scripturis affatim suppetant quae ad sinceram fidei professionem edendam desiderari merito possunt. Etenim multiplex in promptu est responsio, qua exceptionis levitas non detegatur solum, verum etiam luculentissime refutetur. Ac imprimis non omnia quae ad christianam pertinent revelationem, divinis litteris comprehenduntur.

Ad haec, quae Bibliis continentur, non adeo perspicua sunt omnia, ac veluti solis conscripta radiis, ut non opportune, ac plus semel etiam necessario ecclesiae magisterio explanentur.

Denique non ii sunt haeretici qui sinant, ut nudis Bibliorum formulis utamur. Nam, ut ab hoc ordiar, experimento docemur, id esse verissimum, quod (1) de illis scripsit Irenaeus, censeri eos oportere ut qui ὁμοια μεν λαλουντες ἀνο-

postulabat inquiens: *praedicationem cathedrae Marci Evangelistae cathedra Petri sua praedicatione confirmet.* Ruffinus in Epist. ad Gaudentium antistitem, quae interpretationi praefixa legitur Recognitionum Clementis, meminit *docendi cathedrae*, et successorem in cathedra Petri *doctrinae* ipsius successorem nuncupat. Augustinus Epist. CV. n. 16. memorat *doctrinae salutaris cathedram*; et Bachiarius Saec. IV. scriptor in Apologia, quam Muratorius primum edidit Tom. II. Analect. ac deinde Florius cum reliquis Bachiarii opusculis conjunxit, *cathedram Petri* interpretatur *sedem fidei.* Et ne sim nimius, Fulgentius in Libr. de Trinit. ad Felicem nolanum laudat fidem, *quae usque nunc per successionum seriem in cathedra Petri Apostoli Romae vel Antiochiae, in cathedra Marci evangelistae in Alexandria, in cathedra Ioannis evangelistae Ephesi, in cathedra Iacobi Hierosolymae ab ipsarum episcopis praedicatur.*

(1) In Praefat. Lib. I. Adv. Haeres.

μοια δε φρονουντες, *similia quidem eloquantur*, *dissimilia vero sentiant.* Cujus artificii, vel satius maleficii splendidissimum (1) praebet exemplum arianorum sermo, quem Augustinus libro praefigit, quo egregia illum disputatione refutat. Constat enim plerosque a catholicis adhibitos dicendi modos, ut divinam Filii naturam significarent, ab ipsis quoque arianis, alienissima licet acceptione usurpari consuevisse. Quare Filium dicebant (2) *Deum unigenitum, ante* (3) *omnia saecula constitutum, totius* (4) *bonitatis et sapientiae et virtutis Patris propriam et condignam imaginem, non partem* (5), *neque portionem Patris, sed proprium et dilectissimum, perfectum et plenum unigenitum Filium.* Quo ergo illos pacto detegas, aut quomodo ad incitas revoces, nisi certis quibusdam adhibitis formulis, quas neque obtorto collo ad suam traducere haeresim possint?

Denuo sicuti receptis catholicorum usu phrasibus, ita etiam Bibliorum loquutionibus insigni temeritate abutuntur. Praeclare Athanasius cum daemone haereticos conferens, scribit (6): « Ea est indoles adversariae operationis, nec alia est haeresum (7) coagmentatio; singulae enim proprii commenti patrem et auctorem mendacem daemonem habent, qui ab ini-

(1) Exemplum alterum, neque minus insigne praebet usitata priscis Christianis formula, τον εκ θεου πατρος λογον παθειν δι' ἡμας, *ipsum Dei Patris Verbum pro nobis esse passum.* Incredibile namque dictu est, quantopere abusi ea sint tam Arius, ut alienae a paterna naturae Filium esse persuaderet, quam Apollinarius, ut deitatem Verbi vices humanae mentis in Christo explesse significaret. Legendi sunt Gregorius Nyssenus in Antirrhetico, et Iohannes Damascenus in dissertatione accuratissima κατα της θεοστυγους αἱρεσεως των Νεστοριανων, §§. XXXVI. seqq.

(2) Serm. cit. n. 1.

(3) Ibid. n. 2.

(4) Ibid. n. 22.

(5) Ibid. n. 23.

(6) In epist. ad Episcopos Aegypti et Lybiae n. 3.

(7) Eadem haereticorum cum satana comparatio quum ab aliis, tum ab Irenaeo quoque adv. Haeres. lib. V. cap. XXI. n. 2, Tertulliano de Praescript. cap. XV, et Hieronymo lib. I. in epist. ad Gal. I. 1. adhibetur. En Hieronymi verba: « Alioquin et diabolus loquitur de Scripturis, et omnes haereses secundum Ezechiel inde sibi consuunt cervicalia, quae ponant sub cubito universae aetatis ».

tio perversus, homicida factus est: cuius cum detestandum nomen ipsas proferre pudeat, praeclaro, omnibusque praestantiore Salvatoris nomine se falso insigniunt, et verbis Scripturarum se audent adornare. At voces quidem proferunt, verum autem (1) celant sensum: atque hoc pacto singulae, proprio commento insidiose obtecto, eorum, quos in errorem inducunt, fiunt homicidae ». Quod (2) variis commemoratis haereticorum sectis comprobat, tum subdit: » Nempe illae haereses in sua quaeque impietate nihil commune cum Scripturis habent; quod sane non ignorant illarum patroni, Scripturis scilicet plurimum, imo vero penitus adversari cuiusque illarum haeresum doctrinam. Ipsi nihilominus ut in fraudem impellant simpliciores . . . ., Scripturae voces meditari et usurpare simulant, non aliter quam ipsarum pater diabolus, ut scilicet ex verborum sono recte sentire videantur, deindeque miseros homines inducant, ut sententias a Scripturis alienas amplectantur ». Quare ne velint arianis fidere, vehementissime adhortatur episcopos, inqniens: « Nam etiamsi voces ex Scripturis mutuentur, scribentes nihilominus repellite; licet orthodoxae fidei verba protulerint, nec sic loquentes velitis (3) attendere. Nec enim recta mente loquuntur,

(1) Quibus de haereticis simillima scribunt Dionysius Corinthiorum Episcopus in epist. ad Soterem apud Eusebium H. E. lib. IV. cap. XXIII, Caius apud eumdem lib. V. cap. XXVIII, Clemens alexandrinus Stromat. lib. VII. n. 16, Origenes in Numeros Hom. IX. n. 1, et in Ezechielem Hom. II. n. 2, Hilarius de Trinit. lib. VI. n. 37, et Vincentius lerinensis in Comm. cap. XXV. inquiens: « Fortassis aliquis interroget, an et haeretici divinae Scripturae testimoniis utantur. Utuntur plane et vehementer . . . . Nihil umquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturae verbis adumbrare conentur . . . Sed tanto magis cavendi et pertimescendi sunt, quanto occultius sub divinae legis umbraculis latitant ».

(2) Ibid. n. 4.

(3) Cuius sapientissimi consilii praeclara ex iis suppetit ratio, quae contigere non Facundo solum hermianensi, verum etiam diospolitanis patribus et Zosimo romano Pontifici. Facundus enim eo usque artificiosis Diodori, Theodorique verbis deceptus fuit, ut strenue utriusque vindicias in opere pro *Tribus Capitulis* susceperit. Diospolitanis vero patribus ita Pelagius illusit, ut unanimi eorumdem suffragio absolveretur. Neque felicior fuit Zosimus, ut ex iis constat litteris, quas ad africanos Antistites dedit, et quibus Caelestii Palagianorum perditissimi caussam

sed his verbis velut ovium pelle induti, intus eadem ac Arius sentiunt; qua in re ducem haeresum imitantur diabolum. Namque ille quoque vocibus ex Scriptura excerptis utebatur ». Age jam, quid, quaeso, consequaris nudis Scripturarum formulis? iisne censes aut sinceritatem catholicae professionis in tuto poni, vel haereticorum perfidiam, qua par est diligentia, comprimi? praesertim quum, quod de arianis nominatim advertit (1) Athanasius: « Haec haeresis vafra et callida animadvertens antiquiores se sorores alias haereses palam notatas, ipsa sese Scripturarum vocabulis, sui patris diaboli exemplo, simulate induit, nihilque non molitur, ut in ecclesiae paradisum sibi regredi liceat, ut christiana specie assumpta aliquos ad prave de Christo sentiendum possit falsis argumentationibus adducere ».

XII.

Alia omnino fuit mens patrum atque sententia, quorum propterea notissimae sunt querelae, opus ideo fuisse, articulos fidei subtilioribus atque *ἀγραφοις* vocabulis comprehendere, quod haeretici nullum facerent finem interpolandae Scripturae, ac fidelium simplicitati illudendi. Audiatur Augustinus, quid (2) de ea disserens usitata graecis formula, *μια οὐσια, τρεις ὑποστασεις*, quam latini reddebant, *una essentia*, *tres substantiae*, tandem concludat (3): « Quid igitur restat, nisi ut fateamur, loquendi necessitate parta haec vocabula, cum opus esset copiosa disputatione adversus insidias vel errores haereticorum? cum enim conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore suo, sive per piam fidem, sive per qualemcumque intelligentiam, timuit dicere *tres essen-*

defendit, integritatemque commendavit. Legi debent quae in libro *de Gestis Pelagii* refert Augustinus, quaeque in altero libro *de Gratia Christi* passim repetit; tum quae Garnerius in Appendice posteriore ad primam partem operum Marii Mercatoris erudite complectitur.

(1) Con. Arian. Orat. I. n. 1.

(2) De Trinit. Lib. V. Cap. VIII. n. 10, et Lib. VII Cap. IV. nn. 7. 8.

(3) Ibid. n. 9.

tias, ne intelligeretur in illa summa aequalitate ulla diversitas. Rursum non esse tria quaedam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in haeresim lapsus est. Certissime quippe de Scripturis cognoscitur quod pie credendum est, et aspectu mentis indubitata perceptione perstringitur, et Patrem esse et Filium et Spiritum sanctum, nec Filium esse eumdem qui Pater est, nec Spiritum sanctum eumdem esse vel Patrem et Filium. Quaesivit quid tria diceret, et dixit *substantias* sive *personas*, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit; ut non solum ibi unitas intelligatur ex eo quod dicitur *una essentia*, sed et Trinitas ex eo quod dicuntur *tres substantiae* vel *personae* ». Praeiverat Ambrosius, quo auctore (1), *ideo patres nicaeni verbum ὁμοουσιος in tractatu fidei posuerunt, quod viderint, adversariis id esse formidini, ut evaginato ab ipsis gladio ipsorum nefandae caput haereseos amputarent*. His affinia habet Gregorius Nazianzenus (2), sed multo uberius atque enucleatius non uno in loco Athanasius. Principio namque quid caussae fuerit nicaenis patribus, ut in symbolo definirent, Filium esse ἐκ της οὐσιας του πατρος, ita (3) explanat: « Cum vellet Synodus, impia arianorum vocabula abrogare, τας δε των γραφων ὁμολογουμενας φωνας γραψαι, et communi suffragio receptas scripturarum voces adhibere, ὁτι τε ὑιος ἐστιν οὐκ ἐξ οὐκ ὀντων, ἀλλ' ἐκ του Θεου, και λογος ἐστι, και σοφια, ἀλλ' οὐ κτισμα οὐδε ποιημα, ἰδιον δε ἐκ του πατρος γεννημα, nempe *quod Filius non sit ex non existentibus, sed ex Deo, quod Verbum item sit et Sapientia, non vero res creata aut facta, sed proprius Patris foetus*, οἱ περι Εὐσεβιον ὑπο της πολυχρονιου κακοδοξιας ἑαυτων ἑλκομενοι, *Eusebiani prava sua opinione inveterata impulsi*, το ἐκ του Θεου *istud ex Deo* nobis commune esse, nihilque hac in re a nobis differre Verbum Dei volebant, quod nimirum scriptum sit (4): *Unus Deus, ex quo omnia*, et iterum (5), *Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova*, τα δε παντα ἐκ του Θεου,

(1) De Fide Lib. III. Cap. VII.

(2) Orat. LI.

(3) In Epist. de Decretis nicaenae Synodi n. 19.

(4) I. Cor. VIII. 6.

(5) II. Cor. V. 17.

omnia autem ex Deo. Qua illorum astutia et impia calliditate perspecta, *οἱ πατερες ἠναγκασθησαν λοιπον λευκοτερον εἰπειν το ἐκ του θεου, και γραψαι ἐκ της οὐσιας του θεου εἰναι τον ὑιον, ὑπερ του μη το ἐκ του θεου κοινον και ἰσον του τε ὑιου και των γενητων νομιζεσθαι, ἀλλα τα μεν ἀλλα παντα, κτισμα, τον δε λογον μονον ἐκ του πατρος πιστευεσθαι .... patres clarius explicare coacti sunt, quid per vocem* ex Deo *intelligendum esset. Quocirca scripsere Filium esse ex Dei substantia , ut istud ex Deo, non commune Filio, rebusque factis esse existimaretur, sed ut crederetur cetera quidem omnia creata esse, solum autem Verbum esse ex Patre. κἀν γαρ ἐκ του θεου τα παντα λεγηται, ἀλλ' ἀλλως ἠ ὡς ἐστιν ὁ ὑιος, εἰρηται. Nam licet omnia ex Deo esse dicantur , verum alio omnino modo quam sit Filius* ». Quo explicato discrimine, pergit: « Idcirco sancta Synodus dixit, Filium ex substantia Patris esse , ut Verbum aliud esse a natura rerum factarum crederetur, *μονος ὠν ἀληθως ἐκ του θεου, και μηκετι προφασις προς ἀπατην ὑπολειφθησηται τοις ἀσεβουσι. Περι μεν οὐν του γεγραφθαι, ἐκ της οὐσιας, ἡ προφασις αὑτη, cum solum vere sit ex Deo, atque ut etiam nullus iam locus dolose agendi impiis relinqueretur. Haec ergo fuit causa cur ex substantia scriptum sit* ». Sibi ergo tribuant haeretici, suaeque adscribant, cui insuevere, *πανουργιᾳ και της ἀσεβειας κακοτεχνιᾳ, astutiae et impietatis maleficio,* si plus semel ecclesiae pastores verba usurpant, quae in Bibliis non continentur. Quamdiu ipsi Scripturas petulanti audacia depravabunt; tamdiu, pro certo habeant, catholicae communionis episcopi credito sibi interpretum munere fungentur, idoneisque formulis invectas corruptelas profligabunt.

XIII.

Pergit Athanasius (1), rationemque edicit, quae ad *ὁμοουσιον* adoptandum Synodum permovit. « Cum autem rursus Episcopi dicerent, scribendum esse Verbum virtutem veram, imaginemque Patris esse , *ὁμοιον τε και ἀπαραλλακτον αὐτον κατα παντα τῳ πατρι, eique in omnibus sine ulla prorsus va-*

(1) Epist. de Decret. Nic. Synod. n. 20.

rietate esse simillimum (1), καὶ ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ, καὶ ἐν αὐτῷ εἶναι ἀδιαιρέτως, *denique immutabile esse*, *semperque esse*, *ac sine divisione in ipso esse*. Nec enim umquam non fuit, sed fuit semper ὁ λογος, ὑπαρχων ἀιδιως παρα τῳ πατρι, ὡς ἀπαυγασμα φωτος, *Verbum, quod et ab aeternitate apud Patrem existit, tamquam lucis splendor* (2). His autem cum eusebiani repugnare non auderent . . . . , deprehensi sunt inter se iterum murmurare, oculisque innuere, ὅτι καὶ ὅμοιον, καὶ το ἀεὶ, καὶ το της δυναμεως ὀνομα, καὶ το ἐν αὐτῳ, κοινα παλιν ἐστι προς ἡμας καὶ τον ὑιον, καὶ οὐδεν λυπειν τουτοις ἡμας συνθεσθαι, istas voces, simile, semper, virtutem et in ipso, *nobis cum Filio esse communes*, ac proinde nihil illis molestum videri, si haec nos approbaremus ». Hominum hypocrisim detestati patres, ἠναγκασθησαν αὖθις συναγαγειν ἐκ των γραφων την διανοιαν, καὶ ἅπερ προτερον ἐλεγον, ταυτα παλιν λευκοτερον εἰπειν καὶ γραψαι, ὁμοουσιον εἶναι τῳ πατρι τον ὑιον, *denuo ex Scripturis sententiam colligere coacti sunt et quae antea dixerant, clarioribus significare verbis, ac denique scribere, Filium esse Patri consubstantialem.* Ut videlicet significarent, μη μονον ὅμοιον τον ὑιον, ἀλλα ταυτον τῃ ὁμοιωσει ἐκ του πατρος εἶναι, *Filium non modo similem, sed eamdem rem similitudine esse ex Patre;* atque ut ἄλλην οὖσαν την του ὑιου ὁμοιωσιν καὶ ἀτρεψιαν δειξωσι παρα την ἐν ἡμιν λεγομενην μιμησιν, ἡν ἐξ ἀρετης δια την των ἐντολων τηρησιν ἡμεις προσλαμβανομεν, *similitudinem ac immutabilitatem Filii aliam omnino esse ostenderent ab ea imitatione, quae in nobis esse dicitur, quamque nos propter mandatorum observationem ex virtute consequimur.* Quod ex indole ipsa divinae generationis repeti debet: cum enim ἡ ἐκ του πατρος του ὑιου γεννησις ἄλλη παρα την ἀν-

(1) Ex quibus discimus professionem του ὁμοιουσιου κατα παντα, *similis substantiae quoad omnia* esse orthodoxam.

(2) Haec eo pertinent, ut proscribantur sceleratae arianorum voces (Op. cit. n. 18) ab Athanasio relatae: ἐξ οὐκ ὀντων, καὶ οὐκ ἠν πριν γεννηθῃ · καὶ το, ἠν ποτε ὅτι οὐκ ἠν · καὶ το, τρεπτον · καὶ το, προυπαρχειν · καὶ το, θεληματι. Statuebant nimirum, Verbum mutabilis esse naturae, ita ut cum ad bonum, tum ad malum se posset convertere; Patrem item prius eo extitisse, ac a Patre non natura, sed voluntate esse productum. Quas blasphemias illis vocibus significabant.

θρωπων φυσιν ἐστι, και οὐ μονον ὁμοιος, ἀλλα και ἀδιαιρετος ἐστι της του πατρος οὐσιας, και ἑν μεν εἰσιν αὐτος και ὁ πατηρ, ὡς αὐτος εἰρηκεν, ἀει δε ἐν τῳ πατρι ἐστιν ὁ λογος, και ὁ πατηρ ἐν τῳ λογῳ, ὡς ἐστι το ἀπαυγασμα προς το φως · τουτο γαρ και ἡ λεξις σημαινει. *Filii ex Patre generatio alia plane sit ab hominum natura, nec solum similis ille sit substantiae patris* (quod cuivis generationi commune est), *sed dividi ab ea non queat* (propter infinitam illius simplicitatem), *cum item unum ipse et Pater sint, ut idem dixit* (1), *semperque Verbum sit in Patre, et Pater in Verbo* (2), *eo modo quo splendor se habet ad lucem* (3)*; id enim dictio ipsa significat :* δια τουτο ἡ συνοδος τουτο νοουσα, καλως ὁμοουσιον ἐγραψεν, ἱνα την τε των αἱρετικων κακοηθειαν ἀνατρεψωσι, και δειξωσιν ἀλλον εἰναι γενητων τον λογον, *idcirco Synodus, ea re perspecta eum esse consubstantialem recte scripsit, ut et haereticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud a factis rebus esse ostenderet.*

XIV.

Denique sibi ex arianorum opinione Athanasius opponit (4): « Decuisse nihil de Domino et Salvatore nostro Iesu Christo dicere, nisi quae de illo in Scripturis habentur, και μη ἀγγραφους ἐπεισαγεσθαι λεξεις, *non autem vocabula, quae in Scripturis non extent, inducere* ». Sed e vestigio respondet: « quis istud negat? aut quem latet ἀκριβεστερα ἐκ των γραφων μαλλον ἡ ἐξ ἑτερων εἰναι τα της ἀληθειας γνωρισματα; *argumenta ex iis desumpta, quae Biblia continent, iis longe esse aptiora, quae aliunde arcessuntur?* ἀλλ' ἡ κακοηθεια και μετα πανουργιας παλιμβολος ἀσεβεια των περι Εὐσεβιον ἠναγκασε, καθ' ἁ

(1) Ioh. X. 30.

(2) Quae mutua inexistentia fructus est ac argumentum unius eiusdemque naturae, quam Pater totam habet non communicatam, ac Filius totam pariter habet sed generatione acceptam.

(3) A qua dividi nequit, secus ac contingat in creatis generationibus, in quibus quae gignuntur, a suis separantur caussis, idque propterea quod non *subsistentia* modo, verum etiam *natura* secernantur: natura inquam, non specifice, sed numerice accepta.

(4) Op. cit. n. 32.

προειπον τους ἐπισκοπους λευκοτερον ἐκθεσθαι τα την ἀσεβειαν αὐτων ἀνατρεποντα ῥηματα, verum, ut praedixi, astutia et versatilis eusebianorum impietas episcopos impulit, ut verba, quibus illorum impietas everteretur, liquidius exponerent ». Atque hac obsistendi haereticis necessitate adactos fuisse patres, ut novos neque scriptos dicendi modos adhiberent; confirmat luculenter Socrates, quum gesta enarrans Synodi alexandrinae anno CCCLXXII habitae, haec inter alia (1) commemorat: « Episcopi qui in alexandrino concilio aderant, hanc praeterea quaestionem diligenter examinarunt, *φημι δη το περι οὐσιας και ὑποστασεως, de substantia nimirum et hypostasi.* Etenim Hosius Cordubae Hispaniarum urbis episcopus ...., cum ab imperatore Constantino ad hoc missus esset, ut excitatum ab Ario tumultum extingueret; dum Sabellii lybiensis dogma (atque adeo haereseos confutandae gratia) studet evertere, *την περι οὐσιας και ὑποστασεως ζητησιν, de substantia, deque hypostasi quaestionem agitavit:* quae quidem quaestio alteri contentioni materiam praebuit. Verum nicaena Synodus, quae paulo postea congregata est, de hac quaestione ne verbum quidem fecit. Sed quoniam nonnulli postea hac de re contendere coeperunt, idcirco in hac Synodo (alexandrina) haec *περι οὐσιας τε και ὑποστασεως, de substantia atque hypostasi* definita sunt. Eas scilicet voces de Deo usurpandas non esse. Nam substantiae quidem vocabulum in sacris literis nusquam reperiri: *τῳ δε της ὑποστασεως ὀνοματι καταχρησασθαι τον ἀποστολον τῃ των δογματων ἀναγκῃ, hypostaseos autem nomine abusum esse Apostolum ob dogmatum necessitatem.* Alia autem ratione has voces admittendas esse decreverunt, tunc videlicet cum opinionem refutant Sabellii, *ἱνα μη στενωσει των λεξεων, ὡς ἑν πραγμα τριωνυμον νομιζωμεν, ἀλλ᾽ ἑκαστον των ὀνομαζομενων περι της τριαδος, ἐν ἰδιᾳ ὑποστασει θεολογοιτο, ne verborum inopia, Trinitatem rem unam esse putaremus triplici nomine appellatam, sed ut potius unumquemque eorum, qui nominantur in Trinitate, Deum in propria persona esse credamus* ». Omitto quae de nicaena Synodo tradit, ac ea item omitto, quae de alexandrina scribit: quo enim haberi in pre-

(1) Hist. Eccl. lib. III. Cap. VII.

tio debeant, eruditis incompertum haud esse arbitror; id unum specto, quod de Hosio narrat, quodque alexandrino concilio tribuit : oportuisse ut tres hypostases adversus *trinominem* Sabellii *Trinitatem* statuerentur. Ex his enim liquido apparet, astu potissimum haereticorumque pervicacia factum esse, ut formulae ecclesiasticae, et vocabula *ἄγραφα* praeciperentur. Quare Thomas obiectioni : « Quod nomen personae non sit ponendum in divinis. Dicit enim Dionysius (1): *universaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occulta divinitate, praeter ea, quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa.* Sed nomen personae non exprimitur nobis in sacra Scriptura novi vel veteris testamenti ». Respondet (2) : « Quod licet nomen personae in Scriptura veteris vel novi testamenti non inveniatur dictum de Deo; tamen id quod nomen significat, multipliciter in sacra Scriptura invenitur assertum de Deo, scilicet quod est maxime per se ens, et perfectissime intelligens. Si autem oportet de Deo dici solum illa secundum vocem, quae Sacra Scriptura de Deo tradit, sequeretur, quod numquam in alia lingua posset aliquis loqui de Deo, nisi in illa, in qua primo tradita est Scriptura veteris vel novi testamenti. *Ad inveniendum autem nova nomina antiquam fidem de Deo significantia coëgit necessitas disputandi cum haereticis. Nec haec novitas vitanda est*, cum non sit profana, utpote a Scrìpturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus (3), profanas vocum novitates vitare ».

XV.

Hac comprobata thesi, qua ecclesiae praesulibus ius, potestatemque vindicavimus quum determinandi formulas, quibus articuli fidei efferri debent, tum illas proscribendi, quas adhibere non licet; expeditum est, antithesim ab arianis primum, deinde vero a socinianis defensam, ac ab ipsis quoque remonstrantibus suo suffragio comprobatam, penitus sub-

(1) De Div. nom. Cap. I.
(2) P. I. q. XXIX. a. III. ad 1.
(3) I. Tim. ult.

vertere. Pervulgata sunt arianorum adversus catholicos dicteria, quod verbis *ἀγραφοις*, ut ea significarent, quae ad Deum, divinaque pertinent, inconsulto abuterentur: ac notissimi sunt conatus, quibus nullum non moverunt lapidem, ut nomina *οὐσια*, *ὁμοουσιος*, *ὑποστασις*, phrasesque *ἐκ της οὐσιας ἡ ὑποστασεως* abolerentur. Susceptum ab illis bellum, ac labentibus seculis propemodum extinctum, rursum concitarunt sociniani, quos inter Nicolaus Paruta, gente italus, seculo XVI. in thesibus *de Deo trino et uno*, istud priori loco opposuit. « Nuspiam in Scripturis *κατα ῥητον* dici, esse tres personas eiusdem divinae essentiae ». Obiectionem instauravit, ac secundo tertioque Socinus repetiit. In animadversionibus ad XVI. assertionem (1) Posnaniensem: « Quod nomen Trinitatis in sacris literis non extet, hoc tamquam *indicium aliquod falsitatis* adversariorum sententiae dictum aliquando a nostris fuit, non autem quod pro solido argumento ad eos refutandos id dicerent ». In defensione (2) animadversionum: « Nomina quibus adversarii *necesse habent* uti ad sua dogmata explicanda, nusquam apud sacros Scriptores legi, *indicium quoddam* esse potest *falsitatis* ipsorum dogmatum ». Et rursus (3). « Quod nomina essentiae et Trinitatis in sacris literis non extant, non ut solidum aliquod argumentum ad adversarios refellendos, *sed ut indicium quoddam falsae ipsorum sententiae* a nostris aliquando commemoratum fuit ». In eamdem conspirant mentem arminiani, utpote qui putent, ac vero etiam ex animo serioque defendant, nihil esse perniciosius quam necessarios christianae professionis articulos ecclesiasticis formulis complecti. In qua illos opinione versari perspicue ostendunt Confessio remonstrantium (4) et Apologia seu Examen censurae confessionis (5) tum quae disputant Curcellaeus (6) ac (7) Philippus Limborchius.

(1) N. I.

(2) Pag. 42.

(3) Pag. 450.

(4) Cap. III. Sect. IV.

(5) Cap. III. Sect. IV.

(6) In Praefat. ad Opp. Episcopii §. VI. et Quaternione Dissertationum adversus Maresium Diss. I.

(7) Theol Christ. Lib. II. Cap. XVII. §§. III-XXVIII.

XVI.

Hanc catholicae professionis oppugnandae rationem sicut olim praemonstraverant ariani, ita recentiori aetate designavit Calvinus, cuius ista sunt (1) verba: « Utinam sepulta essent nomina Trinitatis, ὁμοούσιος . . . . ., constaret modo haec inter omnes fides, Patrem et Filium et Spiritumsanctum esse unum Deum ». Designavit forte ipse etiam Lutherus rebellionis, quae seculo XVI. ecclesiae unitatem discidit, princeps et vexillarius, quippe qui, referentibus ex catholicis quidem Bellarmino (2), Possevino (3), Campiano (4), et Gregorio de Valentia (5), ex calvinianis autem Joanne Oecolampadio (6) scripserit (7): » Anima mea odit verbum ὁμοούσιον ». Sed Lutheri vindicias suscepere certatim lutherani, quos inter eminet Joannes Gerhardus (8), qui tamen diffiteri non potuit, Lutherum infensum fuisse vocabulo, quamquam rem illo expressam et tenuerit firmiter, et strenue propugnaverit. Neque decerni secus poterat, quum luce clariora sint haec illius (9) verba: » Modo rem teneam in concilio (nicaeno) per Scripturas definitam (10), haereticus non ero ».

XVII.

Quum autem ista, quae retuli, paullo diligentius perpen-

(1) Instit. Lib. I. Cap. XIII. Sect. V.

(2) In Praefat. Controv. de Christo.

(3) Lib. III. De notis verbi Dei.

(4) Ration. VIII.

(5) In libr. de Unit. et Trinit. Cap. VII.

(6) In Censura Ubiquit. Cap. VI.

(7) In Confut. ration. Latomi Opp. Tom. II. fol. 407. Edit. Ienae.

(8) Loc. Theol. loc. III. Cap. II. §. LII.

(9) Loc. cit.

(10) Erat vero cur adderet, *per Scripturas ecclesiae traditione explanatas*: quandoquidem non Athanasius modo (in Epist. de Decret. Nic. Synod. n. 25), verum ipse quoque caesariensis Eusebius in epistola *προς τους της παροικιας αὐτου ad suae paroeciae homines* (n. 7.) ad traditionem, quum assereretur το ὁμοουσιον, provocatum fuisse testatur. Sed non is erat Lutherus, cuius *animae* traditionis magis quam του ὁμοουσιου vocabulum arrideret.

do, video plures commisceri quaestiones, quae secerni ab invicem omnino debent. Quaeri namque I. potest, quibus fulti argumentis sociniani potissimum ac remonstrantes *antithesim* defendant: nefas esse, vel nullatenus saltem expedire, ut vocabula, quae a Bibliis absunt, in fidei professione adhibeantur. Quaeri II. potest, utrum singulis theologis, privatisque doctoribus facultas sit, qua vel a vocabulis abstineant usu ecclesiastico sancitis, vel etiam obliteranda illa esse contendant. Quaeri III. potest, quae, quantaque sit verborum *ἀγραφων* necessitas, ut articulus divinae Trinitatis, quemadmodum par est, proponatur. Tandem potest IV. quaeri, utrum ex necessitate, quaecumque illa sit, verborum *ἀγραφων* ad explicandam divinae Trinitatis doctrinam, sin minus peremptorium argumentum, coniectura saltem aliqua illius falsitatis peti posse videatur. Quo porrro ordine quaestiones proposuimus, illas expedire adgredimur.

XVIII.

Principio itaque sociniani suae patrocinantur antithesi verbis (1) Pauli: » O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae ». Sed I. quis socinianos docuit, *παραθηκην* idest *ἐνεχυρον, depositum* atque *pignus*, eorum comprehendi ambitu, quae in Bibliis leguntur? atqui divinae revelationis depositum latius omnino patet, ac divinis etiam traditionibus constat. Ad haec 2. quid vitandum praecipit Paulus? interdicit *τας βεβηλους κενοφωνιας*, *profanas*, nimirum de rebus *κενοις* inanibus (2) *disceptationes*. Sed (3) nihil has inter et

(1) I. Tim. VI. 20.

(2) Cf. I. Tim. I. 4. seqq. et VI. 4.

(3) Mirum videri debet, tantas ab haereticis contra novitates exerceri inimicitias, quum ipsi nonnisi pro novitate contra antiquitatem pugnent. Repeti namque de iis omnibus possunt quae Hilarius de ariana nominatim haeresi scripsit in I. ad Constant. n. 5. et in VII. de Trinit. n. 3: *novam illam fuisse haeresim, haeresim novellam, recentemque luem post quadringentos fere annos grassantem.* Tum quae Ruffinus H. E. lib. X. cap. I, Socrates H. E. lib. I. cap. VI, et Sozomenus H. E. lib. I. cap. XV. lit-

ecclesiasticas voces commercii. Egregie 3. Augustinus (1) quum geminum expendit locum: » *Profanas* (2) *verborum novitates evita, multum enim proficiunt ad impietatem, sermo eorum sicut cancer serpit.* Et non ait, verborum novitates, sed addidit, profanas. Sunt enim et doctrinae religionis congruentes verborum novitates, sicut ipsum nomen christianorum quando dici coepit, scriptum est. In Antiochia enim primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli christiani, sicut legitur (3) in actibus Apostolorum: et xenodochia et monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsae et ante nomina sua erant, et religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Adversus impietatem quoque arianorum haereticorum novum nomen patres *homousion* condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt, hoc enim vocatur *homousion*, quod est (4) *Ego et Pater unum sumus*, unius videlicet eiusdemque substantiae. Nam si omnis novitas profana esset, nec a Domino diceretur (5), *mandatum novum do vobis*: nec Testamentum appellaretur novum, nec cantaretur in universa terra, Canticum novum ». Denique 4. nefas mihi esse existimo non animadvertere, quem Paulus alloquatur. Alloquiturne universum episcoporum coetum, cui facta divinitus promissio est, futurum numquam, ut a regula veritatis aberret? nullatenus, sed singularem alloquitur episcopum, sanctissimum illum quidem, verumtamen errori obnoxium. Atqui nobis in praesentia sermo est de iis vocibus ac phrasibus, quas non unus alterve episcopus invexerit, sed sua auctoritate catholici episcopi unanimes decreverint.

teris de Ario consignarunt, *novas inauditasque voces ex eius primum ore prodiisse, eaque in Ecclesia praedicare ausum illum esse, quae a nemine unquam dicta fuerant.*

(1) In Ioh. Tract. XCVII. n. 4.

(2) II. Tim. II. 16.

(3) Cap. XI. 26.

(4) Ioh. X. 30.

(5) Ioh. XIII. 34.

XIX.

E scripturarum deiecti gradu, se ad patrum testimonia recipiunt sociniani, atque Dionysium a Thoma pariter (1) citatum imprimis adducunt (2): « Nemini committendum esse uti dicat, ac vel cogitatione quidem tractet aliquid de supersubstantiali et arcana deitate praeter illa, quae divinitus nobis a sacris Scripturis declarata sunt ». Subtexunt Dionysio Basilium, cuius ista sunt in Homilia contra calumniatores sanctae Trinitatis: *τοις γεγραμμενοις πιστευε · τα μη γεγραμμενα, μη ζητει*, *his, quae scripta sunt, crede; quae non sunt scripta, ne quaerito.* Utrique addunt Augustinum (3), Cassianum (4) et Damascenum (5); his autem absolvunt hierosolymitani Cyrilli (6) verbis: » Oportet de divinis ac sanctis fidei mysteriis ne tantillum quidem tradi sine sacris litteris; neque simpliciter probabili rerum specie, ac verborum artificio in transversum abripi ». Verum 1. ex iis, qui allegantur patribus ne unus quidem est, qui in suis operibus plus semel, quum de divinis rebus agit, verbis *ἀγραφοις* non utatur. Immo 2. ipsorum plerique pro verbis *ἀγραφοις* pugnarunt acerrime. Pugnavit pro *ὁμοουσιῳ* Augustinus, pro tribus hypostasibus pugnavit Basilius, et Cassianus pugnavit, ut *θεοτοκος* retineretur. Ne ergo in tantos patres, atque fulgentissima ecclesiae lumina simus iniurii, neve illos secumipsis committamus, decernendum est, alium ipsorum dictis subesse sensum, quam qui prima fronte videatur. Itaque 3, operae pretium fuerit animadvertere, negari quidem a patribus, fas esse de Deo quidpiam cogitare aut dicere, quod scriptum non sit, minime vero ab iisdem definiri, quo pacto scriptum esse oporteat. Atqui scriptum aliquid potest esse dupliciter, *disertis verbis* et *κατα ῥητον*, *virtute* et *κατα πραγμα*. Porro cum res illorum subiecta dispu-

(1) P. I. q. XXIX. a. III. arg. I.

(2) De div. nom. Cap. I.

(3) De Pecc. mer. Lib. II. Cap. XXXVI.

(4) De Incarn. Lib. II. Cap. III.

(5) De Fid. Orth. Lib. I. Cap. II.

(6) Catech. IV.

tationibus, tum sententiarum, quarum ipsi auctores sunt, concordia poscunt atque flagitant, ut quae dicunt de iis solummodo, quae utroque pacto ἄγραφα sunt, intelligantur. Et sane 4. fac contextus perpendas, e quibus obiecti loci decerpti sunt. Perspicies illico, patribus contentionem esse cum haereticis, atque anomoeis maxime, qui Filium creaturam esse, ac Patri per omnia dissimilem intollerabili sentiendi loquendique flagitio calumniabantur. Phrases ergo non scriptas vocant, quae haeresim praeferunt, quaeque Bibliorum verbis juxta, ac christianae traditioni contradicunt. Quare 5. quod affirmant, ab ἀγράφοις vocabulis abstinendum esse, id accipi ex regula debet *non consonae appositionis sed repugnantis oppositionis :* ex ea nimirum regula, qua Paulus (1) dicit : *sed licet nos aut angelus de coelo evangelizet vobis* (2), *praeterquamquod*, παρ' ὅ, idest, ἐναντιον ἐκεινῳ, ὅ *contra id quod* (3) *evangelizavimus vobis, anathema sit.* Denique 6. orationis serie docemur, patrum dicta non ἀορίστως, sed duplici circumscripta limitatione accipi oportere, quarum prior est: ne illa de omnibus intelligantur fidei articulis, sed de nonnullis dumtaxat, iisdemque potioribus, ac de quibus plura, eaque non implicata et obscura, sed expedita et luculenta in Bibliis habentur : altera vero, ut ad privatos quosque homines, ac haereticos nominatim et perduelles directa existimentur. Et re sane vera Dionysius, Basilius, Cyrillus, reliqui vel de divina Trinitate, vel de Verbi incarnatione loquuntur; suis autem praeceptionibus in haereticos animadvertunt, qui sicuti novis dogmatis, ita novis absonisque vocabulis priscae fidei sinceritatem adulterabant.

XX.

In proposito perstant sociniani, ac nulla, inquiunt, Ecclesiae potestas inest nova dogmata sive sanciendi, sive pro-

(1) Gal. I. 8.

(2) εὐαγγελιζεσθαι respondens hebraico בִּשֵּׂר (Is. LII. 7), cum derivatis εὐαγγελιον, εὐαγγελιστης, adhibetur in N. T. pro simplici διδασκειν (Rom. I. 15. Coll. I. Cor. IX. 16. Act. XIV. 7).

(3) Act. XVIII. 13 Coll. Rom. I. 26. I. Cor. III. n.

ponendi; verum illius munus eo pertinet, ut quae accepit, retineat inviolata, et candide exhibeat. Quasi vero 1. synonyma haec essent, novum condere dogma, et novis ac ἀγραφοις vocibus priscam fidem nove oppugnatam (1) asserere. Sed 2. pressius. Recens dogma intelligi dupliciter potest: ac primum ita, ut instar novi dogmatis habeatur, quidquid ῥητως Biblia non continent: deinde ita, ut illud solum quod Biblia neque αὐτολεξει neque δυναμει referunt, tamquam novum censeatur. Priori sensu eodemque haeretico sociniani ac remonstrantes novum dogma interpretantur; atque adeo omni verborum ambage semota, nego ecclesiam facultate carere nova dogmata proponendi. Quod si alter deligatur sensus, ultro *in praesentia* do, ab ecclesia neque statui, neque proponi dogma posse, quod novum sit, at simul addo frustra id animadverti, quum de vocabulis sermo nobis sit, quae rem significant non virtute solum, sed expressis quoque verbis in Scriptura comprehensam. Habeantur 3. quae de vocibus ἐκ της οὐσιας, et ὁμοουσιος in nicaena Synodo adoptatis (2) scribit Athanasius: » Noverit quisquis studiosus fuerit, etiamsi ipsae voces ita in Scripturis non extent, sententiam tamen, quam continent, vere ex Scripturis haberi, quemadmodum supra dictum est . . . Nimirum supra ostensum est, vereque creditur, Verbum esse ex Patre, illudque solum ἰδιον αὐτου και φυσει γεννημα *proprium esse ac naturalem fetum.* Ex quo enim alio Filium, qui et Sapientia est et Verbum, in quo omnia sunt facta, quam ex Deo esse intelligi queat? verum illud quoque ex Scripturis didicimus, Pater enim per David (3) dicit: *Eructavit cor meum Verbum bonum*, et (4), *Ex utero ante luciferum*

(1) Hoc pacto priscam fidem nove oppugnatam asseruit alexandrinus Cyrillus, quum anathematismo duodecimo contendit, sancte retinendam esse formulam, qua *Deus Verbum in carne passus* dicebatur; eodemque pacto pro antiquitate contra novitatem decertavit Iohannes II., quum *unum de Trinitate passum* credi, dicique oportere constituit.

(2) In Epist. de Decret. Nic. Syn. n. 21.

(3) Ps. XLIV. 1.

(4) Ps. CIX. 3.

genui te. Filius item de seipso ita ad iudaeos loquitur (1): *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Patre exivi.* Et iterum (2), *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Item illud (3), *Ego et Pater unum sumus;* et (4), *Ego in Patre, et Pater in me,* idem est ac si diceret, ego ex Patre sum, neque ab eo possum dividi. Joannes quoque dicit (5), *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Nam quid aliud illud ἐν κολποις *in sinu* significat, ἡ την γνησιαν ἐκ του πατρος του ὑιου γεννησιν, *quam veram Filii ex Patre generationem?* »

XXI.

Postrema superest oppugnatio, qua remonstrantium nomine Curcellaeus (6) defendit, minime expedire, ut verba ἀγραφα praescribantur. Etenim, inquit, historiae testantur, quae ex eiusmodi formularum usu turbae, quae dissidia emerserint.

Ad haec, nemo negabit » voces istas a Conciliis et Doctoribus ecclesiasticis excogitatas, non posse absque Spiritus sancti ignominia commodiores existimari ad haereticos convincendos, aut ex suis latebris protrahendos, iis quae apud sacros, quos inspiravit, scriptores inveniuntur.

Denique eiusmodi ecclesiasticae voces sunt ὁμωνυμοι, et quo significatu accipi debeant, ignoratur ». Quod ut confirmet, exempli gratia provocat ad nomina της ὑποστασεως και του ὁμοουσιου.

At ego vero de turbis ecclesiasticarum vocum occasione concitatis illud ipsum sentio, quod de Caesarum tyrannide, humanoque fuso sanguine, quod apostoli obtemperantes Christo evangelium praedicarint, ethnicamque susperstitionem reiiciendam penitus esse docuerint. Sicut enim integrum id-

(1) Ioh. VIII. 42.
(2) Ioh. VI. 46.
(3) Ioh. X. 30.
(4) Ioh. XVI. 10.
(5) Ioh. I. 18.
(6) In Praef. ad Opp. Episcopii §§. VI. VII.

circo apostolis non fuit a credito sibi munere abstinere, unde illa Pauli (1) : *ουαι δε μοι εστιν, εαν μη ευαγγελιζωμαι, vae enim mihi est, si non evangelizavero ;* ita ad declinandas turbas, quas haereticorum perfidia commoveat, neque licuit umquam, neque modo licet, neque porro ecclesiae praesulibus licebit sive liberum profanis vocibus aditum permittere, sive opportunas formulas negligere, quibus christianae professionis integritati prospiciant.

XXII.

Illa vero inepta, quae de iniuria in Spiritum-sanctum Curcellaeus obtendit. Nam, quaeso, qua ipse in opinione versatur? in ea ne, luculentissìma esse quaecumque omnia Scripturae complectuntur? vel Scripturas singulis quibusque proponi, ut, nullo praeeunte magisterio, ex illis colligant quod credant, vel repudient? Scio in hac ipsum esse sententia, quae ceteris quoque arminianis communis est. Verum neque dissimulare ipse, neque cum eo dissimulare arminiani debebant, haec a catholicis non improbari solum, sed etiam certissimis argumentis profligari. Ex quibus postremum illud non est, quod Petri (2) suppeditant verba : *Et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis, loquens in eis de his : εν οἱς εστι δυσνοητα τινα, in quibus sunt quaedam δυσνοητα* idest, *δυσεξηγητα και δυσερμηνευτα*, *difficilia intellectu atque explicatu, quae οἱ αμαθεις*, idest, סְכָלִים, *tum indocti ac rudes*, tum *indociles*, *και αστηρικτοι* idest, *homines στηριγμω carentes*, atque adeo in vera doctrina haud satis firmi *στρεβλουσιν depravant* (3), *ὡς και τας λοιπας γραφας sicut et cete-*

(1) I. Cor. IX. 16.

(2) II. Petr. III. 15. 16.

(3) Est enim *στρεβλουν* proprie *torquere*, hinc *depravare*, *pervertere*, *absurde interpretari*, *διαστρεφειν* (Act. XIII. 8), penes hebraeos פָּתַל, et apud latinos *in alienum sensum distrahere*. Hinc in Glossario, *στρεβλω* *pravo*.

ras. Scripturas, *προς την ἰδιαν αὐτων ἀπωλειαν ad suam ipsorum perditionem.*

Iamvero si ea Scripturae continent, quae sunt δυσνοητα, et si haeretici, qui merito audiunt *οἱ ἀμαθεις και ἀστηρικτοι*, illa *στρεβλουσιν*: quid opportunius, quam quod ubi *του ρητου* sensus in controversiam adducitur, ibi praesto sit traditio, et ecclesiasticorum praesulum magisterium, qui ideo positi sunt (1), *ἱνα μηκετι ὠμεν νηπιοι, ne amplius simus parvuli κλυδωνιζομενοι fluctuantes, και περιφερομενοι παντι ἀνεμῳ της διδασκαλιας, et circumlati omni vento doctrinae ἐν τῃ κυβειᾳ των ἀνθρωπων, ἐν πανουργιᾳ προς την μεθοδειαν της πλανης in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris?* Absurde igitur in dubium revocatur formularum utilitas, quibus quae revelata divinitus sunt, explicentur uberius, atque enucleatius haereticorum fraudibus opponantur.

Praesertim quum ratio ipsa providentiae, qua Deus ecclesiam regit, ac illius emolumentis consulit, id quadamtenus exigere videatur. Sicut enim apud Matthaeum (2) legitur, *ἀναγκη ἐστιν ἐλθειν τα σκανδαλα, necesse est* (3) *venire scandala;* ita (4) legitur: *δει γαρ και ἐν ὑμιν αἱρεσεις εἰναι, ἱνα οἱ δοκιμοι φανεροι γενωνται ἐν ὑμιν, oportet enim et in vobis haereses esse, ut probati, manifesti fiant in vobis.* Sed quid propterea? Ita Deus, ea qua est bonitate ac sapientia, res moderatur, ac temperat, ut ex haeresibus non illa solum existat utilitas, cuius Paulus meminit, quamque in libello de Praescriptionibus Tertullianus pluribus edisserit; verum etiam ut illarum occasione, ac prope dixerim stimulo, ad fidem accedat scientia, et quae prius credebantur simpliciter, ac efferebantur liberius, eadem deinde et confirmentur solidius, et exponantur accuratius.

Scite (5) Augustinus: » Ex haereticis asserta est catho-

(1) Ephes. IV. 14.

(2) Matth. XVIII. 7.

(3) Nimirum uti habetur in loco parallelo (Luc. XVII. 1), *ἀνενδεκτον ἐστι non contingit,* ea loquendi forma, qua graece dicimus, *οὐκ ἐνδεχεται τουτο ἀλλως ἐχειν,* non contingit ut se aliter res habeat.

(4) 1. Cor. XI. 19.

(5) In Ps. LIV. n. 22.

lica, et ex his, qui male sentiunt, probati sunt, qui bene sentiunt. Multa enim latebant in Scripturis, et cum praecisi essent haeretici, quaestionibus agitaverunt ecclesiam Dei: aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei ... Ergo multi qui optime possent Scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo Dei; nec asserebant solutionem quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent ariani? numquid perfecte de poenitentia tractatum est, antequam obsisterent novatiani? sic non perfecte de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant, quae dicta sunt, nisi postea quam separatio illa urgere coepit fratres infirmos, ut iam illi qui noverant haec tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati quaestionibus impiorum, sermonibus et disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent ».

Eodem spectant quae scribit in libro (1) de Dono Perseverantiae. Hinc Thomae (2) doctrina: » Dicendum est, quod quantum ad substantiam articulorum fidei, non est factum eorum augmentum per temporum successionem: quia quaecumque posteriores crediderunt, continebantur in fide praecedentium patrum, licet implicite. Sed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum: quia quaedam explicite cognita sunt a posterioribus, quae a prioribus non cognoscebantur explicite ». Quid vero ecclesiae antistites permoverit, ut explicite credentium fidei articulos in dies proponerent, declarat ibidem Thomas (3) inquiens: » In omnibus symbolis eadem fidei docetur veritas; sed ibi oportet populum diligentius instrui de fidei veritate, ubi errores insurgunt, ne fides simplicium per haereticos corrumpatur. Et haec fuit causa, quare necesse fuit edere plura symbola, quae in nullo alio differunt, nisi quod in uno plenius explicantur, quae in alio continentur implicite, secundum quod

(1) N. 53.
(2) II. II. q. I. a. VII.
(3) L. c. art. IX. ad 2.

exigebat haereticorum instantia ». Quibus explicationibus illud assequimur, quod Gregorius (1) affirmat: » Per successiones temporum crevit divinae cognitionis augmentum; et quanto mundus ad extremum ducitur, tanto nobis aeternae scientiae aditus largius aperitur ». Augmento videlicet divinae cognitionis non alii ponuntur fines, nisi qui fines pariter sunt huiusce rerum universitatis. Quod ad praesentem usque diem contigisse, hi solum inficias ire possunt, queis historia dogmatum nova omnino est, ac penitus incomperta. Resisterent ergo ordini divinae providentiae episcopi, si obortis haeresibus non sedulam impenderent operam, ut splendidiori luce catholica veritas perfunderetur.

Duo autem potissimum sunt, quae veritati splendorem conciliant: principio quidem argumentorum, quibus illa asseritur non perfunctoria, sed accurata expositio: deinde vero diligens ac subtilis verborum, quibus enunciatur, delectus. Utrumque ergo praestent episcopi oportet, ne selecto divinitus ordini refragari (2) existimentur.

XXIII.

Tertia superest Curcellaei exceptio, quam ut repellam, ab eo percontor, putet ne, quum de vocabulorum significatione disseritur, ea nude ac per se spectanda esse, vel iis potius circumvestita adiunctis, in quibus adhibentur? Illud si responderit, eum malum esse interpretem affirmabo: sin vero posterius teneat, negabo ecclesiasticas λεξεις ὁμωνυμους censeri posse. Et sane quis nomen ὑποστασεως ὁμωνυμον dicat in causa Sabellii? vel vocabulum του ὁμοουσιου in contentione cum arianis? nemo, qui pariter non affirmet, ὁμωνυμως loquutos esse tridentinos patres contra lutheranos *transubstantiationem*, et adversus sacramentarios, *veram*, *realem*, *substantialemque praesentiam* definientes.

Ad haec, si ea quam Curcellaeus iactat, ὁμωνυμια eccle-

(1) Hom. XVI. in Ezech.

(2) Conf. priorem Bossueti pastoralem epistolam, *De Promissionibus a Christo Ecclesiae factis*, qua discrimen insigniter explicat inter fidem ac fidei defensionem et scientiam.

siasticae phrases laborarent, qui fieri potuit ut tantopere ab illis semper abhorruerint, ac porro haeretici abhorreant? cur illas quoque in rem suam non pertrahunt? cur illis quoque non utuntur, ut sua dogmata explanent? nimirum facto ipso, luculentoque experimento Curcellaeus refutatur.

XXIV.

Sed iam alteram adgredimur quaestionem, utrum singulis quibusque, licet Episcopis, integrum sit, ab usu abstinere formularum, quae totius catholicae ecclesiae suffragio firmatae fuerint. Quamquam videri arduum de illa iudicium non potest. Etenim 1. qui membra ecclesiae sunt, illius obtemperent legibus oportet: rata namque est Christi sententia (1): *Si ecclesiam non audierit*, ἐστω σοι ὡσπερ ὁ ἐθνικος και ὁ τελωνης, *sit tibi gentilis instar et publicani*, hominis videlicet perditissimi, quae illius periphrasis vis est (2) pro iudaeorum sentiendi loquendique more. Ac illa rursum rata est (3): ὁ ἀθετων ὑμας *qui vos vestramque doctrinam repudiat* (4), *me meamque doctrinam aspernatur*. Si quae ergo propositae ab ecclesia fuerint edendae fidei formulae, ab omnibus illae frequententur necesse est.

Eo vel magis 2. quod omnium percellant aures suavissima, et charitatem spirantia Pauli (5) verba: *Obsecro autem vos, fratres per nomen* (δια του ὀνοματος, *auctoritate apostolica mihi a Christo concessa*) *Domini nostri Iesu Christi*, ἱνα το αὐτο λεγητε παντες, *ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*. Sed qui obtineri potest, ut idem dicant omnes, ac unius labii censeantur, si singulis potestas sit a praescriptis formulis recedendi?

Adde 3. vix aut ne vix quidem cum diversitate loquendi

(1) Matth. XVIII. 17.

(2) Matth. V. 46.

(3) Luc. X. 16.

(4) Est enim ἀθετειν idem ac καταργειν, ἀναιρειν (Marc. VII. 9. Coll. Luc. VII. 30 et Hebr. X. 9) auctoritate privare, negligere, abrogare.

(5) I. Cor. I. 10.

componi posse atque cohaerere animorum sententiarumque consensionem, quam tantopere Paulus ibidem commendat, subdens : *ἦτε δε κατηρτισμενοι ἐν τῳ αὐτῳ νοΐ και ἐν τῃ αὐτῃ γνωμῃ, sitis autem invicem apte compositi* (1) *in eamdem mentem, sententiamque conspirantes.* Etenim informatae animo persuasionis signum ac argumentum est quae verbis effertur oratio; neque consona haberi illa potest, si haec dissona sit, atque discrepet.

Quo dissidio 4. nihil esse aut cogitari perniciosius potest. Ecclesiam namque aptissime definit (2) Ambrosius : *Congregationem, quae in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et charitatis assurgit.* Sed cuius nominat fidei unitatem ? interioris ne solum , quaeque mentis assensione constat, an etiam exterioris professionis ? mitto ductum ex natura conspicuae ecclesiae argumentum, atque his primum utor Chrysostomi (3) verbis : *Ecclesiae nomen non ambitum, sed unionem et consonantiam significat.* Addo deinde ista (4) Tertulliani : *Communicamus ecclesiis apostolicis , quod nulla doctrina diversa.* Conspiratio igitur in unam eamdemque fidei professionem conditio est, qua sublata, ipsa evertitur catholica communio. Quare illius ea est necessitas, quae necessitas est catholicae communionis , suprema videlicet , quum ecclesia charactere et unitatis nota propter catholicam communionem potissimum insigniatur.

Quod si nemini fas est praeceptas formulas contemnere ; quis non videat maximum esse flagitium, illas abolendas, antiquandasque contendere? Non est ovium, sed pastorum, quae sint adeunda pascua, deligere; neque discipulorum est , sed doctorum, formulas quae adhiberi debeant, praefinire.

(1) Quae videtur esse propria *του καταρτιζειν* notio , eadem ac *του καταλλαττειν* (II. Cor. XIII. 11). Ceterum vulgatus *τους κατηρτισμενους* interpretatur *perfectos*, quasi *τετελειωμενους*, ut in Alberti Glossario.

(2) Offic. Lib. III. Cap. III. n. 19.

(3) In I. Cor. Hom. L.

(4) De Praescript. Cap. XXI.

XXV.

Tertium succedit controversiae caput, socinianaque thesis qua ponitur, eam esse verborum ἀγράφων necessitatem, ut sine his articulus de Trinitate in unitate efferri commode nequeat. Principio itaque animadverto, necessitatem non esse *uniusmodi*, sed *multiplicem*, aliam *simplicem* et *absolutam*, ac aliam *quadamtenus* et *secundum hypothesim*: tum hanc ipsam *bifariam* patere. Etenim censeri necessaria possunt vocabula ἄγραφα, vel ut plenius fides in Trinitatem enarretur, vel ut haereticis resistatur evidentius, iidemque certis, fixisque vocabulis ad eiurandam haeresim, quam dissimulare amplius nequeant, aut suam patefaciendam ἑτεροδοξίαν inviti licet atque ingratiis adigantur. Porro de hac posteriori necessitate, quam ultro concedo, nulla mihi est, vel esse cum socinianis disceptatio potest: de priori solum contendo, illamque diserte nego.

Summa enim 1. articuli de Trinitate huc redit: *Patrem esse Deum, Filium esse Deum, et Spiritum sanctum esse Deum: Patrem esse vere Patrem, Filium vere Filium, ac Spiritum sanctum vere utriusque Spiritum: ita tamen Patrem, et Filium et Spiritum sanctum esse Deum, ut unus sit Deus.* Atqui ad ista efferenda omnino sufficiunt, quae in Bibliis non semel aut bis, sed et quater et decies expressa recurrunt.

Praeterea 2. in vetustissimis fidei formulis, ipsoque apostolico et romano Symbolo Trinitatis dogma, quantum satis est, declaratur et proponitur. Atqui et in illis formulis, et in apostolico symbolo nullum adhibetur vocabulum ἄγραφον.

Denique 3. patrum quae retulimus testimonia, id ipsum persuadent. Unde enim, quaeso, vocabulorum ἀγράφων necessitatem petunt? inde ne quod aliter Trinitatis dogma proponi nequeat? nihil minus: verum inde, quod suis corruptelis haeretici non permiserint, ut ecclesia nudis Scripturae verbis contenta esset.

XXVI.

Ex his autem argumentum commode sumitur, quo postrema confutetur socinianorum opinio: coniecturam de falsitate

catholici dogmatis inde erui, quod neque proponi illud, neque explanari sine verbis ἀγραφοις possit.

Etenim 1. ὑποθεσιν negamus, cui futilis coniectura incumbit, quandoquidem manifesto dicatur errore, verba ἀγραφα necessaria esse, nisi necessitas intelligatur, quae non ex articuli natura proficiscitur, sed pure extrinsecus advenit, ac ex malis haereticorum dolis proficiscitur.

Verum 2. fac socinianis permittatur ὑποθεσις, adhuc inquirendum superest, rite ne ex ea consectarium deducatur, quod ipsi putant. Atqui pluribus non est opus, ut eiusmodi consectarium praepostere inferri comprobetur. Nam facile quisque assequitur, de ἀγραφοις verbis statui duplici modo posse: principio quidem, ut illa neque ῥητως legantur in Bibliis, neque apte ex iis eruantur, quae Biblia continent, sed potius plus minusve ab explorata Bibliorum doctrina dissideant; deinde vero, ut ea non sint nisi plenior quaedam, ac illorum legitima explanatio, quae Biblia praeferunt. Quae priori continentur genere ἀγραφα verba, non indicium sed argumentum omnino praebent, quo ostendatur, falsum esse dogma, quod sine illis efferri et declarari non potest. Sed quis adeo sit malus, ut eodem habeat in censu, quae ad posterius genus vocabula pertinent? Atqui ad hoc plane genus vocabula spectant contra sabellianos, arianos, pneumatomachos, et photianos sancita. Utique frustra quaeras in Bibliis μιαν οὐσιαν, τρεις ὑποστασεις, ὁμοουσιον, ἐκ οὐσιας και ὑποστασεως του πατρος, θεον ἐκ θεου, *qui ex Patre, Filioque procedit;* at vero in iis habes, quibus ista aequipollent, et quorum non sunt, nisi nitidior explanatio, et perspicuum corollarium.

Sed quoniam 3. plus semel consectariorum memini, quae ex diserta inferuntur doctrina Bibliorum; non abs re fore arbitror, pauca quaedam ex praeclara Gregorii Nazianzeni disceptatione subtexere. Negabant haeretici usurpari posse quae de consubstantialitate Filii, ac Spiritus sancti divinitate pars catholica pronunciabat, ea praesertim de (1) caussa, quod

(1) Eadem exceptione abusi sunt recentiores photiani, quemadmodum ex iis colligimus quae habentur in tractatu contra graecos, et a Basnagio

de illis Scripturae tacuissent. Perfidam hominum morositatem acriter Nazianzenus exagitat, et cum alia multa, tum ista quoque illis (1) opponit: « Quid causae est, cur literae tantopere servias, iudaicaeque sapientiae te ipsum adiungas, *relictisque rebus syllabas consecteris*? *και συλλαβαις ἀκολουθεις, ἀφεις τα πραγματα*; quod si te bis quinque, aut bis septem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo quod animal ratione praeditum, et mortale diceres, hominem esse concluderem, an tibi nugari viderer? nequaquam profecto, quum tua dicerem. Neque enim haec verba magis sunt eius qui loquitur, quam illius qui loquendi (iis positis, quae *praemissa* audiunt) necessitatem affert ». Scilicet quae sponte, necessario, ἀμεσως ex iis defluunt, quae scripta sunt, scriptorum numero computari debent; *de illis* enim, uti Nazianzenus continuo addit (2), *sumpta sunt*, *ex quibus colliguntur*, *tametsi minime dicantur*.

Quid tandem 4. sibi ominarentur sociniani, si illis ultro darem, ecclesiasticas, de quibus contendimus, phrases nullatenus in Bibliis comprehendi? exultarent, ac animis propemodum gestirent. Sed inaniter, ne quid acerbius addam. Firma namque est, nulloque convellenda artificio catholica praescriptio, fidei veritates non verbo dumtaxat scrìpto, sed etiam tradito propagari.

XXVII.

Quum in solemnium precationum clausula, quae trium personarum appellatione constabat, Basilius non ἐν πνευματι, idest in *Spiritu* tantum usurparet, ut mos erat, sed etiam συν τῳ πνευματι hoc est *cum Spiritu*, in quorumdam reprehensionem incidit, non haereticorum modo, qui cum Patre

edito Tom. IV. Thesauri, pag. 34. Quartum enim ex argumentis, quo persuadere studebant, Spiritum sanctum non procedere a Filio, eiusmodi erat: « Quum veritas faceret mentionem Ioh. XV. de processione Spiritus sancti, ait: *qui a Patre procedit*, non dixit: a Filio. Quod si veritas aliud intellexisset, aliud dixisset. Ego autem verbis eius addere non audeo nec praesumo ».

(1) Orat. XXXVII. Pag. 603.

(2) Ibid. Pag. 606.

vel etiam Filio coaequari Spiritum sanctum iniquo ferebant animo, sed catholicorum insuper, quos alioqui recte de Spiritus sancti divinitate sentientes illa novitas offendebat. Hac de caussa librum de Spiritu sancto ad Amphilochium scripsit, in quo cum variis argumentis et auctoritatibus fidem suam, eiusque testem formulam ac professionem illam approbat; tum quod ad praesens negotium attinet, ex antiqua et apostolica traditione (1) vim ei ac pondus adsciscit. Ac de traditione apostolica universe ita statuit: « *Eorum dogmatum, praedicationumque* (2), quae in ecclesia servantur, τα μεν ἐκ της ἐγγραφου διδασκαλιας ἐχομεν, *quaedam habemus ex doctrina scripto tradita*, τα δε ἐκ της των ἀποστολων παραδοσεως διαδοθεντα ἡμιν ἐν μυστηριῳ παρεδεξαμεθα, ἁπερ ἀμφοτερα την αὐτην ἰσχυν ἐχει προς εὐσεβειαν, *quaedam rursus ex apostolorum traditione communicata nobis in mysterio* (hoc est tamquam arcana) *recepimus; quae ambo vim eamdem habent ad pietatem* ». Quare non coniecturis sed praeposteris suspicionibus accenseri debet, quod sociniani tuentur: ex usu vocabulorum ἀγραφων adduci in dubitationem posse (3) veritatem articuli, quo unum profitemur Deum in Patre et Filio et Spiritu sancto cognitum ed adoratum.

(1) Cap. XXVII.

(2) Δογματων και κηρυγματων. Est autem κηρυγμα institutum, lex, decretum, quod omnibus servandum proponitur. Ita enim principes ac magistratus solent edicta sua, legesque, quas servari ab omnibus volunt, publice ac praeconis voce promulgare. Cum itaque Basilius scribat, ἀλλο γαρ δογμα, και ἀλλο κηρυγμα, *aliud enim est dogma, aliud institutum*, illius nomine *fidei*, huius *rituum, rerumque agendarum sanctionem* (Conf. Petavium De Trinit. Praefat. Cap. I. §. V) designat.

(3) Adversus socinianos et arminianos consule, si fas sit, strenue decertantes Theologos Leidenses in Censura Confess. Remonstrantium Cap. III. Sect. IV. Isaacum Iunium in Examin. Apolog. Remonstrant. pag. 95 seqq., Abrahamum Calovium Consider. Armin. Cap. III. Sect. I. §. 13. pag. 102. seqq., Sect. III. qq. V-VI. pagg. 151. seqq., et Georgium Zeltnerum in Breviario Controversiar. cum Remonstrantibus, Controv. V. pagg. 41. seqq.



DE RATIONE

DIVINAE TRINITATIS

CUIUSMODI IN CHRISTIANIS SYMBOLIS, VETUSTISQUE EORUMDEM COMMENTARIIS EXHIBETUR, DEQUE INTIMA EJUSDEM CUM RELIQUIS CHRISTIANAE DOCTRINAE CAPITIBUS AFFINITATE.



ARGUMENTUM

Quam intime fides et cognitio nectantur, I-II: — et quam ii male fidei, mysteriorumque dignitati consulant, qui cognitionem negligunt, ibidem: — De necessitate cognitionis intelligentiaeque, ut scientia fidei comparetur, II: — necessitas regulae ne in opere plane difficillimo erretur, IV. — Symbolorum opportunitas, ibidem: — quid primum ex iis intelligatur, nimirum, Deum esse unum, V-VII: — quo spectet divinae unitatis, divinaeque μοναρχιας professio, VII-IX: — non eo pertinet, ut divinarum hypostaseon Trinitas, quam Tertullianus οἰκονομιαν nuncupat, excludatur, IX: — Sincera ratio της μοναρχιας και της οἰκονομιας, IX-XII: — quo pacto fides de divina unitate cum fide de trinitate hypostaseon amice conspiret, XII: — insigne Rufini testimonium, XIII: Succedunt Symbola, ac illud inprimis Ecclesiae hierosolymitanae, IX: tum illud quod Epiphanius refert, XV: — his concinunt Symbola Ecclesiarum antiochenae, aquileiensis, et caesariensis apud Eusebium, XIV: — itemque Ecclesiarum aliquot orientalium in Apostolicis Constitutionibus, XVII: Luciani martyris, XVIII: — Gregorii Thaumaturgi, XIX:— Origenis, XX:— Tertulliani, XXI: — ac Irenaei, XXII:—Sequuntur quae in oecumenicis conciliis fuerunt praestituta, ac omnium primum nicaenum, XXIII: — constantinopolitanum deinde, quod relatis Damasi anathematismis illustratur, XXIV: — lateranense, quo ratio componendae μοναρχιας cum οἰκονομια, et Unitatis, cum Tri-

nitate luculentissime edicitur, XXV: — lugdunense, XXVI: — ac postremo florentinum, XXVI: Summa eorum quae ex his deducuntur, orthodoxaque ratio credendae, intelligendaeque Unitatis in Trinitate, et Trinitatis in Unitate, XXVII: — uberior eiusdem explicatio, Clemente alexandrino, Ambrosio et Ferrando praeeuntibus, XXVIII-XXX: — modus repraesentandi, intelligendique mysterii, auctore Dionysio alexandrino, XXX: — eumdem modum referunt Athanasius, Isidorus pelusiota et Pseudo-Iustinus, XXXI: — insignis Gregorii Nazianzeni ὑποτυπωσις, XXXII: — eiusque plenior expolitio, XXXIII: — et cum ea cohaerens dogmatis illustratio, XXXIV: — quo dogmate substantia novi testamenti, ac Evangelii opus continetur, XXXV: — eo christiana pietas ab impietate gentili et iudaica superstitione dirimitur, XXXVI: — eius professione homines regenerantur et Ecclesiae adiunguntur, XXXVII: — nullumque sine eo christianae religionis mysterium peragitur, XXXVIII: — ita vero partes omnes revelatae doctrinae pervadit, ut ab eo seiunctae neque constare sibi, neque cohaerere possint, XXXIX: - constare sibi ea pars non potest quae proprie Theologia nuncupatur, XL: — neque constare sibi ea potest, cui Oeconomiae nomen erudita antiquitas fecit.

I.

Inter ea quae christiana religio complectitur, quaeque *μυστηρια και ἀποῤῥητα mysteria* et *arcana* nuncupantur, principem sane locum illud occupat, quod ad doctrinam augustae divinaeque (1) Trinitatis refertur. Nihil enim eiusmodi do-

(1) Nomen *Trinitatis* apud Latinos ac Τριαδος apud Graecos, ut una in tribus divinis personis subsistens natura significetur, *originis* est *ecclesiasticae*, sed adeo vetustae ut ad ipsa ferme christianae religionis primordia spectare videatur. Ut enim missos faciam *quarti* et *consequentium seculorum* testes qui sunt innumeri; *tertio saeculo* Τριαδος, *Trinitatisque* nomen adhibuere Gregorius neocaesariensis in Fidei expositione, Dionysius alexandrinus apud Athanasium in epist. de sententia Dionysii, et apud Basilium in libello de Spiritu sancto, cap. XXIX., Cyprianus carthaginiensis in libro de Oratione, ac ii demum qui gesta sanctorum martyrum Fructuosi, Augurii et Eulogii aetate Cypriani litteris con-

ctrina sublimius; nihil quod meliori iure *μυστηριον* immo *μεγα και μεγιστον μυστηριον magnum* et *maximum mysterium* appelletur. Neque talis propterea videri debet, cuius nulla animo notitia informetur. Vulgatissimum namque est quod occasione verborum Pauli (1) Isidorus Pelusiota (2) litteris consignavit, mirificam Verbi incarnationem non idcirco *μεγα της εὐσεβειας μυστηριον* dici, idest (enallage graduum non infrequenti) *maximum*, *illustrissimumque pietatis sacramentum* (3), quod sit *παντaπασιν ἀγνοουμενον penitus impervium*, sed quod *οὐδενι ἐφικτον a nemine comprehendatur*. Ac fides profecto esse nulla potest, si quavis rei ad credendum propositae notitia destituatur. Indiget enim (4) *ἡ πιστις της γνωσεως*, *fides cognitione*, *ἡ πιστις ἀνευ γνωσεως fides* (5) *sine cognitione* constare sibi non potest, (6) *ὁ μη γινωσκων την ἀληθειαν, οὐτε ἀληθως πιστευειν δυναται· ἡ γαρ γνωσις κατα φυσιν προηγειται της πιστεως*, *qui veritatem non novit*, *neque*

signarunt; *labente* autem *secundo seculo*, *tertioque ineunte* eodem usi sunt nomine Origenes Comm. in Matth. T. XV. n. 31, in Exod. Hom. IX. n. 3, in Num. Hom. XI. n. 8, et in Ps. CXLIV, Clemens alexandrinus in quinto Stromatum, et apud Eusebium Praep. Evang. lib. XIII. cap. XIII, itemque Tertullianus adversus Praxeam capp. II-III-VII; accedunt qui his omnibus antiquitate praecellunt, Theophilus antiochenus in secundo ad Autol. n. 15, et auctores epistolae, cui titulus est, Μαρτυριον του ἀγιου ἀποστολου Ἀνδρεου, Martyrium sancti apostoli Andreae, qui his verbis epistolam ordiuntur: Εἰρηνη ὑμιν και πασι τοις πιστευουσιν εἰς ἑνα θεον, τελειον ἐν Τριαδι, ἀληθη πατερα ..., ἀληθη υἱον .., ἀληθες πνευμα ἀγιον ..., *Pax vobis, et omnibus credentibus in unum Deum*, *perfectum* in Trinitate, *verum Patrem* ..., *verum Filium* ..., *verum Spiritum sanctum* ... Quae si uti par est, teneantur, pronum erit duo constituere: ac I. appellationem *Trinitatis*, cum ipsis christianae religionis initiis cohaerere: tum vero II. eos falli, qui cum Suicero in Thesauro ad v. Τριας censent, huius vocabuli usum non esse seculo tertio vetustiorem.

(1) I. Tim. III. 16.

(2) Lib. II. Epist. 192.

(3) Eodem pacto, quo Matth. XXII. 36-38 μεγαλη ἐντολη pro μεγιστη ἐντολη adhibetur. Cf. Glassii Philolog. sacram.

(4) Theodoritus Serm. I, θεραπευτ.

(5) Clem. alex. Strom. Lib. VI. pag. 544.

(6) Marcus Erem. de Leg. Spirit., Hesychius Cent. I. n. 60., et Constit. Apost. Lib. VII. Cap. XXXIV.

credere vere potest; cognitio enim fidem natura atque ordine genetico antevertit. Unde in Scripturis γινωσκειν et πιστευειν *cognoscere* et *credere* non semel (1) coniunguntur, γνωσις και πιστις *cognitio* et *fides* (2) permutantur, fides ἐπιγνωσις ἀληθειας *cognitio veritatis* (3), et (4) πληροφορια της συνεσεως *plenitudo intelligentiae* dicitur; fideles vero credentesque θεοδιδακτοι *docibiles Dei* (5) appellantur.

II.

Quare maximis seiunguntur intervallis fides ac *ignorantia*, nec excogitari quidpiam potest ad perdendam extinguendamque fidem validius, quam (6) omnia ἁπλως, ἀλογως και ἀνεξεταστως *simpliciter, temere* et *indiscriminatim* recipere. Hoc enim pacto neque fides esset ad praescriptum rationis (7) exactum obsequium; neque ea rite συγκαταθεσις, *assensio* vocaretur, quum illam tamen hoc nomine vulgo Patres (8) exornent, neque in fidem apte caderet Basilii (9) descriptio, πιστις ἐστι συγκαταθεσις ἀδιακριτος των ἀκουσθεντων ἐν πληροφορια της ἀληθειας, των κηρυχθεντων θεου χαριτι, *fides est eorum quae audita sunt minime anceps et dubia adprobatio* (10) *non sine plena animi persuasione de eorum veritate quae Dei munere praedicata sunt*; neque ea merito (11) diceretur ἐλεγ-

(1) Joh. XVI. 38. I. Ioh. IV. 16.

(2) I. Ioh. III. 12.

(3) II. Tim. III. 7.

(4) Col. II. 2.

(5) Ioh. VI. 45.

(6) Quod pluribus declarat caesariensis Eusebius in praeclaro opere Evangelicae Praeparationis Lib. I. Capp. II. seqq.

(7) Quod obsequium Rom. XII. 1. Paulus vocat την λογικην λατρειαν.

(8) Uti videre licet apud Clementem alexandrinum Strom. Lib. II. p. 362, Basilium in Psalm. CXVI. 1, et Damascenum Orth. Fid. Lib. IV. Cap. XII., qui fidem his verbis describit: πιστις ἐστιν ἀπολυπραγμονητος συγκαταθεσις.

(9) Orat. de Fid. Tom. II. p. 250.

(10) Fidei enim ἐποχη et ἀῤῥεψια *dubium* et *haesitatio* opponitur, atque adeo το στερεωμα *firmamentum* a Paulo ad Col. II. 5. nominatur.

(11) Hebr. XI. 1.

χος οὐ βλεπομενων, *argumentum non apparentium*, idest, interprete post Chrysostomum (1) et Theodoritum (2) Theophylacto (3), δειξις και φανερωσις ἀδηλων πραγματων · ποιει γαρ ταυτα βλεπεσθαι τῳ νῳ ἡμων ὡς παροντα, *demonstratio eorum quae non sunt conspicua : efficit enim, ut ista non secus mentis oculis cernantur, ac si adessent.*

Fidei igitur consulimus ac pro virili nostra providemus, quum in *rationem* divinae Trinitatis inquirimus, significationemque investigamus iis subiiciendam verbis, quibus illius professio continetur. Ut enim ore (4) confessio edatur ad salutem, necesse est fides antevertat, qua corde animoque creditur ad iustitiam; nisi si qui forte eam etiam confessionem existimare salutarem velit, quae labiorum nutu, verborumque strepitu absolvatur.

III.

Multo autem evidentius *scientiae*, *intelligentiaeque* prospicimus, quae eo suapte natura referuntur, ut quae obscura sunt clarescant, quae vero implexa contractaque, apte explicentur ac in suos propemodum articulos diribeantur.

Non me sane discrimen fugit, quo non *ab opinione* minus quam ab scientia fides secernitur: neque illud me latet, quod omnium consensione Bernardus (5) animadvertit, *scientiam intellectumque rationi*, *fidem auctoritati inniti* : immo et illud probe teneo, quod Gregorius Nazianzenus (6) et Prudentius (7) verissime monuerunt, in fidei perniciem eos natos videri, qui illam

. . . minutis dissecant ambagibus,
Ut quisque lingua est nequior
Solvunt, ligantque quaestionum vincula
Per syllogismos plectiles.

(1) In Epist. ad Hebr. Hom. XXI.
(2) In h. l.
(3) In h. l.
(4) Rom. X. 10.
(5) De Consid. Lib. V. Cap. III.
(6) Carm. de vita sua.
(7) Praefat. ad Apotheos.

Nihilominus dum animo mecum reputo hinc quidem egregia patrum (1) studia, inde vero sollicitam opportunamque Scholae (2) industriam, quibus praetermissum nihil est, quod ad abditissima quaeque religionis arcana tuenda explanandaque conduceret; diffiteri non possum, praeclare illos de scientia religionis mereri, qui nullis parcunt curis, ut fides accessione intelligentiae locupletetur. Ut enim scite Theodoritus (3) loquitur, *προσγενομενη τη πιστει ἡ γνωσις, τελεσιουργει της ἀληθειας την ἐπιστημην*, *fidei adiuncta cognitio perficit scientiam veritatis*: illam nimirum scientiam, quam Chrysostomus (4) fidei fructum et coronam nuncupat: illam scientiam, ad quam Cyrillus alexandrinus (5) *μετα την πιστιν post fidem* contendendum esse testatur: illam denique scientiam, cui Origenes (6) medium locum *σοφιαν* inter ac *πιστιν*, *inter fidem et sapientiam* assignat.

VI.

Cui comparandae, obtinendaeque scientiae non *alacritate* magis quam *dexteritate* opus est: et alacritate quidem, quod mysteriorum enarratio ac intelligentia in arduo sit ac inter salebras versetur: dexteritate vero, quod neque omnis com-

(1) Confer quae scribunt Clemens alexandrinus Stromat. lib. II. cap. II. cap. II, Origenes De Principiis, Praefat. n. 10., Augustinus in Ioh. Tract. XIV, et Anselmus, qui in libro, *Cur Deus homo*, cap. II. ait: « Sicut *rectus ordo* exigit, ut profunda christianae fidei credamus, priusquam ea praesumamus ratione discutere; ita *negligentiae* mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide, non studemus quod credimus, *intelligere* »

(2) Cuius industriae specimen habetur praeclarissimum in Theologica Aquinatis Summa, in qua non facile tecum ipse statueris, quid prius, quidve suspicias vehementius, castimoniam ne sinceritatemque doctrinae, an subtilem illius articulatamque explanationem. Ceterum de industria Scholae insigniter disputat Bonaventura initio opusculi, *De reductione artium ad Theologiam*.

(3) Serm. I. θεραπευτ.

(4) In Epist. ad Philip. Hom. XI.

(5) In Catena ad Ioh. VI. pag. 201.

(6) Cont. Celsum Lib. VI. pag. 284.

mendetur alacritas, sed quae rationis consilio gubernatur, neque omnis industria eo pertingat quo tendit, sed quae apte congruenterque adhibetur.

Adduci enim in controversiam non potest Philonis effatum (1), ὅτι οὐχ' ὁ πονος καθ' αὐτον, ἀλλ' ὁ μετα τεχνης ἀγαθος, *non laborem ipsum per se, sed qui cum arte collocetur, laudem promereri:* neque de eo fas est ambigere, quod Fulgentius ad Trasimundum (2) scripsit: » Tum inquisitionem veritatis desiderato non frustari effectu, quum rectis ad veri cognitionem lineis animus innititur ».

Quare ne in transversum acti a scopo aberremus, et ne curae quas suscipimus iis priventur fructibus, quibus illorum levatur onus et lenitur asperitas; quasdam veluti lineas ducemus, quibus investigatio omnis nostra circumscripta regatur. Has porro lineas a decretis ecclesiaeque sanctionibus mutuabimur » quum nobis, quae sunt Tertulliani verba (3), nihil ex nostro arbitrio inducere liceat, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter nationibus adsignaverunt. Itaque etiamsi angelus de Coelis (4) aliter evangelizaret, anathema diceretur a nobis ».

Quam vero disciplinam Apostoli nationibus adsignaverint, neque ab aliis potiori iure discendum arbitror, quam ab iis, quibus testandi (5) munus ipsimet Apostoli crediderunt, qui custodiendum gregem accepere, quosque uti doctores magistrosque reveremur; neque ex aliis monimentis opportunius tutiusque repetendum, quam ex iis, quibus plenior illustriorque consensio suffragetur, quaeque *regulae* nomen, praestantiam auctoritatemque obtinuerunt.

Eiusmodi autem sunt *symbola* (6) sive in oecumenicis Sy-

(1) In libro, *Quod deterior potiori insidietur.*

(2) Lib. I. Cap. III.

(3) De Praescript. Cap. VI.

(4) Gal. I. 8-9.

(5) I. Tim. VI. 12, II. Tim. II. 2.

(6) Quae apud veteres, Irenaeum con. Haeres. lib. I. cap. XIX, Ter-

nodis proposita, sive in orthodoxis ecclesiis summo religionis studio ab antiquissimis usque temporibus ac ipsis propemodum Ecclesiae originibus conservata. Symbola igitur ob oculos constanter habebimus, ab iis vel tantillum deflectere interdictum nobis existimabimus, ac ex iis ducemus, quae ad intelligentiam pertinent illius fidei, qua unum Deum in Trinitate profitemur.

Quibus compertis ea pariter explorata erunt, quae, uti Tertullianus (1) scribit, « nullas habent apud nos quaestiones, nisi quas inferunt haereses, et quae haereticos faciunt ». Tum si quae praeterea videbuntur aut expendenda subtilius, aut rimanda diligentius, ad praelucentem normam indagines nostras dirigemus; quaeremus vero, ut idem africanus doctor (2) addit: » in nostro et a nostris et de nostro, idque dumtaxat, quod salva regula fidei potest in quaestionem devenire ». Ecquid enim ἄτοπον magis, quam » apud haereticos quaerere, ubi omnia extranea et adversaria nostrae veritati, ad quos vetamur (3) accedere? quis servus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico domini sui sperat? quis miles ab infoederatis, ne dicam ab hostibus regis donativum et stipendium captat? nisi plane desertor et transfuga et rebellis. Nemo inde instrui potest, unde destruitur: nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur ».

V.

Jamvero qui in omnibus ferme symbolis primus comparet articulus, sic habet. *Credo in unum Deum Patrem omnipo-*

tullianum de Praescript. cap. XII., de velandis Virginibus cap. I, Novatianum de Trinit. cap. I, Patres antiochenos contra Paulum samosatensem apud Eusebium H. E. lib. VII. capp. XXX, Hieronymum epist. LIV. ad Marcellumm contra errores Montani, Theodoritum H. E. lib. I. cap. VII, et Socratem H. E. lib. II. capp. XXXIX-XL. et lib. V. cap. IV, saepissime dicuntur *regula veritatis, regula fidei*, κανων, πιστεως ἐκδοσις, πιστις, et ὁρος της πιστεως.

(1) De Praescript. Cap. XIV.

(2) Ibid. Cap. XII.

(3) II. Ioh. vv. 10-11

tentem. Quamquam enim in symbolo, quod Apostolorum (1) insignitur nomine, ac ἐξοχως *romanum* appellatur, eiusmodi articulus his efferatur verbis, *Credo in Deum Patrem omnipotentem:* in aquileiensi vero, quod Rufinus descripsit, commentarioque explanavit, ita se habeat, *Credo in Deo* (2) *Patre omnipotente:* in reliquis tamen propemodum omnibus addi λεξιν *unum*, perspicuis argumentis confirmatur.

Atque eo imprimis, quod istud additamentum praeferunt formulae quotquot supersunt, cum vetustiores, tum recentiores. Illas sin minus omnes, plerasque saltem summa cura, quamquam non satis omnino fecerint erudito Petro Lazari (3) in exercitatione, *De antiquis formulis fidei eorumque usu*, aut indicarunt, vel in unam collegerunt summam Usserius (4), Vossius (5), Suicerus (6), Christianus Lupus (7), Josephus Bingham (8), Garnerius (9), Quesnellus (10) et (11) Toutté. Atqui ex innumeris propemodum formulis nulla est, quae non exhibeat dictionem *unum*, ἑνα aut μονον.

Hanc videlicet exhibent, ut nonnullas commemorem, formulae Origenis (12), Pseudo-Origenis (13), Gregorii Neocae-

(1) De hoc *Apostolici Symboli* appellatione erudite disserit auctor operis inscripti, *Critical. Hist. of the* Creed, chap. I.

(2) Videntur enim veteres ἀδιαφορως scripsisse *in Deo* et *in Deum*. Quare Nicetas aquileiensis Praesul in Explanatione Symboli habita ad Competentes, et ab Em. Mai edita T. VII. Script. Veterum pag. 333. inquit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

(3) Conf. Tom. VI. Thesauri Theol. Zaccariae.

(4) Dissert. de Symbolis.

(5) In triplici Dissert. de Symbolis.

(6) In Thesauro ad v. Συμβολον.

(7) Ad Cap. XIII. libri de Praescriptionibus, Tertulliano Auctore, et in Comm. ad Symbolum Nicaenum.

(8) Origin. Eccles. Lib. X. Cap. III.

(9) Ad Opp. M. Mercatoris Part. I. Diss. V.

(10) Ad Opp. S. Leonis Diss. XIV.

(11) In Collectione Symbolorum, cuius etiam meminit in observationibus ad Symbolum hierosolymitanum, quod Cyrillus in Catechesibus illustrat.

(12) In Praefat. ad Lib. I. περι ἀρχων.

(13) In Dialogis adversus marcionitas pagg. 3-158 edit. Wetstenii.

sariensis (1), Luciani martyris (2), Constitutionum apostolicarum (3), Ecclesiae hierosolymitanae (4), alexandrinae (5), et antiochenae (6), ut tacitus praeteream vulgatissimas fidei regulas, nicaenam, constantinopolitanam, et quae Athanasii nomine (7), circumfertur. Haberi igitur pro certo debet, universalis propemodum ecelesiae hanc fuisse solemnem professionem: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem.*

VI.

Quod diserto Rufini testimonio confirmatur. In expositione namque Symboli apostolici ad articulum *Credo in Deo Patre omnipotente*, hanc (8) subiicit adnotationem: » Orientales ecclesiae omnes pene ita tradunt: *Credo in uno Deo Patre omnipotente* ».

Cur vero in romana iuxta ac aquileiensi dictio « *uno* » desideraretur, ita (9) enarrat. » Illud non importune commonendum puto, quod in diversis eeclesiis aliqua in his verbis inveniuntur adiecta. In ecclesia tamen urbis Romae hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea esse arbitror, quod neque haeresis ulla illic sumsit exordium: et mos inibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi

(1) Opp. pag. I, et apud Gregorium Nyssenum Tom. III. pag. 546.

(2) Apud Socratem Hist. Eccl. Lib. II. Cap. X. Huius symboli ὀρθοδοξίαν assertam vide ab Emmanuele Schelstrate in opere non admodum pervio, *Sacrum Antiochenum concilium pro arianorum conciliabulo passim habitum, nunc ex omni antiquitate auctoritati suae restitutum, Diss. III. Cap. II.*, Bullo in Defensione fidei Nicaenae Sect. II. Cap. XIII. §. VI et Tillemontio Hist. E. Tom. V.

(3) Lib. VII. Cap. XLI.

(4) Penes Cyrillum Catech. VI.

(5) Referente Socrate. Hist. Eccl. Lib. I. Cap. XXVI.

(6) Penes Cassianum. De Incarnat. Lib. VI.

(7) Cf. De symbolis, eorumque usu generatim aut nominatim dissertantes Kieslingium, Pearsonium, Zaccariam in Thesauro Theolog. T. III. pag. 413, Tom. VI. pagg. 128-142-157, Muratorium. Anecdot. Tom II. p. 217, Antelmium de Symbolo athanasiano et De Rubeis diss. variae eruditionis pagg. 17. seqq.

(8) N. 4.

(9) N. 3.

sunt, publice, idest fidelium populo audiente, symbolum reddere; et utique adiectionem unius saltem sermonis eorum, qui praecesserunt in fide, non admittit auditus ». Eadem prope tradit (1) Ambrosius.

Porro quod de orientalibus ecclesiis Rufinus et Ambrosius scribunt, id omnino extra controversiam est; sed fallerentur egregie, qui ex illorum verbis argumentando concluderent, aliam fuisse occidentalium ecclesiarum consuetudinem. Harum enim plerasque cum orientalibus adamussim consensisse, testibus quavis exceptione maioribus comprobatur. Et de Symbolo quidem ecclesiarum Galliae scribit (2) Irenaeus, apud illas viguisse « *Firmam fidem in unum Deum Patrem omnipotentem* ». Tum (3) subdit: » Ecclesiam per universum orbem, usque ad fines terrae seminatam *παρα δε των ἀποστολων και των ἐκεινων μαθητων*, *ab apostolis et discipulis eorum* accepisse eam fidem, quae est *εἰς ἑνα θεον πατερα παντοκρατορα*, *in unum Deum patrem omnipotentem* ». Rursus (4) ingeminat: *Fidem quae est in unum Deum, qui fecit omnia*. Et (5) alibi addit. » Sub hoc igitur Clemente dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians, quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem annuntiantem *unum* Deum omnipotentem, factorem coeli et terrae ». Denique (6) memorat. » Fidem integram, quae est in *unum* Deum omnipotentem, ex quo omnia ». Quod ad ecclesias Africae spectat, nihil hisce opportunius, quae scribit (7) Tertullianus: » Regula est autem fidei, ut iam hinc quid defendamus, profiteamur; illa sci-

(1) In ea Symboli ad initiandos explanatione, quam ex vaticanis codicibus omnium primus publici fecit juris Em. Mai in nova Scriptorum veterum collectione Tom. VII. Part. I. pagg. 156-159.

(2) Advers. Haeres. Lib. I. Cap. I.

(3) Cap. II.

(4) Lib. II. Cap. XLIII.

(5) Lib. III. Cap. III.

(6) Lib. III. Capp. XLV. LXII.

(7) De Praescript. Cap. XIII

licet qua creditur, *unum* omnino esse Deum, nec alium praeter mundi conditorem, qui universa de nihilo produxerit per Verbum suum primo omnium emissum ». Et in libro (1) de velandis virginibus meminit: « Regulae credendi in *unicum* Deum omnipotentem mundi conditorem ». Tum (2) contra Marcionem disputans laudat « Regulam, quae *unum* Deum sistit ».

Pro Sardiniae ecclesiis testem habemus calaritanum Luciferum, ita imperatorem Constantinum (3), alloquentem: » Quomodo tibi Arii discipulo adquiesceremus christiani, deserentes apostolicam traditionem, cum te inveniamus dicere, Patrem non esse verum Patrem, sed appellari Patrem? cum dicas, illum non habere verum Filium, sed factum esse ex nihilo? sanctum Paracletum Spiritum cum dicas itidem constare ex nihilo? e contra videamus, apostolos credidisse in *unum* Deum Patrem omnipotentem, et unicum Filium eius Jesum Christum, et in sanctum paracletum (4) Spiritum ». Orientalis igitur ac occidentalis ecclesia in eam conspiravit fidei professionem, qua corde credimus, ac ore testamur, *unum esse Deum Patrem omnipotentem.*

Cuius mirificae consensionis ex iis quoque argumentum petitur sane luculentum, quae penes Vigilium tapsensem (5) legimus. Eutychianorum nescio quis ex dogmatica magni Leonis ad Flavianum epistola (6), hanc audiverat recitari fidei regulam: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Nulla interiecta mora, ac indignantis ritu percontatus est, Cur non dixerit *in unum Deum Patrem, et in unum Jesum, iuxta nicaeni decretum concilii.* Sed importuni censoris temeritatem prudenter castigavit Vigilius reponens: « Romae et antequam nicaena Synodus conveniret, a temporibus apostolorum usque ad nunc, ita fidelibus Symbolum traditur, nec praeiudicant verba, ubi sensus incolumis permanet: magis enim cum Domini Jesu Christi sententia haec fidei professio

(1) Cap. II.
(2) In I. Adv. Marcion. Cap. V.
(3) In libro *de vitanda haereticorum communione.*
(4) Cf. Christiani Lupi Scholion ad Cap. XIII. libri de Praescriptionibus.
(5) Contra Eutychem Lib. IV.
(6) Epist. XXVIII. e Balleriniorum recensione.

facit dicentis : *Creditis in eum , et in me credite* , nec dixit, in *unum* Deum Patrem , et in unum me ipsum. Quis enim nesciat, unum esse Deum, et unum Jesum Christum Filium ejus » ?

VIII.

Sed ne tanta in professionem *unius* Dei Patris omnipotentis conspiratio alteri infensa articulo videretur, quo Deum *in personis trinum* credimus ; sui esse muneris existimarunt patres , perspicuis ac frequentibus declarare sententiis , quo illud divinae unitatis dogma pertineret. Principio itaque declararunt , eo arceri , ac penitus proscribi cum ethnicorum *πολυθειαν, polytheismum,* tum insana haereticorum deliria, quibus *duo* vel etiam *tria suprema principia* non distincta modo , sed diversa , atque secum ipsis pugnantia comminiscebantur.

Huius delirii testes sunt ecclesiastici scriptores ad unum omnes , qui haeresum historiam ab incunabulis ductam nascentis ecclesiae , atque in dies latius propagatae contexendam susceperunt. Omitto lubens Irenaei , Tertulliani , Epiphanii , Philastrii , Augustini , Theodoriti ac Damasceni verba , iisque me contineo, quae (1) Eusebius describit ex Rhodone, vetustissimo secundi saeculi auctore, marcionitarum dissidia enarrante.» Inter se ipsi dissentiunt, quippe qui eiusmodi doctrinam tuentur, quae omnino stare non potest. Nam ex illorum grege Apelles . . . . *μιαν ἀρχην ὁμολογει* , *unum fatetur* esse *principium*, prophetarum autem oracula *ἐξ ἀντικειμενου πνευματος ex adversario spiritu* profecta esse dicit . . . . . . Alii vero perinde ac Marcion ipse, *δυο ἀρχας εἰσηγουνται, duo inducunt principia*, inter quos est Potitus et Basilicus . . . Alii rursus ab his tamquam tempestate in peius abrepti, *οὐ μονον δυο, ἀλλα και τρεις ὑποτιθενται φυσεις, non duas solum , sed tres naturas posuerunt,* quorum ut disciplinae illius sectatores memorant , princeps et antesignanus fuit *Syneros..*»

Ut hoc ergo impietatis monstrum profligarent , atque su-

(1) H. E. Lib. V. Cap. XIII.

premi Numinis *monarchiam* tuerentur, *numeralem* illam et *ἀποκοπτικην* dictionem Patres Symbolo inseruere.

Quod demonstrat Irenaeus, quum e tenebris in lucem protracta Valentini, Cerdonis, ac similium pestium haeresi, qua *plura* rerum *suprema principia* statuebant; e vestigio (1) subdit: refelli illam plenissime ex fide, qua credimus *εἰς ἑνα θεον πατερα παντοκρατορα in unum Deum Patrem omnipotentem.*

Demonstrat Tertullianus, qui eisdem haereticis non aliam fidei regulam in libro de praescriptionibus, atque in opere contra Marcionem opponit, nisi qua tenemus *unum omnino Deum esse.* Professione ergo unius Dei Patris omnipotentis, non Trinitas excluditur personarum, quae eiusdem sint divinae naturae participes; sed haeresis damnatur, qua plura suprema principia naturis dissita confinguntur.

VIII.

Quid quod declarant Patres, illud *unum σχετικως relative* accipi, ac ad ea proinde referri, quae in eodem Symboli articulo continentur? Sequitur nimirum, *creatorem coeli et terrae.* Docent igitur, praecedens vocabulum *unum,* iungi cum istis oportere, adeo ut sententia, quae integrae orationi subiicitur, haec sit: *credo unum eumdemque Deum esse et Patrem omnipotentem, et coeli terraeque creatorem.*

Quod ut probe intelligatur, animadverti debet, fuisse haereticos, qui (2) vel hanc rerum conspicuam universitatem angelis auctoribus adscriberent, vel *συγχρονον την ὑλην τῳ θεῳ coaevam Deo materiam* dicerent, ac Deum esse omnipotentem creatorem inficiarentur, vel huius mundi creatione supremo Deo detracta, illam *δημιουργῳ effectori* assererent, quem propterea, ut Irenaeus (3) refert, *τον πατερα και*

(1) Adv. Haeres. Lib. I. Cap. II.

(2) Irenaeus Adv. Haeres. Lib. I. cap. XXII, Lib. II. cap. IX, Epiphanius ad haeres. Menandri, et Theodorit. ad haeres. Basilidis et Carpocratis.

(3) Advers. Haeres. Lib. I. cap. I.

βασιλεα παντων, *patrem regemque omnium nuncuparent.* E qua opinionum incredibili perversitate consequebatur, Summum Deum ea privari nobilissima *paternitatis* dote, quae ex titulo creationis existit, quamque non Biblia solum innuunt, quum memorant (1) vel *generationes coeli et terrae, quando creata sunt in die, quo fecit Deus coelum et terram,* vel (2) *pluviae patrem, et roris partum;* sed ipsae quoque Gentes tamquam Dei propriam constantissime habuerunt.

Nihil enim penes illas frequentatum magis, quam istud Homeri, *πατηρ ἀνδρων τε θεων τε*, *pater hominumque deorumque*, vel istud non dissimile Ennii, *Divumque hominumque Pater, Rex.* Hinc Servii opportuna de Virgilio adnotatio: » a Poeta pene omnibus diis nomen *paternum* additur, ut fiant *venerabiliores* ». Hinc ista (3) Lactantii: « Omnem Deum necesse est, inter solemnes ritus et precationes Patrem nuncupari, non tantum honoris gratia, verum etiam rationis; quod vitam, salutem, victum praestat ut *pater.* Itaque ut Jupiter a precantibus pater vocatur, et Saturnus et Janus, et Liber, et ceteri deinceps, quod Lucilius in Deorum concilio irridet: Ut nemo sit nostrum qui Pater optimu' Divum

Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater nomen dicatur ad unum.

Ne itaque praeposteris absurdisque haereticorum commentis in transversum acti fideles, ab ea salubri confessione desciscerent, qua, Paulo (4) normam praefiniente *ἡμιν εἱς θεος ὁ πατηρ, ἐξ οὑ τα παντα*, *nobis est unus Deus Pater, ex quo omnia*, voluerunt Patres, ut in Symbolo sancte contestaremur, unum eumdemque esse et supremum Deum, et omnipotentem Patrem, qui omnia sua virtute procreavit. Quare (5) Irenaeus: « Ecclesia omnis, inquit, hanc accepit ab

(1) Gen. II. 4.
(2) Iob. XXXVIII. 28.
(3) Divin. Instit. Lib. IV. Cap. III.
(4) I. Cor. VIII. 6.
(5) Lib. II. cap. IX.

apostolis traditionem, quod unus sit Deus fabricator coeli et terrae ». Tum (1) monet, destinatum sibi esse ostendere, quod *verus et summus Deus solus conditor, et solus Pater existat.* Et denuo (2) scribit, ea professione, quae in Symbolo continetur, nos (3) credere *Deum omnipotentem, qui omnia condidit, non per angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab eius essentia, nihil enim indigere omnium Deum, sed per Verbum, et Spiritum suum omnia facientem esse et disponentem.*

IX.

Ad haec, veterum ecclesiae patrum ne unum quidem reperire licet, cui non ista Tertulliani (4) probentur: « Unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομιαν *oeconomiam* dicimus, ut unici Dei sit et Filius Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in Virginem, et ex ea natum hominem et Deum, filium hominis, et Filium Dei, et cognominatum Jesum Christum. Hunc passum, hunc mortuum et sepultum secundum Scripturas, et resuscitatum a Patre, et in coelos *resumptum*, sedere ad dexteram Patris, venturum iudicare vivos et mortuos. Qui exinde miserit secundum promissionem a Patre Spiritum sanctum paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patre et Filio et Spiritu-sancto ». Quibus ἀμεσως subiungit: » Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa *posteritas* omnium haereticorum, quam ipsa *novellitas* Praxeae hesterni ».

Porro huius οἰκονομιας non solum eodem rursum capite meminit, verum etiam illam inculcat sequentibus (5), atque totus in eo est ut probet, illam cum divina μοναρχια

(1) Ibid. cap. I.

(2) Lib. I. cap. XIX.

(3) Cf. Ioan. Pearsonii Expositionem symb. Apostolic. Art. I. pagg. 43 seqq. edit. Francofurti 1691.

(4) Contr. Praxeam cap. II.

(5) Capp. VIII. IX. XIII.

praeclare componi. Sed quid tandem *οἰκονομιας* nomine significat? aut quomodo *οἰκονομιαν* et *μοναρχιαν* amico foedere conciliat?

Gaspar Suicerus (1) auctor est, quatuor omnino illius significationes apud sacros, ecclesiasticosque scriptores reperiri: designat enim cum *ministerium Evangelii* (2), et *providentiam* ac *numen*, *quo Dei sapientia omnia moderatur; tum Christi ἐνανθρωπησιν incarnationem, ac totius redemptionis mysterium*, *et passionis Christi sacramentum*. Atqui ex his significationibus nulla est, quae in testimonia quadret Tertulliani, quaeque ad illa explananda conferat. Quod nimirum primam Suicerus *της οἰκονομιας* acceptionem neglexerit, quae penes Tertullianum frequens est, quamque ipsemet plus semel declarat.

Etenim in eo, quem commemoravimus libro adversus Praxeam, descripta fidei regula, quae tamquam norma futurae disceptationis haberetur, continuo (3) subdit: « Salva ista praescriptione (qua tamen una confecta causa erat), ubique tamen propter instructionem et munitionem quorumdam, dandus est etiam retractationibus locus; vel ne videatur unaquaeque perversitas non examinata, sed praeiudicata damnari; maxime haec, quae existimat meram veritatem possidere, dum *unicum* Deum non alias putat credendum, quam si ipsum eumdemque et Patrem et Filium et Spiritum-sanctum dicat. Quasi non sic unus sit omnia, dum *ex uno omnia* (4), per *substantiae scilicet unitatem*, et nihilominus custodiatur *οἰκονομιας* sacramentum, *quae unitatem in Trinitate disponit*, tres dirigens Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, tres autem non statu, sed gradu (5); nec substantia,

(1) In Thesaur. ad v. οἰκονομια.

(2) Eph. III. 2. coll. Coloss. I. 25.

(3) Cap. II.

(4) Ratio adumbratur, qua fieri potest, ut Trinitas cum unitate cohaereat, si videlicet Filius ac Spiritus sanctus ad Patrem veluti ad ἀρχην et πηγην *principium* et *fontem* revocentur.

(5) Eo nempe ordine, quo Pater a se existit, Filius a Patre ἀμεσως prodit, et Spiritus sanctus a Patre per Filium procedit; adeoque Pater prima, Filius secunda, et Spiritus sanctus tertia Trinitatis ὑποστασις et dicitur et est.

sed forma (idest τροπῳ ὑπαρξεως); nec potestate, sed specie (idest proprio singulis personis charactere); unius autem substantiae (adeoque ὁμοουσιους) et unius status, et unius potestatis (ac propterea ὁμοτιμους); quia unus Deus, ex quo et gradus isti, et formae et species, in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti deputantur ». Haec igitur est notio της οἰκονομιας vocabulo subiecta, ut designet *unitatis in Trinitate dispositionem.*

X.

Quem conceptum paullo secus explanat (1) Tertullianus, subdens: « Duos quidem definimus Patrem et Filium, etiam tres cum Spiritu-sancto, secundum rationem *oeconomiae, quae facit numerum*, ne, ut vestra perversitas infert, Pater ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non est traditum. Duos tamen Deos, et duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus-sanctus Deus, et Deus unusquisque; sed quoniam retro et duo Dei et duo Domini praedicabantur, ut ubi venisset Christus, et Deus agnosceretur, et Dominus vocaretur; *quia* Filius Dei Domini ».

Est ergo οἰκονομια, *quae facit numerum.* Sed numerus in Deo non aliunde est, quam *ex propriis,* ac iis, quae σχετικως dicuntur: *propria* vero sunt ac dicuntur σχετικως, cum quod Pater ingenitus producat Filium unigenitum, tum quod ex Patre ingenito ac Filio unigenito procedat Spiritus sanctus. Denotat igitur οἰκονομια hunc mutuum personarum habitum, denotat progressum ex unitate ad Trinitatem, ac unitatis *in Trinitatem, unius* (2) *divinitatis, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, dilatationem.*

Quo pariter spectant, quae eodem contra Praxeam libro (3) scribit: « Haec erit probola veritatis, custos unitatis, qua prolatum dicimus Filium a Patre, sed non separatum. Protulit enim Deus Sermonem, quemadmodum etiam Paracletus

(1) Cap: XIII.
(2) De Pudicitia Cap. XXI.
(3) Cap. VIII.

(Montanus) docet : sicut radix fruticem , et fons fluvium , et sol radium. Nam et ipsae species probolae sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt. Nec dubitaverim, Filium dicere et radicis fruticem, et fontis fluvium , et solis radium: *quia* omnis origo parens est (1), et omne quod ex origine profertur , progenies est : *multo magis* (notetur *intensiva* loquutio) Sermo Dei , qui etiam proprie nomen Filii (atque adeo non universim duntaxat progenies est) accepit ; nec frutex tamen a radice , nec fluvius a fonte , nec radius a sole discernitur (idest natura et substantia separatur) , sicut nec a Deo sermo (qui propterea est Deo Patri ὁμοουσιος). Igitur secundum horum exemplorum formam (2), profiteor me duos dicere (3), Deum et Sermonem eius, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duae res sunt, sed coniunctae. Et fons et flumen duae species sunt, sed indivisae. Et sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes (4). Omne quod prodit ex aliquo, *secundum* sit (animadverte progressum ex unitate ad pluralitatem) eius necesse est, de quo prodit, non ideo tamen est separatum. Secundus autem ubi est, *duo* sunt. Et tertius ubi est, *tres* sunt.Tertius enim *est* Spiritus a Deo et Filio (5), sicut tertius a radice fructus ex frutice, et tertius a fonte rivus ex flumine , et tertius a sole apex ex radio. Nihil tamen a matrice alienatur , a qua proprietates suas ducit. Ita Trinitas *per consertos et connexos gradus a Patre decurrens* , et monarchiae nihil obstrepit, et οἰκονομιας statum protegit ».

(1) Hisce exprimitur similitudinis ratio , ac simul figuntur limites , quos inter accipi debet.

(2) Quae eo pertinent, ut filius credatur a Patre generatione prodire, eamdem cum illo possidere naturam, ac proinde ab eo distingui hypostasi, non separari substantia.

(3) En habes numerum, quem facit οἰκονομια,' ac obiectam simul oculis imaginem habes, quae numeri ab unitate profecti incrementum adumbrat.

(4) Si paullo subtilius inspexeris, unde haec et *duo* sint, et simul sint *coniuncta*, *indivisa* , *cohaerentia* , comperies duo esse τροπω ὑπαρξεως ; coniungi, divisionem non pati, et cohaerere propter ταυτοτητα φυσικην *naturalem identitatem.*

(5) Nihil luculentius ad asserendam *substantialem* Spiritus a Patre et Filio progressionem.

Et eodem (1) libro: » Alium autem quomodo accipere debeas, iam professus sum, *personae* non *substantiae* nomine, ad *distinctionem* non ad *divisionem*. Ceterum utique teneo *unam substantiam in tribus cohaerentibus* ». Ac (2) rursum: » Paracletum quoque a Patre se postulaturum, cum adscendisset ad Patrem, et missurum repromittit, et quidem alium, sed iam praemisimus, quomodo *alium*. Caeterum *de meo sumet*, inquit, sicut ipse de Patris (3); *ita connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes alterum ex altero*. Qui tres *unum sunt, non unus,* quomodo dictnm est, *Ego et Pater unum sumus,* ad substantiae *unitatem*, non ad numeri *singularitatem*. »

XI.

Si ergo perconteris, quid, ad Deum quod attinet, significet *οἰκονομια*, cuius status protegi debet, in promptu est responsio: significat *quod numerum facit:* significat *quod unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens Patrem, et Filium et Spiritum sanctum:* significat *decursum per connexos et consertos gradus a Patre in Filium, et a Patre ac Filio in Spiritum sanctum:* significat *tandem connexum Patris in Filio, et Filii in Paracleto, quod ex origine Filii a Patre, veluti radii a sole, et Spiritus sancti a Patre et Filio, veluti apicis a sole et radio promanat.*

Sin vero quaeras, quid illud sit, ad quod *οἰκονομια* refertur, pluribus opus haud est ut assequaris, ad illud referri quod *multiplex* est, ac numeri singularitati opponitur. Atqui hoc non convenit *substantiae*, quae *una* est, ut Tertullianus toties ingeminat, sed *personis*, quae *plures* sunt, ut idem inculcat ac tuetur. Personae ergo sunt, ad quas refertur *οἰκονομια*.

(1) Cap. XII.

(2) Cap. XXV.

(3) Sed divinam ipsam naturam habet Filius a Patre, ergo divinam naturam ab ipso quoque Filio habet Spiritus, qui proinde ab eo etiam *οὐσιωδως* procedit.

XII.

Cum qua aptissime *μοναρχιαν monarchiam* consentire, quam in primo Symboli articulo, verbis illis, *Credo in unum Deum*, profitemur, nullo arbitror negotio intelligetur, si quae vocabulis inest significandi potestas, probe teneatur. Itaque ad Tertulliani dictum, quod (1) ex Praxeae sententia profert, *Monarchiam tenemus*, hunc subnectit commentarium Rigaltius : « Μοναρχικην, hoc est, Deum unicum asserimus, iure id quidem, nam alias incidimus *εἰς θεοτητα την ἀθεον πολυθεοτητα*. Hieronymus (2) auctor est, librum ab Irenaeo fuisse compositum hoc titulo, *de Monarchia*, sive *Quod Deus non sit auctor malorum.* » Atqui inepta haec sunt, neque ad rem pertinent.

Igitur *μοναρχια*, quae *κυριως proprie* est *unius imperium, et unius principatus* non raro apud Patres notat *unius Dei numen*, opponiturque *τῃ πολυαρχιᾳ*. Hanc acceptionem Suicerus (3) verbis confirmat Philonis, Eusebii, Nicephori constantinopolitani, atque Athanasii. Ea nobis sat erunt, quae in libello de Spiritu sancto (4) scribit Basilius : *πως ἐν τῃ ὁμολογιᾳ των τριων ὑποστασεων το εὐσεβες της μοναρχιας δογμα διατηρουμεν, quomodo in confessione trium personarum pium monarchiae* (hoc est unius Dei) *dogma servemus.* Et ibidem : *θεον γαρ ἐκ θεου προσκυνουντες, και το ἰδιατον των ὑποστασεων ὁμολογουμεν, και μενομεν ἐπι της μοναρχιας, εἰς πληθος ὑπεσχισμενον την θεολογιαν μη σκεδαννυντες, Deum enim ex Deo adorantes, et proprietatem profitemur personarum, et manemus in fide de monarchia* (de uno Deo), *non dividentes divinae naturae rationem in multitudinem subdivisam.* Iamvero adducta Tertulliani testimonia recolantur: manifestum erit, *την μοναρχιαν* non alia significatione ab eodem usurpari.

Igitur *μοναρχια*, quae in primo symboli articulo proponitur, deorum pluralitati adversatur, divinaeque substantiae

(1) Cont. Praxeam Cap. III.

(2) De Scriptor Eccles. Cap. XXXV.

(3) In thesauro ad V. *μοναρχιαν*.

(4) Cap. XVIII.

singularitatem postulat. Atqui eiusmodi singularitati *οἰκονομια* nullatenus officit, immo illam complectitur ac exigit: ea namque sublata, et dispositio *unitatis* in Trinitate, et *connexum* Patris in Filio, et Filii in Paracleto intereat necesse est. Tantum igitur abest, ut *οἰκονομια* ac *μοναρχια* sibi mutuo adversentur et repugnent, ut sine hac neque illa in rerum natura existere, neque animo concipi possit.

XIII.

Cui veritati suffragatur apertissime Rufinus, quum commentario explanans Symbolum apostolicum, hanc esse docet (1) germanam sinceramque prioris articuli sententiam: « Quod autem diximus, Orientis ecclesias tradere *unum* Deum Patrem omnipotentem, et unum Dominum, hoc non intelligendum est unum *numero* (quod enim tale est, pro iusta numeri proprietate, incrementi quoque capax est), sed *universitate* (quod videlicet totum complectitur, nec alteri locum facit). Verbi gratia, si quis dicat unum hominem, aut unum equum, hic unum pro *numero* posuit (unde nihil impedit, quominus multiplicetur); potest enim et *alius* homo esse et *tertius*, vel equus. Ubi autem alius vel tertius non potest iungi, unus si dicatur, non *numeri*, sed *universitatis* est nomen (praeter universum enim nihil superest reliqui). Ut si, exempli causa, dicamus unum solem: hic unus ita dicitur, ut vel *alius*, vel *tertius* addi non possit: unus est enim sol. *Multo magis* ergo Deus (2), cum unus dicitur, unus non *numeri*, sed *universitatis* vocabulo nuncupatur, idest, qui propterea unus dicitur, quod alius non sit.

Similiter et de Domino accipiendum est, quod *unus* sit Dominus Jesus Christus, per quem Deus Pater dominatum omnium tenet ».

Professio igitur unius Dei Patris in Symbolo cum illa plane consentit, quam tradit (3) Paulus: « Nam etsi sunt

(1) N. 5.

(2) Scite, *multo magis*: ita namque sol est unus, ut multiplex esse possit; at vero Deus sic est ac dicitur unus, ut multiplex esse repugnet.

(3) I. Cor. VIII. 5. 6.

qui dicanturdii, sive in coelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi): nobis tamen *unus* Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et *unus* Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum ». Atqui eo spectat haec professio, non ut Trinitas denegetur personarum, quae unam eamdemque divinam naturam possideant; sed ut gentium evertatur *πολυθεοτης*, idest de pluribus diis persuasio, ad quam profligandam itidem pertinent quum (1) ista: «Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis » : tum (2) haec : « annuntiamus vobis ab his vanis converti ad Deum (3) vivum , qui fecit coelum et terram, et mare, et omnia, quae in eis sunt ».

XIV·

Sed nulla re melius conspiratio *μοναρχιαν* inter et *οἰκονομιαν* ostenditur, quam ea articulorum consequutione qui in vetustissimis diversarum ecclesiarum symbolis ad *θεολογιαν* referuntur. Et in symbolo sane ecclesiae hierosolymitanae, quemadmodum e Cyrilli catechesibus (4) colligitur , capita ad *θεολογιαν* spectantia sic habent : « *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, ποιητην οὐρανου και γης factorem coeli et terrae . . . . και εἰς ἑνα κυριον ιησουν χριστον, τον ὑιον του θεου μονογενη, τον ἐκ του πατρος γεννηθεντα προ παντων των αἰωνων , θεον ἀληθινον , δι' οὗ τα παντα ἐγενετο σαρκωθεντα και ἐνανθρωπησαντα . . . . και εἰς ἑν ἁγιον πνευμα το παρακλητον, το λαλησαν δια των προφητων. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum,* ex Patre genitum *ante omnia saecula, Deum verum, per quem omnia facta sunt, incarnatum, et hominem factum . . . · Et in* unum *Spiritum sanctum Paracletum, qui loquutus est per prophetas*».

Jamvero trium personarum distinctio nequit esse manife-

(1(Gal. IV. 8.

(2) Act. XIV. 14.

(3) Cf. Georgii Bulli *Judicium Ecclesiae cathoticae de necessitate credendi, quod D. N. J. C. sit verus Deus.* Adnett. ad Capp. V. VI. VII. §§. 3-5.

(4) Catech. VI. seqq.

stior, e quibus I. Pater bifariam spectatur: *οὐσιωδως substantialiter*, quum *ποιητης οὐρανου και γης factor coeli et terrae* dicitur: tum *ὑποστατικως hypostatice*, quum Filii genitor perhibetur.

De Filio autem ista sunt II. quae credenda proponuntur: *a*) illum esse Unigenitum, *προ παντον των αἰωνων ante omnia saecula* ex Patre genitum, ac infinito propterea intervallo a creaturis seiunctum: *b*) ad Deum summum habitu referri filii ad genitorem, non creaturae ad creatorem: immo *c*) unum eumdemque cum eo esse creatorem: *d*) sed in novissimis temporibus humanam induisse naturam: atque adeo *e*) in Filio Dei Unigenito duplicem considerandam esse formam, Dei alteram, quam a Patre ante omnia saecula *generatione* accepit, atque alteram servi, qua inter homines conversatus est.

Sequitur III. fides de Spiritu sancto, qui *a*) quum *unus* dicitur, a reliquis omnino spiritibus separatur. Ita vero separatur *b*), ut eidem non *ὑποστασεως* modo, sed *ὑποστασεως* divinae ratio vindicetur. Hypostaseos imprimis *c*), quum personae dumtaxat sit *agere* ac *loqui*, nomenque *του παρακλητου paracleti* in *ὑποστασιν* cadat. Tum. *d*) hypostaseos divinae, quum unus Deus sit *κατ᾽ ἐξοχην sanctus*, unusque Deus prophetiae auctor credatur.

XV.

Neque secus in Ancorato Epiphanius, ubi fidei formulam catechumenis traditam, ut ab iis ante baptismum redderetur, his effert (1) verbis: «Credimus in *unum* Deum Patrem omnipotentem .... Et in *unum* Dominum Jesum Christum, *τον ὑιον του θεου τον μονογενη, τον ἐκ του πατρος γεννηθεντα προ παντων των αἰωνων, τουτεστιν ἐκ της οὐσιας του πατρος, φως ἐκ φωτος, θεον ἀληθινον ἐκ θεου ἀληθινου, γεννηθεντα, οὐ ποιηθεντα, ὁμοουσιον τῳ πατρι δι᾽ οὑ τα παντά ἐγενετο, τα τε ἐν τοις οὐρανοις, και τα ἐν τῃ γῃ .... και εἰς το πνευμα, κυριον και ζωοποιον, το ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, το συν πατρι και ὑιῳ συνπροσκυνουμενον, και συνδοξαζομενον, το λα-*

(1) §. CXX.

λησαν δια των προφητων, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula: hoc est ex Patris substantia, lumen de lumine , Deum verum de Deo vero , genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quae coelo, terraque continentur . . . . Et in *Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem , qui ex Patre procedit , qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas* ».

Tum subdit : « Eiusmodi fidei formula *a sanctis apostolis fuisse traditam* (non quidem verbo tenus, sed ad doctrinam quod attinet), et in Ecclesia in sancta urbe nicaena ab omnibus sanctis episcopis, qui supra trecentos et decem fuerunt, praescripta ».

Ex traditione itaque apostolorum permanat : *a*) omnipotentem Deum prae unigenito Filio Patrem esse ὑποστατικως: *b*) unigenitum Filium *γεννημα germen* esse, non *ποιημα, facturam,* atque àdeo ὁμοουσιον esse Patri: *c*) ab aeterno extitisse, atque omnium esse creatorem: *d*) una cum Patre et Filio connumerandum esse Spiritum sanctum, qui *e*) vera est hypostasis ab utroque distincta, verusque Deus : *f*), utpote non creatus, sed *procedens, Dominus* non servus, *vitae auctor*, non vivificatus, et simul cum Patre et Filio qua *fidei*, qua *supremi cultus* obiectum.

XVI.

Omitto quae in eamdem sententiam concepta leguntur in Symbolis antiocheno apud Cassianum (1), et aquileiensi penes Rufinum in Symboli expositione, eaque in medium adduco, quae fidei regula in ecclesia caesariensi, diu ante nicaenum concilium tradita, complectebatur.

Itaque haec erant, Eusebio teste (2), illius verba : « Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, *τον των ἁπαντων ὁρατων τε και ἀορατων ποιητην.* Και εἰς ἑνα κυριον ιησουν χριστον, τον του θεου λογον, θεον ἐκ θεου, φως ἐκ φωτος, ζωην

(1) De Incarnatione Lib. VI.

(2) Cf. Socrat. H. E. Lib. I. Cap. VIII.

ἐκ ζωης, ὑιον μονογενη, πρωτοτοκον πασης κτισεως, προ παντων των αἰωνων ἐκ του πατρος γεγεννημενον, δι' οὑ και ἐγενετο τα παντα, τον δια την ἡμετεραν σωτηριαν σαρκωθεντα . . . . . πιστευομεν και εἰς ἑν πνευμα ἁγιον· τουτων ἑκαστον εἰναι και ὑπαρχειν πιστευοντες, πατερα ἀληθως πατερα, και ὑιον ἀληθως ὑιον, και πνευμα ἁγιον ἀληθως ἁγιον πνευμα· Καθως και ὁ κυριος ἡμων ἀποστελλων εἰς το κηρυγμα τους ἑαυτου μαθητας, εἰπε· Πορευθεντες μαθητευσατε παντα τα ἐθνη, βαπτιζοντες αὐτους εἰς το ὀνομα του πατρος και του ὑιου, και του ἁγιου πνευματος, *visibilium omninm et invisibilium creatorem. Et in unum Dominum Jesum Christum,* Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturae, *ante omnia saecula ex Deo Patre genitum , per quem omnia facta sunt : qui propter nostram salutem incarnatus est . . . . Credimus etiam in* unum *Spiritum, sanctum. Horum unumquemque* esse *et* subsistere *credentes, Patrem* vere *Patrem, Filium* vere *Filium, et Spiritum sanctum* vere *Spiritum sanctum : sicut et Dominus noster , quum discipulos suos ad praedicandum mitteret, dixit* : ite , ac docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris , et Filii et Spiritus sancti ».

Quibus et sabelliana haeresis, quae iam grassabatur, impetitur: et ariana ac macedoniana perfidia praedamnatur. Impetitur sabelliana haeresis I. quum *a*) subsistentia trium personarum tantopere inculcatur: quum *b*) *proprietas* nominum, quibus baptismi formula continetur, custodienda praescribitur: et quum *c*) ea *distinctionis* Patrem inter ac Filium adsignatur *origo*, quae non sinit , ut Filius cum hypostasi Patris confundatur.

Praedamnatur II. Arii haeresis , quum *a*) una eademque hypostasis appellatione *Verbi Dei, Filiique unigeniti* demonstratur : quum *b*) vera Filii ex Patre *generatio* stabilitur : ac *c*) in antecessum nicaena formula exhibetur, *Deus de Deo, lumen de lumine.*

Praedamnatur III. macedoniana perfidia , sive quum *a*) Spiritus sanctus *unus* dicitur : sive quum *b*) *vere* Spiritus sanctus definitur : sive quum *c*) *eodem censu,* quo Pater ac Filius habetur.

XVII.

Consonant quae in Symbolo habentur apud aliquot Orientis ecclesias ante nicaenam Synodum frequentato, quodque ab auctore Constitutionum Apostolicarum (1) refertur: « Renuntio satanae (2), et operibus eius, et pompis eius, et cultibus eius . . . . και συντασσομαι τῳ χριστῳ, και πιστευω, και βαπτιζομαι εἰς ἑνα ἀγεννητον, μονον ἀληθινον θεον παντοκρατορα, τον πατερα του χριστου, κτιστην και δημιουργον των ἀπαντων, ἐξ οὑ τα παντα· Και εἰς τον κυριον ιησουν τον χριστον, τον μονογενη αὐτου ὑιον, τον πρωτοτοκον πασης κτισεως, τον προ αἰωνιων εὐδοκιᾳ του πατρος γεννηθεντα, οὐ κτισθεντα, δι' οὑ τα παντα ἐγενετο, τα ἐν οὐρανοις και ἐπι γης . . . . , τον ἐπ' ἐσχατων ἡμερων κατελθοντα ἐξ οὐρανων, και σαρκα αναλαβοντα . . . . βαπτιζομαι και εἰς το πνευμα το ἁγιον, τουτεστι τον παρακλητον, το ἐνεργησαν ἐν πασιν τοις ἀπ' αἰωνος ἁγιοις, ὑστερον δε ἀποσταλεν και τοις ἀποστολοις παρα του πατρος κατα την ἐπαγγελιαν του σωτηρος ἡμων κυριου ιησου χριστου, και μετα τους ἀποστολους δε πασι τοις πιστευουσιν ἐν τῃ ἁγιᾳ καθολικῃ ἐκκλησιᾳ εἰς σαρκος ἀναστασιν . . . . . *Et adscribor Christo, et credo et baptizor in* unum Ingenitum (3), *solum unum Deum omnipotentem*, Patrem Christi,

(1) Lib. VII. Cap. XLI.

(2) Ἀποτασσομαι τῳ σαταναᾳ Quibus illustrandis apprime conferunt, quum ista Chrysostomi ex Hom. XXI. ad populum antiochenum: ἀποτασσομαι σοι, σατανα, και τῃ πομπῃ σου, και τῃ λατρειᾳ σου, και συντασσομαι σοι, χριστε. *Abrenuncio tibi, satana, et pompae tuae, et cultui tuo, et adscribor tibi Christe.* Tum haec Hieronymi ex comm. ad Amos cap. VI: *In mysteriis primum renuntiamus ei qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis, et sic versi ad Orientem pactum inimus cum sole iustitiae, et ei servituros nos esse promittimus.*

(3) De voce ἀγεννητου pluribus in epistola de Decretis nicaenae Synodi nn. 30. seqq. Athanasius disserit. Statuit vero *a*) arianos hanc vocem a profanis auctoribus mutuatos esse, ut, explosis iam aliis ipsorum tergiversationibus, suam impietatem novo hoc vocabulo tegerent. Quum enim solum Patrem ἀγεννητον *non factum* dicendum esse contenderent, inferebant, Filium γεννητον *factum* dici oportere. Sed *b*) fraudem aperit Athanasius, docetque Deum ἀγεννητον *non factum* appellari, quatenus τοις γεννητοις *rebus factis* opponitur; sed appellari *Patrem* quum refertur ad

creatorem *atque opificem universorum, ex quo omnia ; et in Dominum Jesum Christum*, unigenitum *illius Filium*, primogenitum *omnis creaturae , qui ante saecula beneplacito Pa-*

Filium. De usu eiusdem vocis *c*) disserit quoque in prima adversus arianos oratione, et in epistola de Synodis Arimini et Seleuciae, ad cuius extremum affert locum ex epistola Ignatii ad Ephesios scribentis, Dominum simul esse γεννητον *factum* et ἀγεννητον *non factum*. Idest, Athanasio interprete, γεννητὸν quatenus homo, ἀγεννητον vero quatenus Deus. Porro *d*) in eadem epistola non negat, aliquos post Ignatium doctores solum Patrem dixisse ἀγεννητον *non factum*; at monet, eos ita loquutos, non quod Filium γεννητον *factum* putarent, sed ut Patrem nullam sui caussam habere significarent, esseque Patrem illius Sapientiae, per quam omnia γεννητα *facta* condidit.

Ex his autem patet *e*) ἀγεννητον legendum esse, non vero ἀγεννητον. Nam ἀγεννητον Athanasius semper opponit τῳ γεννητῳ. At ἀγεννητον significat *non genitum*, opponiturque τῳ γεννητῳ *genito*: quo sane modo verum est, solum Patrem esse ἀγεννητον *ingenitum*, et Filium γεννητον *genitum* utpote a Patre *genitum*, uti luculenter declarat Damascenus Orth. Fidei lib. I. cap. IX. his verbis: *Sciendum est, vocem* ἀγεννητον *per unicum ν scriptam significare quod increatum est, sive quod non est factum. At vox* ἀγεννητον *duplici νν scripta, significat quod non est genitum . . . . Ea vox secundum primam significationem communis est tribus sanctae divinitatis hypostasibus divinissimis; nam consubstantiales sunt et increatae; sed iuxta secundam significationem non est commmunis; siquidem solus Pater est* ἀγεννητος *non genitus, quippe qui non sit ex alia hypostasi* ,,. Eadem totidem verbis extant in libro de S. Trinitate cap. VIII. ad calcem Tom. VI. operum Cyrilli alexandrini. Videtur tamen *f*) antiquis scriptoribus ignota fuisse huiusmodi distinctio. Namque Cicero Tusculan. I. το ἀγεννητον vertit *id cuius nulla est origo, et quod non oritur vel nascitur*. Sic enim haec Platonis in Phaedro verba reddit, ἀρχη δε ἀγεννητον, *principii autem nulla est origo*: ἐπειδη δε ἀγεννητον ἐστι, *quod si nusquam oritur*, ἐξ ἀναγκης ἀγεννητον τε και ἀθανατον ψυχη ἀν εἰη, *natura animi neque nata certe est, et aeterna est*.

Sed *g*) neque iidem videntur fecisse discrimen inter *non nasci sive non gigni et non fieri*. Hilarius certe in libro adversus Constantium n. 16. eamdem vocem reddit *innascibilem*, nisi forte legerit ἀγεννητον. ,, Novitates vocum, ait, sed profanas devitari iubet Apostolus. Tu cur pias excludis, cum praesertim ab eo dictum sit : *omnis scriptura divinitus, inspirata utilis est* ? innascibilem scriptum nusquam legis, numquid et hoc negandum erit, quia novum est ,, ? Tertullianus vero in libro de Anima cap. IV. vocem ἀγεννητον apud Platonem tam *innatum* quam *infectum* reddit, inquiens: ,, Consequens enim est, ut ex Dei flatu animam pro-

tris (1) *genitus est, non creatus, per quem omnia facta sunt quae in coelis et in terra . . . . . Qui in novissimis diebus descendit de coelis, et carnem assumpsit . . . . Baptizor etiam in Spiritum sanctum, idest, Paracletum, qui operatus est in omnibus ab initio mundi sanctis, postea vero missus quoque est Apostolis a Patre, secundum promissionem Salvatoris nostri Domini Jesu Christi , et post apostolos etiam omnibus , qui in sancta catholica ecclesia credunt in carnis resurrectionem . . . .* »

En, quod iam saepe animadvertimus, Deus summus ἀγεννητος , et ex quo omnia , duplici distinctoque sensu Pater nuncupatur : οὐσιωδως *substantialiter*, utpote κτιστης και δημιουργος των ἁπαντων *omnium creator et effector* : *et* ὑποστατικως *hypostatice*, utpote του μονογενους ὑιου, και του πρωτοτοκου πασης κτισεως πατηρ *pater filii unigeniti et primogeniti omnis creaturae*. Unde Filius eum respicit non ut *creatorem*, sed ut *genitorem*; atque unus idemque cum eo creator perhibetur.

Neque omittitur Spiritus sanctus, sed *a*) cum Patre connumeratur et Filio : *b*) Paracleti nomine tamquam proprio insignitur : eiusque *c*) personali tessera ex iis declaratur (quod in ecclesiae monimentis haud est infrequens), quorum in tempore auctor est, et quibus ad creaturas refertur.

XVIII.

Sub idem tempus, tertio nimirum exeunte seculo, suam fidei formulam edidit Lucianus (2) antiochenus presbyter ,

fessi , initium ei deputemus. Hoc Plato excludit , *innatam et infectam animam* volens: et natam autem docemus et factam, ex initii constitutione. Nec statim erravimus utrumque dicentes, quia scilicet aliud sit natum, aliud factum, utpote illud animalibus competens. Differentiae autem sua habendo loca et tempora, habent aliquando et passivitatis commercia. Capit itaque et facturam pro nasci poni, siquidem omne, quod quoquo modo accipit esse, generatur. Nam et factor ipse parens facti potest dici : sic et Plato utitur ,,. Cf. Petavium de Trinit. lib. V. capp. I. seqq.

(1) Sed beneplacito naturali ac necessario, et voluntario, non libero.

(2) Sinceram Luciani fidem prae ceteris in discrimen vocarunt Pe-

qui in ultima Diocletiani persecutione illustre martyrium fecit. Illam recitant Athanasius (1), Hilarius (2) et Socrates (3), atque ita se habet: « Credimus *ἀκολουθως τῃ εὐαγγελικῃ και ἀποστολικῃ παραδοσει iuxta evangelicam et apostolicam traditionem* , in unum Deum Patrem omnipotentem , omnium rerum conditorem et opificem , et provisorem, ex quo omnia. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium eius, unigenitum Deum, per quem omnia: genitum ex Patre ante saecula, Deum ex Deo, totum ex toto, *μονον ἐκ μονου* solum ex solo, perfectum ex perfecto, Regem ex Rege, Dominum ex Domino , Verbum vivens , Sapientiam viventem, veram Lucem . . . . *της θεοτητος , οὐσιας τε και βουλης και δυναμεως και δοξης του πατρος ἀπαραλλακτον εἰκονα, τον πρωτοτοκον πασης κτισεως, τον ὀντα ἐν ἀρχῃ προς τον θεον, λογον θεον κατα εἰρημενον ἐν τῳ εὐαγγελιῳ, και θεος ἠν ὁ λογος, δι' οὑ τα παντα ἐγενετο, και ἐν ᾡ τα παντα συνεστηκε, τον επ' ἐσχατων των ἡμερων κατελθοντα ἀνωθεν, και γεννηθεντα ἐκ παρθενου κατα τας γραφας . . . . paternae divinitatis, substantiae , consilii , potestatis et gloriae in nullo dissimilem imaginem , primogenitum omnis creaturae : qui erat in principio apud Deum: Deum Verbum, ut scriptum est in Evangelio*, et Deus erat Verbum: *per quem omnia facta sunt, et in quo omnia consistunt, qui novissimis diebus descendit desuper, natus est ex Virgine secundum Scripturas . . . . Και εἰς το πνευμα το ἁγιον , το εἰς παρακλησιν , και ἁγιασμον , και τελειωσιν τοις πιστευουσι δεδομενον. Et in Spiritum sanctum, qui*

tavius in notis ad Epiph.Haeres. LIX. n. VI, de Trinit. lib. I. cap. IV, Sandius H. E lib. I. pag. 127, ac Daniel Huetius Origenian. lib. II. cap. III. §. VI. Sed argumentis quibus nihil iure opponas, a quavis *ἑτεροδοξιας* nota sanctissimum martyrem vindicarunt Baronius ad an. CCCXI, et in Martyrolog. ad diem VII. Januarii, Emmanuel Schelstratius de sacro concilio antiocheno, diss. III. cap. II, Tillemontius T. V. p. 769. Georgius Bullus Defens. Fidei Nicaenae Sect. II. cap. XIII. §§. IV. seqq., Bollandiani ad diem VII. Januarii, §. I. nn. 5. seqq., et Dominicus Georgius in adnotationibus ad Martyrologium Adonis.

(1) De Synod. n. 23.

(2) De Synodis.

(3) H. E. Lib. II. Cap X.

ad consolationem, et sanctificationem credentibus datur, sicut et Dominus Noster Jesus Christus praecepit discipulis dicens: *euntes , docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Patris scilicet, ἀληθως πατρος ὀντος, ὑιου δε ἀληθως ὑιου ὀντος, του δε ἁγιου πνευματος ἀληθως ἁγιου πνευματος ὀντος, των ὀνοματων οὐχ ἁπλως, οὐδε ἀργως κειμενων, ἀλλα σημαινοντων ἀκριβως την οἰκειαν ἑκαστων των ὀνομαζομενων ὑποστασιν τε και ταξιν και δοξαν, ὡς εἰναι τῃ μεν ὑποστασει τρια, τῃ δε συμφωνιᾳ ἑν, *vere Patris, et Filii vere Filii, et Spiritus sancti* vere *Spiritus sancti: nominibus neque temere neque inutiliter positis , sed accurate propriam singulorum qui nominantur hypostasim* ordinem , *et gloriam significantibus : adeo ut hypostasi quidem tria sint , concordia autem unum* ».

Quisque porro cernit, *a*) Omnipotentem Deum, *ex quo omnia*, bifariam *Patrem* dici : οὐσιωδως, *substantialiter* quatenus est των ὁλων δημιουργος τε και ποιητης και προνοητης, *omnium et creator et effector, et provisor*; et ὑποστατικως, *hypostatice*, quatenus est Unigeniti Pater. Qui *b*) ante omnia secula, totius communicatione substantiae, citra omnem partitionem divisionemque, ἀπαραλλακτον εἰκονα *non dissimilem imaginem* generavit; ita ut *c*) genitus ex eo Filius sit *Deus ex Deo*, ac nominibus *Lucis* verae , *Verbi* subsistentis, *Sapientiae*, ac *Vitae* sempiternae significetur.

Ad haec *d*) Filium ad Patrem referri non modo ut genitum ad genitorem, verum etiam ut μονον ἐκ μονου, *solum ex solo*. Sed haec Filii erga Patrem σχεσις penitus desineret , si Spiritus sanctus *a solo* Pàtre procederet. Procedit ergo etiam a Filio. Quod *e*) et ταξις confirmat, qua se divinae hypostases mutuo complectuntur. Sicut enim appellationes Patris , et Filii et Spiritus sancti non frustra adhibentur ; ita neque inutiliter , neque frustra Pater *primus*, Filius *alter*, ac *tertius* Spiritus sanctus numeratur, verum huiusce numerationis ratio ipsam originis habitudinem patefacit.

XIX.

Multo illustrior ea fuit orthodoxa Fidei ὑποτυπωσις *expositio*, quam seculo III. neocaesariensis Gregorius, cognomento Thaumaturgus, populo sibi credito tradidit, et de qua nyssenus Gregorius in illius vita (1) scribit: δι' ἧς μυσταγωγειται μεχρι του νυν ὁ ἐκεινος λαος, πασης αἱρετικης κακιας διαμεινας ἀπειραστος, *per quam usque in praesentem diem plebs illa* (neocaesariensis) *instituitur, quae ab omni haeretica malitia intacta remansit.* Ea autem fidei confessio his costabat verbis: « Εἱς Θεος, πατηρ λογου ζωντος, σοφιας ὑφεστωσης και δυναμεως, και χαρακτηρος ἀϊδιου, τελειος τελειου γεννητωρ· πατηρ ὑιου μονογενους. Εἱς κυριος, μονος ἐκ μονου, Θεος ἐκ Θεου· χαρακτηρ και εἰκων της Θεοτητος, λογος ἐνεργος, σοφια της των ὁλων συστασεως περιεκτικη, και δυναμις της ὁλης κτισεως ποιητικη, ὑιος ἀληθινος ἀληθινου πατρος. ἀορατος ἀορατου, και ἀφθαρτος ἀφθαρτου, και ἀθανατος ἀθανατου, και ἀϊδιος ἀϊδιου. Και δι' ὑιου πεφηνος, δηλαδη τοις ἀνθρωποις. Εἰκων του ὑιου, τελειου τελεια. ζωη ζωντων αἰτια, πηγη ἁγια, ἁγιοτης, ἁγιασμου χορηγος, ἐν ῳ φανερουται Θεος ὁ πατηρ, ὁ ἐπι παντων και ἐν πασι· και Θεος ὁ ὑιος, ὁ δια παντων. Τριας τελεια δοξῃ και ἀϊδιοτητι, και βασιλειᾳ, μη μεριζομενη, μηδε ἀπαλλοτριουμενη. οὐτε οὐν κτιστον τι, ἡ δουλον ἐν τῃ τριαδι, οὐτε ἐπεισακτον τι, ὡς προτερον μεν οὐκ ὑπαρχον, ὑστερον δε ἐπεισελθον. οὐτε οὐν ἐνελιπε ποτε ὑιος πατρι, οὐτε ὑιῳ πνευμα· οὐτε αὐξεται μονας εἰς διαδα οὐδε διας εἰς τριαδα. ἀλλ' ἀτρεπτος και ἀναλλοιωτος ἡ αὐτη ἁγια τριας ἀει. *Unus Deus Pater* Verbi *viventis,* Sapientiae *subsistentis, et potentiae ac characteris sempiterni: perfecti* genitor, *Pater Filii unigeniti.* Unus *Dominus,* solus ex solo, *Deus ex Deo. Character et imago deitatis, Verbum efficax. Sapientia constitutionem universorum comprehendens, et virtus universae creaturae effectrix. Filius* verus veri *Patris, invisibilis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, immortalis ex immortali, sempiternus ex sempiterno.* Unusque *Spiritus. sanctus, ex Deo existentiam habens, et qui* per Filium apparuit,

(1) Tom. III. Opp. pag. 546.

videlicet hominibus : imago Filii *perfecti perfecta : vita , viventium causa : fons sanctus ,* sanctitas, *sanctificationis suppeditator. In quo manifestatur Deus Pater, qui super omnia est , et in omnibus : et Deus Filius, qui per omnia est. Trinitas perfecta , quae gloria , et auctoritate , ac regno et imperio non dividitur, neque abalienatur. Non igitur* (1) *creatum quid in Trinitate aut servum : neque superinductitium aliquid et adventitium , quasi prius non existens, posterius vero adveniens. Non enim defuit umquam Filius Patri , neque* Filio Spiritus : *neque crescit monas in dyadem, nec dyas in Triadem. Sed immutabilis et invariabilis eadem semper manet sancta Trinitas* ».

Quum qua opportunum esse arbitror componere enucleatiorem fidei formulam eidem Gregorio tributam, et primum graece editam ab Em. Majo Tom. VII. Collect. Script. Vett. pag. 170. seqq. Ea vero ad rem nostram quod pertinet, his constat verbis : *πιστευομεν τοινυν εἰς ἑνα θεον, τουτεστιν εἰς μιαν ἀρχην , τον θεον του νομου και του εὐαγγελιου δικαιον και*

(1) Quibus simillima praefert altera Damasi epistola, qua continetur *expositio Fidei in Synodo Romana edita, et transmissa in Orientem.* « Omnes, ita Synodus praeeunte Pontifice, uno ore unius virtutis, unius maiestatis, unius divinitatis, unius usiae dicimus divinitatem : ita ut inseparabilem potestate, tres tamen asseramus esse personas; nec redire in se aut minui, ut plerique blasphemant, sed semper manere; nec potentiae gradus quosdam, ortusque tempore disparata; nec prolativum, ut generationem ei demas; nec imperfectum, ut ad personam aut Patris natura, aut divinitatis ei plenitudo defuerit; nec dissimilem opere Filium, nec dissimilem potestate, aut per universa dissimilem; nec subsistere aliunde, sed de Deo natum, nec *falsum* de Deo *vero,* sed Deum verum de Deo vero esse generatum, lumen verum de vero lumine, nec minutum aut diversum putetur . . . Spiritum quoque sanctum increatum, atque unius usiae, unius virtutis cum Deo Patre et Domino nostro Iesu Christo fateamur Neque enim creaturae dignus iniuria est, qui emissus est ut crearet, sicut Propheta sanctus adstruxit dicens, *emitte Spiritum tuum et creabuntur* : deinde alius item posuit, *Spiritus divinus qui fecit me* : qui in operatione ac peccatorum remissione connectitur. Haec est fides nostra, quam quisque sequitur, noster est particeps ». His adde *confessionem fidei catholicae, quam Papa Damasus misit ad Paulinum antiochenum episcopum,* quaeque habetur inter opuscula Damasi Romae edita an. 1754. pag. 209. seqq.

*ἀγαθον, και εἰς ἑνα κυριον ιησουν χριστον, θεον ἀληθινον, τουτεστιν εἰκονα ἀληθινου θεου, δημιουργον παντων ὁρατων τε και ἀορατων, ὑιον θεου και γεννημα μονογενες, και ἀΐδιον λογον, ζωντα και ὑφεστωτα και ἐνεργον, ἀει συνοντα τῳ πατρι· και εἰς ἑν ἁγιον πνευμα . . . . Ὁμολογουμεν ὁμοουσιον εἰναι τῳ πατρι τον ὑιον και το πνευμα· και μιαν την οὐσιαν της τριαδος, τουτεστιν μιαν θεοτητα φυσικως, ἀγεννητου μενοντος του πατρος, γεννηθεντος δε του ὑιου ἐκ πατρος ἀληθινῃ γεννησει, οὐ ποιησει τῃ ἐκ βουλησεως· του πνευματος ἐκ της οὐσιας του πατρος δἰ ὑιου ἀΐδιως ἐκπεμφθεντος, ἁγιαστικου της ὁλης κτισεως. Credimus igitur in unum Deum, hoc est, in unicum principium, Deum legis juxta ac evangelii, aequum et bonum; et in unum Dominum Jesum Christum, Deum verum, videlicet, imaginem veri Dei (*atque adeo non *αὐτοθεον*), effectorem omnium tam visibilium quam invisibilium, filium Dei, et germen unigenitum, et Verbum sempiternum, vivens et subsistens et efficax, semper Patri coexistens; et in unum Sanctum Spiritum . . . . Profitemur consubstantialem esse Patri Filium et Spiritum, et unam esse essentiam Trinitatis, idest, unam naturaliter deitatem, Patre quidem manente ingenito, Filio autem genito ex Patre vera generatione non libera effectione, Spiritu ex essentia Patris per Filium aeternaliter misso, sanctificatore universae creaturae.*

Jamvero nulla est haeresis contra divinam Trinitatem vel oborta olim, vel quae e tenebris recentiori aetate prodierit, quae horum Symbolorum doctrina non penitus labefactetur.

Labefactatur I. haeresis Sabellii, quum tanta cura, solertique verborum delectu hypostaseon distinctio proponitur ac defenditur.

Labefactantur II. tritheitae, quum neque monadem in dyadem, neque dyadem in Triadem crescere docetur.

Labefactatur III. Arius, neque enim *ἐξ οὐκ ὀντων ex non extantibus* censeri eductus potest, qui verus est Filius, Deus ex Deo, sempiternus ex sempiterno, ac virtus universae creaturae effectrix.

Labefactatur IV. Macedonius, quum ad tuendam Spiritus-sancti divinitatem haec sint non validissima solum, sed omnino decretoria: Spiritum-sanctum neque creaturam esse

neque servum, gloria, aeternitate, regno ac imperio cum Patre, Filioque coniungi: ipsum esse vitam ac viventium caussam, ipsam esse sanctitatem, ac principium et sanctificationis originem.

Neque V. Photio parcitur, sed propugnatum ab eo δογμα funditus convellitur. Si enim *a*) tessera est ac Filii character, ut sit *μονος ἐκ μονου solus ex solo:* necesse profecto est, ut Spiritus-sanctus ἐξ ἀμφοτερων procedat. Ad haec *b*) Spiritns-sanctus a Gregorio dicitur εἰκων του ὑιου, *imago Filii.* Porro *imaginis nomen* relativum est, omnis vero in Trinitate relatio *ex origine pendet.* Spiritus ergo ad Filium, tamquam ad suimetipsius originem refertur. Quid vero illa *c*): *non enim defuit unquam Filius Patri, neque Filio spiritus?* scilicet ostendunt, Spiritum esse proprium Filii, sicut Filius proprius est Patris. Atqui inde Filius proprius est Patris, quod ab eo gignitur. Reliquum est ergo, ut Spiritus ideo proprius sit Filii, quod ab eo procedit. Hinc *d*) per Filium apparuit hominibus, atque ab eo missus in tempore est, a quo suam ab aeterno subsistentiam accepit.

XX.

Hactenus ex Symbolis Gregorii Thaumaturgi, a quibus seiungi illud non debet, quod eiusdem praeceptor Origenes in praefatione ad libros περι ἀρχων tamquam vulgatissimum, et unanimi orthodoxorum consensione receptum his verbis (1) tradit: » Species eorum quae per praedicationem apostolicam *manifeste* traduntur, istae sunt. Primo quod unus Deus est, qui omnia creavit atque composuit, quique quum nihil esset, esse fecit universa, Deus a prima creatura et conditione mundi, omnium iustorum Deus, Adam, Abel, Seth, Moysis et prophetarum: et quod hic Deus in novissimis diebus, sicut per prophetas suos ante promiserat, misit Dominum nostrum Jesum Christum, primo quidem vocaturum Israel, secundo vero etiam gentes post perfidiam populi Israel. Hic Deus iustus et bonus Pater Domini nostri Jesu Christi,

(1) N. 4.

Legem et Prophetas et Evangelia ipse dedit, qui et apostolorum Deus, et veteris et novi Testamenti. Tum deinde, quia Jesus Christus ipse qui *venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est.* Qui cum in omni conditione Patri ministrasset (utpote Virtus Patris, atque eiusdem cum eo naturae), *per ipsum enim omnia facta sunt*, novissimis temporibus seipsum exinaniens homo factus incarnatus est *cum Deus esset*, et homo factus mansit quod erat Deus . . . . Tum deinde *honore ac dignitate Patri ac Filio sociatum tradiderunt Spiritum-sanctum.* In hoc non iam manifeste discernitur, utrum natus an innatus (1), vel filius etiam Dei ipse habendus sit, nec ne. Sed inquirenda iam ista pro viribus sunt de sacra Scriptura, et sagaci perquisitione investiganda. Sane quod iste Spiritus unumquemque sanctorum, vel prophetarum vel apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventu Christi inspirati sunt, fuerit, manifestissime in ecclesiis praedicatur. »

Itaque ecclesiastica fidei professio ab apostolicis usque repetita temporibus duplici potissimum parte constabat, quarum prior *Unitatem Dei*, posterior *hypostaseon Trinitatem* complectebatur.

Ac *de unitate* quidem Dei rata haec compertaque erant : *a*) unum eumdemque esse *Deum summum et Creatorem: b*) unum eumdemque esse Deum *bonum et iustum :* ac *c*) unum eumdemque esse cum veteris, tum novi Testamenti auctorem.

Ad Trinitatem vero quod attinet, orthodoxi unanimes pro-

(2) Quibus verbis maurinus editor hanc subiicit adnotationem : « Quod vertit Rufinus *natus an innatus*, ab Hieronymo epist. 94. al 59. ad Avitum, redditum est, *factus an infectus.* Errores quippe libri primi περι ἀρχων recensens ait: *Tertium dignitate et honore post Patrem et Filium asserit Spiritum sanctum, de quo cum ignorare se dicat, utrum factus sit an infectus, in posterioribus quid de eo sentiret nihil absque Deo Patre infectum esse confirmans.* Legebat nimirum Hieronymus γενητος ἢ ἀγενητος, Rufinus contra γεννητος ἢ ἀγεννητος. De his vide Origenianorum lib. II. q. II. nn. 21-24 ». Immo longe utilius vide quae Bullus, quaeque Maranus non minus vere quam erudite pro Origenis defensione attulerunt.

fitebantur: *a*) tres esse hypostases, Patrem, et Filium et Spiritum-sanctum: *b*) eas esse, unius divinitatis consortes, sempiternas, honore ac dignitate sociatas.

Tum nominatim credebant *a*) primam e divinis personis aliter ad creaturas, ac aliter ad Unigenitum referri: ad illas referri tamquam Deum ac Patrem οὐσιωδῶς: ad hunc referri tamquam nativitatis auctorem et Patrem ὑποστατικῶς. Alteram deinde *b*) ex divinis personis extitisse ante incarnationem, immo ante ipsam quoque creationem, quum omnia per eam creata fuerint. Quare duplicem in Christo naturam secerni oportere, humanam ac in tempore assumptam, divinam atque aeternam a Patre acceptam.

Brevibus ista comprehendit auctor dialogorum adversus marcionitas, qui Origeni tribuuntur, quique in priore sic fidem proponit: « Credo unum omnium conditorem esse et opificem: et qui ab illo est, Deum Verbum consubstantialem iuxtaque perennem, eumque extremis temporibus hominem ex Maria adsumpsisse ».

Tandem *c*) de Spiritu-sancto haec erat omnium fides: illum veram esse hypostasim, cui inspiratio prophetarum aeque ac apostolorum debeatur, quique cum Patre et Filio conglorificetur. *Credo etiam*, sic vulgatus Origenes in dialogo quem citavimus, *Spiritui-sancto, qui in omnem aeternitatem existit.*

XXI.

Accedit testis eiusdem fidei non uno in loco Tertullianus: illam namque explanat in libro de velandis virginibus (1), in libro de Praescriptionibus (2), tum paullo plenius adversus Praxeam (3), inquiens: » Unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομιαν dicimus, ut unici Dei sit et *Filius* Sermo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil. Hunc missum a Patre in Virginem, et ex ea na-

(1) Cap. I.
(2) Cap. XIII.
(3) Cap. II.

tum *hominem* et *Deum*, *Filium hominis* et *Filium Dei*, et cognominatum Jesum Christum . . . Qui exinde miserit secundum promissionem a Patre Spiritum-sanctum Paracletum, sanctificatorem fidei eorum, qui credunt in Patrem et Filium et Spiritum-sanctum ».

Quibus ista continuo adiungit : » Hanc regulam ab initio Evangelii decurrisse etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni ».

Itaque regula, quae ab exordiis praedicati evangelii decurrit, non patitur, *μοναρχιαν* ita tradi, ut *οἰκονομια* subvertatur. Sed *οἰκονομια* tribus continetur personis, Patre, Filio, et Spiritu-sancto. Regula igitur ab evangelii primordiis decurrens postulat, ut una cum *μοναρχια* trium hypostaseon *οἰκονομια* copuletur.

Porro sicuti prima persona omnium est principium, neque eorum dumtaxat, quae creata sunt, verum etiam divinorum; ita altera persona *a*) principium est ex principio, per quod omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil : *b*) Sermo est ac Verbum ipsius Patris, ex ipso procedens ut verus Filius, non secus ac *c*) ex Virgine natus est ut verus homo. Quare *d*) Deus summus Pater illi est *ὑποστατικως*, non *οὐσιωδως*.

Sequitur fides de Spiritu-sancto, quae perspicua omnino est, atque hisce comprehensa capitibus: *a*) Spiritum-sanctum neque cum Filio confundi, sed ab utroque distingui: *b*) hypostasim propterea esse per se subsistentem, itemque *c*) divinam; quum sanctus sit *οὐσιωδως*, et sanctificationis auctor, nec non cum Patre et Filio christianae fidei obiectum. Tandem *d*) per Filium a Patre mitti, atque adeo, quod consequens est, per Filium a Patre procedere.

XXII.

Testium seriem iis concludo, quae Irenaeus Polycarpi discipulus ac apostolis suppar non uno in loco docet ac repe-

tit. In priore adversus haereses libro (1) mentione iniecta regulae fidei, quam sua aetate christianus quisque δια του βαπτισματος εἴληφε, *per baptismum accepit*, cuiusmodi ea foret, ita (2) describit: » Ecclesia . . . per universum orbem usque ad fines terrae seminata, ab apostolis et a discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit coelum et terram . . . et in unum Jesum Christum Filium Dei, incarnatum pro nostra salute: et in Spiritum-sanctum, qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei, et adventus, et passionem, et resurrectionem a mortuis, . . . ut Christo Jesu Domino nostro, et *Deo,* et Salvatori et Regi . . . omne genu curvetur ».

Ne cui vero dubium sit, quo sensu, aut summus Deus *Pater* dicatur Filii, aut hoc nomine *Filius* exornetur, aut Spiritus-sanctus cum Patre connumeretur et Filio; ἐξηγησεις efficiunt, quibus Irenaeus semel ac denuo Symbolum enarrat. Itaque (3) principio ait: « Cum teneamus autem nos *regulam veritatis*, idest quia sit unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum suum, et aptavit et fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut sint omnia, quemadmodum Scriptura dicit: *Verbo enim Domini coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius omnis virtus eorum;* et iterum: *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*: ex omnibus autem nihil subtractum est, sed omnia per ipsum fecit Pater, sive visibilia, sive invisibilia . . .; et ea omnia non per angelos, neque per virtutes aliquas abscissas ab eius substantia; nihil enim indiget omnium Deus: sed per Verbum, et Spiritum suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse praestans ».

Tum (4) de fide agens in cordibus per Spiritum conscripta, subdit eam esse « in unum Deum fabricatorem coeli et terrae . . . per Christum Dei Filium; qui propter eminentissimam erga figmentum suum dilectionem, eam quae esset

(1) Cap. I.
(2) Cap. II.
(3) Lib. I. Cap. XIX.
(4) Lib. III. Cap. IV.

ex Virgine generationem sustinuit, ipse per se hominem adunans Deo ».

In quamdam autem veluti summam (1) colligens quae latius enarraverat, infert: « Ostenso manifeste quod in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui et semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium: *si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus.* Ostendimus enim, quia non tunc coepit Filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus, et homo factus, longam hominum expositionem in se ipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, ut quod perdideramus in Adam, idest, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu reciperemus ».

Quibus mutuo collatis, perspicue deprehenditur: Filium ante incarnationem, ac ipsam quoque creationem una cum Spiritu-sancto extitisse; quandoquidem Pater visibilia omnia ac invisibilia per Filium et Spiritum-sanctum e nihilo eduxerit atque ordinaverit. Sed fieri nullatenus potest, ut Filius ac Spiritus-sanctus creaturae sint, et nihilominus potestate creatoris eorum omnium quae facta sunt, non secus ac Pater, honestentur. Filius ergo ac Spiritus-sanctus e creaturarum censu eximuntur. Nihil autem est, vel esse interiecti potest creaturam inter atque Deum. Filius ergo et Spiritus-sanctus unus est cum Patre Deus.

Quare et Filius diserte appellatur *Deus*, eidemque, utpote qui semper fuerit apud Patrem, aeternitas adscribitur.

XXIII.

Neque alia est ratio componendae monarchiae cum oeconomia, quae in iis traditur Symbolis, quorum ideo summa apud catholicos est auctoritas, quod summa fuerint auctoritate constituta. Haec prae ceteris sunt symbola nicaenum,

1) Lib. III. Cap. XX.

constantinopolitanum, lateranense, lugdunense et florentinum; quorum primum adversus Arium (1) editum sic habet: *πιστευομεν εἰς ἑνα θεον, πατερα παντοκρατορα, παντων ὁρατων τε και ἀορατων ποιητην, και εἰς ἑνα κυριον ιησουν χριστον τον ὑιον του θεου, γεννηθεντα ἐκ του πατρος μονογενη, τουτεστιν ἐκ της οὐσιας του πατρος. Θεον ἐκ θεου, φως ἐκ φωτος, θεον ἀληθινον ἐκ θεου ἀληθινου, γεννηθεντα οὐ ποιηθεντα, ὁμοουσιον τῳ πατρι δι' οὑ τα παντα ἐγενετο, τα τε ἐν τῳ οὐρανῳ και τα ἐπι της γης· τον δι' ἡμας τους ἀνθρωπους, και δια την ἡμετεραν σωτηριαν κατελθοντα, και σαρκωθεντα, και ἐνανθρωπησαντα .... και εἰς το πνευμα το ἁγιον. τους δε λεγοντας, ἠν ποτε ὁτε οὐκ ἠν, και πριν γεννηθηναι οὐκ ἠν, και ὁτι ἐξ οὐκ ὀντων ἐγενετο, ἠ ἐξ ἑτερας ὑποστασεως ἠ οὐσιας φασκοντας εἰναι, ἠ κτιστον, ἠ ἀλλοιωτον, ἠ τρεπτον τον ὑιον του θεου, τουτους ἀναθεματιζει ἡ καθολικη και ἀποστολικη ἐκκλησια.*

Triplicem huius symboli veterem latinam versionem exhibet Mansius; eam nos praeferimus, quae auctorem habet calaritanum Luciferum, indomitae constantiae atque integerrimae fidei antistitem, cuius pro re catholica adversus arianos pugnas tot laudum encomiis Hilarius ac Athanasius extulerunt. Ne tamen quae alicuius forte pretii apud Mansium leguntur, desiderari merito possint, potiores ex variis lectionibus sedulo adnotabimus.

Sic itaque Lucifer in libro, *De non parcendo in Deum* (2) *delinquentibus: « Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, visibilium (omnium visibilium) et invisibilium factorem. Et in unum Dominum (nostrum) Jesum Christum Filium Dei natum de Patre (ex Patre natum) unigenitum*, (al.

(1) Concil. Tom. II. Coll. 666-668. Edit. Mansi Florentiae 1759. Solemne porro est ecclesiasticis scriptoribus nicaenum Symbolum, editamque adversus Arium fidei formulam nomine *Tractatus* efferre. Hoc nomine usi sunt ariminenses antistites in Fidei definitione apud Hilarium fragmento VII. nn. 3-4; itemque in epistola ad Constantium penes eumdem fragmento VIII. n. 1 : neque secus loquutos esse animadvertimus Ambrosium de Fide lib. III. cap. XV. n. 125, Auctorem tractatus de Fide orthodoxa contra arianos, cap. VIII, et Marium Victorinum T. IV. Bibl. PP. edit. Lugdun. p. 273.

(2) Pag. 204. Edit. Venet. 1778.

qui natus est ex Patre unigenitus), hoc est de substantia Patris (al. *ex.*), *Deum de* (1) *Deo , lumen de lumine , Deum verum de Deo vero , natum non factum (* al. *non creatum), unius substantiae cum Patre (* al. *eiusdem cum Patre substantiae) , quod Graeci dicunt ὁμοούσιον* (haec utpote Luciferi additamentum, in ceteris versionibus absunt.), *perquem omnia facta sunt , sive quae in coelo , sive quae in terra (* al. *coelestia et terrena) sunt . Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit , et incarnatus est, homo factus est (* al. *et homo factus) . . . Credimus* (abest) *et in Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt : erat quando non erat (* al. *erat aliquando , vel erat tempus) : et prius quam nasceretur non erat : et quia ex nullis exstantibus (* al. *subsistentibus ,* vel , *existentibus) factus est, vel ex alia substantia (ex alia substantia, vel essentia dicunt esse), dicentes mutabilem (convertibilem aut commutabilem) Filium Dei : hos anathematizat catholica et apostolica ecclesia* ».

(1) Quamquam et nicaeni patres Filium dixerint, θεον ἐκ θεου, φως ἐκ φωτος, et Gregorius Nazianzenus quum alibi, tum in hymno praesertim vespertino ex usitata graecis patribus loquendi forma Christum celebraverit utpote φως ἐκ φωτος ἀναρχου, *lumen ex lumine quod principio caret*, minime vero uti Tollio visum est, *lumen ex lumine aeterno* : Pater enim, ipsomet auctore Gregorio Orat. XXXIX pag. 530, Pater est και ἀναρχος, *principii expers*, quum ex alio non sit, Filius vero Filius est, και οὐκ ἀναρχος, *sed non expers principii*; vafris tamen malisque arianorum artibus factum est, ut aliquot latinis doctoribus praepositio *ex* suspecta evaderet, ac illius loco particulam *de* usurpandam contenderent. En quae operis historici fragmento II. n. 29. de formula sirmiensi scribit Hilarius : « At vero haec perfidia non fides Deum *ex* Deo dicens virus suum sub modestia religiosae moderationis occultat dicens Deum *ex* Deo, lumen *ex* lumine; ut per occasionem confessionis istius, *ex* Deo ac lumine, Deus ac lumen factus a Deo, non genitus *de* Deo, idest, non *de* substantia paternae aeternitatis extiterit ». Et Gregorius Baeticus in libro de Fide, cap. II. his insectatur verbis arianum disputatorem: « Ergo quia lumen Pater, et lumen Filius, recte lumen *de* lumine credimus. Tu autem non lumen *de* lumine, sed lumen *ex* lumine ita asseris, quasi a Patre, qui verum lumen est, aliud lumen sit factum, quod *de* ipsa Patris substantia non sit; sed sicut aliud quodlibet lumen, quamquam a Deo sit factum, longe tamen sit ab eo qui fecerit : et ideo lumen *ex* lumine, non *de* lumine dicis ».

Referunt nicaenum symbolum, ac eo, quo par erat obsequio, complectuntur ephesini patres (1): tum audita (2) *ὁμολογια πιστεως Χαρισιου πρεσβυτερου*, *professione fidei Charisii presbyteri*, eiusdemque (3) nestoriana expositione, hoc pronunciant (4) de Fide decretum: » His igitur perlectis, *ὡρισεν statuit sancta Synodus*, *ἑτεραν πιστιν μηδενι ἐξειναι προσφερειν*, *ἠγουν συγγραφειν*, *ἠ συντιθεναι*, *alteram fidem nemini licere proferre*, *aut conscribere*, *aut componere παρα την ὁρισθεισαν παρα των ἁγιων πατερων των ἐν τη Νικαεων συνελθοντων συν ἁγιῳ πνευματι*, *praeter definitam a sanctis patribus*, *qui in Nicaea cum Spiritu-sancto congregati fuerunt*. Qui vero ausi fuerint aut componere *πιστιν ἑτεραν fidem alteram*, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, sive ex gentilitate, sive ex iudaismo, sive ex qualicumque haeresi; hos quidem, si sunt episcopi, aut clerici, *ἀλλοτριους εἰναι τους ἐπισκοπους της ἐπισκοπης*, *και τους κληρικους του κληρου· εἰ δε λαικοι εἰεν*, *ἀναθεματιζεσθαι*, *alienos esse episcopos ab episcopatu*, *et clericos a clericatu decrevit: si vero laici fuerint*, *anathemati subiici*. Simili etiam modo, si qui inventi fuerint vel episcopi vel clerici, vel laici, sive sentire, sive docere ea quae continentur in oblata expositione a Charisio presbytero de unigeniti Filii Dei incarnatione, sive scelerata et perversa Nestorii dogmata, quae et subnexa sunt, subiaceant sententiae sanctae hujus et universalis synodi: *ὡστε δηλονοτι τον μεν ἐπισκοπον ἀλλοτριουσθαι της ἐπισκοπης*, *και εἰναι καθῃρημενον*, *τον δε κληρικον ὁμοιως ἐκπιπτειν του κληρου. εἰ δε λαικος τις εἰη*, *και οὑτοι ἀναθεματιζεσθωσαν*, *καθως προειρηται*, *ut videlicet episcopus quidem removeatur ab episcopatu*, *et sit depositus; clericus vero similiter excidat a clericatu: si vero laicus quis sit*, *et ipse anathematizetur*, *sicut superius dictum est* ».

(1) Act. VI. Conc. Tom. IV. Col 1342.
(2) Ibid. Col. 1348.
(3) Ibid. Col. 1348-1362.
(4) Ibid. Col. 1362.

XXIV.

Succedit (1) concilii constantinopolitani symbolum editum anno CCCLXXXI, quod quum in reliquis ne uno quidem

(1) Anno CCCLXXX. romana Synodus, duce Damaso, secundam dedit epistolam ad Paulinum antiochenum, cuius tanta fuit in Ecclesia celebritas, ut non solum a Caelestino, Vigilio, Ambrosio, anonymo auctore Sermonis 129. al. 233. de Tempore inter Augustinianos, Arnobio Iuniore, Isidoro in Codice canonum Ecclesiae Hispanae, Paulino aquiliensi, Synodo Tricassina, Theodorito et Gregorio Nazianzeno summis laudum encomiis fuerit excepta, verum ab ipsis etiam Constantinopolitanis Patribus *instar normae* habita fuerit, quam in asserenda fidei integritate sequerentur. Haec docet, argumentisque confirmat cl. Merenda quum in admonitione ad quartam Damasi epistolam praefixa, tum in notis opportune intersertis. Ad rem vero nostram quod spectat, ista maxime faciunt.

“ Anathematizamus Arium atque Eunomium, qui pari impietate, licet » sermone dissimili Filium et Spiritum sanctum asserunt esse creaturas.

» Si quis non dixerit semper Filium, et semper Spiritum sanctnm » esse, anathema sit.

„ Si quis non dixerit Filium natum de Patre, idest, de divina sub» stantia ipsius, anathema sit.

» Si quis non dixerit Verbum Domini Filium Dei Deum, sicut Deum » Patrem ejus, et omnia posse et omnia nosse et Patri aequalem, ana» thema sit.

„ Si quis non dixerit, Spiritum sanctum de Patre esse vere ac pro» prie, sicut Filius de divina substantia, et Deum verum, anathema sit. Postrema verba Theodoritus et post eum Briennius apud Leonem Allatium con. Hottingerum pag. 316. ita referunt: και θεου θεον λογον, ἀναθεμα.

» Si quis non dixerit, omnia posse Spiritum sanctum, omnia nosse » et ubique esse, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

» Si quis dixerit Spiritum sanctum facturam, aut per Filium factum, » anathema sit.

« Si quis non dixerit omnia per Filium et Spiritum sanctum Patrem » fecisse, idest, visibilia, invisibilia, anathema sit.

» Si quis non dixerit Patris et Filii et Spiritus sancti unam divini» tatem, potestatem, majestatem, potentiam, unam gloriam, dominatio» nem, unum regnum, atque unam voluntatem et veritatem, anathema sit.

„ Si quis non dixerit adorandum Spiritum sanctum ab omni creatu» ra, sicut Filium et Patrem, anathema sit.

» Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiritu autem sancto

apice a nicaeno differat, ad fidem quod attinet in Spiritum sanctum acerrime a macedonianis oppugnatam, atque adeo ab ecclesiae pastoribus omni contentione asserendam, sic habet. » *Πιστευομεν και εἰς το πνευμα το ἁγιον, τον κυριον, το ζωοποιον, το ἐκ του πατρος ἐκπορευομενον, το συν πατρι και υἱῳ συμπροσκυνουμενον και συνδοξαζομενον, το λαλησαν δια των προφητων. Credimus et in Spiritum-sanctum, dominum, vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui loquutus est per Prophetas.*

XXV.

Multo uberius catholicam de Trinitate doctrinam edisseerunt, ac statis ratisque dicendi formis complectuntur patres concilii lateranensis IV., oecumenici XII., quod Innocentio III. Pontifice Maximo, anno MCCXV. celebratum fuit. Ex capitulis enim in eodem statutis, primum, quod *de Fide catholica inscribitur*, est (1) huiusmodi : » *Firmiter* credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus et immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, Pater et Filius et Spiritus-sanctus; tres quidem personae, sed una essentia, substantia, seu natura, simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, et Spiritus-sanctus ab utroque pariter, absque initio semper et fine. Pater generans, Filius nascens, et Spiritus-sanctus procedens, consubstantiales et coaequales, coomnipotentes, et coaeterni, rerum universarum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, spiritualium et corporalium : qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet, et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu, et corpore constitutam . . . . Haec sancta Trinitas secundum communem essen-

» non recte habuerit, haereticus est: quia omnes haeretici de Filio Dei » et Spiritu sancto male sentientes, in perfidia Iudaeorum et Gentilium » inveniuntur ».

(1) Conc. Tom. XXII. Col. 981, et Lib. I. Decretal. Gregorii IX. tit. I. c. I. *Firmiter* De Summa Trinitate et fide catholica.

tiam individua, et secundum personales proprietates discreta per Moysen et sanctos prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem unigenitus Dei Filius Jesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper Virgine Spiritus-sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali et humana carne compositus, una in duabus naturis persona, viam vitae manifestius demonstravit. Qui cum secundum divinitatem sit immortalis et impassibilis, idem ipse secundum humanitatem factus est passibilis et mortalis . . . . ».

Primum capitulum alterum continuo excipit inscriptum *De errore abbatis Joachim*, atque his constat (1) verbis: « Damnamus ergo, et reprobamus libellum, sive tractatum, quem abbas Joachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum, pro eo quod in suis dixit Sententiis, quoniam quaedam summa res est Pater et Filius et Spiritus-sanctus, et illa non est generans, neque genita, nec procedens. Unde asserit, quod ille non tam Trinitatem quam quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, et illam communem essentiam quasi quartam: manifeste protestans, quod nulla res est quae sit Pater et Filius et Spiritus-sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura: quamvis concedat, quod Pater et Filius et Spiritus-sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura. Verum unitatem huiusmodi non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una ecclesia, iuxta illud (2), *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una* . . . Ad hanc autem sententiam adstruendam illud potissimum verbum inducit, quod Christus de fidelibus inquit in Evangelio (3): *Volo Pater ut sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus, ut sint consummati in*

(1) Conc. Tom. cit. Col. 982-984, et Decret. l. c. cap. II. *Damnamus ergo.*

(2) Act. IV.

(3) Ioh. XVII.

unum. Non enim, ut ait, fideles Christi sunt unum, idest, una quaedam res quae communis sit omnibus, sed hoc modo sunt unum, idest, una ecclesia propter catholicae fidei unitatem, et tandem unum regnum propter unionem indissolubilis caritatis. Quemadmodum in canonica Joannis epistola legitur (1): *Quia tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus-sanctus; et hi tres unum sunt* (2), statimque subiungitur: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis; et tres unum sunt*, sicut in codicibus quibusdam invenitur.

Nos autem, sacro et universali concilio approbante, credimus et confitemur cum Petro, quod una quaedam summa res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personae; ac sigulatim quaelibet earumdem. Et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas; quia quaelibet trium personarum *est illa res* (ἐστιν ἐκεινο το πραγμα) videlicet *substantia, essentia, sive natura divina* (οὐσια, ὑπαρξις, ἡ και φυσις θεια); quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus sanctus, idem omnino: ut secundum orthodoxam et catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab aeterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, iuxta quod ipse (3) testatur: *Pater quod dedit mihi maius est omnibus*.

(1) I. Ioh. V.

(2) In graeca translatione eodem edita tempore, quaeque fieri maximi debet, quum Synodo interfuerint constantinopolitanus et hierosolymitanus patriarcha, itemque antiocheni et alexandrini legati, citatio sic habet: *ὁτι τρεις εἰσιν οἱ μαρτυρουντες ἐν οὐρανῳ, ὁ πατηρ, λογος, και πνευμα ἁγιον, και οὑτοι οἱ τρεις ἐν εἰσιν.*

(3) Joh. X· 29. *Πατηρ. ὁς δεδωκε μοι μειζων παντων ἐστι*, uti in vulgatis graecis editionibus habetur. Manifestum vero est, latinam versionem. qua usi sunt lateranenses Patres, ad eiusmodi graecum exemplar fuis-

Ac dici non potest quod partem suae substantiae illi dederit, et partem retinuerit ipse sibi : cum snbstantia Patris indivisibilis sit , utpote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non retinuerit ipsam sibi : alioquin desiisset esse substantia. Pater ergo quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, et ita Pater et Filius habent eamdem substantiam , et sic eadem res est Pater et Filius nec non et Spiritus sanctus ab utroque procedens. Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem (1) orat: *Volo* inquiens, *ut ipsi sint unum in nobis, sicut et nos unum sumus.* Hoc nomen, *unum*, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur *unio caritatis in gratia:* pro personis vero divinis, ut attendatur *identitatis in natura unitas*, quemadmodum Veritas alibi ait: *Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est* : ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester coelestis perfectus est perfectione naturae : utraque videlicet suo modo : quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari , quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda.

Si quis igitur sententiam sive doctrinam praefati Joachim in hac parte defendere vel approbare praesumpserit: tamquam haereticus ab omnibus confutetur ».

XXVI.

Post solemnem adeo luculentamque orthodoxae veritatis declarationem, nihil praeterea desiderari posse videbatur, nisi ut ratio divinae processionis, qua a Patre et Filio Spiritus sanctus existit, enucleatius edissereretur. Id porro exequuti abunde sunt patres concilii lugdunensis II. oecumenici XIV, habiti anno MCCLXXIV., quemadmodum prima ex costitutionibus, quae est *De summa Trinitate et Fide catho-*

se expressam, quod legeret: *πατηρ ὁ δεδωκε μοι μειζον παντων ἐστι:* de qua lectione scitu non indigna comperies apud Millium , Wetestenium et Griesbachium.

(1) Joh. XVII.

lica, a Gregorio X. Synodo comprobante, evulgata liquido (1) ostendit: « Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus aeternaliter ex Patre et Filio, non tamquam ex duobus principiis, sed tamquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, praedicavit et docuit, hoc firmiter tenet, praedicat, profitetur, et docet sacrosancta romana ecclesia, mater omnium fidelium et magistra: hoc habet orthodoxorum Patrum atque doctorum latinorum pariter et graecorum incommutabilis et vera sententia: sed quia nonnulli, propter irrefragabilis praemissae ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi: nos huiusmodi erroribus viam praecludere cupientes, sacro approbante concilio, damnamus et reprobamus omnes qui negare praesumpserint, aeternaliter Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere, sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio, tamquam ex duobus principiis, et non tamquam ex uno procedat ».

XXVII.

A qua catholica definitione neque potest, neque vero ea seiungi debet, qua in unam eamdemque fidei formulam latini iuxta ac graeci in florentino concilio, oecumenico XVI. habito anno MCDXXXIX., unanimes convenere. Itaque in definitione (2) quae incipit, *Laetentur coeli*, haec inter alia scitu dignissima praemittuntur. » Convenientes Latini et Greci in hac sacrosancta oecumenica Synodo, magno studio invicem usi sunt, ut inter alia etiam articulus ille de divina Spiritus sancti processione summa cum diligentia et assidua inquisitione discuteretur. Prolatis vero testimoniis ex divinis scripturis, plurimisque auctoritatibus sanctorum doctorum orientalium et occidentalium, aliquibus quidem ex Patre et Filio, quibusdam vero ex Patre per Filium, procedere dicentibus Spiritum, et ad eamdem intelligentiam aspicientibus omnibus sub diversis vocabulis: Graeci quidem as-

(1) Conc. Tom. XXIV. Col. 81.

(2) Conc. Tom. IX. Col. 419. Edit. Harduin Paris 1714.

seruerunt, quod id, quod dicunt Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt ut excludant Filium; sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum ex Patre et Filio procedere tamquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque procedere, *ut excludant Patrem, quin sit fons ac principium totius deitatis, Filii scilicet ac Spiritus sancti:* ὡς ἀποκλειειν του πατερα τοῦ εἰναι πηγην και ἀρχην της ὁλης θεοτητος, του υἱου δηλονοτι και του ἁγιου πνευματος *aut quod id, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, Filius a Patre non habeat,* ἡ ὁτι το ἐκ του υἱου ἐκπορευεσθαι το πνευμα το ἁγιον, ὁ υἱος οὐκ ἐχει ἀπο του πατρος: *sive quod duo ponant esse principia, seu duas spirationes:* ἡ ὁτι δυο τιθεασιν εἰναι ἀρχας ἡ δυο πνευσεις· *sed unum tantum asserunt esse principium, unicamque spirationem Spiritus sancti,* ἀλλ' ἑνα μιαν μονην δηλωσωσιν εἰναι ἀρχην και μοναδικην προβολην του ἁγιου πνευματος, prout hactenus asseruerunt. Et cum ex his omnibus unus et idem eliciatur veritatis sensus, tandem in infrascriptam sanctam et Deo amabilem eodem sensu eademque mente unionem unanimiter concordarunt et consenserunt ».

Cuius unanimis consensionis haec e vestigio capita (1) subduntur: » In nomine sanctae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio definimus, *ut haec fidei veritas,* ἱνα αὐτη ἡ της πιστεως ἀληθεια ab omnibus christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur: ὁτι το πνευμα το ἁγιον ἐκ του πατρος και του υἱου ἀϊδιως ἐστι, και την ἑαυτου οὐσιαν και το ὑπαρκτικον αὐτου εἰναι ἐχειν ἐκ του πατρος ἁμα και του υἱου, και ἐξ ἀμφοτερων ἀϊδιως ὡς ἀπο μιας ἀρχης και μοναδικης προβολης ἐκπορευεται· διασαφουντες, ὁτι τουθ' ὑπερ οἱ ἁγιοι διδασκαλοι και πατερες δια του υἱου ἐκπορευεσθαι λεγουσι το πνευμα το ἁγιον, εἰς ταυτην φερει την ἐννοιαν, ὡστε δια τουτου δηλουσθαι, και τον υἱον εἰναι κατα μεν τους Γραικους αἰτιαν, κατα δε τους Λατινους ἀρχην της ἁγιου πνευματος ὑπαρξεως,

(1) Ibid. Col. 422.

ὥσπερ καὶ τον πατερα, και ἐπει παντα ὅσα ἐστι του πατρος, αὐτος ὁ πατηρ τῷ μονογενει αὐτου ὑιῷ ἐν τῷ γεννᾷν δεδωκε, πλην του εἰναι πατερα, τουτ' αὐτο ὅτι το πνευμα το ἁγιον ἐκ του ὑιου ἐκπορευεται, αὐτος ὁ ὑιος παρα του πατρος ἀϊδιως ἐχει, ἀφ' οὑ ἀϊδιως και γεγεννηται. *Quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit; declarantes quod id, quod sancti doctores, et patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse secundum Graecos quidem causam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus sancti, sicut et Patrem. Et quoniam omnia, qnae Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, praeter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre aeternaliter habet, a quo etiam aeternaliter genitus est.*

Diffinimus insuper, explicationem verborum illorum, *Filioque*, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate *licite ac rationabiliter*, θεμιτως τε και εὐλογως Symbolo fuisse appositam ».

XXVII.

Quare huc eorum summa pertinet, quae de augusto divinae Trinitatis mysterio suprema conciliorum oecumenicorum auctoritate sancita sunt.

Principio duo spectari in Deo debent, et accurate distingui. Illud quod *commune* est ac *absolutum*, tum quod *proprium* est ac *relativum*. *Commune et absolutum est una quaedam summa res, incomprehensibilis et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, tres simul personae, ac singulatim quaelibet earumdem; et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, et Spiritus sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in personis, et unitas in natura.* Pro-

prium autem ac relativum ipsis constat tribus personis: Patre, Filio, et Spiritu sancto.

Porro, quod altero loco animadverti debet, triplici modo spectari possunt ac debent personae pro triplici relatione quae in illis consideratur. Sicut enim ad communem essentiam, ita quoque ad invicem ac ad ea, quae in tempore facta sunt, referuntur. Jamvero si ad communem referantur essentiam, eae dicuntur et sunt consubstantiales: unam enim eamdemque naturam possident, neque unam unitate *collectiva et similitudinaria, sed unam unitate identitatis.* Unde licet *alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud; sed id quod est Pater, est Filius, et Spiritus sanctus, idem omnino.*

Sin vero referantur ad invicem, haec rata, fixaque esse debent. Pater aliunde non est, non factus, non creatus, non genitus: non ab alio existit, aut emanat; principium est principio carens, ex omni aeternitate sua vi cohaerens; fons non solum omnium rerum, quae factae sunt, sed etiam *totius deitatis, Filii scilicet ac Spiritus Sancti.*

Filius est principium ex principio, non ab ullo certo tempore factus, non creatus, sed ex aeternitate genitus a solo Patre, eiusque naturali dono ac munere per se cohaerens, cum generatore suo sine ulla perturbatione, confusione, permixtione una penitus natura coniunctus, et ab eodem sine ulla distractione, alienatione, avulsione, hypostasi distinctus.

Spiritus sanctus ex Patre, et Filio, aeternus ex aeternis, non creatus, non generatus, mirabiliter procedit, et ita procedit, ut cum utroque eiusdem prorsus naturae communione copulatus, alius sit ab utroque.

Id vero interest Patrem inter ac Filium, quod Pater ab aeterno spirat virtute sibi nativa non accepta; Filius autem eadem quidem virtute, sed quam una cum sua subsistente essentia per generationem a Patre recepit. Quum igitur una eademque virtute Pater et Filius spirent, omnino consequitur, utrumque non esse nisi unicum Spiritus sancti principium, qui unica communi operatione producitur.

Denique si ad ea referantur personae, quae in tempore facta sunt, distinctione rursum opus est: videlicet ab iis

quae pertinent ad ordinem tum naturalem, quum supernaturalem, id secerni debet, quod in ordine supernaturali splendidius refulget ac emicat, et sacramento Verbi incarnati comprehenditur. Illa toti Trinitati communia sunt, *quae unum est universorum principium, creator omnium invisibilium et visibilium, quaeque per Mosen et sanctos prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem.* Quum enim ad Trinitatem secundum ea referantur, quae illi absolute insunt; ibi nequit locus esse distinctioni, ubi omnia sibi vindicat perfectissima unitas identitatis.

At si de incarnatione sermo sit, ea considerari dupliciter debet: ac primo quidem actionis instar transeuntis, qua humana Christi natura creata productaque fuit, et cum Verbo in hypostaseos unitate coniuncta: deinde vero quatenus permanentem significat coniunctionem, propter quam verus Filius Dei non minus vere est Filius hominis, ac persona Verbi persona itidem est humanae naturae. Secundum priorem considerandi modum, opus incarnationis ad individuam pertinet Trinitatem, atque adeo *unigenitum Dei Filium Jesum Christum a tota Trinitate communiter incarnatum credimus:* at posteriore sensu, incarnatio propria est unius Filii, quatenus secundum personalem suam proprietatem a Patre et Spiritu sancto realiter distinguitur.

XXVIII.

Ceterum ipsa nomina, quae in symbolis, catholicisque definitionibus usurpantur, ἀναντιῤῥήτως probant, sic Deum natura *unum* credendum proponi, ut simul *personis trinus* credendus exhibeatur. Et re sane vera considerentur eiusmodi nomina, quae sunt *Pater, Filius et Spiritus sanctus;* tum ad subiectam illis significandi potestatem animus advertatur. Quid ea denotant, quibusve notitiis mentem imbuunt? Non id ego meis enarrabo verbis, sed interprete utar fide dignissimo, alexandrino Clemente, qui in stromatum opere id abunde praestitit, quemadmodum demonstrat egregie Hieronymus Donati in praeclaro opere (1) *De Spiritus sancti*

(1) Lib. I. Cap. VI.

processione, quod manuscriptum ad Leonem X. missum fuit, quodque Em. Mai publica luce dignum censuit (1) *propter stili elegantiam, doctrinae vim, et sacri dogmatis tutelam.* His ergo verbis de Patris nomine Clemens disserit: Τι πατηρ, και κατα τι ειρηται πατηρ, και ὁσαχως ἐπι θεου ἡ πατροτης; *Quid Pater, et propter quid pater dicitur, et quibus modis in Deo est paternitas?* Πατηρ μεν οὐν κυριως ειρηται ἀναιτιος· ὑποστασις γεννητικη ἀγεννητος, *Pater igitur proprie dicitur hypostasis non habens originem, genitrix, ingenita.* Ειρηται δε πατηρ ἠ ὡς τα παντα τηρων, ἡ ὡς τους οἰκειους παιδας τηρων οἱον παιτηρ ἡ παντηρ. *Dictus est autem pater vel quasi omnia servans, vel quasi proprios filios servans, velut* παιτηρ ἡ παντηρ (2). Διπλως δε λεγεται πατηρ ὁ θεος, φυσει και χαριτι· φυσει μεν του ἰδιου και ὁμοουσιου θεου λογου· χαριτι δε ἡμων· ὡς το, ἐγω εἰπα θεοι ἐστε, και υἱοι ὑψιστου, *Bifariam vero Deus dicitur Pater, natura et gratia: natura quidem proprii et consubstantialis Dei Verbi: gratia autem nostri; secundum illud, Ego dixi, dii estis, et filii excelsi omnes.*

Declarata Patris origine, significatione, ac duplici acceptione, ad relativum filii nomen progreditur, ac de eo triplicem habet quaestionem: cur filius in Deo dicatur, unde dicatur, tum quibus usurpetur modis. Respondet vero: υἱος μεν κυριως ἐστι δευτεροτης ὑποστασεως ἐν ταυτοτητι φυσεως, ἡ αὐξησις προσωπων ὁμογενης, ἡ προοδος φυσεως, ἡ συγγενεια γνωριζομενη, *Filius quidem proprie est secundus gradus* (est enim θεος ἐκ θεου) *hypostaseos in identitate naturae, sive cognatum personarum augmentum* (3), *sive progressus naturae* (4) *sive*

(1) Cf. Script. vet. Tom. VII. Part. II. pag. 1 seqq

(2) Quae sunt contracta vocabula *ex* παις et τηρεω, aut παντα et τηρεω, ac eo animo conficta, ut quae ex sua originatione sit του πατρος notio declaretur.

(3) *Cognatum* quidem propter eamdem naturam; *augmentum* vero propter οἰκονομιαν, qua μο ας εἰς δυαδα porrigitur.

(4) Προοδος penes Gregorium Nazianzenum (Orat. XIII. pag. 211, et Orat. XXIX. pag. 493.) idem est ac ἐκπορευσις, et de processione Spiritus sancti usurpatur. *Proprietates*, sic ille priori loco, *trium personarum sunt* το ἀναρχον, ἡ γεννησις, και ἡ προοδος, *principio carere, generatio, et processio.* Sed heic latius accipitur, actumque designat divinae naturae, quatenus in Patre fecunda est, ac in Filio sistit.

cognatio cognita. υἱος δε κυριως ειρηται οἱος ἀν εἰποις, υἱος γαρ ὁ πατηρ κατα την οὐσιαν, τοιουτος και ὁ μονογενης υἱος ειτε ἐξ ἀκτιστου ἀκτιστος, ειτε ἐξ θνητου θνητος, και βροτου βροτος. Υἱος *autem, idest filius, proprie appellatur ac si diceres* οἱος, *idest qualis: qualis enim pater secundum essentiam est, talis est etiam unigenitus filius, sive ex increato increatus, sive ex mortali mortalis, sive ex corruptibili corruptibilis.* Κατα δε δυο τροπους παλιν ειρηται ἐπι θεου ἡ υἱοτης, φυσει και χαριτι· φυσει ὁ θεος λογος· χαριτι, οἱ δικαιοι. *Duobus item modis* (pro duplici *paternitatis* acceptione) *dicitur in Deo filiatio, per naturam et gratiam: per naturam* filius, *Deus Verbum* (1), *per gratiam iusti.*

Tertia succedit quaestio, cuius quoque meminit Joannes Veccus patriarcha constantinopolitanus in aureo libello (2) *De processione Spiritus sancti.* Τι πνευμα; και κατα τι πνευμα; και ὁσαχως λεγεται πνευμα; *Quid Spiritus? et secundum quid Spiritus? et quot modis Spiritus?* quae sic explicat Clemens: Πνευμα μεν ἐστι λεπτη, και ἀϋλος, και ἀσχηματιστος ἐκπορευτικη ὑπαρξις: *Spiritus est subtilis, et immaterialis, et supra omnem figuram (infigurabilis) processiva substantia.* Πνευμα δε ειρηται ὡσανει παν νευμα. *Dicitur autem* πνευμα *Spiritus quasi* παν νευμα, *omnis nutus.* Ειρηται δε το πνευμα ἐν τη γραφη τετραχως, πνευμα το ἁγιον ὁ ἀγγελος, ἡ ψυχη, και ὁ ἀνεμος· ἐστιν ὁτε και ὁ νους ειρηται πνευμα. *Dicitur autem in Scripturis Spiritus quadrupliciter, Spiritus sanctus, angelus, anima, ventus; quandoque et mens dicitur spiritus.*

(1) Portenti simile esse debet, quod de Prodici asseclis (in III. Stromat. §. IV.) idem Clemens testatur: *Prodici asseclae, qui se ipsos falso nomine vocant Gnosticos,* ψευδωνυμως Γνωστικους. (Unde Irenaeus suis libris hunc fecit titulum: Ἐλεγχον και ἀνατροπην της, ψευδωνυμου γνωσεως) *Confirmant, se esse natura filios primi Dei,* υἱους φυσει του πρωτου θεου: qua nobilitate, et libertate abutuntur *viventes pro voluntate, volunt autem libidinose,* ζωσιν ὡς βουλονται· βουλονται δε φιληδονως.

(2) Cap. I. n. 16. penes Leon. Allatium, Graec. Orthod. Tom. I. p. 248. Edit. Rom. 1652.

XXIX.

Quamdiu ergo Patris, Filii, ac Spiritus-sancti nomina in symbolo recitabuntur, atque nos symbolum recitantes fidem testabimur nostram in Patrem, Filium, et Spiritum-sanctum; tamdiu Deum ita natura *unum* credemus, ut simul in personis trinum confiteamur. Hinc quotquot sumus orthodoxi cum latini, tum graeci, quemadmodum laudato in opere (1) Hieronymus Donati pergit:» confitemur omnes simul, et certo fidei ac veritatis oraculo contendimus Patrem, et Filium, et Spiritum-sanctum unius esse substantiae, sive essentiae, et aequalitate inseparabili unum Deum, ut sit unitas in essentia, sed in personis pluralitas, et ideo non tres Deos dicimus, sed unum: a Patre dicimus generari Filium, et ideo Filium non esse eum qui est Pater, licet sit id quod est Pater: Spiritum-sanctum nec Patrem esse nec Filium, sed tamen Patris et Filii Spiritum, utrique coaequalem. Tenemus ergo sine ulla controversia graeci et latini, Patrem, et Filium et Spiritum-sanctum esse unum naturaliter Deum, *unam* trium personarum *essentiam*, quam graeci ὁμοούσιον dicunt, idest, *eiusdem substantiae*, quia in ea natura et essentialiter non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus; licet personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus-sanctus ».

Porro iam inde a seculo IV. catholicam fidei professionem his conceperat verbis Ambrosius (2) in epistola *de Fide* ad Hieronymum: « Nos ergo fideliter credimus Patrem, Filium, et Spiritum-sanctum, unum verum solum Deum in essentiali substantia, ac sanctam et individuam personalem aeternitatem. Deitas enim Christi par in omnibus et consubstantialis est Patri, et sempiterna atque intemporaliter una eademque potentia Genitoris et Geniti ». Et (3) in exposi-

(1) Cap. VII. p. 19.

(2) Mai, Script. Vet. Tom. VII. Part. I. p. 159.

(3) Mai. L. c. p. 161. His adde quae habet Ferrandus diaconus Ecclesiae Carthaginiensis *in epistola dogmatica adversus arianos aliosque haereticos ex codice casinensi* ab eodem Maio primum edita l. c. pagg. 109. seqq. Sic igitur ille §. II: « Prius quid inter se sententiis vel do-

tione Fidei. « Profitemur nos credere indivisibilem et inseparabilem sanctam Trinitatem, hoc est, Patrem, et Filium et Spiritum-sanctum, unum Deum, ita unum et trinum, et ita trinum et unum. Trinitatem in distinctis atque discretis personis, hoc est: Patrem ex quo omnia, Filium per quem omnia, Spiritum-sanctum in quo omnia; unius tamen deitatis, unius essentiae, uniusque substantiae, tribus quidem *subsistentiis* seu personis, ut Pater Pater sit, Filius Filius sit, in una natura, unaque substantia, et Deus unus et solus et summus credatur. Non tres naturas introducentes, ut Arius blasphemat, qui tres Deos praedicavit, *excellentiorem*, *minorem*, et *inferiorem*. Nos vero sanctam Trinitatem in unitate, et unitatem in sancta Trinitate confitemur. Nam cum dicimus omnipotentem Patrem, appellatio huius paterni nominis ad Filii personam adtenditur. Et cum dicimus aeternum Filium, ad aeterni Patris personam refertur. Et cum

gmatibus differant Arriani et Catholici, deliberemus. Arriani volunt individuam Trinitatem praedicare, sicut Scripturae praedicant unum Deum. Catholici verum praeceptum legis (Deut. VI. 4.) salubriter audientes: *audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*; ne videantur sub unius Dei religione fidem Trinitatis excludere, tres personas unius substantiae praedicantes, ipsam Trinitatem unum Deum simpliciter confitentur. Et de omni sancta Trinitate dictum sapienter intelligunt, *audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est*. Arriani denuo Patris et Filii et Spiritus sancti tres substantias praedicant; et ideo veram potestatem dividunt, unitatem vitant, immensitatem minuunt, et per impios gradus ad errores pessimi praecipitii devoluti, maiori Patri minorem Filium subiiciunt: minori autem Filio inferiorem Spiritum sanctum credunt. Catholici e contrario Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, ne tres deos gentiliter inducere videantur, unius esse honoris, gloriae, magnitudinis, aeternitatis, divinitatis, aequalitatis, essentiae profitentur: et nemini alterum praeponere cupientes, de Patre tamen Filium natum, de Patre et Filio Spiritum sanctum procedere ». Quae postrema verba doctissimo editori occasionem praebuere huius conscribendae adnotationis: « Photius in opusculo inedito de Spiritu sancto tres tantum latinos patres adversantes sibi commemorat circa dogma de Spiritus sancti a Filio processione, Ambrosium, Augustinum et Hieronymum. Sed en quoque Ferrandum heic, et epist. ad Severum; itemque Fulgentium de Trin. I. 2. et alibi. Consonat etiam Leo magnus Serm. LXXV. 3. qui Spiritum sanctum ait esse Patris, Filiique Spiritum. »

nominamus Spiritum-sanctum, ab aeterni Patris persona eum credere demonstramus ». Tandem in explanatione Symboli romani ac apostolici ad Initiandos (1) : « In hoc symbolo divinitas Trinitatis aeternae evidentissime comprehensa est unius operationis, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, hoc est, venerabilem Trinitatem. Et quod fides nostra ita sit, ut pari genere credamus in Patrem, et Filium, et Spiritum-sanctum. Ubi enim nulla discretio maiestatis est, nec fidei debet esse discretio ».

XXX.

Quo perfectiori fidei lumine, auctore Dionysio Alexandrino (2) coelitus edocti *εἰς τε την τριαδα την μοναδα πλατυνομεν ἀδιαιρετον, και την τριαδα παλιν ἀμειωτον εἰς την μοναδα συγκεφαλαιουμεθα*, *unitatem indivisibilem in Trinitatem dilatamus, ac rursum Trinitatem quae minui nequit, in unitatem contrahimus.*

Sed quid sibi vult, *contrahimus?* triplex potissimum notio, quemadmodum testimoniis Scripturarum (3) Schleusner in Lexico N. T., et dictis Patrum (4) Suicerus ostendit in Thesauro, subest verbo *τῳ συγκεφαλαιουσθαι*, et quod illi respondet, *τῳ ἀνακεφαλαιουσθαι*. Notat enim *summatim comprehendere, seiuncta ac avulsa in unum veluti corpus coniungere*, unde Chrysostomus quod (5) est *ἀνακεφαλαιωσασθαι*, exponit *συναψαι coniunxisse ;* et multo uberius (6) Photius: *ἀνακεφαλαιωσασθαι τα παντα, τουτεστι, συναψαι, ἑνωσαι, μιαν κεφαλην παρασχειν ἀγγελοις και ἀνθρωποις τον Χριστον*: idest, *coniungere, unire, unum caput angelis atque hominibus Christum dare.*

Notat deinde *brevibus rem totam complecti*, quo sensu *τῳ*

(1) Mai. Ibid. p. 156.

(2) Opp. quae 1796 Romae edidit. cl. de Magistris pag. 94. §. IX.

(3) Sirac. XXXII. 18, Rom. XIII. 9, Ephes. I. 10, II. 14—15.

(4) Chrysost. Hom. I. In Epist. ad Ephes., Hom. XXIII. in Epist. ad Rom., Cyrillus alex. adv. anthropomorph. Cap. II. . . . .

(5) Ephes. I. 10.

(6) Apud Oecumenium. Comm. in Eph. II. 10.

συγκεφαλαιουσθαι usus est Polybius (1) scribens: *συγκεφαλαιουσθαι τα πραγματα, res exponendas summatim comprehendere.* Ac tandem notat *impleri*, *perfici*, ut in epistola ad Romanos (2), unde Hesychius *ἀνακεφαλαιουται, συμπληρουται*, *completur*, *impletur.*

Quare huc pertinet Dionysii sententia: individuam quidem esse divinae naturae unitatem, atque adeo nulla sui partitione diffundi; nihilominus quum fecunda sit, plenissima communicatione in Trinitatem dilatari, atque extendi, verum ita, ut ipsa Trinitas, in eam unitatem, e qua existit, revolvatur.

XXXI.

Hanc efferendi mysterii rationem probarunt, qui sequuti deinceps sunt ecclesiastici Scriptores, illamque iisdem, vel similibus plane verbis frequentissime inculcarunt. Iisdem inculcavit verbis (3) Athanasius, qui in libello de sententia Dionysii arianos confutans (4) inquit: « Quod autem illi (ariani) separant ac dividunt Verbum a Deo, id ille (Dionysius, cuius patrocinio se ariani tuebantur) improbat cum ait: *ἀδιαιρετον και ἀμειωτον την τριαδα εἰς μοναδα συγκεφαλαιουσθαι, Trinitatem, quae nec dividi, nec minui potest, in unitatem contrahi* ».

Iisdem inculcavit verbis (5) Isidorus Pelusiota scribens: « Varias ac dissidentes naturas docere, ethnicum est: unam autem hypostasim, iudaicum; *το δε πλατυνοντα εἰς την ἁγιαν τριαδα τας ὑποστασεις εἰς μιαν οὐσιαν συναγειν, ὀρθοτατον ἐστι*

(1) Lib. V. Cap. XXXII.

(2) Cap. XIII. 9.

(3) Qui tamen adversus Sabellianos disputans Orat. IV. con. Arianos, nn. 12-14. ea habet, quae huic dicendi formae, modoque rei exhibendae non minimum refragari videntur. Unde concludit n. 15: *τοιαυτα μεν οὐν ἀτοπα ἐκ του πλατυνεσθαι λεγειν εἰς τριαδα την μοναδα ἀπαντησει*, *haec itaque absurda ex illa orientur opinione, qua Unitas in Trinitatem dilatari dicitur.* Sed nihil est, quum haec *ἀτοπα* non e formula ipsa, sed ex eiusdem abusu, quo rei erant Sabelliani, manifeste consequantur.

(4) N. 19.

(5) Lib. II. Epist. CXLIV.

καὶ ἀληθέστατον δόγμα, at hypostases in sanctam Trinitatem dilatare, atque in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est. »

Porro eamdem sententiam similibus declaratam verbis habes in Expositione rectae confessionis (1) apud Pseudo-Justinum: » Unum Deum confiteri convenit *ἐν πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι γνωριζόμενον, in Patre, et Filio, et Spiritu-sancto cognitum*, ita ut quatenus Pater et Filius, et Spiritus-sanctus, *unius divinitatis hypostases* (*τῆς μιᾶς θεότητος τὰς ὑποστάσεις*) cognoscamus; quatenus vero Deus, communem hypostasum essentiam (*τὸ κατ' οὐσίαν κοινὸν ὑποστάσεων*) intelligamus. *Μονὰς γὰρ καὶ ἐν τριάδι νοεῖται, καὶ τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται, Unitas enim in Trinitate intelligitur, et Trinitas in unitate agnoscitur* ».

Habes apud Basilium seleuciensem (2): *τριὰς ἐν μονάδι γινωσκομένη, καὶ μονὰς ἐν τριάδι προσκυνουμένη: Trinitas in unitate cognita, et unitas in Trinitate adorata.*

Habes penes Eulogium alexandrinum (3) in Photii Bibliotheca: *Μονὰς ἀληθῶς ἡ τριὰς, καὶ τριὰς ἡ μονάς. Οὔτε διότι μονὰς, τὴν τριάδα συστέλλουσα, οὔτε διότι τριὰς, τὴν μονάδα τέμνουσα. Unitas vere est Trinitas, et Trinitas unitas. Nec quia unitas est, idcirco contrahit Trinitatem: nec quia Trinitas est, dividit unitatem.*

XXXII.

Sed nemo Nazianzeno Gregorio, cui Theologi cognomen factum est, aut saepius ista repetit, aut explanat (4) illustrius: *Μονὰς ἐν τριάδι προσκυνουμένη, καὶ τριὰς εἰς μονάδα ἀνακεφαλαιουμένη, unitas in Trinitate adoranda, et Trinitas in unitatem collecta.* Et (5) rursum: *Nunc vero doce, ut hoc dumtaxat sciamus*, nempe *μονάδα ἐν τριάδι, καὶ τριάδα ἐν μονάδι προσκυνουμένην παράδοξον ἔχουσαν καὶ τὴν διαίρεσιν, καὶ τὴν ἕνωσιν, Trinitatem in unitate, et unitatem in Tri-*

(1) N. 7.
(2) Orat. XXXIX.
(3) Cod. CCXXX.
(4) Orat. XII. p. 204.
(5) Orat. XXIII. p. 422.

nitate adorandam, *cuius et divisio et coniunctio plane admirabilis sit.* Et (1) arianum hominem alloquens, *hoc*, inquit, *sit κεφαλαιον του λογου summa sermonis, cum Cherubinis divinam gloriam praedica, tres sanctitates in unam dominationem contrahentibus*, *μετα των χερουβιμ δοξασον συναγοντων τας τρεις άγιοτητας είς μιαν κυριοτητα.* Tum (2) postquam luculentis ostendit testimoniis, Deum esse *φως το ἀκροτατον, και ἀπροσιτον, και ἀῤῥητον*, *lumen summum, inaccessum, ineffabile*, pergit: *φως δε λεγω, το ἐν πατρι, και υἱῳ, και ἁγιῳ πνευματι θεωρουμενον· ὡν πλουτος ἐστιν ἡ συμφυια, και το ἐν ἐξαλμα της λαμπροτητος*, *lumen porro dico, quod in Patre, et Filio, et Spiritu-sancto consideratur*, *quorum opulentia naturae identitas est* (3), atque una eademque splendoris prosultatio.

Videlicet dives est ac fecunda divina natura, quae propterea non una continetur hypostasi, sed ad tres personas mira quadam sui communicatione diffunditur. Quod sane me praeterit an possit humanis verbis explicari luculentius, quam fecerit eadem oratione Nazianzenus subdens: « Hanc fidei professionem tibi propono totius vitae sociam, *την μιαν θεοτητα τε και δυναμιν ἐν τοις τρισιν εὑρισκομενην ἑνικως, και τα τρια συλλαμβανουσαν μεριστως, οὐτε ἀνωμαλον οὐσιαις ἡ φυσεσιν, οὐτε αὐξομενην, ἡ μειουμενην ὑπερβολαις και ὑφεσεσι, παντοθεν ἰσην, την αὐτην παντοθεν, ὡς ἐν οὐρανου καλλος και μεγεθος, τριων ἀπειρων ἀπειρον συμφυιαν. Θεον ἑκαστον καθ᾽ ἑαυτο θεωρουμενον, ὡς πατερα και υἱον και το ἁγιον πνευμα, φυλασσομενης ἑκαστῳ της ἰδιοτητος. Θεον τα τρια συν ἀλληλοις νοουμενα, ἐκεινο δια την ὁμοουσιοτητα, τουτο δια την μοναρχιαν. οὐ φθανω το ἑν νοησαι, δε τοις τρισι περιλαμπομαι. οὐ φθανω τα τρια διελειν, και εἰς το ἑν ἀναφερομαι. ὁταν ἑν τι των τριων φανταζω, τουτο νομιζω το παν, και την ὀψιν πεπληρωμαι, και το πλειον διεφυγεν. οὐκ ἐχω το μεγεθος τουτου καταλαβειν, ἱνα δω το πλειον τῳ λειπομενῳ. ὁταν τα τρια συνελω τῃ θεωριᾳ,*

(1) Orat. XXIV. p. 450.
(2) Orat. XL. p. 639.
(3) *Συμφυια* enim idem valet ac *συμφυης*, quod nomen Hesychio et Suidae est *ὁμοφυης, συγγενης* eiusdem cognataeque naturae.

μιαν ὁρῶ λαμπαδα, οὐκ ἐχων διελειν ἢ μετρῆσαι το φως ἑνιζομενον. « *Unam divinitatem et potentiam, quae in tribus coniunctim invenitur, et tria divisim comprehendit, nec substantiis aut naturis inaequalis est, nec perfectione aut imperfectione augetur vel minuitur, sed undequaque aequalis est, undequaque eadem, non secus ac caeli pulchritudo et magnitudo: trium infinitorum infinitam coniunctionem, Deum unumquemque, si separatim consideretur, ut Patrem sic Filium, ut Filium sic et Spiritum-sanctum, servata sui cuique proprietate, Deum rursum tria haec, si simul cogitentur; illud propter eamdem essentiam, hoc propter unum principatum* (quod videlicet Pater sit ἀρχὴ, e qua Filius et Spiritus-sanctus existunt). *Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cum ad unum statim sublimis feror* (1). *Si unum quidpiam trium menti meae se obiiciat, id totum mihi esse videtur, atque implentur oculi, maiorque etiam pars* (cum unaquaeque persona infinita sit) *oculorum aciem fugit. Huius magnitudinem comprehendere nequeo, ut ei, quod reliquum est, plus tribuam* (2). *Quod si rursus tria haec animi consideratione contraxero, unum splendorem cerno, utpote qui lumen unitum distinguere, aut dimetiri nequeam* ».

XXXIII.

Omnia ad stuporem dicta, sed illud maxime: *Vix unum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo* ». *Singula namque nomina*, uti dudum alexandrinus Dionysius verissime adnotaverat (3), a me prolata (sunt vero nomina Patris, Filii et Spiritus-sancti toties in libris N. T. repetita) *a se invicem nec separari queunt, nec dividi*, ὀνοματων ἑκαστον ἀχωριστον ἐστι, και ἀδιαιρετον. Patrem dixi, *et priusquam Filii*

(1) Ita latinus interpres mordicus inhaerens propriae significationi reddit ἀναφερομαι. Aptius tamen heic vertitur, *referor*, adeo ut sensus sit: *continuo ad unum referor, ac revolvor.*

(2) Ac si diceret, nequeo ceteras personas maiores existimare, quum singulae sint infinitae, et nihil sit infinitum quod non sit *summum magnum.*

(3) Op. cit. §. VIII. p. 93.

mentionem facerem, iam eum in Patre significavi, και πριν επαγαγω τον υἱον, ἐσημανα και τουτον ἐν τῳ πατρι. Filium adiunxi, ac Pater, etiamsi eum non prius nominassem, iam *omnino in Filio comprehensus fuerat, παντως ἀν ἐν τῳ υἱῳ προειληπτο.* Spiritum sanctum addidi, *sed simul unde, et per quem processerit, subtexui, ἀλλ' ἁμα και ποθεν και δια τινος ἡκεν ἐφηρμοσα.* Illi autem (haeretici) ignorant, *neque Patrem, qua Pater est, a Filio alienari posse, ὁτι μητε ἀπηλλοτριωται πατηρ υἱου ἡ πατηρ* (1): *nam illud nomen caussa est evidens cohaerentiae, neque Filium a Patre separari, προκαταρκτικον γαρ ἐστι της συναφειας το ὀνομα, οὐτε ὁ υἱος ἀπῳκισται του πατρος, hoc namque vocabulum Pater communicationem indicat, ἡ γαρ πατηρ προσηγορια δηλοι την κοινωνιαν.* Est et in manibus illorum (Patris et Filii) Spiritus, qui neque a mittente, neque a ferente, divelli potest (2). Quomodo igitur ego, qui talibus utor nominibus, illa a se invicem separata et omnino diversa existimem? »

Ac si diceret, fieri nullatenus potest, ut alteram ac tertiam Trinitatis ὑποστασιν a priori divellam et separem, qui Bibliorum excultus doctrina, ac illius memor formulae, qua in mysticum Christi corpus regenerati inserimur, Deum nominibus complector Patris, Filii, et Spiritus-sancti, quae quum *relativa* sint, ita nexa mutuo sunt atque conserta, ut qui unum protulerit, alterum pariter *adsignificaverit.*

Quare iure suo de fide catholica docuit Hilarius (3), quod « confitendo Patrem, confessa Filium est; credens in Filium, credidit et in Patrem: quia et nomen Patris habet in se Filii nomen; non enim nisi per Filium Pater est: et significatio Filii demonstratio Patris est; quia nonnisi ex Patre sit Filius ». Ac iure quoque suo in arianos invectus ita

(1) Quae loquendi forma a Logicis *reduplicativa* dicta omnino digna est quae animadvertatur.

(2) Cum quibus ista concinunt (in expositione fidei n. 4) Athanasii: Ἀει ἐστιν ἐν ταις χερσι του πεμποντος πατρος και του φεροντος υἱου δι' οὗ ἐπληρωσε τα παντα, *semper est* (Spiritus sanctus) *in manibus Patris mittentis, et ferentis Filii, per quem omnia replevit.*

(3) De Trinit. Lib. VII. n. 31.

loquitur (1) Nazianzenus Gregorius: « *cum Paulo* de rebus divinis dissere . . . . , qui *nonnunquam tres hypostases* connumerat, *μετα Παυλου . . . . , ποτε μεν συναριθμουντος τας τρεις ὑποστασεις*, idque varie, nec nominum ordine servato (2), sed eamdem personam nunc *praenumerans προαριθμουντος*, nunc *connumerans, ἐναριθμουντος* nunc *subnumerans, ὑπαριθμουντος*. Quorsum haec? *ἱνα δηλοσῃ την ἰσοτιμιαν της φυσεως, ut naturae aequalitatem ostendat*. Nonnunquam etiam trium, interdum duorum, aut unius mentionem facit; tamquam videlicet reliquae personae simul sequantur: atque etiam aliquoties Dei operationem Spiritui tribuit, ut nulla in re diverso: aliquoties autem rursum pro Spiritu Christum infert; *quum vero personas distinguit, και ὁτε μεν διαιρει τας ὑποστασεις*, his verbis utitur: *εἱς Θεος ἐξ οὑ παντα, και ἡμεις εἰς αὐτον, και εἱς κυριος Ιησους Χριστος, δι' οὑ τα παντα, και ἡμεις δι' αὐτου: Unus Deus ex quo omnia, et nos in ipsum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. Cum autem unam deitatem colligit, ὁτε δε συναγει την μιαν θεοτητα*, ita loquitur: *ὁτι ἐξ αὐτου, και δι' αὐτου, και εἰς αὐτον τα παντα: quia ex ipso, et per ipsum, et in ipsum omnia*, nimirum per Spiritum-sanctum, ut multis scripturae locis ostenditur. »

XXXIV.

Quum itaque quem superna praefulgente revelatione novimus *unum Deum*, idem sit Pater, Filius, et Spiritus-sanctus; necessaria quadam rerum connexarum illatione conficitur, ita *unam* esse naturam divinam a nobis praedicandam, ut eam triplici hypostasi perfecta, Patre, Filio, et Spiritu-sancto, sine ulla divisione consistere profiteamur; ut, quia non una est hypostasis, non sit solitarius; quia vero eadem est trinae hypostasis natura, unus tantum vere sit ac nominetur Deus. Quod brevissime complexus est Pe-

(1) Orat. XXIV. p. 431.

(2) Quod sane indicium est non obscurum omnimodae aequalitatis.

trus Chrysologus (1) scribens: *Deus solus, sed non solitarius.* Ut enim vehementissime disputat (2) Athanasius: *εἰ δε μη καρπογονος ἐστιν αὐτη ἡ θεια οὐσια, ἀλλ' ἐρημος κατ' αὐτους, ὡς φως μη φωτιζον, και πηγη ξηρα, πως δημιουργικην ἐχειν αὐτον λεγοντες οὐκ αἰσχυνονται; και ἀναιρουντες δε το κατα φυσιν, πως το κατα βουλησιν προηγεισθαι θελοντες οὐκ ἐρυθριωσιν; εἰ δε τα ἐκτος και οὐκ ὀντα προτερον, βουλομενος δε αὐτα εἰναι, δημιουργει και γινεται τουτων ποιητης, πολλῳ προτερον εἰη αν πατηρ γεννηματος ἐκ της ἰδιας οὐσιας· εἰ γαρ το βουλεται περι των μη ὀντων διδοασι τῳ θεῳ, τι μη το ὑπερκειμενον της βουλησεως οὐκ ἐπιγινωσκουσι του θεου; ὑπερανα-βεβηκε δε της βουλησεως το πεφυκεναι και εἰναι αὐτον πατερα του ἰδιου λογου. εἰ τοινυν το προτερον, ὁπερ ἐστι κατα φυσιν, οὐχ ὑπηρξε κατα την ἐκεινων ἐννοιαν, πως το δευτερον, ὁπερ ἐστι κατα βουλησιν, γενοιτ' ἀν; προτερον δε ἐστιν ὁ λογος, και δευτερον ἡ κτισις. ἀλλ' ἐστιν ὁ λογος, καν πλειονα τολμωσιν οἱ ἀσεβεις. Si ipsa divina natura, ut (ariani) putant, fecunda non est, sed sterilis, instar lucis non illuminantis, ac aridi fontis, quo tandèm pacto illos non pudet vim efficiendi Deo adseribere? quomodo non erubescunt, eo sublato quod est ex natura, id velle primum locum tenere quod est ex voluntate? certe si quae extrinsecus sunt, nec prius erant, cum ea esse vult, ipse efficit: multo prius idem pater fuerit fetus ex propria natura oriundi. Si enim Deo voluntatem circa res quae non erant, attribuunt; quare quod voluntate superius est, in Deo non agnoscunt? Voluntate autem superius est, eum ex natura patrem proprii Verbi esse: si igitur id quod prius est, nempe quod ex natura est, non existit, ut stulte illi volunt: quomodo id quod est posterius, quod nimirum est ex voluntate, poterit, quaeso, fieri? Atqui prius est Verbum, posterior res creata. Verum existit Verbum, etiamsi maiora contra moliantur impii* ». Est igitur Deus Trinitas, neque divinae naturae adeo propria est unitas, ut tres in ea (3) consistentes hypostases excludantur.

(1) Serm. LX.

(2) Orat. II. Contr. arianos. n. 2.

(3) Cf. Petrum Blesensem de carit. Dei et proximi cap. XXXIV, et Ludov. Thommasini Tract. II. De SS. Trinit. Cap. III. seqq.

XXXV.

De qua fide in ὁμοούσιον Trinitatem, quam Nazianzenus Gregorius elegantissime appellat (1) suam μελέτημα καὶ καλλώπισμα, *meditationem et decus* affirmare non dubitaverim, ea summam atque cardinem contineri quum christianae religionis, tum illius disciplinae, cui Theologiae nomen factum est, quamque nostris hisce commentariis excolimus. Quod ne cui videar inconsulto atque temere, vel ex ea consuetudine asseruisse, quae dudum invaluit ac late regnat, ut quisque quo potest vehementius extollat ac laudet quae explananda ac vindicanda adgreditur; quam protuli sententiam christianae antiquitatis suffragio, et validissima ad fidem faciendam consensione comprobabo.

Interrogentur ergo patres, ac ab iis, quid de fide in Trinitatem decernant, exquiratur. Omnium primus adest Tertullianus, qui in extremo capite libri contra Praxeam, ea contineri docet *opus Evangelii*, *ac substantiam novi Testamenti*. « Hic (Christus) interim acceptum a Patre *munus* effudit Spiritum sanctum, tertium nomen divinitatis, et tertium *gradum* (2) maiestatis, unius praedicatorem monarchiae, sed et oeconomiae interpretatorem, si quis sermones novae prophetiae eius (3) admiserit, et deductorem omnis veritatis, quae est in Patre, et in Filio, et Spiritu sancto, secundum christianum sacramentum. Ceterum *iudaicae fidei* res, sic unum Deum credere, ut Filium *adnumerare* ei nolis (*scite*, adnumerare, *non* subnumerare), et *post* Filium, Spiritum (4). Quid enim erit inter nos et illos nisi *differentia ista? Quid opus Evangelii*, quae est *substantia novi Testamenti*, statuens legem et prophetas usque ad Joannem, si non exinde Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres crediti, unum Deum sistunt? Sic Deus voluit novare sacramentum, ut nove unus crederetur per Filium et Spiritum, ut coram iam Deus

(1) Orat. XXXII.

(2) *Propter originem, qua est tertius a Patre per Filium.*

(3) *Respicit ad sublesta Montani vaticinia.*

(4) Post, *quia ratus, ac fixus existit inter personas ordo ex origine repetendus.*

in suis propriis nominibus (1) et personis cognosceretur, qui et retro per Filium et Spiritum praedicatus non intelligebatur. Viderint igitur antichristi, qui negant Patrem et Filium. Negant enim Patrem, dum eumdem Filium dicunt; et negant Filium, dum eumdem Patrem credunt, dando illis quae non sunt, auferendo quae sunt. Qui vero confessus fuerit Christum Filium Dei, non Patrem, Deus in illo manet, et ipse in Deo. Nos credimus testimonio Dei, quo testatus est de Filio suo; qui Filium non habet, nec vitam habet. Non habet autem Filium, qui eum alium quam Filium credit.»

XXXVI.

Itaque *substantiam* tollunt novi Testamenti, *opus* subvertunt Evangelii, ac praestitutum divinitus ordinem, ut supremi Numinis cognitio in dies splendidior enitesceret, pessumdant, qui Deum *in suis propriis nominibus*, hoc est, qui Patrem, Filium, et Spiritum sanctum neque corde credunt, neque ore profitentur.

Hinc solemnis apud patres doctrina, indolem ac nativam veluti faciem christianae religionis ea professione contineri, atque situm in ea esse discrimen, quo ecclesiae fides ab *ἀπιστιᾳ* synagogae separatur. Tertullianum audivimus verbis minime dubiis id confirmantem, cui reliqui consentiunt patres.

Ac Basilius quidem, quum de haereticis loquitur a catholica de Trinitate professione dissidentibus, haec (2) habet: *οἱ μεν γαρ ἐπι ἰουδαισμον δια της συγχυσεως των προσωπων, οἱ δε ἐπι ἑλληνισμον δια της των φυσεων ἐναντιοτητος παραφερονται. Nam alii quidem ad iudaismum, ob personarum confusionem, alii contra ad paganismum propter assertam naturarum contrarietatem deferuntur* ».

Neque minus ad rem opportune (3) Nazianzenus Gregorius: » Cum tres sint hoc tempore *περι την θεολογιαν circa*

(1) *Quia ex eo ductis, quod nativum Deo est ac intestinum.*
(2) De Spir. sanct Cap. XXX. n. 77.
(3) Orat. I.

Theologiam morbi, *ἀθεια, και ἰουδαισμος, και πολυθεια*, atheismus, judaismus, polytheismus, quorum primi lybicus Sabellius propugnator fuit, alterius alexandrinus Arius, tertii *τινες των ἀγαν παρ' ἡμιν ὀρθοδοξων*, *quidam e nostris immodice orthodoxi;* quaenam mea ratio est? nimirum, ut quidquid in his tribus noxii est fugientes, intra pietatis metas consistamus, ut neque in Sabellii *ἀθειαν ex hac nova resolutione aut compositione* (*ἐκ καινης ταυτης ἀναλυσεως ἡ συνθεσεως*) devolvamur, non magis omnia haec unum, quam unumquodque horum nihil esse constituentes . . . . ; nec rursus *κατα του Ἀρειου καλως ὀνομασθεισαν μανιαν*, *iuxta Arium, cui concinne a furore nomen est*, (1) naturas secantes *εἰς ἰουδαϊκην πενιαν in iudaicam inopiam* redigamur . . . ; nec denique *τρεις ἀρχας tria principia* inter se opponentes, vel constituentes, *πολυαρχιαν ἑλληνικην gentile multorum imperium* quod fugimus, invehamus». Et (2) postquam, uti par erat, acri censura notavit *την Σαβελλιου συναιρεσιν, και την Ἀρειου διαιρεσιν, και την των νυν σοφιστων ἐντευθεν ὑποδιαιρεσιν*, *Sabellii contractionem, et Arii divisionem, ac huius temporis sophistarum subdivisionem*, continuo adiicit: «Nos unam hanc pietatis regulam nobis propositam esse ducemus, ut Patrem et Filium et Spiritum sanctum *την μιαν ἐν τοις τρισι θεοτητα τε και δυναμιν unam in tribus* (personis) *deitatem et potentiam* adoremus, *μηδ' ὑπερσεβοντες, μηδ' ὑποσεβοντες, nihil supercolentes, nihil subcolentes* . . . . , *το μεν γαρ ἀδυνατον, το δε ἀσεβες, alterum enim fieri nequit, alterum impium est* : neque magnitudinem unam per nominum novitatem discindentes ».

Reliqua missa facio, quae eodem spectantia docent Pseudo-Ignatius in epistolis ad Heronem et ad Antiochenos, No-

(1) Consonant circa Arii nomen quae idem Nazianzenus habet Orat. XX. Ἀρειος ὁ της μανιας ἐπωνυμος, το πολυ της ἐκκλησιας διεσεισε και διεφθειρεν, *ille a furore nomen habens Arius magnam ecclesiae partem concussit et labefectavit.* Videlicet, ut ad h. l. Nicetas. monet: Arius *ἀπο του ἀρεως, a Marte dictus est, pugnacissimo ac furioso daemone.* His gemina de nominibus Manetis atque Ebionis confer penes Eusebium H. E. lib. VII. cap. XXXI., et Epiphanium Heres. XXX. cap. XVII. Immo similia quoque habes I. Reg. XXV. 25.

(2) Orat. XIV. quae est. III. de Pace.

vatianus (1), Gregorius Nyssenus (2), et Ioannes Damascenus (3); atque his orationem absolvo, quae in libro contra Sabellii gregales Athanasio perperam adscripto, atque ad ea plane expresso, quae (4) contra sabellianos Basilius disputat, habentur. Sic ergo (5) Pseudo-Athanasius : « Judaismus gentilitati contrarius est, neutra tamen religio pia, sed utraque extra veritatem consistit . . . . In multis gravibusque rebus iudaei idololatras arguere possunt, ipsisque iusta de caussa crimini vertunt, quod creaturae potius quam creatori serviant. Nec tamen eo, quod impietatem arguant, hinc pie sentire agnoscentur, dum Filium Dei, per quem omnia facta sunt, negant : et dum eos, qui per ipsum Patrem colunt, inductae deorum multiplicitatis insimulant. Quo circa ab ethnicis discessimus, ab iisque segregati sumus, ne impuro idolorum cultui admisceremur: a iudaeorum quoque blasphemia abscessimus, cum Dei Filium confessi sumus, ac effugimus την ὀλεθριον ἀρνησιν του κυριου ἡμων του λεγοντος, *perniciosam abnegationem Domini nostri* (6) *dicentis : Qui autem negaverint me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, qui in coelis est.* Nos porro confitemur τον υἱον ἐκ πατρος, και ἀει μετα του πατρος, *Filium ex Patre esse, ac semper esse cum Patre :* atque illi credimus, qui hoc ait et (7) pollicetur : *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est*».

Iam (8) pergit: « Hoc exemplar cum intueamur, iam segregamur ab iis, qui sub nomine christianismi cum ethnicis sentiunt, audentque ἐργον θεου θεολογειν τε και προσκυνειν, *Dei opificium Deum dicere et adorare.* Segregamur quoque a iudaizantibus, qui christianismum iudaismo corrumpunt : qui ἐκ του θεου θεον, *Deum, qui ex Deo est*, Deum

(1) De Trinit. Cap. XXIII.
(2) Orat. Catech. Cap. III.
(3) De Fid. Orth. Lib. I. Cap. VII.
(4) Hom. XXVII.
(5) N. I.
(6) Matth. X. 33.
(7) Matth, X. 32.
(8) N. 2.

esse negant, *θεον ἑνα παραπλησιως ἰουδαιοις λεγουσιν, Deumque unum quemadmodum iudaei praedicant* : qui non eo dicunt ipsum esse solum Deum, quod solus *ἀγεννητος, ingenitus*, et quod solus *πηγη θεοτητος, fons sit deitatis; ἀλλ' ὡς ἀγονον υἱου, και ἀκαρπον ζωντος λογου και σοφιας ἀληθινης sed quod Filium non genuerit, nec Verbum vivens, veramque Sapientiam produxerit. Λογον γαρ, οἱον τον ἐκ καρδιας ἀνθρωπου νομιζουσι τον του θεου, και σοφιαν ὁποιαν την ἐν ψυχη, Nam Verbum Dei tale existimant , cuiusmodi illud est quod ex hominis corde procedit , et Sapientiam Dei non secus ac illam quae in anima existit* ».

Quare Trinitatis fides tesserae instar censeri debet , qua insigniti ecclesiae filii cum a gentili impietate , tum ab iudaica superstitione infinito propemodum intervallo seiunguntur. Quod ipse etiam christianis infensissimus, licet dudum christianus, ac deinde apostata Julianus Augustus his apud alexandrinum Cyrillum (1) verbis contestatur : « Comparanda sunt ea, quae apud graecos et hebraeos de Numine dicuntur ; tum interrogandi, qui neque graeci, neque hebraei sunt, sed e galilaeorum secta (2), quamobrem suam doctrinam nostrae anteposuerint, sed discessione facta ab illa *ἰδιον ὁδον*, viam peculiarem instituerint, nihil (3) rectum aut honestum fassi eorum, quae vel apud nos graecos sunt, vel apud eos, qui a Mose, hebraeos ».

XXXVII.

Igitur, quod erat consequens, docuerunt Patres, neminem christianorum numero accenseri , qui Deum natura unum , ac personis trinum non sancte confiteretur. Quare Origines in aliquot veluti classes discretis fidei articulis, quorum enucleata fides haud omnibus necessaria est ; verum de fide in Pa-

(1) Contr. Julian. Lib. II. pag, 42-43.

(2) *Hac periphrasi per summam contemptionem christianos designat.*

(3) Cf. Petavium de Trinit. Praefat. Cap. I. §. I. et Georgii Bulli *judicium Ecclesiae Catholic. de necessitate credendi, quod D. J. C. sit verus Dei Filius.* Cap. I. n. 8. seqq.

trem, et Filium et Spiritum sanctum subdit (1), ea neminem carere posse, *qui societur ecclesiae Dei.*

Et sane quemadmodum hac fide per baptismum regenerantur homines, ita primum adiunguntur ecclesiae: hac salutem adipiscuntur: hac omnia perficiuntur sacramenta: atque hac glorificatur Deus, eidem habentur gratiae, precesque offeruntur.

Testimoniis aliquot singula opportune capita comprobabo. En quae Basilius (2) scribit: « *Si mihi vitae initium est baptismus, ac dierum omnium primus est dies regenerationis*; *δηλον ὁτι και φωνη τιμιωτατη πασων ἡ ἐν τῃ χαριτι της υἱοθεσιας ἐκφωνηθεισα*, *perspicuum est, et vocem illam omnium pretiosissimam esse, quae in adoptionis* (3) *gratia prolata est*». Cuiusmodi vero ista vox sit, declarat, quum oratione ad pneumatomachos conversa subdit: « Ipsos hortor, ut inviolatam servent fidem usque ad diem Christi, *και ἀχωριστον ἀπο πατρος και υἱου φυλαξαι το πνευμα, την ἐπι του βαπτισματος διδασκαλιαν ἐν τε τῃ ὁμολογιᾳ της πιστεως διατηρουντας, και ἐν τῃ της δοξης ἀποπληρωσει*, *et indivulsum a Patre et Filio custodiant spiritum, doctrinam baptismatis tum in fidei professione, tum in gloriae persolutione servantes* ». Et (4) paulo post: «Fides et baptisma duo sunt modi parandae salutis *συμφυεις ἀλληλοις και ἀδιαιρετοι*, *mutuo cognati et inseparabiles.* Nam fides *τελειουται*, *perficitur*, per baptismum, baptismus vero *θεμελιουται*, *fundatur*, per fidem, et utraque res *per eadem nomina* *πληρουται*, *impletur.* Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ac praecedit quidem *ἡ ὁμολογια προς την σωτηριαν εἰσαγουσα*, *professio ad salutem perducens*, *ἐπακολουθει δε το βαπτισμα ἐπισφραγιζον ἡμων την συγκαταθεσιν*, *sequitur autem baptisma consignans assensum*

(1) In Levit. Hom. V. n. 3.

(2) De Spir. S. cap: X. n. 26.

(3) *υἱοθεσια* proprie est *adoptio in Filium.* Significatur ergo nos quidem filios Dei fieri, verum *κατα θεσιν και κατα χαριν*, non *κατα φυσιν*, quae illius solummodo dos est, qui *υἱος ἀγαπης, και μονογενης* nuncupatur.

(4) Cap. XII. n. 28.

nostrum ». Tum (1) praecedenti capite : « Quid autem professi sunt, aut quando ? professi sunt, credere se in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctnm, tum quum *ἀποταξαμενοι*, *renuntiantes* diabolo et angelis eius (2) , *την σωτηριον ἐκεινην φωνην*, *salutiferam illam vocem ediderunt* ». Egregie *salutiferam* , nihil enim istis verius quae continuo adiicit : Testificor homini *ὁμολογουντι χριστον και τον θεον ἀρνουμενῳ*, *Christum profitenti*, *et Deum neganti*, quod Christus nihil proderit : *ἢ θεον ἐπικαλουμενῳ* , *τον δε υἱον ἀθετουντι*, *aut Deum invocanti*, *Filium vero spernenti;* quod inanis est illius fides. Item *τῳ το πνευμα παραιτουμενῳ*, *ei qui Spiritum reiicit*, testificor, quod fides eius, qua profitetur Patrem et Filium, irrita erit.

Quae repetita leges cum penes eumdem Basilium (3) ac Nyssenum Gregorium (4), tum penes Athenagoram utroque longe vetustiorem, qui in legatione pro Christianis (5), iniustam ethnicorum querelam de scelesta fidelium vivendi ratione his refellit verbis : « Nos qui hanc vitam minimi ducimus, qui hac una re ad futuram perducimur, si *τον θεον και τον παρ' αὐτου λογον* , *Deum eiusque Verbum* cognoscamus; tum *τις ἡ του παιδος προς τον πατερα ἑνοτης*, *τις ἡ του πατρος προς τον υἱον κοινωνια*, *τι το πνευμα*, *τις ἡ των τοσουτων* (al. *των τριων*) *ἑνωσις*, *και διαιρεσις ἑνουμενων του πνευματος*, *του παιδος*, *του πατρος* . . . . *quae Filii cum Patre unio* , *quae Patris cum Filio communicatio* , *quid Spiritus* ,

(1) Cap. XI. n. 27.

(2) Usu recepta abrenuntiationis formula haec erat Constit. Apost. lib. VII. cap. LXI : Ἀποτασσομαι τῳ σατανᾳ και τοις ἐργοις αὐτου, και ταις πομπαις αὐτου, και ταις λατρειαις αὐτου, και πασι τοις ὑπ' αὐτου. Porro ἀποταξιν continuo excipiebat συνταξις χριστῳ quemadmodum confirmant Chrysostomus in epist. ad Coloss. Hom. VI. Basilius Hom. XIII. Exhort. ad Baptismum, Cyrillus alexandrinus comm. ad Joh. XI. 26., et Ambrosius de Initiandis cap. II. Unde solemnis formula συνταττομαι σοι χριστε . De utroque ritu praeter disciplinae liturgicae scriptores confer Binghamum Orig. Eccl Lib. XI. Cap. VII. §. II. seqq., et Cotelerium in adnot. ad Cap. XLI. Lib. VII. Constit. Apostolic.

(3) De Spir. S. Cap. XII. n. 28.

(4) Orat. XI. adv. Eunom.

(5) N. 12.

quae trium unio, et in unitate distinctio, Spiritus, Filii, Patris . . . . . . tales, inquam, cum simus . . . . , pie vivere non existimamur ? »

XXXVIII.

Igitur neque salus sine fide in Trinitatem obtinetur, neque homines sine hac fide adiunguntur ecclesiae, neque baptisma, Trinitate non invocata, uti par est, confertur. Immo cetera quoque christianae religionis mysteria nonnisi hac invocatione perficiuntur.

Hac perficitur Eucharistia, quemadmodum testis est (1) Justinus : hac absolutio peccatorum, uti Gregorius Nyssenus (2) demonstrat : atque hac reliqua complentur, quibus religio potissimum continetur.

Quod ego non Patrum auctoritate ostendam, sed testimonio comprobabo Theodoti hominis haeretici, qui ex pervulgata ecclesiae doctrina cum alia, tum ista quoque habet in Excerptis (3) penes alexandrinum Clementem: « Insuper panis atque oleum eadem nominis virtute (Trinitatis nimirum, uti series orationis patefacit) *ἁγιαζεται, sanctificantur*, non revera eadem prout apparent quae sunt accepta, *ἀλλα δυναμει εἰς δυναμιν πνευματικην μεταβεβληται, sed virtute quadam in virtutem spiritalem mutantur.* Ad hunc modum *και το ὑδωρ και το ἐξορκιζομενον και το βαπτισμα γινομενον .... και ἁγιασμον προσλαμβανει, et aqua quae exorcizatur et baptisma fit . . . et sanctificationem accipit* ».

Opere autem utar minime necessario si argumentis demonstrare contendero, invocatione Trinitatis preces inchoari, gratiarum actiones absolvi, Deum glorificari. Liturgica quotquot supersunt monumenta id faciunt testatissimum, ac praeclare confirmant, quae penes ecclesiasticos scriptores passim recurrunt (4) *της δοξολογιας* formulae. De quibus haec sunt

(1) Apol. I. n. 65.

(2) Contr. Eunom. Orat. XI. pag. 705. Edit. Morelli.

(3) N. 80-82.

(4) Cf. Basilium De Sp. S. Cap. I., Sozomenum H. E. Lib. IV. Cap. XXVIII, et Theodoritum H. E. Lib. II. Cap. XIX.

commemoratione dignissima, quae in Expositione rectae confessionis (1) Pseudo-Justinus scribit : « Οὐ ἁπλως ἡ προς τον πατερα και τον υἱον δοξολογια την σωτηριαν ἡμιν ποριζει, ἀλλ' ἡ ὑγιης της τριαδος ὁμολογια των ἀποκειμενων τοις εὐσεβεσιν ἀγαθων την ἀπολαυσιν δωρειται, *non simplex Patris et Filii glorificatio salutem nobis conciliat, sed recta Trinitatis confessio bonorum, quae piis reposita sunt, possessionem largitur :* ἐπι και των ἑτεροφρονων ἀκουσεται τον πατερα και υἱον ἀνυμνουντων, ἀλλ' οὐ κατ' ὀρθην ἐννοιαν το σεβας προσαγοντων, *siquidem etiam heterodoxos audiat quis Patrem et Filium celebrantes, sed non secundum rectam notionem cultum exhibentes* ».

XXXIX.

Jamvero quisquis probe teneat quae hactenus adumbravimus, facile illud dabit, quod altero loco proposuimus: sacram disciplinam Trinitatis dogmati superstructam incumbere, adeo ut plane desinat, nisi hoc fixum, immotumque fundamenti instār consistat. Et sane fac sciscíteris a Patribus, quaenam sint illius partes, ac prope dixerim membra, quibus coalescit. Id responsi referes, constare illam θεολογια atque οἰκονομια. Sed neque theologiae, neque oeconomiae ullus esse potest locus reliquus, si individuae atque ὁμοουσιου Trinitatis professio labefactetur.

Non theologiae, insignior namque hujus significatio vocabuli haec est, ut *doctrinam de augusta Trinitate* denotet; cum qua altera ἀμεσως nectitur, ut divinam exprimat *Christi naturam*, et quae de eadem superna edocti revelatione didicimus.

Prioris significationis, ut Patrum aliquot commemorem, testes sunt locupletissimi Athanasius, Gregorius, Nazianzenus, et Photius. Athanasius primum, cuius ista sunt in altera adversus arianos oratione : « Si Verbum non ab aeterno cum Patre est, Trinitas non est aeterna, sed prius quidem unitas erat, postmodum vero ἐκ προσθηκης *ex acces-*

(1) Num. 1.

sione facta est Trinitas, ac labente tempore iuxta eos (arianos) crevit, *και συνεστη της θεολογιας ἡ γνωσις*, *atque cognitio theologiae* (divinae nimirum Trinitatis) constituta est ». Neque abludit Nazianzenus, ut ista probant (1), quae superius etiam adduximus : » Τριων ὀντων περι θεολογιαν ἀῤῥωστηματων, ἀθειας, και ἰουδαισμου, και πολυθειας, *cum tres sint circa doctrinam de Theologia* (de Trinitate) *morbi, abnegatio Dei, iudaismus, et multorum Deorum cultus* ». Consentit (2) Photius inquiens: « *ὡσπερ ἐπι της θεολογιας*, *quemadmodum in theologica doctrina* (3) tres confiteri substantias, multos inducit Deos, *και δια τουτο ἀθεον*, *et propterea atheismum :* ita *μιαν λεγειν ὑποστασιν*, *unam asserere hypostasim*, iudaismum et sabellianismum; eodem modo *και ἐπι της οἰκονομιας*, *et in incarnationis dispensatione*, unicam naturam et hypostasim fingere, manichaeorum delirium est, ac repudiandum: duas autem naturas, et duas hypostases, paulinianistarum et osorum Christi est ».

Ad posteriorem quod attinet significationem, eam plura confirmant. Confirmant patres, quum Evangelium Joannis coelestem nuncupant theologiam, quod in asserenda divina Christi natura potissimum versetur. Atque ita Nyssenus Gregorius (4) scribit, Joannem in Evangelio *κηρυσσειν το μυστηριον της θεολογιας*, *theologiae mysterium* (mysterium scilicet divinitatis Christi) *praedicare*. Eusebius vero (5) monet, Joannem *θεολογιας ἀπαρξασθαι*, *ab asserenda thologia*, Filii nimirum deitate, evangelium *auspicari*. Quod repetit Basilius (6) inquiens: *μελλων ὁ Ἰωαννης παραδιδοναι ἡμιν τα περι της θεολογιας του υἱου του θεου, οὐδεμιαν ἀλλην ἀρχην τῳ λογῳ ἐδωκεν*, *verba facturus Joannes de theologia* (*de natura divina Filii*), *non aliud sermonis exordium sumpsit*. Et Theophylactus (7) Joannes *ἀπο της θεολογιας* incepit. Quare Pseu-

(1) Orat. I.

(2) Epist. XXXIV.

(3) In doctrina videlicet de Trinitate, ut ex iis perspicuum est, quae continuo sequuntur.

(4) Contr. Eunom. Orat. IV.

(5) H. E. Lib. III. Cap. XXIV.

(6) Ad Joh. I. 1.

(7) Praef. in Matth.

do-Dionysius (1) evangelium Joannis nuncupat *ὑπερκόσμιον θεολογίαν*, *coelestem theologiam*, idest colestem de divinitate Filii doctrinam. Unde apparet cur Joannes proprie, ac prae ceteris evangelistis *θεολογός* nominetur: quod nimirum aperte ac insigniter Filii divinitatem expresserit, quam haud adeo diserte reliqui declaraverant.

Confirmant rursum, quum de Christo loquentes, *θεολογιαν* atque *οἰκονομιαν* sic adhibent, ut illa huic opponatur, atque illa divinitatem, haec humanam naturam demonstret. Theodoretus (2): « Oportet nos scire, *τινα μεν της θεολογιας*, *τινα δε της οἰκονομιας ὀνοματα*, *quaenam sint deitatis*, *quae vero incarnationis nomina* ». Gregorius Nazianzenus (3): *μη θεολογια το ὑποκειμενον ἡμιν*, *ἀλλ' οἰκονομια*, *proposita nobis non est doctrina de deitate*, *sed de incarnatione*. Et Damascenus Johannes (4): *Οὐ χρη τα της θεολογιας ἐπι την οἰκονομιαν μεταγειν*, *nefas et*, *quae naturae divinae sunt*, *ad naturam humanam traducere*.

Confirmat denique apertis testimoniis Marius Victorinus (5) scribens: « Epistola ad Ephesios summam illam tenet, quae totius disciplinae semper esse debet, scilicet ut habeant cognitionem *theologiae*, idest *Dei Christi* ». Et mox: » Summa igitur in principio ista est, Christum Dei Filium, et ante mundum fuisse, et semper esse, et ipsum venisse, et in eo spem positam esse, et eius promissa, Dei promissa esse. Quod si ita est, iudaica disciplina longe discreta est, aliter accepta, aliter insinuata, aliter intellecta, sicuti frequenter diximus, et nunc exponimus ». Hinc Isidorus Pelusiota (6) de latronum altero, qui in cruce resipuit, ait: In ipso vitae suae fine peccatorum multitudinem *θεολογιᾳ διωρθωσατο*, *confessione divinitatis Filii* correxit.

(1) De Eccles. Hierarch. Cap. III.
(2) In Epist. ad Hebr. IV. 14.
(3) Orat. XXXVIII.
(4) Orth. fid. Lib. III. Cap. XV.
(5) Comm. in Epist. ad Ephes. Lib. I. Apud Mai Script. Vet. Tom. III. Part. II. pag. 87.
(6) Lib. I. Epist. CCLV.

XXXX.

Age iam, ac tecum ipse reputa, quae esse possit vel de divinis personis doctrina, vel tractatio de earumdem aequalitate, mutuo ordine, ac habitu, quo ex ingenito Patre Filius nascitur unigenitus, ac ab utroque existit Spiritus-sanctus; si Trinitatis articulus revocetur in dubium, aut quod intollerabilius longe est, praefracta audacia negetur.

Rursum tecum ipse reputa, quae esse institutio possit de divina Christi natura, si nullus sit Patri aeternus Filius, sed ipsemet Pater quemadmodum essentia, ita etiam hypostasi unicus sit Deus. Omnino liquet, haec omnia et singula prope in auras soluta penitus evanescere; atque adeo liquet, eam sacrae disciplinae partem, quae *θεολογια* pressius audit, funditus subverti, nisi Trinitatis dogma, inviolatum custodiatur.

Sed ea saltem integra superesit et incolumis, quae *οἰκονομιαν* respicit? nemo id affirmare ausit, qui vim eorum sentiat, quae dicit. Duplex enim secernitur *της οἰκονομιας* acceptio, angustior altera, altera latior: illam his explanat verbis Photius in prima (1) ex quaestionibus ad Amphilochium: *Οἰκονομια δε λεγοιτ' ἀν κυριως μεν ἡ του λογου φρικτη ὑπερ ἐννοιας ἐνανθρωπησις*, *oeconomia vero potissimum dicitur Verbi incarnatio supra omnem intelligendi vim admirabilis.* Et (2) paullo inferius: *Ἐνανθρωπησις, ἡτις και κυριως ἀν και πρωτως οἰκονομια τῳ ἀξιωματι τε και τῳ αἰτιῳ της ἐξ αὐτης λεγοιτο*, *incarnatio, quae praecipue, primitusque ob dignitatem efficiendique virtutem merito dicitur oeconomia.* Ad posteriorem acceptionem ista pertinent (3) Theodoreti: « Homo factus, *και την οἰκονομιαν τελησας*, *atque oeconomia perfecta* (perfecto nimirum salutis nostrae sacramento), in totam terrarum orbem apostolos misit ». Tum ista (4) Chrysostomi: « Unigenitus Filius *την οἰκονομιαν την*

(1) N. 4 Apud Mai Script. Vet. T. I. Part. II. p. 17.

(2) Ibid. pag. 18.

(3) Serm. X. θεραπευτ.

(4) In Psalm. CXIII.

θαυμαστην ἐκεινην και φρικτην ἐπληρωσεν, admirabile illud ac tremendum redemptionis opus complevit ».

Atque hac latiori acceptione, qua *οἰκονομια* denotat totum *redemptionis mysterium*, ea voce pariter utuntur cum Gregorius Nyssenus (1) commemorans *την κατα το παθος οἰκονομιαν*, *dispensationem passionis*, et Hilarius (2) scribens: *oblitus es Mediatoris dispensationem, et in ea partum, cunas, aetatem, passionem, crucem, mortem?* tum Photius, qui (3) sedulo admonet, ne confundamus *οἰκονομιαν και αὐθεντιαν* scribens: *ὁρᾳς ὡς ταυτα παντα οἰκονομιας ἐστιν, ἀλλ᾽ οὐκ αὐθεντιας τα ῥηματα; νοειτο της οἰκονομιας, και διακρινε το της αὐθεντιας, vide ut haec omnia oeconomiae verba sint, non auctoritatis? Adverte igitur quod* (4) *oeconomiae est, atque ab eo, quidquid est auctoritatis, discerne.*

Atqui si e medio tollas Trinitatis articulum, *οἰκονομια* priori accepta sensu inter *ἀδυνατα* recenseri debet. Ecquis enim non arbitretur absurdum, quod Verbum caro fiat, si nuspiam existit Verbi hypostasis? Quis non absurdum censeat ac praeposterum, quod Filius Dei factus sit Filius hominis, si nullum ex propria substantia filium Pater gignit?

XXXXI.

Neque vero potior est *της οἰκονομιας* conditio, si altero eodemque ampliori sensu intelligatur. Quae enim illius propria sunt munia, ab eo impleri solummodo potuerunt, qui Deus simul esset ac homo. Quod Athanasius prae ceteris et affirmat saepius, et probat luculentius.

Brevibus descripto hominum lapsu, quo factum est, ut

(1) Contr. Eunom. Orat. V. pag. 580.

(2) De Trinit. Lib. IX.

(3) L. CLXXXVIII. n. 3. ad Amphilochium. Apud Mai Script. Vet. Tom. I. Part. II. pag. 181.

(4) Cf. Eusebium H. E. Lib. I. Cap. I, et Proem. Lib. II, Petavium De Trinit. Prolog. Cap. I, Svicerum in Thes ad vv. οἰκονομια ac θεολογια, et Pearsonium Vindic. Ignat. Part. II. Cap. I. pag. 344. PP. Apostol. Cotelerii Edit. Antuerp. 1698.

divinae similitudinis gratia spoliarentur, pergit (1): « Quid, quaeso, fieri oportuit? vel cuiusnam opera προς την τοιαυτην χαριν και ανακλησιν *ad huiusmodi gratiam et instaurationem praestandam* necessaria fuit, ἡ του και κατα την ἀρχην ἐκ του μη ὀντος πεποιηκοτος τα ὁλα του θεου λογου, *nisi Dei Verbi, a quo omnia ex nihilo facta primum sunt? ipsius* siquidem erat id quod corruptum erat, incorruptum iterum reddere, et pro omnibus id quod Patrem decebat servare. Λογος γαρ ὢν του πατρος και ὑπερ παντας ὢν, ἀκολουθως και ἀνακτησαι τα ὁλα μονος ἠν δυνατος και ὑπερ παντων παθειν, και πρεσβευσαι περι παντων ἱκανος προς τον πατερα. *Cum enim Patris sit Verbum, et omnibus longe antecellat, solus quoque ipse idcirco universa instaurare poterat, solus idoneus fuit, qui pro omnibus pateretur, et pro cunctis apud Patrem intercederet* ».

Quod deinde inculcans vehementius, postquam decuisse negavit, ut homines divinae imaginis semel participes facti, ea aeternum obruerentur miseria, in quam offenderant, subdit (2): « Quid aliud fieri oportuit, quam illam similitudinem, qua ad Dei imaginem facti sunt, renovari, ut Deum per illam denuo possent homines cognoscere? qui vero istud fieret, εἰ μη αὐτης της του θεου εἰκονος παραγενομενης του σωτηρος ἡμων Ἰησου Χριστου, *nisi ipsa Dei imago Salvator noster Jesus Christus advenisset?* namque per homines id fieri non poterat, ἐπει δε αὐτοι κατ' εἰκονα γεγονασιν, *quandoquidem ipsi quoque ad imaginem (Dei) facti sunt:* neque etiam per angelos, οὐδε αὐτοι εἰσιν εἰκονες, *neque enim ipsi imagines sunt.* Quapropter Dei Verbum per se ipsum advenit, quo, ὡς εἰκων ὢν του πατρος τον κατ' εἰκονα ἀνθρωπον ἀνακτισαι δυνηθῃ, *ut imago Patris hominem ad imaginem factum reficere posset* . . . . Nemo igitur alius ad id negotii fuit idoneus, nisi sola imago Patris ».

Cui quidem sententiae vim, firmitatemque adiicit in altera contra arianos oratione (3) scribens: « Nam si creatam

(1) De Incarnat. Verbi Dei n. 7.
(2) Ibid. n. 13.
(3) N. 67.

cum haberet (Filius) naturam, factus postea fuisset homo; idem profecto quod antea mansisset hominum genus, *οὐ συναφθεὶς τῷ Θεῷ, neque cum Deo coniunctum* fuisset. Qui enim *ποίημα ὢν διὰ ποιήματος συνήπτητο τῷ κτίστῃ, res facta per rem factam cum creatore coniungeretur?* aut quid auxilii similibus conferri a similibus posset, *δεομένων καὶ αὐτῶν τῆς αὐτῆς βοηθείας, cum ipsa eodem auxilio indigeant?* quo vero pacto, si Verbum res creata esset, *τὴν ἀπόφασιν τοῦ Θεοῦ λῦσαι δυνατὸς ἦν, καὶ ἀφεῖναι τὴν ἁμαρτίαν, posset Dei sententiam abrogare, peccatumque dimittere,* cum hoc Dei proprium esse scripserint prophetae? nam (1) *quis Deus similis tui, qui aufers peccata, et transcendis iniquitates?* . . . . verum ipse solvit Dominus, ut quidem ipse (2) ait: *Nisi Filius vos liberaverit,* vereque ostendit Filius liberator se nec creatum nec factum esse, *ἀλλὰ ἴδιος λόγος, καὶ εἰκὼν τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας, τοῦ καὶ κατὰ τὴν ἀρχὴν ἀποφηναμένου καὶ ἀφιέντος μόνου τὰς ἁμαρτίας, sed proprium Verbum, ac imaginem paternae substantiae, quod initio sententiam tulerat, ac solum peccata condonat.* Ἐπειδὴ γὰρ εἴρηται ἐν τῷ λόγῳ, γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, ἀκολούθως δι' αὐτοῦ τοῦ λόγου καὶ ἐν αὐτῷ ἡ ἐλευθερία καὶ ἡ λύσις τῆς κατακρίσεως γεγένηται, *Cum enim in Verbo dictum fuerit* (3), Terra es et in terram reverteris, *valde congruenter per idem ipsum Verbum, atque in ipso libertas et solutio damnationis facta est* ».

Ea igitur est *οἰκονομία*, quae divelli a *Θεολογία* nequit, eaque adscribuntur oeconomiae, quae sicuti theologiam complectuntur, ita quasi porrecta manu ad illam necessario ducunt. Quare iure optimo scripsit (4) Georgius Bullus: « Ut taceam N. T. loca, quae *Θεολογίαν* Filii immediate respiciunt . . . . , etiam ea, quae de *οἰκονομίᾳ* eius dicuntur, quaeque ad ipsius sive officium, sive honorem pertinent, qua Messias, Christus, et Mediator noster est, certe plusquam hominem, aut creaturam sonant. *Οἰκονομία*, quae ipsi tri-

(1) Mich. VII. 18.
(2) Joh. VIII. 36.
(3) Gen. III. 19.
(4) Judic. Eccles. Cathol. etc. Cap. I. §. 13.


buitur, θεολογιαν necessario (ut loquuntur) praesupponit, ipsamque omnino statuit. Quid enim? Messiam sive Christum praedicant sacrae nostrae literae, et credere nos profitemur omnes, qui sit animarum sospitator; qui nobis sit *sapientia*, *iustitia*, *sanctificatio ac redemptio*, hoc est, nos sapientes, iustos, sanctos, ac tandem perfecte beatos efficiat; qui preces suorum, ubivis sacrosanctum eius nomen invocantium, illico exaudiat, adeoque omnipraesens, omniscius et καρδιογνωστης sit; qui ecclesiae suae, per universum terrarum orbem disseminatae, semper praesto sit, ac vi sua omnipotente ita eam tueatur ac protegat, ut contra ipsam nihil terrae potestates, nihil inferorum portae quicquam valeant, qui Deo Patri συνθρονος et in eadem sede collocatus sit, non modo ab hominibus . . . , sed ab ipsis angelis atque archangelis, atque universo orbe supercaelesti, divino cultu adorandus; immensa gloria ac maiestate refulgens, angelis ministris stipatus, veniet orbem iudicaturus, non modo facta omnia, sed et cordis secreta omnium, quotquot umquam fuere, hominum in lucem proditurus, inimicos suos ad Tartarum usque relegaturus, ipsius obsequentes, non opibus, non honoribus, non voluptatibus terrenis, sed coelesti gloria, vitaque ipsa aeterna donaturus. Haeccine omnia in purum hominem aut creaturam posse competere? Fidenter dico, qui ita sentiat, eum non modo contra fidem, sed et rationem ipsam insanire ».



DE NOMINIBUS

ABSOLUTIS ET COMMUNIBUS, ITEMQUE PROPRIIS AC RELATIVIS, QUUM DE DIVINA TRINITATE SERMO EST, VEL QUOD EODEM PERTINET

περι ἡνωμενης και διακεκριμενης Θεολογιας.



ARGUMENTUM:

Quae de divina Trinitate efferuntur vocabula, in duplici differentia versantur, quum alia communia sint et absoluta, alia propria ac relativa : — ostenditur instituta analysi illius conceptus, qui Trinitatis nomini subiici debet, I : — IV : — confirmatur Theologorum consensione, IV : — postremo Cardinalis de Aguirre, VI : — accedunt in eamdem sententiam oecumenica concilia, VII : — recepta apud Christianos symbola, VIII : — orthodoxorum Patrum testimonia, II : — et gravissima quae saeculo IV. Catholicos inter ac Eunomianos controversia exarsit, X : — eodem pertinent disputationes in florentina Synodo ab Joanne Latinorum Theologo et Bessarione nicaeno antistite habitae, XI : — eodem quae praeclare docent Anonymi ab em. Mai editi, quaeque Pseudo-Justinus explanat, XII : — eodem quae subtiliter Augustinus edisserit, et quorum summa haec est, quae de augusta Trinitate dicuntur ita dispesci oportere, ut alia ad se ac substantialiter, alia ad aliquid ac relative efferantur, XIII — XVIII : — ac eodem quoque pertinet solemnis partitio in Theologiam unitam ac distinctam, XVIII: — nobiliores huius partitionis auctores, Dionysius, Maximus, Damascenus et Pachymeres recensentur, XVIII : vis ipsa partitionis explicatur, XVIII — XXIII : — ex eaque colligitur, Trinitatis hypostases nonnisi relationibus differre, ac verissimum esse Scholae axioma, ea solum in Deo secerni, quae relationibus opponuntur, XXIV.

I.

Quum ad divinam Trinitatem animum convertimus, duo se illico obiiciunt mutuo distincta, et quae nemo sine flagitio perturbet ac commisceat. Primum enim notitia collustramur *unius divinae essentiae* (1), *unius divinitatis* (2), *unius dominationis* (3), *unius summi, inaccessi, et ineffabilis luminis* (4), ac *unius* (5) *potentiae*. Cernimus deinde, ac promotis veluti gressibus in notitiam devenimus *unius eiusdemque essentiae*, quae (6) *in tres hypostases dilatatur, eiusdem divinitatis*, *quae* (7) *in Patre, Filio, et Spiritu sancto, cognoscitur et adoratur, eiusdem dominationis, quae* (8) *tribus inest hypostaticis sanctitatibus, eiusdem luminis, quod* (9) *in Patre, Filio et Spiritu sancto emicat ac resplendet, eiusdem* denique *potentiae, quae* (10) *in tribus distinctis, sed non divisis coniunctim invenitur*. Cernimus nimirum, orthodoxam de divina Trinitate doctrinam ἀκριβῶς comprehendisse Johannem Damascenum, quum (11) scripsit: « Unum esse Deum, unamque divinam substantiam, sed quae γνωρίζεται καὶ ἔστιν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν, *agnoscitur ac existit in tribus hypostasibus*, Patre, et Filio, et Spiritu sancto; adeo ut Pater, et Filius, et Spiritus sanctus κατὰ πάντα ἕν, *omnino unum sint*, πλὴν

(1) Greg. Naz. Orat. XL. pag. 668. Edit. Paris. 1630: *την μιαν Θεοτητα.*

(2) Pseudo-Justinus in Exposit. Fidei, n. 7.

(3) *τας τρεις ἁγιοτητας εἰς μιαν κυριοτητα.* Greg. Naz. Orat. XXIV. pag. 430.

(4) Gregor, Naz. Orat. XL. pag. 639: *φως το ἀκροτατον, και ἀπροσπον, και ἀῤῥητον.*

(5) Id. Ibid. pag. 668.

(6) Dionys. Alex. Edit. Rom. 1796. pag. 94. §. IX: *εἰς τε την τριαδα την μοναδα πλατυνομεν.*

(7) Pseudo-Justin. l. c.

(8) Greg. Naz. Orat. XXIV. pag. 430.

(9) Gregor. Naz. Orat. XL. pag. 639.

(10) Greg. Naz. Orat. XL. pag. 668: *την μιαν θεοτητα τε και δυναμιν ἐν τοις τρισιν εὑρισκομενην ἑνικως, και τα τρια συλλαμβανουσαν μεριστως.*

(11) De Fide Orthod. Lib. I. Cap. II. Quibus ea praeclare consentiunt quae habet in epistola ad Jordanem Archimandritam *περι του τρισαγιου ὑμνου*, §§. II. seqq.

της ἀγεννησιας, και της γεννησεως, και της ἐκπορευσεως, *excepta ingeniti, generationis, et processionis proprietate* ».

II.

Jamvero quod unicum est, quum tribus insit, notam του κοινου, *eius quod est commune*, exhibet : quod autem multiplex est, quum non tribus ἀδιαφορως, *indifferenter*, sed singulis nominatim competat, characterem του ἰδιου, *eius quod proprium est*, repraesentat. Complexa est igitur divinae Trinitatis ἰδεα, ac in duplicem conceptum, tum illius quod commune est, cum illius quod est proprium, suapte sponte resolvitur.

Atqui quod priori respondet conceptui, absolutum est, et ab omni oppositionis relatione expeditum : quod vero respondet alteri, σχετικον est , atque *habitudinem* oppositionis praesefert. Complexa ergo Trinitatis ἰδεα duplici absolvitur conceptu, illius primum quod commune est ac absolutum, illius deinde quod proprium est ac *relativum*.

III.

Porro quae est verissima Aristotelis doctrina (1) , quam Thomas (2) repetit ac sequitur : « Voces sunt signa intellectuum, et intellectus sunt rerum similitudines ; unde voces referuntur ad res significandas mediante conceptione intellectus ». Quum igitur duplex secernatur de divina Trinitate conceptus, absolutus alter atque communis , alter proprius ac relativus ; in duplici quoque differentia sint nomina oportet, quibus quae ad Trinitatem pertinent, significentur. Alia videlicet communia sint atque absoluta oportet, alia propria ac relativa ; illa ad μοναρχιαν efferendam (3) accomodata ,

(1) In I. Periherm. Cap. I.

(2) I. p. q. XIII. a. I.

(3) Basil. De Spir. sanct. Cap. XVIII. De qua divina monarchia, eiusque sincera notione non minus paeclare disserit alexandrinus Cyrillus ἐν τῳ περι πνευματος λογῳ προς Ἑρμειαν, ac ex eo in commemorata epistola Damascenus inquiens §. XXVIII: Μονας γαρ ἀπ᾽ ἀρχης εἰς δυαδα κινηθεισα, μεχρι τριαδος ἐστη· ἀρχη γαρ των ὀντων και αἰτια ὁ θεος. ἐκ της ἀρχης οὐν και

haec eo spectantia, ut enuncietur *οἰκονομια*, quae numerum facit, quae unitatem in Trinitate disponit, ac per consertos et connexos gradus a Patre decurrens tres efficit cohaerentes.

IV.

Hanc conceptuum, et nominum, quae illis respondent, partitionem *legitimam* esse, *realem*, et quae adduci in dubitationem nequeat, plura sunt quae ostendunt. Ac imprimis ea ipsa ostendit analysis, qua Trinitatis ideam enucleavimus, ac prope articulatim digessimus. Si enim, uti par est, intelligi Trinitas nequit, quin simul animo concipiantur tum quod commune est tribus, nullaque oppositionis relatione affectum, tum quod proprium inest singulis, ac *οὐσιωδως* relativum est; neque verbis efferri poterunt, quae ad illius spectant professionem, nisi nomina cum absoluta et communia, tum propria ac relativa usurpentur.

Unanimis accedit consensio theologorum, qui hanc partitionem iisdem, vel geminis omnino vocabulis exponunt ac tuentur. Horum ego prolixam seriem non dabo; veteri namque proverbio obtemperandum est, ne testibus abutaris minime necessariis; solum aliquot recensebo, sed omni maiores exceptione, quique omnium nomine non iniuria audiantur. Thomas itaque de ea quaestione, *Si trium personarum est simplex natura, unde ergo tres personae distinguuntur?* sic decernit (1): « Considerandum est, quod quidquid in divinis absolute dicitur, commune est et unum in tribus personis (*en, absolutum, commune, unum*, synonima sunt), sicut quod dicitur Deus, bonus, sapiens, et omnia huiusmodi. Ibi enim

της των ὀντων αἰτιας ἐλαβεν ἀριθμος ταυτην την δυναμιν, ὁτι ὡσπερ ὁ πατηρ γεννητωρ υἱου, και προβολευς πνευματος, οὑτως και ὁ ἀριθμος εἰς δυαδα ἐρχομενος, και καταντων μεχρι τριαδος ἱσταται, ***unitas quippe a principio in binarium progrediens atque ad ternarium perveniens, in eo sistit. Principium enim et caussa eorum quae sunt, Deus est. Quare ex principio et caussa eorum quae sunt, hanc vim numerus accepit. Quia nimirum sicut Pater Filii genitor et Spiritus productor est: sic etiam numerus ad binarium progrediens et usque ad ternarium perveniens, in eo constitit.***

(1) Opusc. XXIII.

solum invenitur distinctio, ubi aliquid invenitur pertinens ad relationem originis (*distinctum ergo*, *multiplex*, *relativum* sibi mutuo respondent), quia scilicet Pater a nullo est, et secundum hoc innascibilis dicitur. Filius autem dicitur Filius, quia a Patre est per generationem, secundum illud (1): *Ego hodie genui te*, et secundum hoc Patri attribuitur paternitas, et Filio filiatio. Spiritus autem sanctus ab utroque procedit, et secundum hoc Spiritui sancto attribuitur processio, Patri vero et Filio communis spiratio, quia scilicet communiter spirant Spiritum sanctum. Sic igitur *quinque* sunt *notiones*, secundum quas distinctiones personarum designantur in divinis, scilicet *paternitas*, quae est *constitutiva* Patris, per quam ostenditur quod genuit Filium, *filiatio*, per quam ostenditur quod Filius est a Patre, et *processio*, per quam ostenditur quod Spiritus sanctus est a Patre et Filio. *Innascibilitas* per quam *dignoscitur* quod Pater a nullo est, *communis spiratio* per quam ostenditur, quod Pater et Filius communiter spirant Spiritum sanctum ». Et alibi (2) inde probat, *divinam essentiam non esse distinctam in tribus personis, quod in divinis ex hoc aliquid est distinctum, quod est generans, vel genitum vel procedens*. Sed nomina generantis, geniti, et procedentis habitudinem originis exhibent, ac id notant, quod proprium est, ac singulis competit nominatim personis. Quae ergo originis habitudine non sunt implicita, ea communia sunt, ac nullomodo distinguuntur. Sed quae absoluta nominamus, nihil habent cum eiusmodi habitudine affinitatis et commercii. Ergo quae dicuntur absoluta, ea communia sunt, neque pro personarum numero distinguuntur. Quae autem Deo insunt, eidemque ab aeterno competunt, alterutra classe necessario continentur. Ea igitur partitio, qua divinas dotes in absolutas et communes, itemque proprias ac relativas secernimus, id complectitur totum, quod Deo inest, eidemque ab aeterno competit. Quare divisio, quam explanamus, non *legitima* solum est ac *realis*, verum etiam *completa* et *adaequata*.

(1) Ps. II.
(2) Opusc. XXIV.

V.

Succedit Dionysius Petavius, quem uni Thomae secundum non immerito dixeris, quique (1) haec habet rei illustrandae opportunissima. » Sciri illud imprimis convenit, quidquid de sanctissima Trinitate vel cognoscendo capitur, vel dicendo a nobis explicatur, ad duo fastigia pertinere. Nam quaedam Deo ipsi per sese tribuuntur, ac sunt communia personis tribus: quaedam privatim unicuique conveniunt, per quae invicem discernuntur ac discrepant. Primum genus naturam ipsam complectitur, sive essentiam, quam graeci οὐσιαν et φυσιν vocant; tum absolutas et ab omni respectu liberas velut affectiones, quas *perfectiones*, et *attributa* moris est dicere, ut sunt immensitas, aeternitas, bonitas, sapientia, iustitia. Posterius *personales*, ut vocant, *proprietates* ac *notas*, quas vulgo *notiones* appellant. Graeci variis utuntur nominibus. Vocant enim (2) ἰδιωματα, (3) γνωρισματα, vel γνωριστικας ἰδιοτητας (4), σημεια, ἰδιαζοντας χαρακτηρας, vel το ἰδιαζον των χαρακτηρων, et γνωριστικα της κατα την φυσιν ἰδιοτητος σημεια, vel το ἰδιαζον του ἑκαστου σημειον, vel της ἑκαστου ὑπαρξεως σημειον, et το ἰδιαζοντως ἐπιθεωρουμενον, hoc est, *notas* et *characteres, sive formas* vel *propria signa, quibus distinguuntur invicem personae,* et *una ab alia dignoscitur*: quae omnia Basilius usurpavit in Epistola XLIII. Gregorius Nyssenus (5) γνωριστικα των ὑποστασεων ἰδιωματα vocat. Alii (6) χαρακτηριστικα της ἰδιας ὑποστασεως, aut (7) ἰδιοτητας των ὑποστασεων. Item (8) προσωπων ποιοτητας, *personarum qualitates.* Alias (9) τα ἐπουσιωδη, *quae ad essentiam velut adiuncta sunt.* Dicitur et σφραγις, hoc est, *sigil-*

(1) In Procm. Lib. IV. de Trin. §§. II. seqq.
(2) Basil. II. Contr. Eunom. pag. 70. Leontius de Sect. init.
(3) Basil. l. c.
(4) Basil. Epist. XLIII.
(5) I. Contr. Eunom. pag. 13.
(6) Damascen. De Fid. Orth. Lib. I. Cap. X.
(7) Chrysost. Hom. V. de Incomprehen.
(8) Isidor. Pelus. Lib. II. Epist. CXLII.
(9) Damasc. In Dialect. Cap. V., et Abucara Opusc. XXVIII.

lum libro de Expositione fidei, qui Justino tribuitur. Theodorus Abucara (1) nominat ὁριστικας ἰδιοτητας, *determinantes proprietates*.. Basilius quoque (2) μορφας, idest, *formas* aut *figuras* his verbis : *Nam proprietates, notae quaedam et formae, quae in substantia considerantur*, χαρακτηρες τινες και μορφαι ἐπιθεωρουμεναι τῃ οὐσιᾳ, *dividunt quod est commune propriis characteribus, at eiusdem communionem substantiae non discindunt*, διαιρουσι μεν το κοινον τοις ἰδιαζουσι χαρακτηρσι, το δε ὁμοφυες της οὐσιας οὐ διακοπτουσι. Eodem modo Tertullianus (3) *formas* nominat proprietates personarum et species.

Eiusmodi sunt proprietates illae, quae σχετικαι dicuntur, et των προς τι, *relativas* latini vocant, ex quibus personae sive hypostases aut constituuntur, aut certe dignoscuntur et explicantur. Ac tametsi interdum universe τα ὑποστατικα, proprietates eae nuncupantur, quae a priori genere distant, quod οὐσιωδεις continet et absolutas: nihilominus a quibusdam proprietates istae personarum bifariam scinduntur. Quaedam enim ὑποστατικα vocantur ἰδιωματα, hoc est *proprietates*, *quae maxime propriae sunt personarum, et eas constituunt*, ut ait Calecas (4); velut *est paternitas, quae personam Patris subsistentem facit*. Aliae sunt, quae tantummodo designant, et dignosci faciunt personam aliquam, sed non constituunt; verum constitutae iam quodammodo accidunt, ut *ingenitum* esse, quod ceteroqui, cum negatio sit, ut idem scribit Calecas, personam efficere non potest. Tum quae ab latinis *activa spiratio*, graecis προβολη dicitur, quae *personalis* quidem proprietas est, sed non ὑποστατικη, vel συστατικη. Itaque (5) *tres sunt omnino proprietates, quibus persona Patris afficitur, ingenitum esse, Patrem esse, nec non spirantem vel producentem*, ἀγννητον εἰναι, και πατερα, και πνεοντα ἡ προβολεα; *ex quibus ingenitum, quod principii expers significat, etsi hoc*

(1) Opusc. II.

(2) Contr. Eunom. Lib. II. pag. 70.

(3) Advers. Praxeam Cap. II.

(4) Libr. contr. Graec. Cap. XXXVIII.

(5) Calecas ibid.

ipso Pater a Filio et Spiritu sancto discernitur (διακρινεται), *non constituit personam Patris*, του πατρος οὐχ ὑφιστητι προσωπον, *sed eam tantummodo designandi vim habet, et est nota, quae illam iam subsistentem sequitur, velut propria simpliciter*, σημαντικον δε μονον, και γνωρισμα αὐτου ἐστι ἠδη ὑφεστηκοτι ἑπομενον, ὡς ἰδεον ἁπλως. Demum remotis ceteris, solam paternitatem ὑποστατικον esse ἰδιωμα concludit Calecas; sicut Filii personam costituit υἱοτης, latini *filiationem* nominant, alii *filieitatem*, ut inter alios (1) Rathramnus Corbeiensis. Latini theologi proprietates utrasque personarum *notiones* appellare solent: atque ita videri posset Augustinus nominare, dum (2) sic scribit: *Alia notio est, qua intelligitur genitor, alia, qua ingenitus.* Verum *notio* hic communi significatione pro ἐννοια et intelligentia sumitur: quasi dicat, alia ratione intelligi, et cogitatione percipi.

Et eius tamen auctoritate *notiones* suas scholastici theologi non male statuerunt, quas ita definit sanctus Thomas (3), ut sit *notio id, quod est propria ratio cognoscendi divinam personam*. Cuiusmodi quinque esse vult: *innascibilitatem, paternitatem, filieitatem, communem spirationem, quam vocant activam spirationem, et processionem*, quae *passiva spiratio* dicitur. Graece ita nuncupantur (4), ἀγεννησια, πατροτης, υἱοτης, προβολη, ἐκπορευσις. Ex quibus σχεσεις, sive *relationes* esse quatuor postremas observat idem: tres autem *personales*, idest, ὑποστατικας, quae totidem personas constituunt, suntque *paternitas, filietas, processio*; reliquae duae *personarum notiones*, non *personales* appellantur, quoniam personae non constant ex iis, etsi ad illarum intelligentiam spectant, et sunt *ingenitum* ac spiratio, vel προβολη.

(1) De Spiritu sancto lib. III.
(2) De Trinit. Lib. V. Cap. V.
(3) P. I. q. XXXII. art. III.
(4) Damasc. D. Fid. Orth. Lib. I. Cap. IX. seq.

VI.

Ut autem, quod est in Bibliis (1), *in ore*, ac *oratione* (2), *duorum* vel *trium* testium σταθῇ παν ῥημα, *stet omne verbum*, negotium ac res omnis, et caussa de qua agitur; Thomae ac Petavio Cardinalem de Aguirre subtexam, qui (3) scite monet, quae adhibentur de divina Trinitate loquendi formas, referri omnes sive ad ἑνωσιν, *unitatem*, sive ad διαιρεσιν, *distinctionem*. Quod Tertulliani (4) significabimus verbis, si dixerimus, referri omnes vel ad μοναρχιαν, vel ad οἰκονομιαν. Sed ἑνωσις, *unitas* ac μοναρχια, quod commune est ac absolutum complectuntur: διαιρεσις, *distinctio* contra et οἰκονομια, quae disponit unitatem in Trinitate, quod proprium est, designant, progressumque exprimunt, qui ex Patre oboritur, ac per Filium decurrens sistit in Paracleto. Igitur tam quae de divina Trinitate mente intelligimus, quam quae de illa efferre verbis possumus, aut communia sunt atque absoluta, vel eorum, quae propria et relativa audiunt, genere censentur.

VII.

Haec porro theologorum suffragio comprobata doctrina, eiusmodi non est, quam pro animi voluntate sequaris aut repudies. Illius enim disertam professionem plura sunt, eaque minime dubia, quae exposcunt. Exposcit ipsum Scholae concors suffragium, cui, quum de rebus agitur ad divinam religionem pertinentibus, nemo impune refragetur. Exposcunt concilia et symbola, atque sua testificatione exposcunt patres.

Ac ut de conciliis principio dicam, me sane fugit, quid in rem praesentem desiderari possit illis manifestius, quae auctoritate synodi lateranensis IV. sancita sunt. Decrevit namque synodus (5), Trinitatis quem informamus conceptum his propemodum absolvi atque finiri: contemplatione primum

(1) Deut. XIX. 15. coll. Matth. XVIII. 16.

(2) Matth. XV. 8.

(3) De Trinit. Tract. IV. Disp. LVI. Sect. III. n. 18.

(4) Advers. Praxeam Cap. II.

(5) Cap. *Firmiter* de Summa Trinitate et Fide Cath.

unius summae rei incomprehensibilis et ineffabilis , quae sola est universorum principium , quaeque neque *generat* , neque *gignitur* , neque *procedit* : contemplatione deinde *Patris*, *qui generat*, *Filii*, *qui gignitur*, *et Spiritus-sancti*, *qui procedit* , *ita ut distinctiones sint in personis*, *et unitas in natura*. Sed prioris contemplationis *obiectum* absolutum est, atque tribus commune ; illa namque summa res *veraciter est Pater et Filius et Spiritus-sanctus , tres simul personae* , *ac singulatim quaelibet earumdem* ; *materies* vero alteri contemplationi subiecta, eorum circumscribitur ambitu , quae propria et relativa nuncupantur ; proprium namque ac relativum denotant, *Pater qui generat*, *Filius qui gignitur*, *et Spiritus-sanctus qui procedit*. Ergo conceptus iuxta ac de Trinitate sermo alterutrum necessario exhibet, vel quod absolutum est ac commune, vel quod proprium est atque relativum.

VIII.

Cui confirmandae veritati symbola ad unum omnia aptissime conferunt. Ecquid enim est , quod in illis nos credere profitemur ? videlicet (1), *unum esse Deum universorum principium*, *creatorem omnium invisibilium et visibilium*, *spiritualium et corporalium*, *qui sua omnipotenti virtute simul ab initio utramque de nihilo condidit creaturam*, *spiritualem et corporalem*, *angelicam videlicet et mundanam* , *ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam* : tum

(1) Deprompta haec sunt a celebrioribus Ecclesiae symbolis , nicaeno , constantinopolitano, lateranensi, illisque plane concinunt, quae in expositione et Declaratione Fidei ex arabico codice a Lequienio primum edita Ioannes Damascenus complexus est, inquiens: « Credo in unum Deum, principium unum sine principio (quibus verbis origo *monarchiae* declaratur), substantiam unam, . . . sempiternum, increatum, ... omnia curantem, . . . unum in tribus personis, cujus substantia una, voluntas una, actio una, potestas una, dominatus unus, regnum unum, in personis tribus agnitum, sine divisione, confusione et permixtione, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, citra contractionem et confusionem; ut nempe Pater non sit Filius, nec Filius Pater , nec Spiritus sanctus Pater aut Filius ».

vero hunc Deum esse Patrem, qui generat: esse Filium *natum de Patre, hoc est, de substantia Patris, et unius substantiae cum Patre: esse Spiritum-sanctum, qui ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio, ut unica spiratione procedit.* His Θεολογια constat, neque ulterius excurrit: horum autem professione ita asseritur *μοναρχια*, ut *της οἰκονομιας*, quae dirigit Patrem, Filium, et Spiritum-sanctum, status protegatur. Sed nihil nisi absolutum, tribusque commune praefert fides in unum Deum omnipotentem: nihil nisi relativum et proprium fides in Patrem gignentem, Filium unigenitum, et Spiritum-sanctum procedentem. Universa ergo Θεολογια atque de Deo fides ac professio vel quod commune est ac absolutum respicit, vel circa proprium, relativumque versatur.

IX.

Quod patres et ecclesiae scriptores non una ratione ostendunt atque declarant. Huc enim imprimis pertinet Maximi doctrina (1), qui, ea animadversione praemissa, neque *ὁλως* neque *κυριως*, sed solum *καταχρηστικως*, *per abusionem de ingenita, et unius principatus natura* efferri *ποιοτητα*, *qualitatem, quum simplex omnino sit, neque ἐξ ουσιας και συμβεβηκοτων concrescat*, continuo subdit: *qualitates omnes, denominationesque* ad *φυσικην ποιοτητα και ὑποστατικην*, *ad naturalem et hypostaticam qualitatem revocari: ad illam pertinere absoluta omnia*, ut *το πανσθενες*, *omnigena sanctitas, fortitudo, . . .* ad hanc vero, *πατρος μεν το ἀγεννητον, υἱου δε το γεννητον, και πνευματος ἁγιου το ἐκπορευτον, ἠγουν ἀγεννησιαν, και την γεννησιν, και την ἐκπορευσιν, ἁπερ και ἰδιοτητας ὀνομαζουσι, δια το μονον αὐτῳ και οὐκ ἀλλῳ προσειναι ταυτα φυσικως ἡ ὑποστατικως, Patris quidem ingenitum, Filii autem genitum, Spiritus-sancti procedens, idest innascentiam, et nativitatem, et processionem, quas etiam proprietates vocant. quod*

(1) Opusc. Theolog. et Polemic. Pag. 135. Opp. Tom. II. Edit. Combefisii.

illi soli non alii insint naturaliter aut hypostatice. Quae igitur de Deo cogitando intelligimus, ad haec duo fastigia, supremaque capita redeunt (1): ad divinam imprimis naturam, tum vero ad eas dotes, quas mentis ἐπινοίᾳ ab illa distinguimus, et quarum haec est completa distributio, ut *naturales* aliae sint, aliae *relativae* ac *hypostaticae.* Jamvero conceptibus vocabula respondent, neque haec illis latius patent, aut patere possunt. Omnia igitur quae de Deo usurpantur vocabula, eo necessario pertinent, ut vel naturam exprimant, naturalesque dotes, vel relativas et hypostaticas proprietates significent. Sed quae priori constant genere, communia sunt ac absoluta; relativa autem ac propria, quae posteriori comprehenduntur. Vocabulorum ergo, quae de Deo adhibentur, partitio in communia et absoluta, ac propria et relativa, suum adamussim repraesentat obiectum.

X.

Neque vero sint, qui arbitrentur, haec, utpote levioris momenti, non esse cur tantopere inculcentur. Summo namque in pretio habenda esse, probat non obscure acerrima contentio, quae saeculo IV. eunomianos inter ac orthodoxos exarsit. In controversiam veniebat non unum alterumque consectarium, sed ipsa chriastianae rei summa: utrum Dei Verbum Patri ὁμοούσιον, vel eidem ἑτεροούσιον credi oporteret. Hoc posterius, Aetio, Eunomioque ducibus, tuebantur arianorum pessimi, quibus ab assertae haereseos indole anomoeorum denominatio facta est: illud vero strenue propugnabant orthodoxi, eaque in pugna, nobilissimum par fratrum, editis adversus Eunomium operibus, Gregorius Nyssenus et Basilius prae ceteris inclaruere. Sed quibus se potissimum armis defendebant haeretici, suamque perfidiam communiebant? quae reliqua sunt illius disceptationis ecclesiastica monimenta ostendunt, vim omnem, ac suae defensionis propemodum arcem in eo collocasse anomoeos, quod con-

(1) In praesentia enim contingentes ad creaturas respectus negligimus, atque id spectamus unum quod sempiternum est ac necessarium.

tenderent, quaecumque de Deo efferuntur, ea esse uniusmodi, eidem mentis conceptioni respondere, ac nonnisi divinam naturam repraesentare. His enim προληπτικως constitutis, ita ex aliis alia inferendo concludebant. Deus Pater est ἀγέννητος et ἄναρχος, *originis ac principii expers*; neutra vero denominatio ac proprietas Filio competit, quippe qui γεννητος sit, ac Patrem habeat suae originis ἀρχην, *fontem ac principium*. Sed quod Pater dicitur ἀγεννητος et ἀναρχος, id denotat, cuiusmodi illius natura sit atque essentia. Filius ergo non est Patri ὁμοουσιος, sed illi ἑτερουσιος, dissitae nimirum alienaeque substantiae. Hactenus illi, quorum vesanum impetum ut comprimerent patres, summa consensione negarunt, quod προληψεως instar habebatur: uniusmodi esse, quae de Deo usurpantur vocabula, iisque unam Dei essentiam praemonstrari. Etenim duo sunt eorum genera, quae de Deo intelligimus ac effamur: illorum in primis quae absoluta sunt, divinamque naturam ἁπλως, *simpliciter* ac ἀμεσως, *immediate* respiciunt: tum vero illorum quae secundum mutuam habitudinem dicuntur, idque demonstrant, quod proprium est et individuae Trinitatis personas distinguit. Simplicissima quidem est, scribit Basilius (1), divina natura, sed infinita pariter est, atque adeo infinitis iisque numero distinctis aequipollet. Nemo itaque inficias ire ausit, in ea γνωριστικας τινας ἰδιοτητας, notas quasdam proprietatesque spectari, quibus discernuntur invicem personae. Porro (2) ἰδιοτητες, χαρακτηρες, και μορφαι ἐπιθεωρουμεναι τῃ οὐσιᾳ, *proprietates, notae, ac formae, quae in substantia, et circa eam considerantur*, διαιρουσι μεν το κοινον τοις ἰδιαζουσι χαρακτηρσι· το δε ὁμοφυες της οὐσιας οὐ διακοπτουσι, *dividunt quidem id, quod est commune, propriis notis, at communionem substantiae non interrumpunt*. Neque enim substantiam ipsam per se referunt, sed id denotant, quod prope ad substantiam accedere concipimus, ac animis οἱον τι φως, *veluti lumen quoddam*, σημαινομενων το διαφορον, *notionum ac significationum differentiam inserunt*. Εἰ γαρ μηδεν εἰη το την οὐσιαν χαρακτηριζον, *nisi enim ali-*

(1) Contra Eunom. Lib. II. pag. 61.
(2) Ibid. pag. 70.

quid esset, quod substantiam propria quadam nota designaret, nulla ratione perveniret ad intelligentiam nostram. *Μιας γαρ ουσης θεοτητος, αμηχανον εννοιαν ιδιαζουσαν πατρος λαβειν ἡ υιου, μη τη των ιδιωματων προσθηκη της διανοιας διαρθρουμενης, nam cum una sit deitas, fieri non potest, ut Patris vel Filii propriam capiamus notionem, nisi proprietatum additione informetur, et quasi articuletur cogitatio nostra.* Ac si diceret: frustra ex eo quod commune est, illius petas notitiam, quod est proprium; divina autem essentia, quod absolutum est ac commune, designat, quum denominationes Patris ac Filii, quod proprium est, exprimant. Ex illius ergo consideratione informari notitia nequit Patris et Filii, nisi ad illam personarum notas accedere, illamque propriis characteribus *paternitatis* et *Filieitatis* circumscribi intelligatur. Quare tesserae ac personarum formae non ipsam ostendunt naturam, sed illius definiunt conceptum, illamque in distinctis personis adorandam ac profitendam exhibent.

XI.

Ex quibus illud existit discrimen, quod *ουσιαν, essentiam* inter ac *ὑποστασιν, personam,* Johannes latinorum theologus in florentino Concilio (1), et Bessario Cardinalis (2) ponendum esse decernunt. « Nos dicimus, verba sunt Johannis quum graecis respondet, (3) substantiam et personam vel hypostasim idem esse *κατα το πραγμα*, reipsa, ac differre secundum modum nostrae intelligentiae, *κατα τον τροπον της ἡμετερας νοησεως* (4): adeo ut constet persona *απο της ουσιας και των ιδιωματων, ex substantia et proprietatibus.* Nunc igitur quoniam *κατ' επινοιαν, cogitatione*, distinguuntur, *ἡ κατα λογον, αυτη ἡ ουσια κοινουται τοις προσωποις, αλλα τα ιδιωματα κατ' ουδενα τροπον κοινωνουσι, sive ratione, haec substantia communicatur personis, sed proprietates* (tanta huius di-

(1) Sess. XVIII.

(2) Lib. dogm. Cap. VI.

(3) L. c.

(4) Cui tamen nostrae intelligentiae modo est in re ipsa, quod pro illius conditione respondet, ne secus *επινοια* in *παρανοιαν* degeneret.

stinctionis vis est) *nullo modo communicant* ». Haereticorum itaque est, anomoeorum vero potissimum, unam eamdemque vocabulis omnibus subiectam velle notionem, ac eorum est discrimen subvertere quo communia et absoluta a propriis et relativis seiunguntur. Catholica fides, notat Petavius, qui hanc quaestionem habet amplissime (1), hanc notionum confusionem, perturbationemque non patitur: eaque reiecta, aculeata aetianorum sophismata nullo negotio refellit. Utique Filius non est ἀγεννητος, e Patris enim substantia gignitur; est tamen Patri ὁμοουσιος, quum ἀγεννησια non discrimen notet essentiae, sed μορφην exprimat personae. Rursum, non est Filius ἀναρχος, illius enim ἀρχη Pater est; neque propterea est Patri ἑτερουσιος, quoniam originis carere principio, ἰδιωμα est personae, non attributum et naturae character.

XII.

Egregia sunt, quae vetustus ac anonymus auctor ab em. Mai editus (2) habet, quum ista explanat symboli athanasiani: *Unus ergo Pater, non tres patres; unus Filius, non tres filii; unus Spiritus-sanctus, non tres Spiritus-sancti.* Inquit enim: « Haec sunt illa relativa nomina vel appellativa, in quibus Trinitas invenitur: non enim sic dicitur unus Pater, aut unus Filius, sicut dicitur unus immensus, aut unus aeternus, aut unus Deus; quia illa nomina sunt substantiae, hoc est unitatis; ista vero, Pater videlicet, Filius Verbum, et Spiritus-sanctus, nomina sunt personarum, hoc est Trinitatis. Et ideo relativa sunt nomina, quia Pater ad alium refertur, hoc est, ad Filium; non enim sibi ipsi est pater, sed alteri, hoc est, Filio: similiter Filius ad Patrem refertur: sed et Spiritus-sanctus, vel *donum*, cum dicitur, refertur ad Patrem et Filium, a quibus procedit vel datur. Nam illa nomina substantialia, hoc est, Deus, Dominus, aeternus, et cetera, in quacumque persona dicantur, non referuntur ad alium, sed ad seipsam. Nam etsi Apostolus dicat Christum Dei virtutem

(1) De Deo lib. I. Capp. VII. seqq.
(2) Vett. Script. Coll. Tom. IX. Pagg. 404-405.

et Dei sapientiam, tamen non ita est relativum in eo virtus et sapientia, sicut est quod dicitur Verbum aut Filius: virtus enim et sapientia in Deo substantia est: Verbum autem aut Imago, aut Filius, relativum; quod si Pater, qui genuit sapientiam, et ex ea sit sapiens, neque hoc illi esse quod sapere, qualitas eius erit Filius, non proles eius, et non ibi erit iam summa simplicitas; sed absit ut ita sit. Ergo et Pater ipse sapientia est, et ita dicitur Filius sapientia Patris, quomodo dicitur lumen Patris; idest, ut quemadmodum lumen de lumine, et utrumque unum lumen, sic intelligatur sapientia de sapientia, et utrumque una sapientia. Pater igitur et Filius simul una essentia, et una magnitudo, et una virtus, et una sapientia. Sed non pater et Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unius Filius. Verbum enim relative, sapientia essentialiter intelligitur: sapientia ergo Filius de sapientia Patre, sicut lumen de lumine, et Deus de Deo; ut singulus Pater lumen, et singulus Filius lumen; ut singulus Pater Deus, et singulus Filius Deus; ergo et singulus Pater sapientia, et singulus Filius sapientia: sicut utrumque simul unum lumen, et unus Deus, sic utrumque una sapientia: sed Filius factus est nobis sapientia a Deo, de qua cum aliquid in scripturis dicitur, Filius nobis insinuatur. Spiritus quoque sanctus sapientia, et simul non tres sapientes, sed una sapientia, Pater et Filius et Spiritus-sanctus». Ab iis describendis abstineo, quae alter vetustus auctor, idemque anonymus ab ipsomet em. Mai editus (1) omnino gemina scribit; illaque addo, quae in Expositione rectae confessionis Justino tributa legimus. Idonea opportunaque consequutione Pseudo-Justinus deduxerat (2): « Quum ex propria essentia Pater Filium genuerit, *ἐκ δε της αὐτης το πνευμα προηγαγεν*, *ac ex eadem Spiritum produxerit*; iure merito *της αὐτης και μιας οὐσιας μετεχοντα της αὐτης και μιας θεοτητος ἠξιωνται*, *unius eiusdemque participibus essentiae una eademque divinitas adscribitur* ». Quum sibi e vestigio obiicit (3): »

(1) L. c. pagg. 287 388.

(2) N. 2.

(3) Num. 3.

Quomodo igitur, si differt id quod gignit ab eo quod gignitur, et quod procedit ab eo ex quo procedit: ἐστι δε ὁ Πατηρ ἀγεννητος, ἀφ' οὑ και ὁ υἱος γεγεννηται, και το πνευμα προηλθεν: *est autem Pater ingenitus, a quo et Filius gignitur, et Spiritus procedit;* idem ac Pater, Filius et Spiritussanctus »? reponit vero, opus esse ut animadvertatur « Ὁτι το μεν ἀγεννητον και ἐκπορευτον, οὐκ οὐσιας ὀνοματα, ἀλλα τροποι ὑπαρξεως, *quod ingenitum, genitum et procedens, non essentiae sunt nomina, sed modi existentiae; atque his nominibus denotatur,* χαρακτηριζεται ὁ τροπος της ὑπαρξεως, *modus existentiae;* ἡ δε της οὐσιας δηλωσις τῃ θεος ὀνομασιᾳ σημαινεται, *essentiae autem notio Dei appellatione significatur*, ita ut Patri quidem διαφορα, *differentia* sit a Filio et Spiritu κατα τον της ὑπαρξεως τροπον, *secundum existentiae modum*, το δε ταυτον, *identitas autem* κατα τον της οὐσιας λογον, *secundum essentiae rationem.* Quatenus enim ille quidem ἀγεννητως ἐχει το εἰναι, ὁ δε γεννητως, το δε ἐκπορευτως, *ingenite habet esse, hic autem genite, et Spiritus procedendo,* τα της διαφορας ἐπιθεωρεισθαι πεφυκεν, *secundum haec considerari differentia solet* ». Haec ut idoneo illustravit exemplo, quod comparatio praebet Adamum inter ac reliquos ex eo procreatos homines, pergit: « Si modum existentiae Patris quaeras, e nullo alio genitum cernens, ingenitum vocabis. Sin vocabulum ingeniti consideres, modi existentiae interpretationem esse reperies. Quod si essentiam quoque ipsam declarare velis, καθ' ἡν υἱῳ και πνευματι προς κοινωνιαν συναπτεται, τῃ θεου ὀνομασιᾳ δηλωσεις, *secundum quam Filio et Spiritui (Pater) communione coniungitur, Dei appellatione id monstraveris.* Proinde ingenitum ipsum, et existentiae modus, ἀλληλων εἰσι γνωριστικα, *sibi mutuo notae sunt;* essentiam autem Dei appellatio designat. Quemadmodum enim Adam etsi non genitus (utpote a Deo ἀμεσως procreatus), iis tamen qui ex ipso geniti sunt, κατα το της οὐσιας ταυτον εἰς κοινωνιαν συναπτεται, *per essentiae identitatem communione coniungitur;* sic nulla ratio communem Patris cum Filio et Spiritu essentiam divellere δια το ἀγεννητον, *propter ingeniti notionem* poterit. Quapropter ingenitum, genitum, et procedens nomina sunt οὐκ οὐσιας δηλωτικα, σημαντικα δε των ὑποστασεων,

non essentiam declarantia , sed hypostases significantia. Nobis namque inserviunt ad discernendas personas, et Patris ac Filii et Spiritus-sancti peculiariter cuiusque indicant hypostasim. Nam ubi nobis propositum est, velut sigillum quoddam, *ingenitum, εὐθυς ἀφοριζει του πατρος ὑποστασιν, continuo definit Patris hypostasim ;* ac rursum tamquam quoddam signum *geniti* appellationem audientes , *του υἱου λαμβανομεν ἐννοιαν, Filii concipimus notionem* ; ac item per *procedentis* significationem, de peculiari persona Spiritus admonemur. Atque haec *προς ἀποδειξιν, ad demonstrationem* sufficiant, non essentiam significari per ingenitum , genitum et procedens , *ἀφοριστικα δε των ὑποστασεων εἰναι , sed nomina esse definientia hypostases ,* ac iis *τον τροπον της ὑπαρξεως* , praemonstrari ». Ne ergo suis e sedibus convellatur articulus , quo tres in Deo distinctas hypostases, easdemque consubstantiales profitemur; sedulo inter ea custodiendum est discrimen, quae ad essentiam, vel existendi modum referuntur. Nefas nobis esse arbitremur oportet ista confundere, atque eamdem iis inditam significandi potestatem contendere. Jamvero quae essentiam respiciunt , absoluta sunt ac communia ; relativa autem et propria, quae existendi modum enunciant. Integritas ergo articuli de Trinitate consubstantiali, cum eo arctissime discrimine cohaeret , quo communia et absoluta a propriis ac relativis seiunguntur. En cuius plus semel sint momenti distinctiones , quas inspectas leviter, neque consideratas penitius aut fastidias , aut etiam non sine irrisione asperneris.

XIII.

Quamquam huic vindicandae illustrandaeque distinctioni , quam expendimus, nihil iis opportunius desiderari posse existimo , quae in quinto de Trinitate libro Augustinus tradit, ac eximia quadam sagacitate investigat. Principio (1) negat, adduci in dubitationem posse , utrum Deus sit *substantia , vel si melius hoc appellatur, essentia, quam graeci οὐσιαν vocant.* » Sicut enim ab eo, quod est sapere, dicta est sapien-

(1) Cap. II. n. 3.

tia, et ab eo, quod est scire, dicta est scientia, ita ab eo, quod est esse, dicta est essentia. Et quis magis est quam ille, qui dixit famulo suo Moysi (1), *Ego sum qui sum: et dices filiis Israel, qui est misit me ad vos.* » ? At vero subdit (2) : » Aliae quae dicuntur essentiae sive substantiae, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio : Deo autem aliquid eiusmodi accidere non potest ; et ideo sola est incommutabilis substantia vel essentia , qui Deus est , cui profecto ipsum esse , unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. Quod enim mutatur , non servat ipsum esse; et quod mutari potest, etiamsi non mutetur, potest quod fuerat non esse : ac per hoc illud solum quod non tantum non mutatur , verum etiam mutari omnino non potest, sine scrupulo occurrit quod verissime dicatur esse ». Quare sic Deum intelligamus oportet (3) : « Sine qualitate bonum, sine indigentia creatorem, sine situ praesidentem (*al. praesentem*), sine habitu omnia continentem , sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum , sine ulla sui mutatione mutabilia facientem , nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat , etsi nondum potest omni modo invenire, quid sit; pie tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire, quod non sit ».

XIV.

Verum , quod stupeas , ex hac divinae naturae nobilissima perfectione argumentum, immo, ut Augustinus scribit (4), *callidissimum machinamentum,* ariani ducebant, quo non quaterent modo , sed catholicam divinae Trinitatis professionem omnino subverterent. Ita namque disputabant (5) : « Quidquid de Deo dicitur vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundum substantiam dicitur. Quapropter *ingenitum* esse Patri secundum substantiam est , et *genitum* esse Filio secundum substantiam est. Diversum est autem *ingenitum* esse,

(1) Exod. III. 14.
(2) August. l. c.
(3) August. Lib. cit. Cap. I. n. 2.
(4) De Trin. Lib. V. Cap. III. n. 4.
(5) Apud Aug. l. c.

et *genitum* esse; diversa est ergo substantia Patris et Filii ». Haereticis bipartita responsione Augustinus occurrit, ac primum, eo argumenti genere, quod *ad hominem* audit, in illorum capita telum retorquet: tum responsione utitur *directa*, quam ex rei veritate, et enucleata eorum, quae de Deo efferuntur, consideratione depromit. Ac responsio quidem *ad hominem*, quaeque praestructae ab adversariis hypothesi innititur, est huiusmodi (1): « Si quidquid de Deo dicitur, secundum substantiam dicitur; ergo quod dictum est (2), *Ego et Pater unum sumus*, secundum substantiam dictum est. Una est igitur substantia Patris et Filii. Aut si hoc non secundum substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundum substantiam; et ideo iam non cogimur secundum substantiam intelligere *ingenitum* et *genitum*. Item dictum est de Filio (3): *Non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo:* quaerimus, secundum quid aequalis? Si enim non secundum substantiam dicitur aequalis, admittunt (ariani), ut dicatur aliquid de Deo non secundum substantiam; admittant ergo non secundum substantiam dici ingenitum et genitum. Quod si propterea non admittunt, quia omnia de Deo secundum substantiam dici volunt, secundum substantiam Filius aequalis est Patri ».

XV.

Haec quum haereticis confutandis abunde sufficerent, non ea tamen erant, quae veritatem explanarent, ac nativo in lumine ponerent. Id altera responsione, eademque *directa* Augustinus adgreditur, quae ut rite accipiatur, *accidentium* primum notionem definit, tum illorum duplicem secernit classem, ut alia *inseparabilia*, alia sint ac dicantur *separabilia*. « Accidens, sic ille (4), non solet dici, nisi quod aliqua mutatione eius rei cui accidit, amitti potest. Nam etsi quaedam dicuntur accidentia *inseparabilia*, quae graece appellan-

(1) Lib. V. de Trin. l. c.
(2) Ioh. X. 30.
(3) Philipp. II. 6.
(4) L. c. Cap. IV. n. 5.

tur *ἀχωριστα*, sicut est plumae corvi color niger: amittit eum tamen, non quidem quamdiu pluma est, sed quia non semper est pluma. Quapropter ipsa materies mutabilis est, et ex eo, quod desinit esse illud animal vel illa pluma, totumque illud corpus in terram mutatur et vertitur, amittit utique etiam illum colorem. Quamvis et accidens quod *separabile* dicitur, non separatione, sed mutatione amittitur; sicuti est capillis hominum nigritudo, quoniam capilli sunt, possunt albescere, *separabile* accidens dicitur: sed diligenter intuentibus satis apparet, non separatione quasi emigrare aliquid a capite dum canescit, ut nigritudo inde candore succedente discedat et aliquo eat, sed illam qualitatem coloris ibi verti atque mutari ». Quum itaque accidentium haec sit *nota*, iste *character*, ut *mutabilitatis* notionem complectantur; *nihil*, infert Augustinus (1), *accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile.* « Quod si et illud dici accidens placet, quod licet non amittatur, minuitur tamen vel augetur, sicuti est animae vita: nam et quamdiu anima est, tamdiu vivit, et quia semper anima est, semper vivit; sed quia magis vivit cum sapit, minusque cum desipit, fit etiam hic aliqua mutatio (adeo ut inductione constet, mutabilitatis notionem ab accidentis indole divelli non posse), non ut desit vita, sicuti deest insipienti sapientia, sed ut minus sit: nec tale aliquid in Deo fit, quia omnino incommutabilis manet ».

XVI.

An igitur quod necessario a divina natura absint cuiusque tandem modi accidentia, sive *inseparabilia*, sive etiam talia, quae numquam licet amittantur, *intendi* tamen *remittive* possunt, consequitur, quae dicuntur de Deo omnia et singula, nonnisi secundum substantiam dici? habeatur Augustini responsum (2): « Quamobrem nihil in Deo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit; *nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur.* In rebus enim creatis

(1) Ibid.
(2) L. c. Cap. IV. n. 6.

atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur: omnia enim accidunt eis, quae vel amitti possunt, vel minui, et magnitudines et qualitates, et quod dicitur *ad aliquid*, sicut amicitiae, proquinquitates, servitutes, similitudines, aequalitates, et si qua huiusmodi, et situs, et habitus, et loca, et tempora, et opera atque passiones. In Deo autem (1) nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est; *nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur* ».

Sed quid haec inter *extrema medii* interest? *inadaequata* ne haberi distributio debet eorum, quae secundum substantiam, vel secundum accidens dicuntur? nimirum quum de Deo loquimur, non substantia et accidens, neque substantialia accidentalibus opposita spectari debent; verum id animo reputandum est, quod vel *secundum substantiam* dicitur, vel *ad aliquid*; vel *secundum substantiam*, aut *existendi modum*; vel *secundum absolutum et commune*, aut *relativum ac proprium*: ad Augustinum provoco testem, qui id non affirmat modo, verum etiam ostendit ac probat. Sunt in Deo, sic ille (2), quae nec secundum accidens dicuntur, verum *ad aliquid*: « Sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens: quia et ille semper Pater, et ille semper Filius; et non ita semper, quasi ex quo natus est Filius, ut eo quod numquam desinat esse Filius, Pater non desinat esse Pater; sed ex eo, quod semper natus est Filius. Quod si aliquando esse coepisset, aut aliquando esse desineret Filius, secundum accidens diceretur. Si vero quod dicitur Pater, ad seipsum diceretur, non ad Filium; et quod dicitur Filius, ad seipsum diceretur, non ad Patrem; secundum substantiam diceretur et ille Pater, et ille Filius: sed quia et Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur, nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam haec dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad invicem atque ad alterutrum ista dicuntur: neque secundum accidens, quia et quod dicitur Pater, et quod

(1) Ibid. cap. V. n. 6.
(2) Loc. cit.

dicitur Filius, aeternum atque incommutabile est eis. Quamobrem quamvis diversum sit, Patrem esse et Filium esse, non est tamen diversa substantia: quia hoc (al. *haec*) non secundum substantiam dicitur (*dicuntur*), sed secundum *relativum*; quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile ».

XVII.

Cuius subtilis quidem, verissimae tamen disputationis huc summa recidit. Inter ea quae cogitamus, nihil succurrit animo absolutum magis, atque ab omni habitudine ac relatione expeditum, quam substantia et essentia. Fieri ergo nequit, ut quae secundum substantiam dicuntur, ea mutuae habitudinis respectum praeferant; Bibliis autem christianaque traditione praelucentibus, de Deo cogitamus, ac de Deo dicimus, quod sit *Pater*, sit *Filius*, et sit *Spiritus-sanctus*, quae omnino relativa sunt, neque exui mutuae habitudinis respectu possunt. Ergo quae de Deo dicuntur, non ita se universim habent, ut secundum substantiam omnia dicantur. Atqui nihil de Deo dicitur, aut vero etiam dici secundum accidens potest: a simplicissima enim, immutabili ac infinita natura accidens quam quod maxime abhorret. Quid ergo superest, nisi ut nonnulla de Deo dicantur *ad aliquid*, et *secundum habitudinem mutuamque relationem?* » Quapropter, pergit Augustinus (1), illud praecipue teneamus, quidquid ad se dicitur praestantissima illa et divina sublimitas, *substantialiter* dici; quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed *relative* ». Jamvero proprium esse, ac de singulis privatim personis dici quod relative effertur, adeo ut proprium ac relativum sibi penitus significatione respondeant, quae hactenus exposuimus, evincunt, et Augustinus tradit, scribens (2): « Quod (al. *quae*) autem *proprie* singula in eadem Trinitate dicuntur, nullo modo ad seipsa, sed ad invicem, aut ad creaturam dicuntur; et ideo relative, non substantialiter ea dici manifestum est. Sicut enim Trinitas unus Deus di-

(1) De Trinit. Lib. V. Cap. VIII. n. 9.
(2) Ibid. Cap. XI. n. 12.

citur, magnus, bonus, aeternus, omnipotens, idemque ipse sua bonitas, ipse sua aeternitas, ipse sua omnipotentia: non sic potest dici Trinitas Pater, nisi forte translate ad creaturam (1) propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est (2), *Audi Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est*, non utique excepto Filio, aut excepto Spiritu-sancto oportet intelligi, quem unum Dominum Deum nostrum recte dicimus etiam patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem. Trinitas autem Filius nullo modo dici potest. Spiritus vero sanctus secundum id quod scriptum est (3), *Quoniam Deus Spiritus est*, potest quidem universaliter dici, quia et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. Itaque Pater, et Filius, et Spiritus-sanctus, quoniam unus Deus, et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est, potest appellari Trinitas et Spiritus-sanctus. Sed tamen ille Spiritus-sanctus, qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus-sanctus, relative dicitur, cum et ad Patrem et ad Filium refertur, quia (perspicue processio Spiritus-sancti ab utroque designatur) Spiritus-sanctus et Patris et Filii spiritus est. Sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine; apparet autem cum dicitur *donum Dei*: Donum enim est Patris et Filii, quia et a Patre procedit, sicut (4) Dominus dicit; et quod Apostolus ait (5), *Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius*, de ipso utique sancto Spiritu (qui propterea a Filio quoque procedit) ait. Donum ergo donatoris, et donator doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. Ergo Spiritus-sanctus ineffabilis est quaedam Patris Filiique communio; et ideo fortasse sic appellatur, quia Patri et Filio potest eadem appellatione convenire (6). Nam hoc ipse *proprie*

(1) Secundum quam translationem denominatio Patris tribus personis communis est, eisdemque competit non tesserae personalis intuitu, sed propter eamdem, quam possident divinam naturam.

(2) Deut. VI. 4.

(3) Ioh. IV. 24.

(4) Ioh. XV. 26.

(5) Rom. VIII. 9.

(6) Sensus est, tertiae personae, utpote ex aequo procedenti a Patre et

dicitur, quod illi *communiter*: quia et Pater Spiritus et Filius Spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine, quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amborum (1) Spiritus-sanctus. Et haec Trinitas unus Deus, solus, bonus, magnus, aeternus, omnipotens: ipsa sibi unitas, deitas, magnitudo, bonitas, aeternitas, omnipotentia. »

XVIII.

Ceterum de Patrum persuasione atque sententia alio etiam ex capite, eoque luculentissimo pronum est existimare. Legimus penes Dionysium (2) cognomento Areopagitam, alterum de divinis nominibus caput hoc inscriptum lemmate: *περι ἡνωμενης και διακεκριμενης θεολογιας*, *de unita distinctaque theologia.* Hanc partitionem suffragio probant suo, ac diligenter explanant Maximus in scholiis, atque in Paraphrasi Pachymeres, illamque verbis paullo aliter inflexis Johannes Damascenus proponit, quum capiti decimo libri primi de Fide orthodoxa hunc facit titulum: *περι θειας ἑνωσεως και διακρισεως*. Sed quam utrique partitionis membro subiectam docent esse materiam? quid illis est *unita*, quid *distincta* theologia? quo spectat divina unio, quo distinctio? aequissimae interrogationi faciam satis verbis Pachymeris, qui in paraphrasi ad commemoratum caput secundum Dionysii sic habet: « Cum de divinis nominibus propositum Dionysio esset loqui, divina vero nomina ita se habeant, ut quaedam *κοινως*, *communiter* tribus personis divinis conveniunt, quaedam *μιᾳ ἑκαστῃ των ὑποστασεων*, *uni tantum ex personis privatim*; idcirco *τα μεν κοινως τῃ θειᾳ φυσει ἁρμοζοντα ὀνοματα*, *ἡνωμενην ἐπιγραφει θεολογιαν*, *τα δε μιᾳ ἑκαστῃ των ὑποστασεων διακεκριμενην*, *illa quidem nomina, quae communiter divinae naturae congruunt, unitam inscribit theologiam, quae vero*

Filio, factum ideo nomen esse Spiritus sancti, quod haec appellatio Patri iuxta ac Filio possit convenire.

(1) Atqui *donum* est nomen *ὑποστατικον*. Ergo suam essentiam ac hypostasim a Patre simul et Filio habet Spiritus-sanctus.

(2) De Dionysii operibus fac conferas quae habet Cl. Darboy in introductione eisdem praefixa atque edita Parisiis anno 1845.

cuilibet personae privatim competunt, distinctam ». Videlicet haec theologiae distributio olim solemnissima, in praesentia vix non obsoleta, quemadmodum ipsis, quibus concipitur verbis, demonstrat, non uniusmodi esse, quae de Deo cogitantur ac dicuntur; ita huic divinarum proprietatum discrimini innititur, eoque fulcitur.

XIX.

Quod ut plenius intelligatur, maiori qua fieri poterit brevitate, Dionysii doctrinam explanabo. Orditur (1) ille ab iis recensendis, quae secundum substantiam de Deo dicuntur, quaeque eo auctore ista sunt: *ἡ ὑπερουσιος ἀοριστια, ἡ ὑπερ νουν ἑνοτης, το ὑπερ διανοιαν ἑν, το ὑπερ λογον ἀγαθον, ἑνας ἑναποιος ἁπασης ἑναδος, και ὑπερουσιος οὐσια, και νους ἀνοητος, και λογος ἀῤῥητος, ἀλογια και ἀνοησια, και ἀνωνυμια, κατα μηδεν των ὀντων οὐσα, supra-substantialis infinitas, supra mentem unitas, supra conceptionem unum, supra omnem dicendi vim bonum, unitas effectrix universae unitatis, et substantia supra-substantialis, et mens non cadens sub intelligentiam, et nomine vacans, et nullius rei similitudinem habens.* Ubi nolim tacitus singularem usum praeterire cum particulae *ὑπερ* toties ingeminatae, tum dictionum *negantium.* Scilicet illius usus eo pertinet, adnotante Pachymere, ut significetur, supra ea quae dicuntur, *ἀσυγκριτως, incomparabiliter* Deum eminere. Quare Dionysius (2) Deum scribit *ἀνωνυμον* simul et *πολυωνυμον*: *ἀνωνυμον* quidem (3), quatenus est *ὑπερ παντα, super omnia: πολυωνυμον* vero, quatenus est *παντων αἰτια, ἀρχη, και περα, omnium caussa, principium et finis.* Idcirco vero dictiones negantes adhibentur, ut duplex innuatur habendae theologiae ratio, quarum prior *ἀποφατικως, negative*, posterior *καταφατικως, positive* de Deo quaerit, quaeque ad Deum

(1) De div. nom. Cap. I. §. 1.

(2) L. c. §. VI.

(3) Ibid. §. VII. De his loquendi modis, deque Platonica origine eisdem praepostere adscripta, legi non sine utilitate possunt, quae habet Theophilus Keilius in Opusculis Academicis ec. pagg. 471. seqq. edit. Lipsiae 1821.

pertinent, statuit ac vindicat. De theologia negante inter veteres data opera egerunt quum Maximus in capitibus περι θεολογιας, και της ἐνσαρκου οἰκονομιας του υἱου Θεου (1), ac in prooemio της μυσταγωγιας, tum Damascenus (2); ex recentioribus autem, ne plures connumerem, Joannes Musaeus (3), Godofredus Hoffmannus (4), Christophorus de Ortega (5), et (6) Dionysius Petavius. Dabo quae loco mox indicato tradit Damascenus: « Ex divinis nominibus quaedam ἀποφατικως, *negative* dicuntur, quibus essentiam omnem eum superare declaratur, veluti cum ἀνουσιος, ἀναρχος, ἀορατος, *essentiae expers, sine tempore, sine principio, invisibilis* dicitur: non quod re ulla inferior sit, aut quidquam illi desit . . . . , ἀλλ' ὅτι παντων ὑπεροχικως των ὀντων ἐξῃρηται, οὐδεν γαρ των ὀντων, ἀλλ' ὑπερ παντα ἐστι, *sed quia eminenti modo rebus omnibus excelsior est. Non enim quidquam est eorum quae sunt, sed super omnia.* Sunt autem alia, quae καταφατικως, *positive* efferuntur, ea nimirum quae de eo dicuntur ὡς αἰτιου των παντων, *ut est omnium caussa.* Nam quatenus omnium, omnisque essentiae auctor, και ὠν λεγεται και οὐσια, *et ens dicitur et essentia:* utque omnis rationis et sapientiae caussa, λεγεται λογος και λογικος, και σοφια και σοφος, *et ratio et rationalis, et sapientia et sapiens* (7) *appellatur* . . . . Ex utrisque porro fit γλυκυτατη συναφεια, *suavissima connexio*, quemadmodum ἡ ὑπερουσιος οὐσια, ἡ ὑπερθεος θεοτης, ὑπεραρχιος ἀρχη, *superessentialis essentia, superdivina deitas, principium superprincipium*, aliaque similia. Sunt etiam quaedam, quae tametsi de Deo καταφατικως dicuntur, continent tamen δυναμιν ὑπεροχικης ἀποφασεως,

(1) Cap. II.

(2) De Fid. Orth. Lib. I. Cap. XII.

(3) Introduct. in Theologiam.

(4) Theol. Natur. Part. IV. §. XXXVIII.

(5) De Deo Disp. III.

(6) De Deo Lib. I. Cap. V.

(7) Conf. b. Thomam P. I. q. XIII. art. I. II, Lessium de Perfectt. div. lib. I. Cap. III., et Balthasaris Corderii Observationes generales ad Dionysii opera praefixas, quibus inter cetera illud explicat Dionysii ex Cap. II. §. 1. de div. nominibus, Deum esse παντων θεσιν και παντων ἀφαιρεσιν, *omnium positionem, omniumque ablationem.*

vim praecellentis negationis. Quo in genere illud est, cum Deum σκοτον, *tenebras* appellamus; non quod Deus tenebrae sit, ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐστι φως, ἀλλ' ὑπερ το φως, *sed quod non sit lux, omnemque lucem supergrediatur* ».

XX.

Sed e diverticulo in viam, e qua parumper, non frustra tamen ut arbitror, deflleximus. Quadam veluti summa comprehensis quae de Deo secundum substantiam dicuntur, monet Dionysius, tribui illa toti Trinitati oportere; *nisi enim quis* (1) περι της ὁλης θεοτητος (qua phrasi, Maximo in Scholiis interprete, designat σεβασμιαν τριαδα, *venerandam Trinitatem*) *de tota divinitate*, quae in Patre, Filio, et Spiritusancto adoratur, *illa accipiat, distrahet* ἀθεσμως, *temere* την ὑπερηνωμενην ἑναδα, *unitatem maxime unicam ac simplicem.* Verum nonne futurum inde est (2), ut συγχυσις, *confusio* inducatur personarum, earumque διαιρεσις, *distinctio* labefactetur? atqui, reponit ille, ἡ θεολογια τα μεν ἡνωμενως παραδιδωσι, τα δε διακεκριμενως, και οὐτε τα ἡνωμενα διαιρειν θεμιτον, οὐτε τα διακεκριμενα συγχειν, *Theologia* (quo nomine heic credo *Scripturam* denotat) *et iunctim nonnulla tradit, et alia distincte; neque fas est sive copulata seiungere, sive distincta confundere.* Tum enucleatius repetit, quaenam τα ἡνωμενα *copulata*, ac της ὁλης θεοτητος, *totius deitatis* propria censeri debeant, quae vero διακεκριμενα, *distincta.* Et copulata quidem, pergit (3), haberi debent το ὑπεραγαθον, το ὑπερθεον, το ὑπερουσιον . . . *supra quam bonum, supra quam substantia . . . , et quaecumque* της ὑπεροχικης ἐστιν ἀφαιρεσεως, *propter eximiam praestantiam ablationem significant.* Accedunt τα αἰτιολογικα παντα, *omnia, quae ad rationem caussae pertinent, bonum, pulchrum, existens. . . . ,* και ὁσα ἐκ των ἀγαθοπρεπων αὐτης δωρεων, ἡ παντων ἀγαθων αἰτια κατονομαζεται, *et quaecumque sunt ex donis eius, quae il-*

(1) De div. nom. Cap. II. §. I.
(2) Dionys. l. c. §. II.
(3) L. c. §. III.

lius bonitatem decent, a quibus omnium bonorum caussa nominatur. Communia itaque et copulata duplici classe continentur, eorum imprimis, quae Deo *in se spectato* competunt, atque *superlativis* loquutionibus significantur; eorum deinde, quae non citra habitum ad creaturas Deo tribuuntur.

XXI.

Unita et copulata excipiunt *τα διακεκριμενα*, *distincta*, atque horum numero veniunt *του πατρος ὑπερουσιον ὀνομα και χρημα, και υἱου, και πνευματος, οὐδεμιας ἐν τουτοις ἀντιστροφης, ἡ ὁλως κοινοτητος ἐπεισαγομενης*, *supersubstantiale Patris nomen et res* (1), *item Filii, ac Spiritus sancti, nulla in his facta reciprocatione, nec ulla prorsus communitate inducta.* Ergo neque sunt synonima, quae de Deo usurpantur vocabula, neque eodem haberi censu possunt copulata et distincta: illa enim reciprocationem, communionemque includunt, haec neutram ferunt. Distincta porro vocabula nominibus et proprietatibus constant Patris, Filii, ac Spiritus sancti, quae manifestam originis relationem exhibent. Quemadmodum igitur absoluta, eaque pariter quae cum creaturis propter causae habitudinem devinciuntur, unitam constituunt theologiam; ita ex propriis atque inter personas relativis distincta theologia componitur ac efflorescit.

XXII.

Ad rem Maximus in scholiis ad alterum caput de divinis nominibus: *αἱ ἐνεργειαι, και πασαι της θεολογιας αἱ ὑμνολογιαι οὐχ ἑνι και μονῳ των της θειας τριαδος προσωπων ἀποκληρωτικως ἀπονενεμενται, ἀλλ' αὑται μεν κοιναι εἰσι της τριαδος, διχα μονης ἐνανθρωπησεως, μονη γαρ ἐστι του υἱου*, *omnes operationes laudesque divinae haud uni solique divinae Trinitatis personae*

(1) *Rem Patris*, *χρημα του πατρος*, appellat Dionysius non ipsam divinam substantiam, quae una eademque est in tribus, sed Patris proprietatem; graece namque proprietates personales audiunt *χρηματα γνωριστικα*, *res notionales.* Porro *res*, quatenus ad relationem pertinet, plurali numero (Conf. b. Thomam P. I. q. XXXIX. art. III. ad 3.) in divinis effertur.

seorsum tribuuntur, sed communes sunt Trinitati, si incarnationem exceperis, quae solius Filii est. Μοναι δε αἱ χαρακτηριστικαι των τριων ὑποστασεων ἰδιοτητες, μερικως και ἰδιως ἑκαστῃ ὑποστασει προσεισιν, οἱον τῳ πατρι το πατηρ, και οὐκ ἀλλῳ τινι· οὑτω και ἐπι του υἱου, και του ἁγιου πνευματος, *solae autem characteristicae trium personarum proprietates, privatim ac proprie cuilibet personae insunt, quemadmodum Patri quod sit Pater; itemque de Filio ac Spiritu sancto.* Quae obiectum utriusque theologiae *unitae* ac *distinctae* praeclarissime referunt (1), suisque finibus circumscribunt.

XXIII.

Eadem loquitur perspicuitate Joannes Damascenus: iis enim divinis perfectionibus recensitis, quae de Deo absolute, ac secundum substantiam dicuntur, pergit (2): haec igitur omnia κοινως, *communiter* ἐπι πασης θεοτητος (phrasi illi gemina, qua Dionysius usus est), *de tota divinitate* accipienda sunt, και ταυτως, και ἁπλως, και ἀμερως, και ἡνωμενως, *atque eodem modo, et simpliciter, et individue, et coniunctim.* Διακεκριμενως δε, το πατηρ, και το υἱος, και πνευμα, και το ἀναιτιον, και το αἰτιατον, και το ἀγεννητον, και το γεννητον, και ἐκπορευτον, *distinctim autem Pater, et Filius, et Spiritus, item quod caussa caret, et quod a caussa est* (3), *ingenitum, genitum et procedens.* Haec enim οὐκ οὐσιας εἰσι δηλωτικα, και της προς ἀλληλα σχεσεως, και του της ὑπαρξεως τροπου, *non eiusmodi sunt, ut naturam denotent, sed mutuam inter se personarum relationem, modumque existendi.* »

XXIV.

Quod doctrinae caput, personis divinis communia esse, quae absolute efferuntur, illasque nonnisi relationibus ab invicem

(1) Conf. Petavium de Incarn. Lib. VI. Cap. III. §. IX.

(2) De Fid. Orth. Lib. I. Cap. X.

(3) De nomine *causae*, et quod ex eo inflectitur *causati* ad divinam Trinitatem traducto consule b. Thomam. P. I. q. XXXIII. art. I. et Opusc. I. ad Urbanum IV: Cap. I.

distingui, unanimi graecorum, latinorumque patrum suffragio comprobatur. Percontanti anomoeo, quid Spiritui desit, ut Filius credatur: nisi enim deesset aliquid, Filius utique crederetur, respondit Nazianzenus Gregorius (1): *nihil prorsus deesse, quum Deo nihil deesse possit :* το δε της ἐκφανσεως, ἡ της προς ἄλληλα σχεσεως διαφορον, διαφορον αὐτων και την κλησιν πεποιηκε, *verum radiationis* (sit venia verbo), *vel mutuae relationis differentia, distinctam quoque ipsorum fecit appellationem.* Quae denuo inculcat in ea (2), quae est ad Evagrium epistola. Iamvero si originis dumtaxat relationibus divinae personae distinguuntur, ex iis pariter habent, ut perfectae hypostases consistant. Quare in latina translatione confessionis Acacii berrhoeensis (3) legimus : *Modus subsistentiae, seu nomen, est habitus* (*habitudo*, graece σχεσις) *non autem substantiae simpliciter significatio.* Et Gregorius Nyssenus in literis ad Ablabium datis scribit : « Quod si quis nostram doctrinam calumnietur, ac si eo quod nullum discrimen secundum naturam admittat, permixtionem et confusionem ὑποστασεων introducat (4), hoc adversus criminatores respondebimus : nos sic naturam diversitatis expertem confiteri, ut non negemus differentiam, qua Pater caussa est, Filius a caussa; quippe qua solummodo alterum ab altero distingui concipimus : quum videlicet Patrem esse caussam, principiumve credimus, Filium vero ex principio ». Iure ergo suo, atque ex patrum praescripto affirmant theologi, relationes, queis divinae personae constituuntur ac distinguuntur, ex origine unius ab altera prodire; adeo ut hac originis habitudine dempta, nihil plane reliquum sit, quo distinguantur. Neque propterea inferre licet, hisce originis relationibus *perfectionem* aliquam contineri, qua una persona prae altera exornetur. Non enim, monente Nazianzeno, (5) τῳ υἱῳ λειπει τι προς το εἱναι πατερα, *Filio quidquam deest*

(1) Orat. XXXVII.

(2) Orat. XLV.

(3) In Collect. Christiani Lupi ad Conc. Ephes, pag. 466.

(4) Similem a Dionysio propositam vidimus difficultatem, eodemque modo solutam.

(5) Orat. XXXIV.

(quidquam perfectionis, realitatis, absoluti, τοῦ ὄντος), *quo sit Pater*, *siquidem filietas defectus non est*. Scilicet *origo*, *processio* nomina sunt non imperfectionis et defectus, sed habitudinis et relationis. E quibus tandem ratio emicat verissimi axiomatis post Anselmum (1) theologorum omnium suffragio comprobati: *Omnia in divinis esse idem*, *ubi non occurrit relationis oppositio*: qua formula diversis quidem verbis, eumdem tamen sensum praeferentibus, partitio repetitur theologiae in *unitam* et *distinctam*.

(1) De Processione sancti Spiritus, capp. I. II.





KAROLI PASSAGLIA SOD. E. S. J.

COMMENTARIORUM THEOLOGICORUM

PARS ALTERA


DE ECCLESIASTICA SIGNIFICATIONE

τῆς οὐσιας

QUUM DE DIVINA TRINITATE SERMO EST

DE TESTIMONIIS SCRIPTURARUM

QUIBUS EADEM ADPROBATUR





ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

MDCCCL

ANGELO MAIO

VIRO EMINENTISSIMO

PRAEFECTO SACRI CONSILII TRIDENTINIS DECRETIS INTERPRETANDIS

POLYHISTORI AETATIS NOSTRAE PRAECLARISSIMO

CVIVS DOCTRINA ET EDITIS LIBRIS

SACRAE ET PROFANAE ERVDITIONIS MONVMENTA

AVCTA MIRIFICE INLVSTRATAQVE SVNT

KAROLVS PASSAGLIA

SODALIS E SOCIETATE IESV

DOCTOR DECVRIALIS APVD COLLEGIVM ROM.

COMMENTARIOS THEOLOGICOS

AVSPICI STVDIORVM SVOR.

DEDICABAT



Dum hanc alteram edo commentariorum partem, e re fore arbitror si ea lectoribus aperiam quae me maxime moverunt ut in adhibendis graecis testimoniis, iisque pertractandis quae ad philologiam spectant, nonnihil operis collocarem. Dicam autem candide quod est, nec omnino sinam ut id mihi vitio vertatur, a quo mihi laudem potius aliquam polliceri posse videbar. Me igitur inprimis exempla non minimum commoverunt virorum doctissimorum, qui cum theologiae scientia praeclaram graecarum rerum universaeque philologiae suppellectilem coniunxerunt. Commovit deinde cogitatio, neminem unquam tam incultum, tam expertem humanitatis futurum, cui graecae litterae acre quiddam atque asperum saperent. Illud etiam non levis apud me momenti fuit, quod ratum putarem, sine intimiori quadam graecae eruditionis peritia fieri nullatenus posse, ut quae in re theologica illustriora atque graviora sunt probe ac solide, quemadmodum par est, teneantur. Diffiteri siquidem non possumus ipsam theologiae scientiam subtilioresque formulas quibus illa iam inde ab initio et nitidissime dogmata proposuit, et haereticorum versutias retexit e graecis maxime fontibus dimanasse.

Quid quod probe noveram affirmari non iniuria posse, tantum aliquem in theologicis disciplinis profecturum, quanto graecis monimentis versandis accuratiorem operam dederit; tantoque profundius secretissimas sacrarum scientiarum late-

bras introspecturum, quanto auxiliis humanarum artium ac praesertim hermeneuticae instructior ad eas perscrutandas accesserit? Cum enim magna scientiarum omnium sit cum litteris quae ad humanitatem pertinent societas et necessitudo, tum eae inprimis disciplinae politioris humanitatis praesidia postulant, quae interpretatione praesertim continentur. Cuiusmodi sane theologia est, quae tota quanta est e divinarum litterarum commentatione efflorescit, et antiquorum Patrum scriptis continenter inhaeret, ac tum tantum quum vel divini vel ecclesiastici sensus veritatem attigerit, et invicta rationum argumenta instruit, et quaestionum nodos omnino dissolvit.

Illud forte alicui improbari posset, quod prolixiora non semel retulerimus testimonia, vel quod iisdem latinas versiones subiecerimus. Sed erat cur iis etiam consuleremus qui graecas litteras non profitentur; praesertim cum vel iis qui ea disciplina optime imbuti sunt, non semper eiusmodi versiones molestae gravesque accidant. Idcirco autem a prolixioribus afferendis testimoniis non abstinuimus, quod non nobis auctorum sententias decerpentibus fidem adiungi, sed auctoribus ipsis quasi in medium adventantibus aurem praeberi a lectore nostro vellemus.

Hasce habuimus consilii nostri caussas, quas eruditis viris, iustisque rerum aestimatoribus non penitus improbatum iri confidimus.



COMMENTARIUS QUARTUS


DE NOMINE

της ούσιας

DEQUE ILLIUS APUD ECCLESIASTICOS SCRIPTORES

QUUM DE DIVINA TRINITATE DISPUTANT

POTESTATE



ARGUMENTUM

De frequentissimo usu vocum της ούσιας, essentiae *ac* substantiae *in quaestionibus de augusta Trinitate I: — de potestate της ούσιας, testibus Iohanne damasceno, Theoriano, Anastasio sinaita et Theodorito I — IV: — Clerici animadversio ac censura IV: — examini subiicitur, ac initio ostenditur, plus semel nomen ούσιας fuisse adhibitum, ut ὑποστασις ac id quod in Trinitate est multiplex, efferretur V — XII: — huius acceptionis auctores laudantur Origenes, Pierius, Hippolythus, Pseudo-Ignatius, Marcellus ancyranus et Eusebius caesariensis V — XII: — Origenis et Hippolythi lectiones restituuntur IX — X: — corollarium ex antegressis XII: — quod de voce της ούσιας effecimus, idipsum de nominibus* essentiae substantiaeque *comprobamus XIII — XVI: — vindiciae Origenis ac Hilarii XV — XVI: — seculo quarto labente ac deinceps consuetudo invaluit, ut ούσιας nomine id quod in Trinitate absolutum est ac singulare significaretur XVII — XXV: — testes huius consuetudinis magno numero proferuntur XVII — XXIV: — suffragium accedit synodorum universalium XXIV: — quae cum his iuncta sint atque conserta XXV — XXIX: — quo pacto intelligi debeat, τῃ ούσια id exprimi quod est in Trinitate* commune *XXVI: — mysterium Trinitatis cum mysterio Incarnationis confertur ac mutuo illustrantur XXVII — XXIX: — quae de usu graecae vocis της ού-*

σιας docuimus, eadem ad latina essentiae substantiaeque *nomina extenduntur XXIX — XXXI: — duplex apud philosophos recepta τῆς οὐσίας potestas explanatur XXXI — XXXIII: — quid ad usus quod attinet huius vocis patres inter philosophosque intersit XXXIII: — Clericus et Ritterus confutantur XXXIII — XXXIV.*

I.

Si qui non prorsus novi in ecclesiasticis monimentis versandis secum reputent solemniores, quum de augusta Trinitate agitur, loquendi *modos*, facile intelligent, *οὐσίας*, *essentiae substantiaeque* vocabula ea inter eminere quae in hoc tractationis genere ab ecclesiae doctoribus frequentiori usu adhiberi consueverunt. Illis enim singuli (1) utuntur patres, utuntur (2) et concilia, illisque non in reliquis modo operibus, verum in ipsis etiam (3) symbolis fideique regulis locum principem faciunt. Quare non minimum interest accurate novisse, quam illis significandi potestatem adiunxerint, quidve iis voluerint expressum; id ne quod in divina Trinitate *multiplex* est, *relativum* (4) ac *proprium*, an id satius quod *unicum est*, *absolutum* atque *commune*.

En porro quae habet Damascenus. Principio subtiles profert receptasque in philosophorum scholis significationum distinctiones, tum (5) subdit: « At sancti patres prolixas in-

(1) Quos magno numero laudat adducitque Petavius de Trinit. lib. IV. capp. I—II. Nobis sat erit speciminis gratia attulisse quae habet Augustinus de Trinit. lib. V. n. 10: « Plerique nostri, inquit, qui haec graeco tractant eloquio, dicere consueverunt *μιαν οὐσιαν, τρεις ὑποστασεις*, quod est latine, *unam essentiam, tres substantias*. Sed quia nostra loquendi consuetudo iam obtinuit, ut hoc intelligamus quum dicimus *essentiam*, quod intelligitur quum dicimus *substantiam*; non audemus dicere, *unam essentiam, tres substantias*, sed unam essentiam, tres autem personas, quemadmodum multi latini ista tractantes et digni auctoritate dixerunt ».

(2) Postquam nicaeni patres profano arianorum dogmati, quo Filium *ἐξ οὐκ ὀντων* factum contendebant, opposuere orthodoxam formulam, eumdem esse genitum *ἐκ της οὐσιας του πατρος*, *ex essentia Patris*; huiusce vocis usus consequutis conciliis ratus fuit ac sanctus.

(3) De symbolo nicaeno, deque symbolis post nicaenum editis res est omnino manifesta. Sed non minus manifestum est, in symbolis nicaeno vetustioribus usum vocis *οὐσιας* fuisse receptum. Haec sane vox, ne omnia recenseam, comparet in symbolo Luciani martyris, quod Athanasius et Hilarius in libris de Synodis, et Socrates H. E. lib. II. cap. X. retulerunt.

(4) Cf. Richardi Victorini de Trinit. lib. IV. cap. XXII.

(5) Dialectic. cap. XXX.

eptasque contentiones missasf acientes, το μεν κοινον, και κατα πολλων λεγομενον, οὐσιαν και φυσιν και μορφην ἐκαλεσαν, *quod commune est deque multis dicitur, essentiam et naturam formamque appellarunt, uti angelum, equum, canem ac similia.*

Enimvero ἡ οὐσια παρα το εἶναι λεγεται· και ἡ φυσις παρα το πεφυκεναι· το δε εἶναι και πεφυκεναι ταὐτον ἐστιν, *essentia ab eo quod est, dicitur, et natura ab eo quod natum est: esse* (1) *autem ac natum esse idem valent.*

Similiter ἡ μορφη και το εἶδος, *forma et species* eamdem ac natura praeferunt significationem. το δε μερικον ἐκαλεσαν ἀτομον, και προσωπον, και ὑποστασιν, *quod autem particulare est, individuum et personam et hypostasim nuncuparunt, ut Petrum et Paulum* ».

His autem plane consonant tum quae alibi (2) passim scribit, quum ista (3) nominatim: « Τα κοινα και καθολικα κατηγορουνται των αὐτοις ὑποκειμενων, κοινον ἡ οὐσια, ὡς εἶδος· μερικον δε ἡ ὑποστασις, *quae communia et universalia sunt de particularibus sibi subiectis efferuntur. Commune por-*

(1) Paullo secus de propria essentiae potestate scribit Hilarius de Synodis n. 12. inquiens: « Dici autem essentia et natura et substantia uniuscuiusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco est dicta, *quia semper est.* Quae idcirco etiam substantia est, quia res quae est, necesse est subsistat in sese ». Et fragmento II: « Essentia enim ex eo, *quod semper est,* nuncupatur; quae quia extrinsecus opis ad continendam se numquam eguerit, et substantia dicitur, quod intra se id, quod semper est, et in aeternitatis suae virtute subsistat ». Neque aliter Ambrosius, qui de incarnat. cap. IX. ait: « Diximus alibi οὐσιαν ita interpretatos latinos, ut substantiam dicerent: οὐσια autem Dei quum dicitur, quid aliud significatur nisi Deum *semper esse*? quod litterae ipsae exprimunt: quoniam vis divina οὐσα ἀει, hoc est, quum sit semper, οὐσια dicitur, unius litterae mutato ordine propter sonum et compendium decoremque sermonis ». Et de fide lib. III. cap. VII. repetit: « Quid est οὐσια, et unde dicta, nisi οὐσια (scilicet οὐσα ἀει), quod semper maneat? cui enim esse est semper, Deus est, et ideo manens semper οὐσια dicitur divina ». Similia dabunt Phoebadius in libello contra Arium, Augustinus de Trinit. lib. V. cap. II, et Anselmus in Monologio, capp. XXXVI. seqq.

(2) Dialect. cap. XXXVIII.

(3) De orth. fide, lib. III. cap. VI.

ro est essentia, ut species ; particulare autem hypostasis. Particulare, inquam, *ουκ ὁτι μερος της φυσεως ἐχει, ἀλλα μερικον τῳ ἀριθμῳ, ὡς ἀτομον · ἀριθμῳ γαρ, και οὐ φυσει διαφερειν λεγονται αἱ ὑποστασεις, non quod naturae partem quamdam sibi vindicet, sed quod numero particulare est, ut individuum. Hypostases siquidem non natura sed numero inter se distingui perhibentur.* Effertur itaque essentia de persona, quoniam in singulis speciei eiusdem personis *τελεια ἡ οὐσια ἐστι, perfecta est essentia.* Quo fit, ut personae inter se non differant *κατ' οὐσιαν, essentia, ἀλλα κατα συμβεβηκοτα, sed accidentibus, ἁ τινα εἰσι τα χαρακτηριστικα ἰδιωματα · χαρακτηριστικα δε ὑποστασεως, και οὐ φυσεως, quae sunt certae quaedam notae, quibus insignitur hypostasis, non natura* ».

II.

Eadem cum Damasceno repetit (1) affirmatque Theorianus in disputatione cum armeniorum Catholico, in qua primum advertit, plurimum in definiendo *τι ἐστιν οὐσια και τι ἐστι φυσις, τι τε ὑποστασις, και τι προσωπον, quid sit essentia, quid natura, quid hypostasis, quid persona, τους ἐξω, exteros ab ecclesiae* magistris dissidere; tum (2) pergit : *Οἱ γαρ ἐξω σοφοι το ἀτομον ἡτοι την ὑποστασιν, και το ἐν τῳ ἀριθμῳ, οὐσιαν ὁριζονται · ὁπερ οἱ θειοι πατερες οὐ παραδεχονται. οὐσιαν γαρ οἱ θεοφοροι πατερες και φυσιν τα καθολου λεγουσιν, ἁ τινα οἱ ἐξω εἰδος ὠνομασαν . διο ἐπι της ἁγιας τριαδος μιαν φυσιν και μιαν οὐσιαν ἐδογματισαν, ὑποστασεις δε τρεις · ὡς της φυσεως και της οὐσιας πολλας ὑποστασεις περιεχουσης, nam sapientes exteri individuum, sive hypostasim et unum numero, essentiam definiunt ; quod sane divini patres non admittunt. Quippe patres illi recti divinitus essentiam et naturam esse universalia dicunt, quae scriptores exteri speciem vocarunt. Quapropter in sancta Trinitate naturam unam et unam essentiam,*

(1) Theoriani cum Catholico armeniorum disput. pagg. 421—422. T. I. Biblioth. PP. Graec. edit. Paris. 1624.

(2) Ibid.

hypostases vero tres professi sunt: natura nimirum et essentia plures hypostases continente ».

Quod acceptionum significationumque dissidium patres inter exterosque philosophos, in medium adductis (1) Aristotelis, Basilii (2), Gregorii nazianzeni (3) et (4) Athanasii luculentissimis testimoniis, Theorianus confirmat, ac tandem (5) colligit, ex recepto apud patres loquendi usu, ac minime dubia utriusque Gregorii, nazianzeni (6) et nysseni (7) auctoritate dici de Christo oportere, *esse in eo ἄλλο και ἄλλο, aliud et aliud, non item ἄλλον και ἄλλον, alium atque alium,* quia *aliud* exprimit naturam, sunt autem naturae in Christo distinctae; *alius* vero exprimit personam, quae unica in Christo est: at vicissim de augusta Trinitate tenendum esse, in ea quidem haberi *ἄλλον και ἄλλον, alium atque alium, ἵνα μὴ τας ὑποστασεις συγχεωμεν, ne hypostases confundamus,* minime vero *ἄλλο και ἄλλο, aliud atque aliud; ἓν γαρ τα τρια, και ταὐτον τῃ θεοτητι, tria enim sunt unum idemque divinitate.*

(1) Ibid. p. 442. ubi ex libello de Categoriis hanc refert Aristotelis definitionem: « *οὐσια δε ἐστιν ἡ κυριωτατη, και πρωτως, και μαλιστα λεγομενη, ἡ μητε καθ' ὑποκειμενου τινος λεγεται, μητε ἐν ὑποκειμενῳ τινι ἐστιν, οἷον ὁ τις ἄνθρωπος, ἡ ὁ τις ἵππος, essentia, quae propriissime, primumque ac maxime sic dicitur, est quae neque de subiecto quodam dicitur, nec in aliquo subiecto est, veluti hic homo, aut hic equus* ».

(2) Ibid. pagg. 444—445, ubi testimonia adducit ex Basilii epistolis ad Terentium et Amphilochium, nec non ex fidei expositione ad Eustathium.

(3) Ibid. pagg. 445—447, ubi rem suam iis conficit, quae Gregorius nazianzenus tradit in priore de Theologia oratione, in oratione pro pace, ac in ea qua Athanasium alexandrinae ecclesiae lumen commendavit.

(4) Ibid. pag. 447, ubi epistolam laudat Athanasii ad Epictetum Corinthi episcopum.

(5) Ibid. pagg. 447—448.

(6) Ibid. pagg. 449—450, ubi verbis utitur Gregorii nazianzeni ex oratione de Filio.

(7) Ibid. p. 450, ubi testimonio pugnat Gregorii nysseni ex libro ad Simplicium.

III.

Simillima est Anastasii sinaitae doctrina, qui illud (1) in Ὀδηγῷ praemittit: Traditionem catholicae ecclesiae talem non esse, quae in omnibus sectetur complectaturque graecorum philosophorum definitiones, *και μαλιστα ἐν τῳ κατα Χριστον μυστηριῳ, και τῳ τριαδικῳ λογῳ, praesertim vero in disputatione de* (2) *mysterio Christi sanctaeque Trinitatis;* sed suas quasdam sequi regulas ex evangelicis et apostolicis fontibus deductas. Mysterium enim de Trinitate omnes *φυσικους ὁρους και νομους, naturales definitiones legesque* praetergreditur. Quod quum haeretici non animadverterint, *ἐπλανηθησαν, a recto tramite exciderunt* ».

Post quae (3) subdit: in eo patres a philosophis nominatim discessisse, quod quum his *οὐσια* idem sit ac singularis substantia et individuum quodlibet, uti Plato; contra vero « *φυσις και οὐσια και γενος, και μορφη ἑν και το αὐτο εἰσιν ἐν τοις ἐκκλησιαστικοις δογμασιν, natura et essentia et genus et forma unum idemque sunt in ecclesiasticis dogmatibus.* Sicut autem natura dicitur *δια το πεφυκεναι και εἰναι, a nascendo et existendo;* sic et *οὐσια, ὡς οὖσα, και ἐν ἀληθειᾳ γνωριζομενη, essentia, quasi ens, et quae vere esse intelligitur* ».

(1) Cap. I. p. 16. edit. Gretseri.

(2) Cuius mysterii nomine intelligitur divina incarnatio, qua Verbum factum carnem profitemur.

(3) Ibid. capp. II—VIII. pagg. 20—55. Consonat Theodoritus, apud quem in dialogo, cui titulus, Ἄτρεπτος, postulante Eraniste, *ἐχει τινα διαφοραν ἡ οὐσια προς την ὑποστασιν; est ne aliqua differentia inter essentiam et hypostasim?* reponit Orthodoxus p. 7. t. IV. opp. edit. Halae 1772: « *κατα μεν την θυραθεν σοφιαν, οὐκ ἐχει, ἡ τε γαρ οὐσια το ὀν σημαινει, και το ὑφεστος ἡ ὑποστασις· κατα δε γε την των πατερων διδασκαλιαν, ἡν ἐχει διαφοραν το κοινον ὑπερ το ἰδιον, ἡ το γενος ὑπερ το εἰδος ἡ το ἀτομον, ταυτην ἡ οὐσια προς την ὑποστασιν ἐχει, secundum exterorum quidem sapientiam nulla est: nam essentia id quod est significat, et id quod subsistit est hypostasis. At secundum patrum doctrinam, sicut differunt commune et proprium, vel genus et species ac individuum, ita differunt essentia et hypostasis* ».

IV.

Quapropter si horum gravissimum sane testimonium alicuius penes nos momenti est, arbitrabimur, nomen quidem της ουσιας, *essentiae*, commune fuisse tam philosophis quam patribus, sed diversa ab utrisque significatione usurpatum.

Usurparunt illud patres, sed ut quod *unicum, absolutum* et *commune* est, demonstrarent: ut *infimam* exprimerent *speciem,* quae a graecis ειδος ειδικωτατον, a Scholasticis *species specialissima* nuncupatur: paucis, ut notionem exhiberent *universalem,* quae pluribus competit numero distinctis, deque iis effertur, quum *quid res sit*, in quaestionem adducitur.

Usurparunt et philosophi, sed ut *individuum* denotarent, quod mos illis erat ατομον και καθεκαστον dicere, hisque verbis circumscribere: *ut ουσια sit*, *quod neque in subiecto est*, qua conditione ab accidente seiungitur, *neque de subiecto effertur,* qua posteriori negatione a specie proxima separatur, quae de subiecto dicitur, quum de pluribus numero secretis aut enuncietur *actu*, vel enunciari *virtute* possit.

At vero Joannes Clericus in (1) notis, quibus non illustravit sed infecit, non absolvit sed pervertit eximium Petavii opus dogmatum theologicorum, negat haberi fidem posse Anastasio et Theoriano, additurus, nihil dubito, pro ea qua erat modestia, et Damascenum, si huius quoque suffragium Petavius adhibuisset.

Sed cur? quod, reponit, « anceps nemini esse debeat, ουσιαν eodem sensu occurrere apud philosophos, eodem apud christianos. Quum enim philosophi loquuntur de essentia communi pluribus individuis, vocem ουσιαν adhibent, et ita etiam vocant singulares substantias. Liquet hoc ex loco (2) Aristotelis, unde allata verba (3) a Petavio deprompta sunt, ubi *primas* ουσιας vocat essentias vel substantias *existentes*,

(1) Cf. septimam adnotationem subiectam capiti secundo libri quarti de Trinitate.

(2) In libro Categoriarum, capite *de essentia.*

(3) De Trinit. lib. IV. cap. II. §. II.

quales sunt singula individua, *secundas* vero genera et species, quae sunt substantiae *in abstracto* consideratae.

Sic autem loquuntur quoque christiani, qui modo *οὐσιαν abstracte* considerant, quasi pluribus communem, modo *concrete*, quasi individui alicuius substantiam ». Quam ego litem maioris revera ponderis quam prima fronte videatur, uno alterove proposito demonstratoque theoremate dirimendam suscipio.

V.

THEOREMA I.

Certis liquet testimoniis, nomen οὐσιαν a patribus de divina Trinitate disserentibus plus semel adhiberi, ut ἀτομον και ὑποστασιν exprimant, idque designent, quod proxima directaque notione multiplex est, relativum ac proprium.

DEMONSTRATIO.

Quoniam nonnisi testibus evinci comprobarique theorema potest, neminem Origeni praeferam, qui ista (1) expendens Joannis (2) de Filio verba, *erat lux vera*, scribit: « Quia vero lux simpliciter hoc in loco Servator, in ipsius vero Johannis catholica (3) epistola, Deus lux esse dicitur, *ὁ μεν τις οἰεται και ἐνθευτεν κατασκευαζεσθαι τῃ οὐσιᾳ μη διεστηκεναι του υἱου τον πατερα*, *alius quidem existimat etiam hinc colligi, Patrem a Filio essentia non differre.* Qui vero et diligentius observarit, et rectius loquutus fuerit, dicet: *οὐ ταὐτον εἰναι το φαινον ἐν τῃ σκοτιᾳ φως, και μη καταλαμβανομενον ὑπ' αὐτης, και το φως, ἐν ᾡ οὐδαμως ἐστι σκοτια*, *non idem esse lucem, quae in tenebris luceat, ab illis non apprehensam, et lucem in qua haudquaquam sint tenebrae* ». Quibus Adamantius improbat, neque ferri posse contendit, ut Pater ac Filius *τῃ οὐσιᾳ essentia* idem esse censeantur.

(1) In Ioh. T. II. n. 18. p. 76. opp. T. IV. edit. Paris. 1759.
(2) Ioh. I. 9.
(3) I. Ioh. I. 5.

Verum ideo ne quod in haeresi versaretur, quae arianorum deinceps vel tritheitarum fuit? minime profecto, quum eiusdem testimoniis, in quibus nihil desideres, Bullus (1) ac Maranus (2) ostenderint, Origenem inter nobilissimos assertores monarchiae non minus quam consubstantialitatis connumerari oportere. Qua igitur mente, quove scopo negavit, Patrem a Filio ουσιᾳ non differre? quod ουσιας nomen *ad personam* significandam adhibuerit.

Atque istud I. ex haeresi efficitur quam refellit. Oppugnat siquidem Noetum et ab eo disseminatos noetianos, qui quum, referentibus (3) Hippolyto, Epiphanio (4) ac (5) Theodorito, statuerent, *τον Χριστον αὐτον εἰναι τον πατερα, και αὐτον τον πατερα γεγεννησθαι και πεπονθεναι και ἀποτεθνηκεναι, Christum eumdem esse Patrem, ipsumque Patrem genitum esse, passum, et mortuum;* tamquam synonyma habebant *ουσιαν και ἀτομον, essentiam et personam*, eoque sensu Patrem ac Filium unum idemque esse *τῃ ουσιᾳ* contendebant, ut quod inter personas existit discrimen, radicitus convellerent. Hinc illa, quibus Noetus presbyteris eum increpantibus (6) respondit: *quid mali feci? unum Deum veneror, unum novi, και οὐκ ἀλλον πλην αὐτου, γεννηθεντα, πεπονθοτα, ἀποθανοντα, nec praeter ipsum alterum natum, passum, mortuum.*

Efficitur II. ex orationis serie, qua explicatur vis phraseos, *τῃ ουσιᾳ μη διεστηκεναι του υἱου τον πατερα, essentia non distare a Filio Patrem.* Sic enim explicatur ut significet, *ταὐτον εἰναι, idem penitus esse* Filium, sive lucem in tenebris lucentem, et Patrem, sive lucem in qua nullae sunt tenebrae. Atqui ista manifeste referunt *υἱοπατοριαν* et unionitarum (7) haeresim, ostenduntque luculenter, formula, *ταὐ-*

(1) Defens. fidei nicaenae, de Filii *τω ὁμοουσιῳ*, sect. II. cap. IX.

(2) De divinit. D. N. I. C. lib. IV. capp. XIV—XVII.

(3) Serm. con. Noetum, §§. I. seqq. opp. T. II. pagg. 5 seqq. edit. Alberti Fabricii.

(4) Haeres. LVII. p. 479. opp. T. I. edit. Petavii.

(5) Haeret. Fabul. lib. III. cap. III.

(6) Apud Epiphanium, l. c.

(7) Cf. Philastrium, Haeres. LIII, et Augustinum, Haeress. XXXVI—XLI.

τον εἶναι, *idem* (1) *esse*, quodvis subverti discrimen non naturae solum, verum etiam personae inter utramque lucem. Probe igitur, ac uti orthodoxum decebat, negavit Origenes, Filium ταὐτὸν εἶναι cum Patre, atque hoc sensu non differre a Patre τῇ οὐσίᾳ, *secundum essentiam.*

Quamquam III. et alia suppetebat causa, propter quam ab essentia Filii essentiam Patris Origenes distingueret, ac Patrem Filiumque duas esse luces his verbis (2) ediceret: « Apertius autem Patrem et Filium δυο φωτα τυγχανειν, *duas existere luces*, his docebimur quae habet (3) David psalmo quinto et trigesimo, *in lumine tuo videbimus lumen* ». Licet enim una ac singularis sit Patris Filiique essentia ac natura; aliter tamen in Patre ac aliter subsistit in Filio, et alias in Patre ac alias in Filio proprietates habet ac notas. Nihil igitur in eo absurdi, nihil a sinceritate catholicae professionis alieni, si spectatis hypostaticis tesseris, essentia Filii ab essentia Patris distinguatur.

Praesertim quum eiusmodi distinctio huc tandem redeat, ut Filius *essentia de essentia* ac *lux de luce* existimetur. Quae autem hisce dicendi modis distinctio exprimitur, non eo pertinet, ut alia numero credatur essentia Patris ac Filii alia; sed ut substantiva Filii e Patre progressio, atque huius ab illo non nominalis et nuda considerandi varietate constans, sed vera atque realis secundum hypostasim *differentia* demonstretur.

Quae adversus noetianos eo erat urgenda vehementius, quo ipsi acrius illam insectabantur, et quo longius periculum aberat, ne multiplicari natura divina videretur. Oeconomia namque personarum in discrimen veniebat, non monarchiae δογμα, quod principii instar exploratae que anticipationis ab orthodoxis iuxta ac ab hereticis ducebatur.

(1) Quae formula in animum suapte sponte revocat noetianum et sabellianum ταὐτουσιον και μονουσιον, cui nicaeni patres opposuere catholicum ὁμοουσιον.

(2) In Ioh. T. II. n. 18. p. 76.

(3) Ps. XXXV. 10.

VI.

Sed non hoc dumtaxat loco οὐσιας nomine personam designavit Origenes, sed tum etiam quum commentario (1) explanans insigne (2) effatum, *omnia per ipsum facta sunt*, inter cetera scripsit: « Erit autem etiam aliquis tertius, praeter hos (3) duos, eum scilicet qui per Verbum factum fuisse Spiritum sanctum concedit, et eum qui non factum eum existimat, statuens *μηδε οὐσιαν τινα ἰδιαν ὑφεσταναι του ἁγιου πνευματος ἑτεραν παρα τον πατερα και τον υἱον*, *nullam essentiam constare Spiritus sancti propriam, quae a Patre et Filio diversa sit;* sed si animum advertat, potius existimabit, *ἑτερον εἰναι τον υἱον παρα τον πατερα*, *diversum esse a Filio Patrem,* quod is idem quod Pater sit, *ὁμολογουμενως διαιρεσεως*

(1) In Ioh. T. II. n. 6. pagg. 60—61.

(2) Ioh. I. 3.

(3) Ad haec intelligenda iuverit retulisse quae proxime antecedunt: « Quaerendum est et illud, an ipse etiam Spiritus sanctus per ipsum sit factus, verum quum sit, omnia per Verbum facta fuisse. Ac meo quidem iudicio, si quis dicat factum esse Spiritum sanctum, et admittat omnia per Verbum facta fuisse, is etiam fateatur necesse est, Spiritum ipsum a Verbo factum, nimirum Verbo ipso antiquiore existente ipso Spiritu. Qui vero noluerit Spiritum sanctum per Christum fuisse factum, sequitur, ut is vera credens, quae in hoc evangelio sunt scripta, Spiritum ipsum *ἀγεννητον*, *ingenitum* asserat ». Quibus postremis verbis hanc subiicit adnotationem Huetius: « Si per *ἀγεννητον*, *non creatum*, vel *non genitum* intelligas, Spiritui sancto conveniet: si pro eo quod principio caret usurpetur, non item. Hinc est, cur eam appellationem a Spiritu sancto vetusti patres removeri velint. Basilius quidem Hom. XVII. contra Sabell. idcirco Spiritum sanctum ab hoc vocabulo prohibet, quod haec captum humanae mentis superent: Theodoritus autem dialogo III, quod vox eiusmodi in Scripturis sacris Spiritui sancto minime tribuatur ». Sed non erat, cur Huetius ambigeret, quo sensu *το ἀγεννητον* ab Origene de Spiritu sancto usurpetur. In tota enim orationis serie opponitur *τω γενητω*, ac idem propterea valet ac non creatum neque factum. Caeterum ea aetate scripsit Origenes, qua nondum anxie secernebantur *ἀγεννητον και ἀγενητον*, quemadmodum fieri deinceps consuevit, ut inter reliquos testis est Photius in prima ad Amphilochium quaestione, n. 29. p. 37. apud Mai. T. I. Script. Veterum. Part. II.

δηλουμενης του ἁγιου πνευματος παρα τον υἱον ἐν τῳ, *quod sine controversia distinctio declaretur Spiritus sancti a Filio hoc* (1) *loco*: qui verbum dixerit in filium hominis, dimittetur ei; qui autem blasphemiam dixerit in Spiritum sanctum, non dimittetur ei nec in hoc seculo, nec in futuro, ἡμεις μεντοιγε τρεις ὑποστασεις πειθομενοι τυγχανειν, τον πατερα, και τον υἱον, και το ἁγιον πνευμα, και ἀγεννητον μηδεν ἑτερον του πατρος εἰναι πιστευοντες, ὡς εὐσεβεστερον και ἀληθες, προσιεμεθα το, παντων δια του λογου γενομενων, το ἁγιον πνευμα παντων εἰναι τιμιωτερον, και ταξει παντων των ὑπο του πατρος δια Χριστου γεγενημενων, *nos autem qui tres personas, Patrem et Filium atque Spiritum sanctum esse credimus, et* (2) *ingenitum nihil praeter Patrem esse nobis persuasimus; Spiritum sanctum et iis omnibus quae per Verbum facta sunt, et ordine* (3) *iis omnibus*

(1) Matth. XII. 32.

(2) Eamdem sententiam repetit Origenes de Principiis, lib. I. cap. II. inquiens : « Ita ergo et a Patre Filii subsistentia generatur, quod necesse est inprimis suscipi ab his, qui nihil ingenitum, idest, innatum praeter solum Deum Patrem fatentur ». Eamdem citat Pamphilus in apologia pro Origene, et communem illam fuisse priscis scriptoribus auctor est Athanasius in libro de Synodis ariminensi et seleuciensi, et in altera adversus arianos oratione, in qua illis hoc tribuit effatum : ἑν το ἀγεννητον ὁ πατηρ, *una res est infecta Pater*. Quo autem sensu illud sumerent, his verbis explanare pergit : « Non ignoramus eos qui dixerunt, unam esse rem infectam Patrem, non ita scripsisse, quasi Verbum factum et conditum sit, ἀλλ' ὁτι μη ἐχει αἰτιαν, *sed quia Pater caussam auctoremque non habet* ». Unde ferri iudicium potest de Hieronymi contra Originem censura, quam in epistola LIX. ad Avitum proponit, inquiens : « De Spiritu sancto quum ignorare se dicat, utrum factus sit an infectus, in posterioribus quid de eo sentiret, expressit, nihil absque solo Patre infectum esse confirmans ». Atqui innoxia ista sunt ac plane orthodoxa, ostenduntque Hieronymum severius in Origenem animadvertisse.

(3) Duo brevissime adnotabo, ac I. Spiritum sanctum ab Origene dici δια του λογου γενομενον, generali significatione, ἀπο του γινομαι, *sum, existo*, qua id exprimitur omne, quod ab alio ac per alium existit; minime vero significatione speciali, qua γενομενον idem est ac ποιητον και κτιστον, factum ac ex non extantibus productum. Deinde II. Origenis formulam, Spiritum sanctum esse δια του λογου, solemnem fuisse non graecis mo-

quae a Patre per Christum condita sunt, praestantiorem esse, ut pium verumque concedimus et approbamus ».

Ubi nihil evidentius quam οὐσιαν ad personam significandam adhiberi. Id enim I. evincit scopus, quem sibi Origenes praefixum habet. Haereticos namque adgreditur, quos Tertulliani verbis non inepte dixeris *vanissimos monarchianos*, utpote qui Spiritum sanctum ita cum Patre Filioque confunderent, ut hypostasim propriam ab utriusque personis distinctam illi detraherent.

Evincunt II. diserta verba, quibus declarat Origenes, eam quoque distinctionem Spiritus sancti a Patre et Filio e medio sustulisse haereticos, quam Patrem inter Filiumque diffiteri iidem penitus non audebant, et qua credimus ἑτερον εἰναι τον υἱον παρα πατερα, Filium alium esse a Patre. Atqui haec Patrem inter Filiumque distinctio non alia est quam *personae*. Hanc igitur haeretici inter Spiritum sanctum et Patrem Filiumque negabant; hanc defendit Origenes quum Spiritui sancto vindicavit οὐσιαν ἑτεραν παρα τον πατερα και τον υἱον.

Evincunt III. ea, quibus suam sententiam candide promit, inquiens : « Nobis autem persuasum est, Patrem et Filium sanctumque Spiritum τρεις ὑποστασεις τυγχανειν, *tres esse hypostases* ». Collatione enim liquet idem valere Spiritum sanctum propria constare essentia, eaque diversa ab essentia Patris et Filii, ac Patris, Filii et sancti Spiritus tres esse distinctas hypostases.

do patribus, verum etiam latinis, e quorum numero Tertullianus con. Praxeam, cap. IV. scribit : *Spiritum non aliunde puto quam a Patre per Filium.* Quae cogitandi loquendique ratio eo spectat, ut tam Patri quam Filio suum ἀξιωμα, suaque personalis proprietas vindicetur. Vindicatur Patri ἀξιωμα et dignitas, qua princeps fons est, *ex quo* omnia sive divina sive creata. Vindicatur et Filio nota ac hypostatica tessera, qua, ut Origenes subdit, μονος est crediturque μονογενης, idest, μονος ἐκ μονου, atque adeo Filius. Ut enim monet Huetius, Basilius epist. XLIII, Gregorius nyssenus lib. I. con. Eunomium, Epiphanius in Ancorato, Augustinus de Trinit. lib. XV. cap. XXVI, et con. Maximinum lib. III. cap. XIV., aliique inde Filium dici ac esse Filium colligunt, quod *ex uno* oriatur, Spiritum vero sanctum nec dici Filium nec esse, quod *ex duobus* procedat.

Neque minus IV. ad hoc ipsum evincendum spectant, quae de iis habet, qui perturbatis confusisque personis, gloriae Christi sibi maxime consulere videbantur. Ait (1) enim: « Nullatenus vero hi pro Christo stare existimandi sunt, qui Deo gloriam ac honorem exhibere se credentes, falsa de ipso sibi finguut; *ὁποιοι εἰσιν οἱ συγχεοντες πατρος και υἱου ἐννοιαν, και τῃ ὑποστασει ἑνα διδοντες εἰναι τον πατερα και τον υἱον, τῃ ἐπινοιᾳ μονῃ και τοις ὀνομασι διαιρουντες το ἑν ὑποκειμενον*, *cuiusmodi sunt qui* (2) *Patris Filiique notionem confundunt, et unam Patris Filiique hypostasim* (3) *esse statuunt, sola cogitatione, solisque nominibus unam rem dividentes* ». Quibus in id incumbit Origenes, ut realem hypostaseon Trinitatem adversus haereticos defendat, qui illam ad nominum cogitationumque trinitatem detrudebant.

Ac in id pariter (4) imcumbit, scribens: «Hinc solvi potest illud, quod perturbat multos profitentes se Dei amantes esse, ac verentes duos (5) praedicare Deos, et propter hoc in falsa et impia dogmata incidentes; vel negantes *ἰδιοτητα υἱου ἑτεραν παρα την του πατρος, ὁμολογουντας θεον εἰναι*

(1) In Matth. Tom. XVII. n. 14. p. 789· opp. T. III.

(2) Noetianos rursum petit, de quibus consuli possunt Rufinus in Symb. apostolici explicat. ad primum articulum, et Ferrandus carthaginiensis diaconus in epist. ad Severum.

(3) Vetus interpres sic habet: *quales sunt haeretici, qui confundunt Patris et Filii substantiam.* Perperam omnino, subdit Huetius, *subsistentiam* enim, non *substantiam* reddere debuerat, ut a clarissimo viro Henrico Valesio in luculento annotationum ad Eusebium opere observatum est. Atqui erat cur uterque et Valesius et Huetius considerarent, Hilario, Augustino, aliisque quarti quintive seculi latinis scriptoribus in more fuisse, graecum nomen ὑποστασιν latine *substantiam* reddere. Conferri possunt quae habent Hilarius de Trinit. lib. IV. nn. 12—13, in op. hist. fragmento II. n. 27, Augustinus de Trinit. lib. V. n. 10, et Anselmus, qui de fide Trinitatis, cap. IX. ait: « Haec tria latini dicunt personas, graeci *substantias.* Sicut enim dicimus nos in Deo substantiam unam, tres personas; ita illi dicunt unam essentiam, tres substantias: idipsum ibi per substantiam, quod nos per personam significantes, nec a nobis aliquatenus in fide discrepantes ».

(4) In Ioh. T. II. n. 2. p. 50.

(5) Cuiusmodi erant noetiani permoti maxime testimoniis Scripturarum, Ex. III. 6, XX. 30, Is. XLV. 5—14, Baruch III. 36.

τον μεχρι ὀνοματος παρ' αὐτοις υἱου προσαγορευομενον · ἢ ἀρνουμενους την θεοτητα του υἱου, τιθεντας δε αὐτου την ἰδιοτητα, και την οὐσιαν κατα περιγραφην τυγχανουσαν ἑτεραν του πατρος, *proprietatem* (1) *Filii esse aliam a Patris proprietate , confitentes Deum esse nomine tenus , qui apud ipsos Filius appellatur; vel negantes* (2) *Filii divinitatem, et ponentes ipsius proprietatem, et essentiam per circumscriptionem existere aliam a Patre* ».

VII.

Res igitur erat Origeni tam cum iis, qui arianis proludentes, Filii divinitatem negabant, et Trinitatem ἑτερουσιαν comminiscebantur, quam cum iis qui Noetum sequuti, Trinitatem ad nominum cogitationumque multitudinem redigebant. Hos dum impetit ac expugnat, tamquam vocabula potestate synonyma usurpat οὐσιαν, ὑποστασιν, ὑποκειμενον, ἰδιοτητα, και οὐσιαν κατα περιγραφην.

Quae postrema formula digna est, quae studio aliquo illustretur. Itaque οὐσια κατα περιγραφην est diciturque *essentia* suis *circumscripta* ac definita proprietatibus, per se cohaerens ac subsistens: essentia quae ad rationem communem absolutamque adiunctam habet rationem propriam ac relativam, qua ὑποστασις constituitur.

Hanc illius formulae explicationem ipsemet (3) suppeditat Origenes, quum declarans quid του λογου nomine intelligi apud Johannem debeat, inquit: « και ἐτι εἰς το παραδεξασθαι

(1) Adhibebat Origenes abstractum nomen την ἰδιοτητα pro concreto nomine της ὑποστασεως, idque ex recepto in ecclesia loquendi usu, de quo in priore dialogo, p. 8. scribit Theodoritus: την γαρ ὑποστασιν, και το προσωπον, και την ἰδιοτητα ταυτον σημαινειν φαμεν τοις των ἁγιων πατερων ὁροις ἀκολουθουντες, *nam hypostasim et personam et proprietatem idem significare dicimus, sanctorum patrum doctrinam sequentes.*

(2) Apposite idem Origenes lib. VII. in epist. ad Rom. cap. IX. ait: « Miror quomodo quidam legentes quod idem Apostolus in aliis dicit, *unus Deus Pater ex quo omnia, et unus Dominus Iesus Christus per quem omnia,* negent filium Dei Deum debere profiteri, ne duos Deos dicere videantur ».

(3) In Ioh. Tom. I. n. 42. p. 47.

τον λογον ἰδιαν περιγραφην ἐχοντα, οἱον τυγχανοντα ζην καθ᾽ ἑαυτον, λεκτεον και περι δυναμεων, οὐ μονον δυναμεως, atque ut intelligamus Verbum propriam habere circumscriptionem, quippe quum per se vitam habeat, dicendum etiam est de potentiis, non solum de potentia. Haec dicit Dominus potentiarum, multis in locis ponitur, nomine *potentiarum* intellectis quibusdam divinis animantibus, quae rationis sunt capacia, quibus superior et praestantior Christus est, non tantum *sapientia* Dei, sed etiam *potentia* dictus. *ὥσπερ οὖν δυναμεις θεου πλειονες εἰσιν, ὧν ἑκαστη κατα περιγραφην, ὧν διαφερει ὁ σωτηρ, οὕτως και λογος, εἰ και ὁ παρ᾽ ἡμιν οὐκ ἐστι κατα περιγραφην ἐκτος ἡμων, νοηθησεται ὁ Χριστος δια τα προεξητασμενα, ἐν ἀρχῃ τῃ σοφια την ὑποστασιν ἐχων, uti igitur virtutes complures sunt, quarum singulae circumscriptionem habent, a quibus differt Servator; sic etiam Verbum, quamquam verbum quod nobis inest, non habeat circumscriptionem extra nos, intelligetur Christus, iuxta ea quae antea indagavimus, hypostasim habens in Principio, hoc est in Sapientia* ».

Ubi et oppositio inter Verbum divinum verbumque humanum, quod propria extra hominem circumscriptione caret, et deducta ab Origine conclusio, suam Verbo divino hypostasim esse, perspicue ostendunt, *οὐσιαν κατ᾽ ἰδιαν περιγραφην* idem valere ac *essentiam undequaque circumscriptam*, suis insignem tesseris, veramque hypostasim. Quam ut Verbo Origenes sollicite assereret, ii maxime haeretici postulabant, qui ceteris omnibus (1) Filii appellationibus appellationem Verbi idcirco praeferebant, quod (2) arbitrarentur « *προφοραν πατρικην οἱονει ἐν συλλαβαις κειμενην εἶναι τον υἱον του θεου, και κατα τουτο ὑποστασιν αὐτῳ, εἰ ἀκριβως αὐτων πυνθανοιμεθα, οὐ διδοασιν, οὐδε οὐσιαν αὐτου σαφηνιζουσιν, οὐδεπω φαμεν τοιονδε, ἢ τοιανδε, ἀλλ᾽ ὅπως ποτε οὐσιαν, Fi-*

(1) Hi prae ceteris fuere Valentiniani, Marcosiani, Colarbasii, quemadmodum testes sunt locupletes Irenaeus lib. I. cap. X, Epiphanius Haeres. XXXIV. §. IV, Philastrius Haeres. LXIV., et Hilarius de Trinit. lib. X. Idcirco autem appellationem Verbi reliquis omnibus anteferebant, quod illam opportuniorem arbitrarentur stabiliendae haeresi, qua Filio propriam hypostasim detrahebant.

(2) In Ioh. Tom. I. n. 23. pagg. 25 –26.

lium Dei paternam prolationem esse tamquam in syllabis positam, et idcirco hypostasim, si accurate interrogarentur, illi non tribuebant, neque essentiam eius explanabant, aut hanc illamve esse docebant, sed quomodocumque essentiam ». Ut igitur Filio propriam veramque hypostasim Origenes vindicaret, delectuque verborum haereticos ad incitas redigeret, non οὐσιαν modo, sed οὐσιαν κατα περιγραφην eidem adscripsit.

Quibus verbis hypostasim revera efferri, testis praeterea est Basilius ea in (1) epistola, quam dedit ad Gregorium nyssenum fratrem, quaeque inscribitur, περι διαφορας οὐσιας και ὑποστασεως, *de discrimine essentiae ac hypostasis.* Etenim (2) κοινοτητι της φυσεως, *communitati naturae* opponit την περιγραφην, *circumscriptionem ;* quemadmodum *homini*, quod vocabulum καθολικωτεραν τινα την σημασιαν εχει, *generaliorem quamdam notionem praefert*, opponitur *Petrus*, quo certus definitusque homo circumscribitur. Sed nolo Basilii verba praetermittere, quae talia sunt : « Ex omnibus nominibus, alia de rebus pluribus et numero differentibus dicta, notionem quamdam generaliorem habent, velut homo. Qui enim hominem dixit, communi natura eo nomine indicata, οὐ περιεγραψε τη φωνη τον τινα ἀνθρωπον, τον ἰδιως ὑπο του ὀνοματος γνωριζομενον, *non circumscripsit hac voce certum quemdam hominem, proprie isto nomine designatum.* Non enim magis Petrus homo est, quam Andreas . . . Itaque communitas rei significatae similiter omnes, qui eodem nomine recensentur, comprehendens, subdivisionem postulat, per quam non hominem generatim, sed Petrum aut Johannem cognoscamus.

(1) Epist. XXXVIII. al. XLII. pagg. 115. seqq. T. III. opp. edit. Paris. 1730. De hac autem epistola censet Henricus Ritter Hist. Philosoph. Christ. lib. V. cap. IV. p. 79. edit. Paris. 1844. illam Gregorio potius nysseno quam Basilio tribuendam esse. Sed facies dictionis est prorsus basiliana, et ab ea, quae propria est Gregorii, summopere discrepat. Ad haec in mss. codicibus Basilio constanter asseritur. Cui pariter asseritur a patribus Synodi chalcedonensis, qui Part. III. cap. I. testantur, *magnum Basilium, gratiae ministrum, in epistola hypostaseon differentiam explanasse.*

(2) Epist. cit. n. 2. pagg. 115—116.

Alia vero nomina ἰδικωτέραν ἔχει τὴν ἔνδειξιν, δι' ἧς οὐχ ἡ κοινότης τῆς φύσεως ἐνθεωρεῖται τῷ σημαινομένῳ, ἀλλὰ πράγματός τινος περιγραφὴ, μηδεμίαν ἔχουσα πρὸς τὸ ὁμογενὲς, κατὰ τὸ ἰδιάζον, τὴν κοινωνίαν, οἷον ὁ Παῦλος, ἢ ὁ Τιμόθεος, *magis peculiarem habent notionem, qua non communitas naturae consideratur in re significata, sed cuiusdam rei circumscriptio nullam habens cum eo quod similis est naturae, in eo quod proprium est, communionem, veluti Paulus aut Timotheus.* οὐκέτι γὰρ ἡ τοιαύτη φωνὴ ἐπὶ τὸ κοινὸν τῆς φύσεως φέρεται, ἀλλὰ χωρίσασα τῆς περιληπτικῆς σημασίας, περιγεγραμμένων τινῶν πραγμάτων ἔμφασιν διὰ τῶν ὀνομάτων παρίστησιν, *neque enim eiusmodi vox in naturam communem fertur, sed a generali significatione separans rerum quarumdam circumscriptarum notionem nominibus declarat.* Itaque quum duobus aut etiam pluribus simul coniunctis, puta, Paulo et Silvano et Timotheo, inquiritur essentiae humanae definitio, non aliam quis in Paulo reddet essentiae rationem, aliam in Silvano, et aliam in Timotheo, sed quibus verbis Pauli essentia ostensa fuerit, eadem etiam aliis convenient, καὶ εἰσὶν ἀλλήλοις ὁμοούσιοι, οἱ τῷ αὐτῷ λόγῳ τῆς οὐσίας ὑπογραφόμενοι, *ac inter se consubstantiales sunt, qui eadem essentiae ratione designantur.* Ubi vero quis eo, quod commune est, intellecto, ἐπὶ τὰ ἰδιάζοντα τρέψῃ τὴν θεωρίαν, δι' ὧν χωρίζεται τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον, οὐκέτι ὁ ἑκάστου γνωριστικὸς λόγος τῷ περὶ τοῦ ἄλλου διὰ πάντων συνενεχθήσεται, κἂν ἔν τισιν εὑρεθῇ τὸ κοινὸν ἔχων, *ad proprietatum se converterit considerationem, per quas alterum ab altero separatur; non iam amplius ratio, per quam unumquodque cognoscitur, cum ea ratione quae de alio profertur, per omnia consentiet, quamvis in aliquibus communitatem habere comperiatur* ».

Unde (1) subdit : « Hoc igitur dicimus, τὸ ἰδίως λεγόμενον τῷ τῆς ὑποστάσεως δηλοῦσθαι ῥήματι, *quod proprie dicitur, id hypostasis nomine indicari.* Qui enim hominem dixit, confusam quamdam ideam τῷ ἀορίστῳ τῆς σημασίας *indefinita significatione* auribus intulit, sic ut natura quidem eo nomine ostendatur, subsistens autem res et proprio no-

(1) Epist. cit. n. 3. pag. 116.

mine designata minime significetur. Qui autem Paulum dixit, ἔδειξεν ἐν τῷ δηλουμένῳ ὑπὸ τοῦ ὀνόματος πράγματι ὑφεστῶσαν τὴν φύσιν, *ostendit in re hoc nomine significata subsistentem naturam* ».

Quid igitur est subsistens natura, quidve hypostasis? haec est, reponit (1) Basilius, descriptio hypostasis: « οὐχ ἡ ἀόριστος τῆς οὐσίας ἔννοια, μηδεμίαν ἐκ τῆς κοινότητος τοῦ σημαινομένου στάσιν εὑρίσκουσα, ἀλλ' ἡ τὸ κοινόν τε καὶ ἀπερίγραπτον ἐν τῷ τινὶ πράγματι διὰ τῶν ἐπιφαινομένων ἰδιωμάτων παριστῶσα καὶ περιγράφουσα, *non indefinita essentiae notio, quae ob communitatem rei significatae nullam sedem reperit, sed quae quod commune in aliqua re et incircumscriptum est, per conspicuas proprietates restringit ac circumscribit* ». Quare memorata ab Origene οὐσία κατὰ περιγραφὴν definiri aptius non potest, quam si dicatur essentia suis notis propriisque tesseris ab eo, quod commune est, ad id quod proprium est significandum exhibendumque determinata atque restricta.

VIII.

Ne qua vero supersit dubitatio consuevisse Origenem οὐσίας nomine hypostasim significare, e re fuerit ad ea animum advertere, quae variis recensitis explanatisque Servatoris titulis, addit (2), inquiens: « μηδεὶς δὲ προσκοπτέτω διακρινόντων ἡμῶν τὰς ἐν τῷ σωτῆρι ἐπινοίας, οἰόμενος καὶ τῇ οὐσίᾳ ταὐτὸν ἡμᾶς ποιεῖν, *nemo autem offendatur quod secernamus in Salvatore varias illius considerandi* (3) *rationes, arbitratus idem etiam quod ad illius essentiam attinet nos facere* ».

Propemodum diceret, plures quidem in Christo notiones secernimus, illumque pluribus exornamus nominibus pastoris, regis, sacerdotis; verum non ea mente ut illius οὐσίαν multiplicem esse significemus. E qua quidem orationis serie

(1) Ibid.

(2) In Joh. T. I. n. 31. p. 32.

(3) Propter quas multiplici titulo *pastoris, regis, sacerdotis*, . . . honestatur.

nihil manifestius, quam οὐσίαν pro hypostasi, proque persona usurpari.

Quo itidem sensu ea in disputatione (1) usurpatur, qua demonstrandum sibi Origenes sumit, προσευχὴν, *precationem*, a qua secernit δεήσεις, ἐντεύξεις, και εὐχαριστίας, *obsecrationes postulationes et gratiarum actiones*, uni Deo universorum, και τῷ αὐτοθεῷ offerri oportere. « Etenim, inquit, si intellexerimus quid sit προσευχή, *oratio*, μήποτε οὐδενὶ των γεννητων προσευκτεον ἐστιν, οὐδε αὐτῷ (2) τῷ Χριστῷ, ἀλλα μονῷ τῷ θεῷ των ὅλων και πατρι, ᾧ και αὐτος ὁ σωτηρ ἡμων προσηυχετο, και διδασκει ἡμας προσευχεσθαι, *forte nullus umquam genitus erit orandus, ac ne Christus quidem ipse, sed solus Deus omnium et pater, quem ipse etiam Salvator noster orabat, quemque nos orare docet* ». Adductisque verbis, quibus haec Salvatoris institutio (3) continetur, pergit: « Si enim, ut alibi (4) probatur, ἑτερος κατ᾽ οὐσιαν και (5) ὑποκειμενος ἐστιν ὁ υἱος του πατρος, ἤτοι προσευκτεον τῷ υἱῷ και οὐ τῷ πατρι, ἢ ἀμφοτεροις, ἢ τῷ πατρι μονῷ, *alius a Patre Filius est secundum essentiam, ac illi* (6) *subiicitur, aut orandus est Filius et non Pater, aut uterque, aut Pater solus* ».

Porro, subdit, neque primum, neque alterum quisquam rite dixerit « λεγεται τοινυν προσευχεσθαι μονῷ τῷ θεῷ τῷ των ὅλων πατρι · ἀλλα μη χωρις του ἀρχιερεως ὅστις μεθ᾽ ὁρκωμοσιας κατεσταθη ὑπο του πατρος κατα το · ὤμοσε, και οὐ μεταμεληθησεται · συ ἱερευς εἰς τον αἰωνα κατα την ταξιν Μελχισεδεκ, *reliquum est igitur, ut oretur solus Deus universorum pater, at non sine pontifice qui ab ipso Patre cum iu-*

(1) De oratione, n. 15. p. 222. opp. T. I.

(2) Quo sensu affirmaverit Origenes, non esse Christo offerendam προσευχὴν, multis declaravit Huetius Origenian. lib. II. q. II. n. 29, sed multo omnino illustrius Maranus de divinit. D. N. J. C. lib. IV. cap. XVI.

(3) Luc. XI. 1.

(4) In iis disputationibus, quas habuit contra noetianos.

(5) Haec est recepta in editionibus lectio, sed pro certo habeo scribendum esse ὑποκειμενον, quemadmodum argumentis paullo inferius comprobabo.

(6) Quae versio respondet vulgatae lectioni, atque adeo non secus ac illa mox corrigetur.

reiurando constitutus est, iuxta (1) *illud : iuravit et non poenitebit eum, tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* ».

Age iam, iisque in praesentia (2) sepositis, quae de orationibus habet uni Deo ac universorum Patri offerendis, quaeramus, quo ista spectent, *Filium esse alium a Patre* κατ' οὐσιαν. Etiamsi receptam vulgatamque lectionem sequaris, qua idem Filius continuo dicitur ὑποκειμενος του πατρος, videri tamen ambiguum non debet, heic non aliud significare κατ' οὐσιαν, quam *secundum personam*, και της ὑπαρξεως τροπον, *modumque existendi*.

Sane I. hanc της οὐσιας acceptionem Origeni non esse infrequentem, ex iis abunde constat quae hactenus recensuimus. Usitata igitur penes illum loquendi ratio hanc της οὐσιας interpretationem ultro permittit.

Quam II. analogia doctrinae atque concentus penitus efflagitant. Etenim nonnisi contra perspicuam (3) veritatem tribui Origeni potest, quod vel Filium Patri ἑτερουσιον crediderit, vel illum a Patre non minus persona quam natura distinxerit. Utrumque porro tenendum esset, si quod de Filio scribit, eum esse ἑτερον κατ' οὐσιαν του πατρος, de discrimine naturae essentiaeque acciperetur. Accipi igitur debet de discrimine hypostaseos ac personae.

Praesertim quum III. ista ἀμεσως praecedant, ὡς ἐν ἀλλοις δεικνυται. Atqui adversus noetianos nulla Origeni contentio fuerat de naturarum diversitate, sed de reali dumtaxat hypostaseon distinctione.

IX.

Quamquam non dubio sphalmate recepta vulgo lectio inficitur, et phrasi, ἑτερος κατ' οὐσιαν και ὑποκειμενος ἐστιν ὁ υἱος του πατρος, haec altera substitui debet, ἑτερος κατ' οὐ-

(1) Ps. CIX. 4.

(2) Cf. eruditi angli notas in Origenis librum de oratione, pagg. 917-918. opp. T. I.

(3) Qua de re consuli possunt Bullus in defens. fidei nicenae, sect. II. cap. IX, et Maranus de divinit. D. N. J. C. lib. IV. cap. XIV: inter

σιαν και ὑποκειμενον ἐστιν ὁ υἱος του πατρος. Profecto nihil facilius quam ν in ς convertere, et pro ὑποκειμενον scribere ὑποκειμενος. Quod autem eiusmodi permutatio atque adeo corruptela acciderit, luculentis rationum momentis comprobatur.

Inter quae a) illud principio occurrit, neque Originem, neque e patribus, quod noverim, alium, ut Filium Patri obnoxium *subiectumque* diceret, voce ὑποκειμενος, id est ὑποτεταγμενος usum esse. Abhorret igitur *ab usu loquendi* legere ὑποκειμενος, eamque vocem *de subiectione* Filii interpretari.

Neque minus b) *a rationibus grammaticis* abhorret, siquidem ὑποκειμενος quum idem valet ac ὑποτεταγμενος, *subiectus*, cum casu struitur non gignendi, sed dandi. Utitur autem Origenes constructione cum gignendi casu. Legi ergo apud eum debet, ἑτερος κατ' οὐσιαν και ὑποκειμενον του πατρος, minime vero, ἑτερος κατ' οὐσιαν και ὑποκειμενος του πατρος.

Eo vel magis c) quod ipse disputet non de subiectione Filii, sed de eiusdem a Patre distinctione, qua alius hypostasi est a Patre, et qua ipse γεννητος quum sit, Pater contra ἀγεννητος, και ὁ Θεος, και αὐτοθεος nuncupatur (1) et creditur. Vera igitur sinceraque lectio est ὑποκειμενον, ita ut Filius ab Origene dicatur ἑτερος του πατρος κατ' οὐσιαν και ὑποκειμενον, *alius a Patre essentia et subiecto* ac (2) *supposito*, quemadmodum se *alibi* ostendisse affirmat, quum videlicet (3) noetianos impeteret, qui tuebantur, Filium οὐσιᾳ

antiquiores ii, quos laudat Photius Cod. CXVIII, imprimis vero magnus Athanasius, qui in libro de decretis nicaenae synodi Origenem nobilissimis catholicae fidei adversus arianam perfidiam assertoribus connumerat.

(1) De oratione, n. 15. p. 222, in Joh. Tom. II. n. 2. p. 50, et Tom. I. n. 11. p. 12, ubi Filium vocat τον μετα τον πατερα των ὁλων Θεον λογον; ideo autem μετα τον πατερα, quia primo et per se universorum Deus est Pater, utpote αὐτοθεος: Filius secundo et per alium est universorum Deus, quia habet a Patre tamquam ab origine ut sit Deus, ac propterea creditur Θεος ἐκ Θεου.

(2) Ibid.

(3) In Joh. Tom. X. n. 21. p. 199. ubi noetianis tribuit quod docerent, μη διαφερειν τῳ ἀριθμῳ τον υἱον του πατρος, ἀλλ' ἑν, οὐ μονον οὐσιᾳ, ἀλλα και ὑποκειμενῳ τυγχανοντας ἀμφοτερους, κατα τινας ἐπινοιας διαφορους,

και ὑποκειμενῳ substantia ac supposito ἑν, *unum* esse cum Patre.

Quare noetiani ii sunt, quos in libello pariter de oratione adgreditur, et contra quos statuit, Filium ἑτερον esse a Patre καθ' οὐσιαν και ὑποκειμενον, idest, κατ' ὑποστασιν, sicuti totidem verbis antea (1) scripserat. Ac merito, quum οὐσια και ὑποκειμενον, vel quod eodem redit, της ὑπαρξεως τροπος constituant ὑποστασιν, quam Origenes appellat nunc quidem οὐσιαν simpliciter, nunc (2) ἰδιαν οὐσιαν, nunc (3) ἰδιοτητα, et (4) nunc ἰδιαν οὐσιαν κατα περιγραφην. Eius propterea doctrina sic habet: Filium, etsi cum Patre (5) unum sit οὐσιᾳ, *natura ac essentia;* nihilominus καθ' ἰδιοτροπον ὑποστασιν a Patre ἑτερον esse, ita ut (6) sint τῃ ὑποστασει

οὐ καθ' ὑποστασιν λεγεσθαι πατερα και υἱον, *numero non differre Filium a Patre, sed utrumque non solum substantia, sed etiam subiecto unum, secundum quasdam intelligentias, non secundum hypostasim distinctos dici Patrem et Filium.*

(1) Ibid.

(2) In Joh. T. II. n. 6. p. 61.

(3) Ibid. n. 2. p. 50.

(4) Ibid. T. I. n. 11, et T. II. n. 2. Porro Eusebius in omnem laudandi Origenis occasionem intentus, H. E. lib. VI. cap. XXXIII. refert, summo illum studio contendisse, ut Beryllum bostrorum in Arabia episcopum ab eo revocaret errore, quo statuebat, *Dominum ac Servatorem nostrum antequam inter homines versaretur,* μη προυφεσταναι κατ' ἰδιαν οὐσιας περιγραφην, *non substitisse in propriae personae differentia.* Scilicet, quae est Valesii animadversio, οὐσιας περιγραφη nihil est aliud quam substantiae differentia, unde Gregorius nyssenus in libro de differentia essentiae et subsistentiae, subsistentiam ita definit, ἡ το κοινον τε και ἀπεριγραπτον ἐν τῳ τινι πραγματι, δια των ἐπιφαινομενων ἰδιωματων ὑφεστωσα και περιγραφουσα. Et initio libri de arianis ita scribit: δια την των ὑποστασεων διαφοραν, και την κατα τας οὐσιας περιγραφην εἰσαγοντων. Videtur porrò Beryllus οὐσιαν accepisse pro persona, more seculi sui, quo οὐσια et ὑποστασις inter se confundebantur. Sed de Beryllo Cf. Petri Lazeri dissertationem.

(5) In Joh. Tom. X. n. 51.

(6) Con. Celsum lib. VIII. n. 12. p. 751: « Colimus igitur Patrem veritatis et Filium veritatem, ὀντα δυο τῃ ὑποστασει πραγματα, ἑν δε τῃ ὁμονοιᾳ, και τῃ συμφωνιᾳ και τῃ ταυτοτητι του βουληματος, *quae duae res sunt hypostasi, una vera consensione et concordia et voluntatis identitate* ».

δυο πραγματα, unus vero essentia Deus; quum una sit illa οὐσια, quae per ἰδιοτητας distinguitur, et κατα περιγραφην aliter in Patre ac aliter subsistit in Filio, indivisa tamen ac in utroque eadem: Pater enim, teste (1) Origene, ἀδιαιρετος και ἀμεριστος υἱου γινεται πατηρ, et ἀχωριστος ἐστι του υἱου ὁ πατηρ. Hinc quamvis Filium (2) nuncupet δευτεραν ὑποστασιν ac δευτερον θεον, ambos tamen, Patrem et Filium tradit (3) esse ἑνα θεον, *unum Deum.*

X.

Cum Origene in hanc, quam illustravimus nominis οὐσιας acceptionem, alterum conspiravit alexandrinae ecclesiae lumen Pierius, Pamphili martyris magister, et qui (4) seculo III. eruditionis fama eo usque inclaruit, ut Hieronymo (5) teste, *iunior Origenes* unanimi omnium ore salutaretur. De eo namque sic habet in Bibliotheca (6) Photius: « Multa quidem praeter ea, quae nunc in ecclesia (7) constituta sunt, antiquo fortasse more disseruit; ἀλλα περι μεν πατρος και υἱου εὐσεβως πρεσβευει, πλην οὐσιας δυο, και φυσεις δυο λεγει, *sed de Patre et Filio pie pertractat, quamquam duas essentias, naturasque* (8) *duas dicat:* essentiae naturaeque nomen, ut ex iis patet quae sequuntur, quaeque antecedunt, ἀντι της ὑποστασεως, *pro hypostasi,* minime vero arianorum ritu, usurpans ». Quae adeo luculenta sunt, ut de

(1) Apud Eusebium con. Marcellum, lib. I, cap. IV. p. 22. edit. Paris. 1628.

(2) Ibid. et in Matth. Tom. XIII. n. 19.

(3) Con. Celsum, lib. V. n. 39. p. 608, et lib. VIII. n. 12. p. 750. ἑνα ουν θεον, ὡς ἀποδεδωκαμεν, τον πατερα και τον υἱον θεραπευομεν, *unum igitur Deum, ut explicavi, Patrem et Filium colimus.*

(4) Apud Eusebium H. E. lib. VII. cap. XXXII.

(5) De script. ecclesiast. cap. LXXXVII.

(6) Cod. CXIX.

(7) Si formularum ratio habeatur, minime vero rerum, quae iisdem significantur.

(8) Quod videlicet non minus οὐσιαν quam φυσιν pro hypostasi sumeret, cuius acceptionis exempla omnino plurima referunt Petavius de Trinit. lib. IV. cap. II. lib. VI. cap. X. et Maranus lib. IV, cap. X. §. IX.

acceptione τῆς οὐσιας pro hypostasi apud Pierium dubitari non possit.

Neque admodum dubitari posse videtur, an non ipse etiam Hippolytus eadem significatione την οὐσιαν adhibuerit. Inter illius enim fragmenta, quae adhuc sunt reliqua, et istud (1) legimus: Το γαρ μυστηριον της θειας σαρκωσεως, ἀποστολοις τε, και προφηταις, και διδασκαλοις, διττην και διαφοραν ἐχον διεγνωσται την ἐν πασι φυσικην θεωριαν· ἀνελλιπους ὑπαρχον θεοτητος, και πληρους ἐνδεικτικον ἀνθρωποτητος ὀν. ἑως ἀν οὐχ εἱς κατα την οὐσιαν γνωριζεται λογος μιας ἐνεργειας, οὐδεποτε καθ' ὁτιουν ἀμφοτερων γνωσθησεται κινησις. Idest Anastasio interprete: « *Mysterium namque divinae incarnationis apostolis et prophetis atque doctoribus duplam ac diversam in omnibus habere naturalem theoriam dignoscitur, cum sit perfectae deitatis et plenae demonstrativum humanitatis. Quarum* (2) *donec unum secundum substantiam non* (3) *cognitum fuerit Verbum unius operationis, cum utriusque* sit, *numquam aliquando cognoscetur motus* ». Sed haec neque ab eutychiana labe, neque a monothelitica lue censeri possent exempta, nisi illud κατα την οὐσιαν de hypostasi, deque una personae Verbi theandrica operatione intelligerentur. Est igitur Hippolyto οὐσια idem ac hypostasis et persona.

(1) De Theolog. et Incarnat. con. Beronem et Helicem, §. IV. p. 467. apud Galland. T. II.

(2) Non *quarum*, uti habent editiones Sirmondi et Fabricii, sed *quamdiu* legendum esse Combefisius putat. Quod scilicet non adverterit, particulae ἑως, *quamdiu*, apud Anastasium respondere *donec*; pronomen vero *quarum* ab eo fuisse additum, ut sermoni lux affunderetur.

(3) Claudius Capperonnierus in animadversionibus ad Anastasii versionem latinam fragmentorum Hippolyti censet, lectioni ἑως ἀν οὐχ, substitui istam oportere, ἑως ἀν οὐν. Nam supra dixerat Hippolytus incarnationis mysterium διττην και διαφοραν ἐχειν θεωριαν, et constare divinitate atque humanitate Verbi. Negat itaque Verbum esse unum secundum substantiam: ait ruere mysterium, quamdiu agnoscatur Verbum unum secundum substantiam: ac illius propterea oratio hunc sensum fundit: « Quamdiu igitur unum secundum substantiam agnoscitur Verbum unius operationis, nulla umquam ratione cognoscetur ambarum motio ». Sed *a*) codices atque editiones habent οὐχ non οὐν: Anastasius *b*) legit οὐχ: et *c*) talis est haec lectio, e qua difficilior quidem, verus tamen sensus eruitur.

XI.

Ac idem quoque illi est, qui Ignatii epistolas interpolavit, et cuius ista (1) sunt verba: « Si adhuc iuxta legem iudaicam et circumcisionem carnis vixerimus, negamus nos gratiam accepisse. Divinissimi namque prophetae iuxta Jesum Christum vixerunt, et ob hoc persequutionem passi sunt, gratia inspirati, ut certi redderentur increduli, *ὅτι εἷς θεος ὁ παντοκρατωρ, ὁ φανερωσας ἑαυτον δια Ἰησου Χριστου του υἱου αὐτου, ὅς ἐστιν αὐτου λογος, οὐ ῥητος, ἀλλ' οὐσιωδης· οὐ γαρ ἐστι λαλιας ἐναρθρου φωνημα, ἀλλ' ἐνεργειας θεικης οὐσια γεννητη*, *quod unus Deus est omnipotens, qui seipsum manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est ipsius Verbum, non pronunciatum, sed substantiale: nec enim est articulati sermonis vox, sed divinae efficaciae genita essentia* ». Atqui, subdit (2) Cotelerius: « Usiam hoc loco de hypostasi dictam fuisse suadet participium *ὑποστησαντι*, quod sequitur in codice thuaneo, quodque agnoscit Barbarus interpres ». Immo suadet et appositum *γεννητον*, quod quum in hypostasim aptissime quadret, minus commode de essentia adhibetur. Usurpat ergo Pseudo-Ignatius *οὐσιαν*, ut hypostasim personamque demonstret.

Cuius usus testes accedunt (3) Marcellus ancyranus, Narcissus neroniadis episcopus, et Eusebius palaestinus; e quorum numero Marcellus (4) de Patre, deque Filio loquens, ait: *δυο οὐσιαι, και δυο πραγματα, και δυο δυναμεις, ὧν και τοσαυται προσηγοριαι*, *duae substantiae, res duae, potestates duae sunt, quae totidem nominibus discriminantur*. Narcissus vero in epistola ad Chrestum, Euphronium et Eusebium *τρεις εἶναι οὐσιας* tres esse essentias, Patrem et Filium et Spiritum sanctum (5) profitebatur. Eusebio denique

(1) Epist. ad Magnes. §.VIII. p. 58. T. II. Patrum Apostolic. edit. Antuerpiae. 1798.

(2) In subiecta adnotatione.

(3) Apud Eusebium con. Marcellum, lib. I. cap. IV. pagg. 25—26.

(4) De Marcello, eiusque fide praeter alios confer Walchii Hist. Eccles. N. T. pagg. 1514. seqq.

(5) Eamdem fuisse Arii professionem refert Theodoritus in altero

in libris quos edidit, solemne fuit, ἑτερον θεον τον λογον ὀνομασαι, οὐσιᾳ τε και δυναμει διεστωτα του πατρος, *Verbum dicere alterum Deum, essentia ac potestate a Patre distinctum.*

Immo, quae est Petavii (1) animadversio, ne Epiphanius quidem ab usu isto της οὐσιας abhorrere interdum videtur, veluti in confutatione argumenti quinti anomaeorum principis Aetii, ubi de Filii persona sic (2) loquitur: « Unde nos neque creatam dicimus οὐσιαν, neque alienam, tamquam facta sit, ἀλλα γεννητην οὐσιωδως, *sed substantialiter genitam*, nec a genitore diversam. Ob id increata permanet, non facta, ἀλλα γεννηθεισα ἐκ της αὐτης οὐσιας θεου, *sed ex ipsa Dei essentia genita*, nec tempori subiecta. Non enim tempori subiectus est is, qui revera genuit, ἱνα χρονικην ὑποστησηται οὐσιαν, *ut in tempore producat essentiam* ».

Gregorius quoque nyssenus Patrem (3) appellat την μη γεννηθεισαν οὐσιαν, *non genitam essentiam*; et (4) Eunomio τρεις οὐσιας, *tres essentias* nominanti, reponit: « Siquidem discrimen illud των οὐσιων sic intelligat, ut non in Sabellii impietatem incurrat, ἑνι τῳ ὑποκειμενῳ, *uni subiecto* tria accommodans nomina, et se assentiri, neque piorum quemquam ei dogmati refragari; πλην ὁσον μονοις τοις ὀνομασι, και τῃ προφορᾳ του λογου πλημμελειν δοκει, οὐσιας ἀντι ὑποστασεων ὀνομαζων, *tametsi solis vocabulis, et sola sermonis pronuntiatione errare videatur, essentias pro hypostasibus usurpans* ». Non is ergo erat Gregorius qui obniti acerbius vellet, si qui οὐσιας plures in Deo esse dicerent, dummodo de re ipsa rite statuerent. Noverat enim orthodoxis ecclesiae doctoribus haud insolens prorsus fuisse, ut οὐσιας nomini potestatem significationemque hypostaseos adnecterent.

Quod sane et illa ostendunt, quae Athanasius habet in egregia fidei expositione, quam Facundus hermianensis (5)

dialogo, p. 78., qui et illud monet. H. E. lib. II. cap. VI. p. 844. haereticis fuisse in more positum, ut ὑποστασιν dicerent οὐσιαν.

(1) De Trinit. lib. IV. cap. II. §§. II—III.

(2) Haeres. LXXVI. p. 942.

(3) Con. Eunom. lib. XII. p. 301.

(4) Con. eumdem, lib. I. edit. Gretseri, p. 67.

(5) Pro defens. trium capitt. lib. XI. cap. II.

expositionem symboli appellat. Sic enim (1) ait: « Οὔτε γὰρ υἱοπάτερα φρονοῦμεν, ὡς οἱ Σαβέλλιοι λέγοντες, μονοούσιον καὶ οὐχ ὁμοούσιον, καὶ ἐν τούτῳ ἀναιροῦντες τὸ εἶναι υἱὸν, *neque enim Filio-Patrem agnoscimus, qui unius sit substantiae, non vero consubstantialis, ut volunt* (2) *sabelliani, qui hoc pacto Filium penitus tollunt* ». Atqui una ac eadem et singularis prorsus est Patris Filiique essentia ac natura. Qui fit igitur, ut Athanasius nobilissimus divinae monarchiae assertor Filium esse neget Patri μονοούσιον, atque hanc loquendi formam, utpote sabellianam reiiciat ac damnet? praesertim quum vetusti latini scriptores nicaenum ὁμοούσιον longe frequentius (3) *unius substantiae*, quam *consubstantiale* reddiderint? Quod nomen οὐσίας ἀντὶ ὑποστάσεως acceperit, atque hoc sensu a sabellianis accipi consuevisse compertum habuerit atque exploratum.

XII.

COROLLARIUM

Ex his quae retulimus perspicuis sane veterum testimoniis peti norma debet, quo sint accipienda sensu, quae (4) Theodoritus, Anastasius, Johannes damascenus ac Theorianus de usu nominis οὐσίας apud ecclesiasticos scriptores lit-

(1) Exposit. Fidei, n. 2. p. 100. opp. T. I.

(2) Huc facit Cudworthi animadversio, System. Intellect. cap. IV. §. XXXVI. p. 925: « Orthodoxos doctores nullatenus improbasse, si certamen cum Sabellii discipulis ineundum esset, praecipere, quamlibet personam, προσωπον, ὑποστασιν, in Trinitate peculiari sua propria et singulari essentia gaudere; ideoque commode dici posse τρεις οὐσιας, tres singulares et peculiares essentias, non secus ac τρεις ὑποστασεις, seu tres personas in Trinitate esse. Nec enim in eiusmodi oratione ὑποςτασιν aliud quid designare quam existentem essentiam. »

(3) Sane *unius substantiae* το ὁμοουσιον redditur non solum in latinis interpretationibus graecarum formularum, quae inter Hilarii fragmenta comparent, verum etiam in libris Luciferi, Zenonis, Hilarii, Gregorii illiberitani, aliorumque, adeo ut unus forte Marius Victorinus seculo quarto *consubstantiale* usurpaverit.

(4) §§. I. seqq.

teris consignarunt. Ac peti rursum norma debet, qua, uti par est, exponantur quae Leontius byzantinus his verbis (1) affirmat: « Quum ex antiquitatis memoria sectarum historiam repetituri simus, necessarium esse ducimus de quatuor vocabulis, quae in patrum scriptis reperiuntur, primum disserere. Sunt autem *ούσια, φυσις, ὑποστασις, προσωπον*, *essentia, natura, hypostasis, persona.* Sciendum ergo, *ὅτι ούσια και φυσις τ' αὐτον ἐστι παρ' αὐτοις*, *essentiam et naturam apud ipsos idem esse* : ac idem denuo esse *ὑποστασιν και προσωπον*, *hypostasin et personam: ούσια δε ἐστιν, ἤτοι φυσις παρ' αὐτοις, ὅπερ οἱ φιλοσοφοι λεγουσιν εἶδος*, *essentia sive natura est apud eos, quod philosophi speciem vocant.* Et species est, quae de pluribus ac numero diversis effertur. *ὑποστασιν δε, ἤτοι προσωπον, καλουσιν, ὅπερ οἱ φιλοσοφοι ἀτομον ούσιαν λεγουσι. καλως δε προστεθεικαμεν ἀτομον ούσιαν. οἱ γαρ ἐκκλησιαστικοι τα ἀτομα των συμβεβηκοτων, οὔτε προσωπον καλουσιν, οὔτε ὑποστασιν*, *hypostasim vero, sive personam vocant, quod individuam essentiam philosophi dicunt. Ac recte omnino adiecimus individuam essentiam; nam ecclesiastici scriptores accidentium individua nec personam vocant, nec hypostasim* ».

Haec nimirum talia sunt, quae neque debent, neque possunt infinite atque exclusive accipi; quum extra omnem controversiam sit, ab ipsis quoque patribus ecclesiasticisque scriptoribus vocem *ούσιαν* plus semel adhiberi, ut id significent ac demonstrent, quod est in Trinitate proprium, relativum ac multiplex, uno verbo, ut personam ac hypostasim designent.

XIII.

SCHOLION I.

Quod graeci dixerunt *ούσιαν*, id latini, praeeunte Sergio Flavio, quemadmodum auctor est (2) Quintilianus *essentiam*

(1) De Sectis, Act. I. §. I. p. 625. apud Galland. T. XII.
(2) Institutt. lib. VIII. cap. III.

nuncuparunt; immo (1) Seneca et (2) Sidonio referentibus, ipsemet Tullius non alio quam *essentiae* vocabulo usus est, ut graecorum *οὐσίαν* interpretaretur.

Jamvero quemadmodum apud latinos ecclesiae scriptores sive de augusta Trinitate, sive de dominica incarnatione disserentes, frequens (3) est huius vocabuli usus; ita testimonia non desunt, quibus palam fiat, sumi illud plus semel ut persona ac hypostasis exprimatur.

Hac profecto significatione accipitur (4) in breviario haeresis eutychianae, in quo legimus: « Quum catholica fides verum Deum verumque hominem Christum Dei Filium esse fateatur, non unius naturae, sed unius *essentiae* atque personae ». Neque alia significatione illud sumit (5) Paschasius diaconus de Spiritu sancto scribens: « Non dicit genitum, ne Filium crederes; non dicit genitorem, ne Patrem putares. Sed ad *essentiae* distinctionem, procedere eum ex Patre testatus est ». Et (6) rursum: « Si non alter alterum sine permixtione sui penetrat incorporea suae claritatis unione, erit confusa divinitas. Permixtio enim tollit *essentiae triplicis* proprietatem, infusio vero mutua distinctam ostendit *essentiam* ».

XIV.

Ab hoc autem essentiae vocabulo alterum, illudque *substantiae* divelli nequit, tum quia substantia (7) apud Sene-

(1) Epist. LVIII.

(2) Epist. praefixa Carm. XIV.

(3) Exempla confer apud Petavium de Trinit. lib. IV. cap. III, et de Incarnat. lib. V. cap. VI.

(4) Brevicul. Hist. Eutychianistarum, sive PP. RR. Felicis III, Gelasii et Vigilii epistolae X, quibus praefixa sunt gesta de nomine Acacii, §. I. p. 667. apud Galland. T. X.

(5) De Spiritu sancto, lib. I. cap. VIII. pag. 810. T. VIII. Biblioth. Max. PP. edit. Lugdun.

(6) Ibid. cap. X. p. 811.

(7) Epist. LVIII.

cam, Quintilianum (1), Apuleium (2), Nazarium (3) et (4) Paulum idem valet ac essentia, natura, qua quaeque res est: tum quia in patrum operibus, ecclesiasticisque monimentis (5) saepissime occurrit, neque raro eadem significatione personae.

In libro de synodis expendit Hilarius alteram fidei formulam in antiocheno concilio (6) editam, atque his verbis (7) latine reddit, quae sancti antistites, relatis Christi (8) verbis, *pergite et docete universas gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, pro re catholica statuebant: « Manifeste utique Patris vere patris, certumque Filii vere filii, et Spiritus-sancti vere spiritus-sancti; hisque nominibus non simpliciter neque otiose propositis, sed significantibus diligenter *propriam* uniuscuiusque nominatorum *substantiam* et ordinem et gloriam, ut sint quidem *per substantiam tria*, per consonantiam vero unum ».

Jamvero quae Hilarius vertit, *propriam substantiam*, et *per substantiam tria*, his graecis verbis concepta erant, τὴν

(1) Institutt. lib. III. cap. VI., et lib. VII. cap. II.

(2) Dogmat. Plat. lib. I.

(3) Paneg. Constantini, §. XIV.

(4) Dig. L. 16. 14.

(5) Cf. Didacum Ruiz de Trinit. disput. XX. Sect. V., et Claudium Tiphanium de hypostasi et persona, cap. II.

(6) Celebrata fuit haec Synodus, uti testis est Athanasius in lib. de Synodis, praesentibus Constantio, Marcellino et Probino Coss. indict. XIV. anno V. a morte Constantini, proindeque anno V. Iulii R. P., Christi anno CCCXLI., occasione dedicandae ecclesiae, cuius fundamenta ab annis decem Constantinus iecerat. Episcopos XC. ad eam convenisse referunt Athanasius et Socrates H. E. lib. II. cap VIII., at Sozomenus H. E. lib. III. cap. V. et Hilarius illos fuisse nonaginta septem testantur. De hac Synodo operae pretium fuerit contulisse Bellarminum de Conciliis lib. I. c. VI., Baronium et Pagium ad annum CCCXLI, Schelstratium in opere de antiocheno concilio Antuerpiae edito an. MDCLXXXI., Tillemontium not. XXVI. ad arianorum haeresim, Montfauconium in vita Athanasii ad annum CCCXLI., et Ballerinios de antiquis collectt: Part. I. cap. IV. opp. s. Leonis, T. III.

(7) De Synodis, seu de fide orientalium, n. 29. p. 479. opp. T. II. edit. Veronae 1730.

(8) Matth. XXVIII. 19.

οἰκειαν ὑποστασιν et τῃ ὑποστασει τρια. Quod ultro ii dabunt omnes, qui animadverterint, antiochenos patres verba ac formulas Luciani martyris repetiisse, quique graecum textum apud Athanasium (1) legerint, qui sic omnino se habet: δηλονοτι πατρος ἀληθως πατρος ὀντος, υἱου δε ἀληθως υἱου ὀντος, του δε ἁγιου πνευματος ἀληθως ἁγιου πνευματος ὀντος, των ὀνοματων οὐχ ἁπλως οὐδε ἀργως κειμενων, ἀλλα σημαινοντων ἀκριβως την οἰκειαν ἑκαστου των ὀνομαζομενων ὑποστασιν τε και ταξιν, και δοξαν · ὡς εἰναι τῃ μεν ὑποστασει τρια, τῃ δε (2) συμφωνιᾳ ἑν. Nomine igitur *substantiae* bis Hilarius reddidit graecam vocem ὑποστασιν, eoque personam, et quod in Trinitate multiplex est ac distinctum significavit.

(1) De Synodis, n. 23.

(2) Cum hisce verbis confert Huetius, quae con. Celsum lib. VIII. n. 12. scripsit Origenes, inquiens: θρεσκευομεν οὐν τον πατερα της ἀληθειας, και τον υἱον την ἀληθειαν, ὀντα δυο τῃ ὑποστασει πραγματα, ἑν δε τῃ ὁμονοιᾳ και τῃ συμφωνιᾳ, και τῃ ταυτοτητι του βουληματος. Tum infert. Origenian. lib. II. q. II. §. III. p. 116: « Patrem et Filium duo esse ait ὑποστασει, unum consensu et concordia. Atqui ὑποστασις pro οὐσια priscis temporibus solebat usurpari ab ethnicis et christianis. Hieronymus epist. LVIII. ad Damasum: *tota saecularium litterarum schola nihil aliud* ὑποστασιν nisi οὐσιαν novit. Ita sumpserunt nicaeni patres, ita sardicenses, ita et sumpsisse Origenem verisimile est ». Quid iamvero? « quum unum (pergit Huetius,) Patrem et Filium esse scripserit consensu dumtaxat, aliam omnem videtur respuisse unitatem, et duos quoad οὐσιαν credidisse ». Sed *a*) non unum dumtaxat τῃ ὁμονοιᾳ και τῃ συμφωνιᾳ esse Patrem et Filium scripsit Origenes, verum adiecit τῃ ταὐτοτητι του βουληματος, *identitate voluntatis*, quae includit ac exigit την ταὐτοτητα της οὐσιας. Praeterea *b*) subdit Maranus lib. IV. cap. XV. n. 6., etiamsi concedatur, veteres fuisse scriptores, qui ὑποστασιν pro οὐσια adhibuerint; id tamen de Origene concedi non debet, qui ὑποστασιν inter ac οὐσιαν, non secus ac alii plures, accurate distinxit. « Ipsi haeretici, quum unam hypostasim admitterent, nonne hypostasis nomine personam intelligebant? ut omittam Alexandrum alexandrinum, qui in epist. ad Alexandrum constantinopolitanum idem docet ac Origenes, Athanasium qui tres hypostases cum una in concordiam adduxit', Basilium et Gregorium nazianzenum et alios trium hypostasium defensores; uterque Dionysius, romanus et alexandrinus, sex episcopi, quorum extat epistola ad Paulum samosatenum, hypostasim eodem modo ut Origenes interpretati sunt ».

XIV

Neque vero sint qui putent, id contigisse Hilario quod non probe significationem tenuerit, qua antiocheni patres την ὑποστασιν adhibuere; pergit (1) enim: « Et primum sciendum est, non adversum haeresim, quae dissimilis substantiae Patrem et Filium ausa est praedicare, in Antiochia fuisse conventum; sed adversus eam, quae post sanctam synodum nicaenam in id proruperat, ut tria nomina (2) Patri vellet adscribere, de qua suo loco tractabimus . . . . Volens igitur congregata sanctorum synodus impietatem eam perimere, quae *veritatem* Patris et Filii et Spiritus-sancti *nominum numero* eluderet; ut non subsistente caussa uniuscuiusque nominis, triplex nuncupatio obtineret sub falsitate nominum *unionem*, et Pater solus atque unus idem atque ipse haberet et Spiritus-sancti nomen et Filii: idcirco *tres substantias* esse dixerunt, subsistentium personas *per substantias* (3) edocentes, non substantiam Patris et Filii diversitate dissimilis *essentiae* separantes. Quod autem dictum est, *ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero*

(1) De Synodis, n. 32. p. 480.

(2) Hoc saltem praetexere solebant eusebiani, quibus nihil antiquius quam acriores adversarios sabellianismi infamia opprimere.

(3) Monet Epiphanius Haeres. LXVIII. n. 17. cavendum esse « ne quem hypostasum (Hilario interprete, *substantiarum*) appellatio perturbet; ob id enim hypostases ab Orientalibus usurpari, ut personarum proprietates subsistentes existentesque declarentur ». Et mox: « Merito subsistentis existentisque Patris et Filii et Spiritus-sancti proprietates, subsistentium personarum hypostases appellant Orientales; non ut tres illas hypostases tria principia tresve Deos esse dicant: nam eos anathemate damnant, qui tres Deos dicunt ». Neque vero ea aetate in suspicionem violatae fidei veniebant, qui *tria* esse in Trinitate docerent. Hoc enim docuit Gregorius nazianzenus Orat. XXIX. num. 3: docuit Consentius apud Augustinum epist. CXIX. n. 4. scribens: « Una virtus est, quam trina possidet virtus; una substantia est, in qua *tria* sunt quae subsistunt ». Ac ipsemet docuit Augustinus epist. CLXX. n. 5. ad Maximum, inquiens: « Et haec omnia nec confuse unum sunt, nec disiuncte tria sunt; sed quum sint unum, *tria* sunt, et quum sint *tria*, unum sunt ».

unum, non habet calumniam: quia connominato Spiritu, idest Paracleto, consonantiae (1) potius, quam essentiae per similitudinem substantiae praedicare convenit unitatem ». Vidit ergo Hilarius ac probe sensit, id ὑποστασεως nomine significasse orientales episcopos, quod *personam* dicimus, quodque ipse propterea *substantiam* reddidit, quod ita latinorum loquendi scribendique usus postularet.

Unde Johannes Maxentius (2) in altero ex dialogis *tres substantias* profitetur, sabellianosque notat, « qui sicut unam naturam, sic unam et *substantiam* sive personam assererent Trinitatis ». Johannes quoque secundus (3) in litteris ad Avienum datis, scribit: « Unum ex sancta Trinitate Christum esse, hoc est unum de tribus sanctis personis sanctam esse personam sive *substantiam*, quam graeci ὑποστασιν dicunt, in his exemplis evidenter ostendimus ». Quid vero Augustinus? passim (4) pro *persona substantiam* adhibet, graecamque formulam, μιαν οὐσιαν, τρεις ὑποστασεις, latine (5) vertit, *unam essentiam*, *tres substantias*. Ac eodem *substantiae* nomine *personam* exprimit Anastasius, dum haec (6) Hippolyti de Christo verba, κἀν ἀῤῥητος τις και ἀῤῥηκτος εἰς μιαν ὑποστασιν ἀμφοτερων γεγονεν ἑνωσις, πασαν παντος γενητου παντελως διαφευγουσα γνωσιν, latine sic vertit: « *Quamquam ineffa-*

(1) Quum Hilarius de Trinit. lib. XII. n. 55. summa verborum gravitate testetur, se Spiritum-sanctum numquam dicturum vel *genitum* vel *creatum*; haud omnino a quavis veri specie alienum est, hac quam descripsimus sententia, ab eo subobscure significari, quod in Scholis enucleatius dicimus: Spiritum-sanctum vi suae originis non procedere a Patre *formaliter ut similem*.

(2) Dialogg. lib. II. cap XIX. p. 537. T. IX. Biblioth. Max. PP. edit. Lugd.

(3) Epist. III. ad Senatores, col. 804. T. VIII. Concil. Gen. edit. Florent. 1762 Heic autem e re fore arbitror animadvertere, coniecturis minus secundis recentium criticorum deberi, quod non *substantia*, sed *subsistentia* legatur.

(4) De Trinit. lib. VII. cap. IV.

(5) De Trinit. lib. VIII. cap. I.

(6) De theolog. et incarnat. con. Beronem et Helicem, §. I. pag. 466. apud Galland. T. II.

bilis quaedam et indirumpibilis in unam substantiam (1) *utriusque facta sit unitas, omnem penitus omnis facti scientiam fugiens* ». Unde Anselmus ita Monologium (2) orditur: « Quod dixi, Trinitatem posse dici *tres substantias*, graecos sequutus sum, qui confitentur *tres substantias* (τρεις ὑποστασεις) esse in una essentia (ἐν μιᾳ οὐσιᾳ), eadem fide qua nos tres personas in una substantia. Nam hoc significant in Deo per *substantiam*, quod (3) nos per *personam* ».

XV.

Neque vero obscurum est, ad quam praelucentem normam latini doctores hanc suam loquendi scribendique rationem expresserint. Arianis namque contendentibus, reiiciendam esse *unius substantiae* formulam, utpote peregrinam, nec divinarum litterarum auctoritate comprobatam, Gregorius illi-

(1) Capperonnierus adductis Hippolyti verbis, κἂν εἰς μιαν ὑποστασιν ἀμφοτερων γεγονεν ἑνωσις, atque e regione posita Anastasii interpretatione, *quamquam in unam substantiam utriusque facta sit unitas*, subdit : « Purum putum eutychianismum s. Hippolyto affingit interpres ». Putat igitur *a*) mendo Fabricianae editionis tribui oportere, quod apud Anastasium legatur *in unam substantiam* ; contendit *b*) legendum esse *in unam subsistentiam*, quemadmodum Sirmondus et Combefisius edidere ; propterea *c*) verborum Hippolyti hanc esse germanam sententiam , *quamquam in unam personam utriusque facta sit unitio*. Sed [1]) quod de eutychianismo scribit anastasianae interpretationis , inane est , quum exploratum sit, latinis *substantiam* idem crebro fuisse ac *hypostasim* et *personam*. Neque [2]) minus inane est, quod addit de mendo fabricianae editionis. Hoc enim mendum non codicum suffragio , sed *dogmatica coniectura* statuitur, a qua Capperonnierus, et cum eo Gallandius omnino abstinuissent, si secum reputassent, *substantiam* idem valere ac *subsistentiam* et *personam*. Unde Isidorus, Etymolog. lib. VII. cap. IV. nn. 11—12 : « Fides apud graecos de Trinitate hoc modo est : una οὐσια, ac si dicatur una natura aut essentia : tres hypostases, quod resonat in latinum vel tres personas, vel tres *substantias*. Nam latinitas proprie non dicit de Deo, nisi essentiam : substantiam vero non proprie dicit , sed abusive : quoniam vere substantia apud graecos persona intelligitur, non natura ».

(2) Monolog. praefat. p. 3. edit. Paris. 1721.

(3) Cf. Klee Hist. Dogmat. cap. II. p. 154. edit. Mediolani 1843.

beritanus (1) fidenter opponit haec Jeremiae (2) testimonia, *quis stabit in substantia Domini? et si stetissent in substantia mea*: tum istud (3) apud Salomonem, *substantia mea, dulcedo mea est*. E quibus (4) concludit: « Quum ergo hanc unitatem substantiae in Patre et Filio, non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate cognoscas, quomodo dicis in divinis Scripturis ὁμοούσιον non inveniri, quasi aliud sit ὁμοούσιον, quam quod dicit, *ego de Patre exivi*, et, *ego et Pater unum sumus*: vel quod prophetae ex aperto *substantiam* Dei intimarunt »? neque aliter Phoebadius aginnensis eamdem cum arianis contentionem (5) expedivit, scribens: « Nemo unam substantiam dicat. Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo, qua ex parte catholicam fidem pulsat? utrum ne sono vocabuli, an interpretatione rei ipsius? nihil fallor: interpretatio caret culpa. Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est: hoc est quod propria intra se virtute subsistit; quae vis uni et soli Deo competit. Usitatum vero et familiare divinis voluminibus hoc nomen nec ipsos puto ignorare qui negant ». Quod continuo prolatis testimoniis (6) ex psalmis, aliisque (7) Scripturarum libris confirmat; tum infert: « Ideo haec in unum exempla congessimus, ne sermo ille caperet indoctos, quod testati sunt; idcirco *substantiam* non praedicatam, quia in divinis Scripturis nusquam inveniretur ».

Jamvero in hisce omnibus Scripturarum locis, quod apud interpretem latinum est substantia, in graeca editione (8)

(1) De fide orthodoxa con. arianos, §. IX. p. 899. in app. ad T. I. opp. Gregorii nazianzeni, edit. Paris. 1778.

(2) Ierem. XII. 22.

(3) Cap. XVI. 21.

(4) Ibid. §. X. p. 899.

(5) Lib. con. arianos, §. VII. p. 251. apud Galland. T. V.

(6) Ps. XXXVIII. 8, LXVIII. 3, CVIII. 11, CXXXVIII. 15.

(7) Sap. XVI. 21. Ierem. XXIII. 22. apud alexandrinos, Prov. X. 3, XIII. 22.

(8) E quo quisque facile eruat, graecum scriptorem hisce locis uti non potuisse, ut auctoritate Scripturarum voces οὐσίαν καὶ ὁμοούσιον adversus arianos tueretur.

est *ὑπόστασις*. Novimus ergo originem, e qua sumi ratio debet, quae latinis scriptoribus persuasit, ut *ὑπόστασιν substantiam* dicerent: haec origo alia non fuit, quam latini Bibliorum interpretis usus, quo *ὑπόστασιν substantiam* reddere consuevit.

Ne tamen in definienda apud latinos ecclesiae scriptores vocabulorum potestate fallamur, necesse omnino est accurate significationem distinguere, quam illis subiiciunt, quum *ex sese suaque sententia* loquuntur et scribunt, et quum *graeca latine vertunt*, sive ea *ab orthodoxis primum*, sive *ab haereticis* profecta sint. Et quidem quum ex propria scribunt sententia, nullo discrimine *substantiae* nomen usurpant, eoque non minus *naturam* et *essentiam*, quam *personam subsistentiamque* designant; vel ut cum Isidoro (1) loquar, tam *appellativa* et *relativa*, quam *propria* et *essentialia* efferunt. Quod idoneis confirmarem exemplis, nisi ea essent notissima, et ad omnem ferme paginam scriptorum latinorum occurrerent.

At vero dum graeca latine interpretantur, si ea orthodoxos habuerint auctores, exquisito utuntur delectu, et quod graece est *ὑπόστασις*, latine *substantiam* vertunt, quod autem graece dicitur *οὐσία*, nonnisi *essentiam* latine vocant. Cuius *ἀκριβείας* testes adduximus locupletes Hilarium, Augustinum, Isidorum et Anselmum; ut de ea nefas sit dubitare.

Quod si latine reddant, quae sabelliani aut ariani graece primum conscripserint, *ἀδιαφόρως* uno eodemque *substantiae* nomine et *οὐσίαν* et *ὑπόστασιν* interpretantur. Quod nimirum probe nossent, utriusque factionis haereticos tam *οὐσίαν* quam *ὑπόστασιν* eadem significatione usurpasse. Hinc aegrum haud

(1) Etymolog. lib. VII. cap. IV. nn. 5—6: « In hac Trinitate alia *appellativa* nomina, alia *propria* sunt. Propria sunt *essentialia*, ut Deus, Dominus, Omnipotens, Immutabilis, Immortalis. Et inde propria, quia ipsam substantiam significant, qua unum sunt. Appellativa vero Pater et Filius et Spiritus-sanctus, Ingenitus et Genitus et Procedens. Eadem et *relativa*, quia ad se invicem referuntur. Quum enim dicitur Deus, essentia est, quia *ad seipsum* dicitur. Quum vero dicitur Pater et Filius et Spiritus-sanctus, relative dicuntur, quia *ad se invicem* referuntur ».

erit arbitrari, quo haberi in pretio debeat quod de usu nominis *substantiae* apud latinos Petavius (1) scribit: « In eo miram esse quorumdam patrum ἀπροσεξίαν, qui in eodem contextu sermonis graeca vocabula οὐσιας et ὑποστασεως eodem latino *substantiae* nomine reddiderunt. Sic Hilarius (2) Arii eiusque sociorum epistolam et fidei professionem Alexandro urbis alexandrinae oblatam episcopo latine referens: quae (3) apud Epiphanium graece legitur: quod illi scripserant, esse τρεις ὑποστασεις, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, sic vertit: *quapropter tres substantiae sunt, Pater et Filius et Spiritus-sanctus.* At idem tamen quod in graeco ita concipitur, οὐ δε ὡς Μανιχαιος μερος ὁμοουσιον του πατρος το γεννημα εἰσηγησατο, interpretatur: *nec sicut Manichaeus partem unius substantiae Patris Natum exposuit.* Et subinde, μερος του ὁμοουσιου vertit *partem eius unius substantiae*: quasi οὐσια et ὑποστασις sit *substantia*, quum ibi distinguere (4) prorsus oportuerit ».

Utique distingui prorsus oportuisset, si Arius et ariani significationes της οὐσιας και της ὑποστασεως secrevissent: nisi eodem sensu οὐσιαν και ὑποστασιν accepissent: nisi ex aequo τρεις οὐσιας και τρεις ὑποστασεις Patrem et Filium et Spiritum-sanctum esse intolerabili blasphemia delirassent. Atqui commiscebant illi utriusque vocabuli οὐσιας και ὑποστασεως significationes: uno eodemque sensu accipiebant utrumque nomen οὐσιαν και ὑποστασιν: et quemadmodum τρεις ὑποστασεις, ita τρεις οὐσιας tue-

(1) De Trinit. lib. IV. cap. IV. §. XVI.

(2) De Trinit. lib. VI. nn. 5—6.

(3) Haeres. LXIX. n. 7.

(4) Non satis caute (inquit Clericus in subnexa adnotatione) videtur Petavius hoc in loco reprehendisse Hilarium, quod latine verterit *substantiam* non modo οὐσιαν, sed etiam ὑποστασιν, quia plane idem sunt hoc in negotio, et sic vulgo solebant a latinis intelligi. Etenim ariani dicebant tres esse *substantias*, non tantum *subsistentias*; hoc est tres diversos Spiritus divinos, specie differentes, non tantum ratione subsistendi. Similiter in verbis, quibus Manetis sententia exprimitur, ὁμοουσιον debet verti *unius substantiae*, hoc est, eiusdem speciei, sed divisae inter Patrem et Filium. Idem docebat, animos hominum esse Deo ὁμοουσιους, hoc est, naturae aeque perfectae ».

bantur. Ad rem (1) Theodoritus: « ὁ Ἀρειος τρεις οὐσιας εἰσφερει · ὁ δε Σαβελλιος μιαν ὑποστασιν ἀντι των τριων λεγει, *Arius tres substantias inducit, Sabellius vero pro tribus personis unicam statuit..»* Ecqua ergo necessitas compellere Hilarium potuit, ut anxie distingueret, quae Arius ac ariani uno veluti fasce complectebantur? praeterea cur tam inique ferebat Hieronymus, ut *tres hypostases* dicerentur? significavit id non obscure, quum (2) his omnino verbis Damasum alloqueretur: « Si iubetis, condatur nova post nicaenam fides, et similibus verbis cum arianis confiteamur orthodoxi ». Sed haec cum arianis similitudo neque debebat neque poterat Hieronymo displicere, si Arius eiusque gregales ὑποστασεως nomine ex aequo naturam ac personam non intellexissent. Utramque ergo significationem uni eidemque vocabulo subiiciebant; atque adeo prudenter semet gessit Hilarius, quum οὐσιας et ὑποστασεως voces ab arianis adhibitas uno substantiae nomine latine convertit. Denique, ut argumento (3) ad hominem absolvam, quid Petavius censet de nicaena formula, qua anathema in eos infligitur qui dixerint, Filium esse ἐξ ἑτερας ὑποστασεως ἡ οὐσιας? censet eiusmodi formulam vocabulis constare synonymis: censet in hac formula idem significari utroque nomine ὑποστασεως και οὐσιας: atque adeo censet in fragmentis (4) apud Hilarium praeclare illam reddi *ex alia substantia vel essentia.* Eccur ergo vitio adscribit Hilario, quod arianas sententias latine reddens uno substantiae nomine οὐσιαν και ὑποστασιν expresserit? illi contra non immerito vitio verteretur, si interpretis explens partes ea distinxisset, quae a suis auctoribus promiscue adhibebantur.

(1) Dialog. II. p. 78. T. IV.

(2) Epist. XV. n. 4.

(3) Neque enim mihi hucusque vel Petavius de Trinit. lib. IV. cap. I. §. V., vel qui Petavio postremis hisce annis adstipulatus est doctor Newman in diss. de vocibus ἐξ ἑτερας ὑποστασεως ἡ οὐσιας anathematismi nicaeni, persuaserunt, in nicaena formula οὐσιαν και ὑποστασιν eadem significatione adhiberi.

(4) Frag. II. n. 27.

XVI.

SCHOLION II.

Nemo est inter ante-nicaenos patres, cui prae Origene tribui confidentius soleat, quod aliam numero Patris, Filii aliam ac aliam Spiritus-sancti naturam essentiamque esse docuerit. Hanc illi haeresim affingunt veteres, hanc mediae infimaeque aetatis scriptores. Inter antiquos suo merito excellunt (1) Epiphanius, Basilius et Hieronymus, quibus e diametro adversantur Dionysius alexandrinus, Gregorius thaumaturgus, Pamphylus martyr et Athanasius : inter medios omnibus anteferendus est Thomas, qui Origeni adscribit (2) quod affirmaverit, *Patrem et Filium secundum substantiam differre*: inter infimos vero recentioresque post (3) Petavium commemorandus est (4) Huetius, qui Origenem *triusianum* vocat, qua appellatione Fulgentius (5) arianos notavit. Verum quibus maxime utuntur testimoniis, ut reum perniciosissimae haereseos Origenem convincant? ut seponam veteres, quorum latas in eum censuras expendit (6) refellitque Maranus, Thomas nullum omnino testimonium citat; qui vero theologicam illius summam iteratis curis edidere, tamquam peremptoria habent, quae Origenes (7) disputat his verbis : « Quia vero lux simpliciter hoc in (8) loco Servator, in ipsius vero Johannis (9) catholica epistola, Deus lux esse dicitur, non deerit qui existimet hinc colligi, *τῃ οὐσιᾳ μη διεστηκεναι τον υἱον τον πατερα*, Patrem a Filio substantia non differre ». Ad haec ipse quoque provocat Huetius, aliaque (10)

(1) De his vide quae scribit Bullus in defens. fidei nicaenae, sect. II. cap. IX. §. I.

(2) I. p. 9. XXXII. a. I.

(3) De Trinit. lib. I. cap. IV: §§. II. seqq.

(4) Origenian. lib. II. q. II. 9. III. pagg. 114. seqq., opp. T. IV.

(5) Con. arian. in respons. ad obiect. VII. arian. p. 63.

(6) De Divinit. D. N. I. C. lib. IV. capp. XV—XVI.

(7) In Ioh. Tom. II. n. 18. p. 76.

(8) Ioh. I. 9.

(9) I. Ioh. I. 5.

(10) §§ 5. seqq.

addit, quorum sin minus omnia, pleraque certe ac magis impedita in medium suis locis (1) adduximus, et cum catholica fide probe consentire demonstravimus.

Nimirum reprehendendi accusandique Origenis inde nacti sunt occasionem, quod a) non satis adverterint, contra eiusmodi haereticos ipsum pro re catholica pugnasse, qui quum omnimodam divinae naturae unitatem ultro concederent, veram realemque hypostaseon trinitatem inficiabantur: quod b) usurpatis ab ipso vocabulis eam significandi vim potestatemque adiunxerint, quam eisdem inesse sua quique aetate intelligebant: quod propterea c) existimaverint, nomine ὀυσιας ab ipso efferri, quod absolutum in Deo est ac unicum, non autem quod relativum est ac multiplex. Atqui ὀυσιαν ipse adhibuit, ut personam exprimeret, eodemque sensu (2) ὀυσιαν accepit, quo Constantinus, quum eo nomine (3) Platonem laudavit, quod πρωτον μεν θεον, *primum quidem Deum* ὑπερ την ὀυσιαν, *supra omnem substantiam esse docuerit*, tum illi δευτερον, *alterum subnumeraverit*, και δυο ὀυσιας τῳ ἀριθμῳ, *et duas substantias numero distinxerit*, μιας ὀυσης της ἀμφοτερων τελειοτητος, της τε ὀυσιας του δευτερου θεου την ὑπαρξιν ἐχουσης ἐκ του πρωτου, *quum una sit utriusque perfectio, et secundi Dei substantia suam ex primo exstantiam* (4) *habeat.*

XVII.

THEOREMA II.

Seculo ecclesiae quarto ad extremum vergente, ac insequutis deinde aetatibus usus invaluit, ut ὀυσιας nomine quod in divina Trinitate est absolutum, commune, unicum atque singulare exprimeretur.

(1) §§. 5. seqq.

(2) Cf. Lami dissert. de recta Patrum nicaenorum fide, capp. III—XXXII.

(3) Orat. ad Sanctorum coetum, cap. IX.

(4) De usu huius vocis apud latinos theologos non pauca habet Petavius de Trinit. lib. IV. cap. III. §§. VII—VIII., digna quae sciantur.

DEMONSTRATIO.

Quum usum invaluisse dicimus, ut quarto labente seculo, consequutisque aetatibus nomen *οὐσια* ad id exprimendum adhiberetur, quod est in augusta Trinitate unicum atque absolutum, neminem fore arbitramur, qui propterea colligat, significationem personae ac eius quod est in Deo multiplex ac distinctum, penitus excidisse. Id enim neque consonum est legibus, quibus loquendi ratio temperatur, neque cum indubiis exploratisque factis conspirat. Ac leges sane, quibus loquendi usus regitur, ostendunt quidem certas vocabulorum significationes plus semel antiquari; at simul ostendunt non eo usque antiquari, ut identidem unius alteriusve cura studiisque non refloreant. Ad facta vero quod spectat, nos ipsi (1) testimoniis Epiphanii ac Gregorii nysseni demonstravimus non omnino defuisse, qui sub exitum seculi quarti nomine *οὐσιας* ad exprimendam personam uterentur. Hoc igitur proposito theoremate statuimus, ab ea quam innuimus aetate, vulgatam, universalem, communemque *της οὐσιας* potestatem hanc fuisse, ut id efferretur, quod nos naturam essentiamque divinam nominamus.

Et re sane vera ecclesiasticam huius vocis significationem expendens Maximus (2) in opusculis theologicis, his plane verbis sermonem orditur: *Οὐσια ἐστιν ἡ το κοινον τε και ἀπεριγραπτον σημαινουσα, ὁ ἐστιν, ἀνθρωπος. ὁ γαρ τουτο εἰπον, την κοινην φυσιν ἐσημανεν, οὐ περιγραψας τη φωνη τον τινα ἀνθρωπον, τον ἰδιως ὑπο ὀνοματος γνωριζομενον, essentia est quae significat quod commune est ac incircumscriptum, ut homo. Qui enim hominem pronunciarit, naturam communem, nullo circumscripto, qui eo nomine privatim designetur, ac proprie singularis certusque homo sit, significavit* ». Et (3) rursum: « *Ὁτι οὐσια μεν αὐτο το εἰδος και την φυσιν, ὁπερ ἐστι καθ' ἑαυτην, δηλοι· ὑποστασις δε, τον τινα της οὐσιας*

(1) §. XI.

(2) Opuscula Theolog. et Polemica, pag. 146. T. II. opp. edit Paris 1675.

(3) Ibid. pag. 143.

ἐμφαινει, *essentia quidem ipsam speciem naturamque, id quod est secundum se, significat; persona vero aliquem de essentia denotat* ». Quae postrema paullo enucleatius alibi (1) edicit, scribens: « Ὑποστασις ἐστιν, ἡ το κοινον τε και ἀπεριγραπτον ἐν τῳ τινι ἰδιως παριστωσα, οἱον ὁ δεινα, *persona est, quae id quod est commune et incircumscriptum, in aliquo singulariter exhibet ac circumscribit, cuiusmodi est, hic quidam* ». Vel, ut continuo (2) subdit: « Ὑποστασις ἐστι, το μετα του καθολου ἐχον τι και ἰδικον, *persona est quae cum universali etiam singulare quidpiam habet* ».

E quibus tam absolute quam comparate ratio της οὐσιας luculenter deducitur. Deducitur absolute, quum οὐσια id significari affirmetur, quod est commune, incircumscriptum, tesserisque propriis ac individuis non definitum: deducitur comparate, quum οὐσια opponatur personae, cuius ista vis est, ut id significet, quod est ἰδικον, definitum, quodque notis propriis commune circumambit.

XVIII.

Sed nullibi plenius commodiusque sinceram της οὐσιας rationem, eiusque ab hypostasi et persona discrimen enarrat Maximus, quam (3) in epistola περι κοινου και ἰδιου, τουτεστιν οὐσιας και ὑποστασεως, *de communi et proprio, hoc est de essentia et hypostasi*, ad Cosmam diaconum alexandrinum data, ubi illud imprimis pollicitus, dicturum se nihil, quod *a patribus* non acceperit, e vestigio subdit: « Κοινον μεν οὐν ἐστι και καθολικον, ἠγουν γενικον, κατα τους πατερας, ἡ οὐσια και ἡ φυσις· ταὐτον γαρ ἀλληλαις ταυτας ὑπαρχειν φασιν· ἰδιον δε και μερικον, ἡ ὑποστασις και το προσωπον· ταὐτον γαρ ἀλληλοις κατ' αὐτους ταὐτα τυγχανουσιν, *commune igitur et universale sive genericum ex patrum scitis essentia est ac natura: haec enim eadem inter se esse affirmant. Proprium vero et particulare hypostasis ac persona: idem namque valent ex illorum sententia* ».

(1) Ibid. p. 146.
(2) Ibid. p. 146.
(3) Ibid. p. 313.

De qua patrum sententia ne qui ambigerent, illico eorum quae affirmavit, certos testes ac vades allegat, atque (1) omnium primum Basilium, e cuius ad Terentium Comitem litteris (2) ista promit: « Ὅτι ὃν ἔχει λογον το κοινον προς το ἰδιον, τουτον ἔχει ἡ οὐσια προς την ὑποστασιν. ἑκαστος γαρ ἡμων και τῳ κοινῳ της οὐσιας λογῳ του εἶναι μετεχει, και τοις περι αὐτον ἰδιωμασιν ὁ δεινα ἐστι και ὁ δεινα, *quam rationem habet commune ad proprium, eamdem essentia ad hypostasim. Quisque enim nostrum tum communi essentiae ratione, quod est esse, participat: tum proprietatibus quae sunt circa ipsum, talis ac talis est* ». Pergit (3) Maximus, ac ex eodem Basilio alterum refert testimonium in litteris (4) ad

(1) Ibid. pag. 313.

(2) Epist. CCCXLIX. at in edit. Garnerii, epist. CCXIV. n. 4. p. 322. ubi haec addit omissa quidem a Maximo, rei tamen assequendae imprimis opportuna: « οὑτω κἀκει, ὁ μεν της οὐσιας λογος κοινος· οἱον ἡ ἀγαθοτης, ἡ θεωτης, ἡ εἰ τι ἀλλο νοοιτο· ἡ δε ὑποστασις, ἐν τῳ ἰδιωματι της πατροτητος, ἡ της υἱοτητος, ἡ της ἁγιαστικης δυναμεως θεωρειται, *ita et illic ratio quidem essentiae communis, veluti bonitas, divinitas, aut si quid aliud cogitatur: hypostasis vero in proprietate paternitatis, aut filiationis, aut potentiae sanctificantis perspicitur* ».

(3) Ibid. pagg. 313—314.

(4) Epist. CCCXCI., et in edit. Garnerii, epist. CCXXXVI. n. 6 pagg. 363—364., ubi haec praeterea legimus: « Quapropter essentiam quidem unam in divinitate confitemur, adeo ut essentiae definitio non diverse reddatur: hypostasim vero propriam et singularem, ut inconfusa nobis et clara de Patre et Filio et Spiritu-sancto insit notio. Si enim non consideremus definitas uniuscuiusque proprietates, οἱον πατροτητα, και υἱοτητα, και ἁγιασμον, *puta paternitatem et filiationem et sanctificationem*, sed ex communi essentiae ratione Deum confiteamur, fieri non potest ut sana fidei ratio reddatur. Oportet igitur τῳ κοινῳ το ἰδιαζον προστιθεντας, *ut communi proprium adiungentes*, ita fidem profiteamur: κοινον ἡ θεοτης, ἰδιον ἡ πατροτης· συναπτοντας δε λεγειν· πιστευω εἰς θεον πατερα, *commune deitas, proprium paternitas: atque haec coniungendo dicamus, credo in Deum Patrem*. Ac rursus in Filii confessione faciendum est similiter; adiungendum est communi proprium, ac dicendum, credo in Deum Filium. Pariter et de Spiritu-sancto ad appellationis rationem accommodanda pronunciatio ac dicendum, credo et in divinum Spiritum sanctum: ὡστε δι᾽ ὁλου και την ἑνοτητα σωζεσθαι ἐν τῃ της μιας θεοτητος ὁμολογιᾳ, και το των προσωπων ἰδιαζον ὁμολογεισθαι ἐν τῳ ἀφορισμῳ των περι ἑκαστον νοουμενων ἰδιωματων, *adeo ut omnino et unitas ser-*

Amphilochium his verbis conceptum: « Οὐσια δε και ὑποστασις, ταὐτην ἐχει την διαφοραν, ἡν ἐχει το κοινον προς το καθεκαστον· οἱον, ὡς ἐχει το ζωον προς τον δεινα ἀνθρωπον .... Οἱ δε ταὐτον λεγοντες οὐσιαν και ὑποστασιν, ἀναγκαζονται προσωπα μονον ὁμολογειν διαφορα. *Essentia vero ac hypostasis eamdem habent inter se differentiam, quae existit commune inter ac singulare,* quae, *puta, existit animal inter atque hunc certum definitumque hominem ... Qui autem idem esse dicunt essentiam et hypostasim, coguntur personas* (1) *tantum confiteri differentes,* et dum refugiunt dicere tres hypostases, Sabellii labem inveniuntur non effugere; qui et ipse saepe, etsi confundit την ἐννοιαν *notionem,* conatur τα προσωπα, *personas* distinguere, την αὐτην ὑποστασιν λεγων προς την ἑκαστοτε παρεμπιπτουσαν χρειαν (2) μετασχηματιζεσθαι, *dum hypostasim eamdem ait pro usu subinde occurrente varias personas induere* ».

XIX.

Porro, subdit (3) Maximus, cum Basilio in determinanda essentiae vi ac potestate egregie consonat nazianzenus Gregorius, ὁ της θεολογιας ἐπωνυμος ἐν τῳ θεολογικῳ προτερῳ λογῳ, *cui a Theologia inditum nomen est, in priore quam scripsit oratione* (4) *theologica,* quaecque *de dogmate* titulum praefert.

vetur in unius deitatis confessione; et id quod personarum proprium est confiteamur in discretione earum proprietatum, quae in unaquaque intelliguntur ».

(1) Quo sensu προσωπον acciperet Sabellius, quo sensu in Deo τρια προσωπα, sed ἀνυποστατα constitueret, quove sensu ad illius evertendam συναιρεσιν, ut loquitur Euthymius in vita Cyrilli scytopolitani apud Cotelerium, Monum. Eccles. Graec. T. IV. pag. 52, ortodoxi propugnarent τρια ἐν ὑποστασει προσωπα, idest, ἐνυποστατα, diligenter explanant Petavius de Trinit. lib. IV. cap. II. §§. V—VI, Christianus Wormius in Hist. sabelliana, et Moshemius in commentariis de rebus christ. ante Constantinum, Sec. III. §. XXXIII. pag. 688. seqq. edit. Halmstadii 1753.

(2) Putat Combefisius verbum μετασχηματιζεσθαι reddendum esse, *in varias formas mutari.* Atqui talis non erat haeresis Sabellii, qui, teste Basilio epist. CCXIV., hoc tuebatur « *unum quidem hypostasi Deum esse, sed sub diversis personis a Scriptura repraesentari* ».

(3) Ibid. pagg. 315—316.

(4) Orat. XX. al XXIX. n. VI. p. 379. edit. Paris. 1778.

Ait enim: « Porro quum medium (1) dico, veritatem dico, quam recte solam ob oculos propositam habemus. Repudiamus itaque tum την φαυλην συναιρεσιν, malam contractionem, tum την ἀτοπωτεραν διαιρεσιν, *hac absurdiorem divisionem*; ne vel ob multitudinis Deorum metum, εἰς μιαν ὑποστασιν in unam personam contracta oratio, nuda nobis et inania nomina relinquat, unum videlicet eumdemque Patrem ac Filium et Spiritum-sanctum existimantibus, ac non magis haec omnia unum, quam unumquodque nihil esse statuentibus, (desierint enim id esse quod sunt, inter se mutuo transeuntia et migrantia) vel rursus εἰς τρεις ἡ ξενας και ἀνομοιους οὐσιας και ἀπεῤῥηγμενας, *in tres aut peregrinas et dispares distractasque essentias* separata, iuxta Arium recte nominatum furorem, aut principatus expertes et inordinatas, divinitatique, ut sic loquar, contrarias; partim in iudaicam quamdam parcitatem concludatur, si ingenito (2) solo divinitatem circumscribamus, partim in oppositum quidem, non minus tamen perniciosum malum provolvatur, τρεις ἀρχας ὑποτιθεμενους, και τρεις θεους, ὁ των προειρημενων ἀτοπωτερον, *si tria principia tresque Deos constituerimus, quod superiori etiam errore absurdius est* ».

Quibus Maximus ista (3) subiicit multo etiam luculentio-

(1) Laudat μεσοτητα inter arianam, sabellianam et tritheiticam perfidiam.

(2) Graeci theologi duas proprietates Patri tribuunt, το ἀναρχον et το ἀγεννητον, quibus eum a Filio et Spiritu-sancto distinguunt. Porro το ἀναρχον non de tempore accipiunt, alioqui non minus Filius et Spiritus-sanctus ἀναρχοι dicendi essent; sed accipiunt de caussa atque origine. Qua significatione utrumque vocabulum soli Patri convenit, qui a nullo est, quum Filius et Spiritus ex Patre sint, atque ad eum, tamquam ad caussam supremamque originem referantur. Scite Gregorius Orat. XX. n. VIII. p. 380: « ἀναρχος οὖν ὁ πατηρ · οὐ γαρ ἑτερωθεν αὐτῳ, οὐδε παρ' ἑαυτου το εἶναι · ὁ δε υἱος, ἐαν μεν ὡς αἰτιον τον πατερα λαμβανῃς, οὐκ ἀναρχος · ἀρχη γαρ υἱου πατηρ ὡς αἰτιος · ἐαν δε την ἀπο χρονου νοῃς ἀρχην, και ἀναρχος · οὐκ ἀρχεται γαρ ὑπο χρονου ὁ χρονων δεσποτης. *Principii igitur expers est Pater, nec enim aliunde, nec a seipso esse habet. Filius autem, siquidem Patrem ut caussam accipias, nequaquam principio caret: principium enim Filii Pater est, ut caussa: sin de tempore principium intellexeris, principii quoque omnis est expers. Neque enim temporum Dominus tempori subiectus est* ».

(3) Orat. XX. nn. VI—VII. pagg. 379—380.

ra : « *ἐπειδὴ χρὴ καὶ τὸν ἕνα θεὸν τηρεῖν, καὶ τὰς τρεῖς ὑποστάσεις ὁμολογεῖν, εἴτ' οὖν τρία πρόσωπα, καὶ ἑκάστην μετὰ τῆς ἰδιότητος. Quandoquidem et unus Deus retinendus est, et tres hypostases, sive tres personae confitendae, et quidem unaquaeque cum sua proprietate.* Hac autem ratione, ut ego quidem sentio, Deus unus retinebitur, si Filium et Spiritum-sanctum *εἰς ἓν αἴτιον ad unam* (1) *caussam* referamus, non autem componamus nec commisceamus; *καὶ κατὰ τὸ ἓν καὶ ταὐτὸ τῆς θεότητος, ἵνα οὕτως ὀνομάσω, κίνημά τε καὶ βούλημα, καὶ τὴν τῆς οὐσίας ταὐτότητα, et si unam atque eamdem divinitatis, ut ita loquar, motionem et voluntatem, essentiaeque identitatem intelligamus. αἱ δὲ τρεῖς ὑποστάσεις, μηδεμιᾶς ἐπινοουμένης συναλοιφῆς, ἢ ἀναλύσεως, ἢ συγχύσεως, ἵνα μὴ τὸ πᾶν καταλυθῇ δι' ὧν τὸ ἓν σεμνύνεται πλέον ἢ καλῶς ἔχει, tres autem hypostases ita tenebimus, si nulla commixtio aut resolutio aut confusio excogitetur, ne alioqui universum per eos evertatur, qui impensius quam par sit, unitatem extollunt* ».

Neque his contentus alia in eamdem sententiam a Gregorio nazianzeno disputata (2) refert laudatque Maximus, tum ita (3) sermonem absolvit : « Tantam nimirum divini patres nostri divinoque afflatu loquuti Gregorius et Basilius ostenderunt divinorum dogmatum concordiam, *ταὐτὸν διαῤῥήδην εἰπόντες· τῇ μὲν οὐσίᾳ τὴν φύσιν, ὡς κοινὸν καὶ καθόλου· τῇ δὲ ὑποστάσει τὸ πρόσωπον, ὡς ἰδικόν τε καὶ μερικόν, idem plane diserteque dicentes : essentia quidem naturam, tamquam commune et universale significari ; hypostasi vero personam, tamquam proprium et particulare . . . Τούτοις δὲ συμφώνως εὑρήσεις, καὶ πάντας τοὺς κατὰ τὴν χάριν τοῦ πνεύματος πιστευθέντας τῆς ἐκκλησίας τοὺς οἴακας, τὸν ὀρθὸν τῆς εὐσεβοῦς πίστεως πρεσβεύσαντας λόγον, καὶ μηδὲν ταύτης τῆς ἐννοίας παν-*

(1) His Gregorius complectitur tria potiora momenta, quibus unus Deus in hypostaseon trinitate demonstratur, et quorum primum sumit *ex unitate* supremi principii, alterum *ex unitate* divinitatis ac essentiae, et tertium *ex identitate* voluntatis ac operationis.

(2) Orat. XXXII. al XLII. n. XVI. pag. 759, et Orat. XXXIX. n. XI. pagg. 683 - 684.

(3) Epist. cit. pagg. 315—316.

τελως ἐκτραπεντας. *His vero consona ratione omnes etiam reliquos, qui per Spiritus gratiam credita ecclesiae gubernacula susceperunt, rectam piae orthodoxaeque fidei doctrinam professos invenies; nec quidquam omnino ab hac intelligentia sensuque abscessisse* ».

XX.

De qua veterum patrum ab exorta ariana haeresi ad seculum usque sextum mirifica consensione dignum esse Maximum, cui fides adhibeatur, quum eximia illius pietas singularisque eruditio persuadent, tum adductis reliquorum patrum ex ordine testimoniis Petavius (1) abunde confirmat.

Sane ut id efferant quod est in Trinitate absolutum, unicum atque singulare, *ούσιας* utuntur nomine (2) Gregorius nyssenus, Epiphanius, qui (3) diserte *τρεις ὑποστασεις, μιαν οὐσιαν, μιαν θεοτητα, tres hypostases, unam essentiam, unam deitatem* ex catholica et nicaena professione definit, itemque (4) Isidorus pelusiota, scribens: *ἡ μεν γαρ ταὐτοτης της φυσεως, ὑποστασεσι διαιρειται· ἡ δε των ὑποστασεων ἰδιοτης εἰς μιαν οὐσιαν συναπτεται, naturae identitas hypostasibus dividitur; hypostaseon vero proprietas in unam essentiam copulatur.*

Accedunt Chrysostomus, quum (5) haec de Filio Pauli verba, *character substantiae*, explanat: Amphilochius apud (6) Anastasium sinaitam et (7) Damascenum: Eulogius alexandrinus apud (8) Photium: aliique bene multi; « adeo ut ex graecorum theologorum concordi opinione liqueat, *οὐσιαν* idem esse cum natura et essentia rei cuiusque, et eam pluribus esse communem: *ὑποστασιν* autem eamdem illam esse, sed proprietatibus definitam, et uni alicui affixam individuo, sive individuum ipsum ex usia et proprietatibus conflatum ».

(1) De Trinit. lib. IV. cap. I. §§. XIV—XV.
(2) Con. Eunom. lib. I. pagg. 67 125. edit. Gretseri.
(3) Haeres. LXXIII. n. 34.
(4) Epist. lib. II. epist. XLIII., et lib. I. epist. CCXLVII.
(5) In epist. ad Hebr. Hom. II. n. 1.
(6) In ὁδηγῳ, pag. 148.
(7) In Eclog. cap. I.
(8) Codd. CCXXV—CCXXVI.

Huius autem concordis opinionis, cuius Petavius meminit, quamque nube testium comprobare studuit, argumentum praeterea sunt quae in dialogis legimus, quos quum alii Athanasio, alii Maximo adscripserint, Garnerius (1) tamen nemini commodius quam Theodorito tribui posse existimavit. Quum enim orthodoxus (2) inferendo conclusisset: « *εἷς θεος υἱος και πατηρ, οὐ τῃ ὑποστασει, ἀλλα τῳ αὐτῳ λογῳ της οὐσιας, Pater et Filius sunt unus Deus, non quidem secundum hypostasim, sed secundum eamdem essentiae rationem* »; ut ictum anomoeus repelleret, interrogando quaesivit: *ἀλλο γαρ ἐστιν οὐσια, και ἀλλο ὑποστασις; enimvero, an non aliud est hypostasis, et aliud essentia?* nimirum orthodoxus respondit, *ἀλλο και ἀλλο, οὐχ ὡς πραγμα, est sane, non tamen ut alia et alia res.* Deducente autem anomoeo, *οὐκουν συνθεσις, est igitur compositio;* contra orthodoxus excepit: « *ἀλλο και ἀλλο εἰπον, οὐχ ὡς πραγμα ἀλλο και ἀλλο, ἀλλ' ὡς ἀλλο τι σημαινουσης της ὑποστασεως, και ἀλλο τι της οὐσιας. Aliud dixi et aliud, non tamen ut aliam et aliam rem; sed quod hypostasis aliud quiddam significet, aliud quiddam essentia.* Sicut granum frumenti et dicitur et revera est tum semen, tum fructus, non ut alia res sit semen, alia fructus; sed quod aliud significet semen, aliud fructus: siquidem semen futurae messis semen est, fructus autem praeteritae culturae fructus ».

Quibus auditis, quum veluti fastidiens percontaretur haereticus, *τι σημαινει ἡ οὐσια, και τι ἡ ὑποστασις; quid tandem essentia, quid hypostasis significat?* hanc ab orthodoxo (3) responsionem accepit: « *ἡ οὐσια την κοινοτητα σημαινει· και εἰ τι ἐστιν ἰδιον της οὐσιας, τουτο κοινον ἐστι των ὑπο την οὐσιαν· ἡ δε ὑποστασις ἰδιοτητα ἐχει, ἡτις οὐκ ἐστι κοινη των της αὐτης οὐσιας ὑποστασεων, μετα του και ἀριθ-*

(1) Cf. eiusdem appendicem ad dissert. II. de dialogis adversus arianos, macedonianos et apollinaristas, in qua quum aliorum opiniones subtiliter expendit, tum suam operose statuit, pagg. 420. seqq. T. V. P. I. edit. Halae 1774.

(2) De sancta Trinit. dialog. I. pag. 933. T. V. P. II.

(3) Ibid. pagg. 933—934.

μον ἐπιδεχεσθαι. Essentia communitatem significat, et si quid est essentiae proprium, id quoque hypostasibus essentiae subiectis commune est; hypostasis autem, praeter quam quod numerum admittit, proprietatem habet minime communem aliis hypostasibus essentiae subiectis ». Unde colligit: « Quae propria sunt essentiae, Patri similiter Filio et Spiritui-sancto communia esse. Pater autem non est commune quiddam; non est igitur Pater proprium quiddam essentiae, sed hypostaseos. *εἰ δε ἀλλο της ὑποστασεως το ἰδιον, και ἀλλα της οὐσιας ἰδιωματα, οὐ ταὐτον ἐστι σημαινομενον οὐσια και ὑποστασις. Quod si aliud est hypostaseos proprium, aliae proprietates essentiae; non idem profecto significant essentia et hypostasis* ».

XXI.

De quo discrimine, deque vulgata *της οὐσιας* significandi potestate sunt omnino praeclara, quae in operibus minime dubiis Theodoritus scribit. Explanata namque (1) germana notione quum eius quod *commune*, tum eius quod *proprium* nuncupamus, illico (2) subdit: « Sicuti nomen *homo* commune est universae hominum naturae; *οὕτω την θειαν οὐσιαν την ἁγιαν τριαδα σημαινειν εἰληφαμεν· την δε γε ὑποστασιν, προσωπου τινος εἰναι δηλωτικην, οἱον, ἡ του πατρος, ἡ του υἱου, ἡ του ἁγιου πνευματος. την γαρ ὑποστασιν, και το προσωπον, και την ἰδιοτητα, ταὐτον σημαινειν φαμεν τοις των ἁγιων πατερων ὁροις ἀκολουθουντες, ita divinae substantiae nomen sanctam Trinitatem significare accepimus, hypostasim vero personam aliquam designare, nempe vel Patris vel Filii vel Spiritus-sancti. Nam hypostasim et personam et proprietatem idem significare dicimus, sanctorum patrum doctrinam sequentes* ». E qua doctrina duo apta nexaque sunt, atque istud (3) inprimis, « quod *ὁσα περι της θειας λεγεται φυσεως, κοινα ταὐτα ἐστι του πατρος και του υἱου και του ἁγιου πνευματος, οἱον, το θεος, το κυριος, το δημιουργος, το παντοκρατωρ, και ὁσα*

(1) Dialog. I. cui titulus est, — Ἀτρεπτος, pagg. 7—8. opp. T. IV.
(2) Ibid. p. 8.
(3) Ibid. p. 8.

τουτοις ἐστι παραπλησια, quaecumque de natura divina dicuntur, communia sunt Patri et Filio et Spiritui-sancto, ut Deus, Dominus, conditor, omnipotens, et quae his similia ». Istud (1) deinde « quod quae hypostases personasve designant, *οὐκετι ταυτα της ἁγιας τριαδος κοινα, ἀλλ' ἐκεινης ἐστι της ὑποστασεως, ἧς ἐστιν ἰδιον, οἱον, το πατηρ ὀνομα, και το ἀγεννητος, του πατρος ἐστιν ἰδια, και αὖ παλιν, το υἱος ὀνομα, και το μονογενης, και το θεος λογος, οὐ τον πατερα δηλοι, οὐδε το πνευμα το ἁγιον, ἀλλα τον υἱον· και το πνευμα δε το ἁγιον, και ὁ παρακλητος, της του πνευματος ὑποστασεως ὑπαρχει δηλωτικα, ea sanctae Trinitati communia non sunt, sed illius sunt personae, cuius sunt propria: ut nomen Pater et Ingenitus, propria sunt Patris: nomen quoque Filius et Unigenitus et Deus Verbum non Patrem significant nec Spiritum-sanctum, sed Filium. Spiritus vero sanctus et Paracletus, Spiritus personam designant* ».

Hinc alexandrinus Cyrillus, postquam (2) de Patre Filioque affirmavit, *esse et subsistere utrumque, et propriam habere hypostasim, essentiae tamen identitate ἑνωσιν, unitatem constitui;* interrogando sciscitatur, *ἑτερον γαρ τι οὐσια, και ἑτερον ὑποστασις; quid ergo? aliud ne est essentia, aliud hypostasis?* reponit autem: « *και, πολυ γαρ το διειργον και δια μεσον χωρουν, utique; multum enim est inter illa discriminis et intervalli, siquidem essentia singularia complectitur* ».

Quod ut uberius explanet (3), subdit: « Itaque essentiae significatio ad id quod commune est denotandum, pertinet; hypostaseos vero nomen de singularibus universali subiectis praedicatur ac dicitur. Definimus hominem, animal rationale, mortale, ratione illi convenienti, et hanc *essentiae* definitionem esse dicimus, quae ad omnes singulariter subsistentes pertinet. Sub hoc igitur universali, nimirum *homine*, cadit Thomas et Marcus, Petrus et Paulus. Et essentia quidem hoc pacto significabitur, nondum tamen clara et manifesta erit eorum quae singulariter intelliguntur, signi-

(1) Ibid. p. 9.

(2) De sancta Trinitate, dialog. I. p. 408. opp. T. V. edit. Paris. 1638.

(3) Ibid. pagg. 408—409.

ficatio. *Homo* enim simpliciter, nondum est Petrus et Paulus: sed Thomam aut Petrum si dixeris, a definitione quidem substantiae id quod significatur, non removebis; sed in tali specie existere, et in propria ac particulari hypostasi esse ostenderis. Essentia igitur de omni homine, hypostasis autem de uno convenientius intelligitur, neque a communitate separans id quod significatur, neque porro confundens et obscuritate involvens id quod singulare est ac proprium ».

XXII.

Quae omnia, nisi totus fallor, multo continentur enucleatius praeclara Manuelis Calecae disputatione περι πιστεως και περι των ἀρχων της καθολικης πιστεως, *de fide deque catholicae fidei principiis.* Ea namque confessione (1) proposita, qua *unitatem in Trinitate credimus*, *et Trinitatem in unitate*, continuo monet: *neque unitate trium personarum* συγχυσιν και συναλοιφην, *confusionem commixtionemque induci*, *neque personarum numero* την της μοναδος και της οὐσιας ἑνοτητα, *unitatem monadis*, *idest essentiae dividi; sed et unum esse* κατα την οὐσιαν, *secundum essentiam,* και τρια κατα τας ὑποστασεις, *et tria si hypostaseon ratio habeatur.* « Διαιρειται γαρ ἡνωμενως και συναπτεται διηρημενως, ὡς φησιν ὁ θεολογος Γρηγοριος. και παλιν· οὐ φθανω το ἑν νοησαι, και τοις τρισι περιλαμπομαι· οὐ φθανω τα τρια διελειν, και εἰς το ἑν ἀναφερομαι, *distinguitur enim unite, et distincte connectitur, quemadmodum loquitur* (2) *Gregorius theologus. Ac* (3) *rursum: vix unum animo concepi, quum statim trium splendore circumfundor: vix tria distinxi, quum statim ad unum mente animoque referor.* Nam in hominibus quidem, qui tres homines sint, non unus sunt; nec rursus qui unus, tres existunt: ἐκει δε, και το ἑν τρια, και τα τρια ἑν, *heic autem et unum tria, et tria unum sunt* ».

(1) De principiis fidei catholicae, cap. III. p. 202. apud Combefisium, Part. I. Auctarii novissimi ad Biblioth. Graec. Patrum, edit. Paris. 1672.

(2) Orat. XXXVII. p. 598, et Orat. XXXIX. p. 630.

(3) Orat. XL. p. 668.

Sed quid est quod *unum*, quid illud quod *tria* significant? reponit (1) Calecas, et unius nomine *essentiam*, trium vero *hypostases* demonstrari affirmat; tum (2) pergit: « Το αὐτο δε ἐστιν οὐσια και φυσις, και προσωπον και ὑποστασις. Idem porro sunt essentia et natura, persona et hypostasis. De his enim sic habet (3) Gregorius theologus: *οὐ περι των ὀνοματων ζυγομαχησομεν, ἑως ἀν αἱ συλλαβαι προς την αὐτην ἐννοιαν φερωσιν*, *non disceptabimus de nominibus, quamdiu syllabae ad eamdem intelligentiam ferent*, *ἀλλα μεν και ἰδιοτητα και ὑποστασιν ἡ προσωπον, το αὐτο οὑτος ὁ ἁγιος λεγει· θεον δε ὁταν εἰπον, ἑνι φωτι περιεστραφθητε και τρισι· τρισι μεν κατα τας ἰδιοτητας*, *sed proprietatem et hypostasim sive personam idem esse vir ille sanctus docet. Deum autem quum dico, uno eodemque trino* (4) *lumine perstringimini, trino*

(1) De principiis fidei cath. cap. III. p. 209.

(2) Ibid. p. 210.

(3) Orat. XXXIX. p. 630.

(4) Verba, *ἑνι φωτι και τρισι*, reddidit Billius, *uno triplicique lumine*. Minus dextere, reponit Combefisius, siquidem vox illa *triplex* referre videtur « materialem quasi multiplicationem, et qua lumina non solum numerentur, existendi modo distincta, penes auctorem et quod ex auctore est, sed et tota etiam essentia multiplicentur. Ac nescio an ullus patrum vocem *τρισσος*, quae illi *triplex* respondet, in divinis personis umquam usurpaverit: *τρεις* dicunt et *τρια*, unde postmodum nata vox *τριας*, ut et nobis etiam *Trias* et *Trinitas*. Extra haec vagari quadam veluti latinitatis larva, periculo non vacat. Potius magisque sobrie ecclesia in hymno festi Trinitatis: *unum te lumen credimus, quod et te idem colimus*. De creatis vero, in quibus rerum illa pluralitas et divisio ac multiplicatio, aliaque et alia essentia, *triplex rerum machina benedicit per secula* ». Hactenus Combefisius, cui ex antiquorum numero suffragantur Augustinus de Trinit. lib. VI. cap. VII., toletana Synodus decima in professione fidei, Alcuinus de Trinit. lib. I. cap. XI, et Petrus Damiani opuscul. I. cap. I: ex Scholasticis favent Petrus lombardus in I. dist. XIX, et Thomas I. p. q. XXXI. a. I: ac inter recentiores patrocinatur Didacus Ruiz De Trinit. disput. XXXVIII. Sect. III. n. 20. Nihilominus et *τρισσην θεοτητα* legimus apud Gregorium nazianzenum, Carm. III., et similis potestatis vocabula alia habent probatissimi scriptores, quos laudat, adducitque Petavius de Trinit. lib. VIII. cap. IX, §. VII. Vera igitur ratio, quae impedit quominus *triplex* rite adhibea-

quidem quantum ad proprietates. Exponens autem quidnam dixerit proprietates, adiecit, εἴτ' οὖν ὑποστάσεις, *sive hypostases.* Ac ista quidem tradit oratione (1) in Lumina. Oratione vero (2) in beatum Athanasium, quum dixisset: τῆς μιᾶς οὐσίας καὶ τῶν τριῶν ὑποστάσεων λεγομένων ὑφ' ἡμῶν εὐσεβῶς, *nobis pie unam essentiam, tresque hypostases profitentibus*, subiecit: τὸ μὲν γὰρ τὴν φύσιν δηλοῖ· τὸ δὲ, τὰς τῶν τριῶν ἰδιότητας, *quod alterum naturam, alterum trium proprietates declaret.* Illic itaque quum τὰς ἰδιότητας, *proprietates* priores posuisset, interpretatus est τὰς ὑποστάσεις, *hypostases*: heic vero τὰς ὑποστάσεις dixit τὰς ἰδιότητας ».

E quibus (3) infert: « Quum itaque Deum sapientem, bonum ac viventem dixerimus, τὸν ἕνα θεὸν σημαίνομεν καὶ τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας, *Deum unum essentiaeque communitatem significamus:* quum vero protulerimus ὄνομα διακεκριμένον, τουτέστιν ὄνομα ὑποστατικὸν μιᾶς τῶν θείων ὑποστάσεων, οἷον ἢ πατέρα, ἢ υἱὸν, ἢ πνεῦμα ἅγιον, αὐτὸ πάλιν τὸ κοινὸν σημαίνομεν μετά τινος ἰδιάζοντος, *nomen discretum, nomen videlicet hypostaticum unius e divinis personis, puta, Patrem aut Filium aut Spiritum-sanctum, eamdem denuo communitatem cum quodam proprio significamus.* Etenim (4) Damascenus sanctique alii ita hypostasim personamve definiunt, τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος, *commune* (5) *cum pro-*

tur, est vulgatior usus, *quem penes arbitrium est, et ius, et norma loquendi.*

(1) Quae est oratio XXXIX. tam in veteri, quam in nova editione.

(2) Orat. XXI. p. 395.

(3) De principiis fidei catholicae, p. 210.

(4) De fide orthod. lib. III. cap. VI.

(5) Haec, inquit Combefisius, habet Damascenus non tam ut hypostaseos definitionem, quam ut explicationem consectariumque definitionis. « Ait enim, τὴν ὑπόστασιν ὁρίζονται, οὐσίαν μετὰ συμβεβηκότων, *hypostasim definiunt essentiam cum accidentibus,* ὥστε τὸ κοινὸν μετὰ τοῦ ἰδιάζοντος ἔχει ἡ ὑπόστασις, καὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὑπάρξαι, *quocirca hypostasis est id quod habet commune cum propria sua nota, et quod per sese existit.* Quod postremum sic hypostaseos proprium, mirum Fabro interpreti excidisse. Maluit tamen Calecas istud assumere, quod in Deum transferri potest, in quo est vere τὸ κοινὸν, et τὸ ἰδιάζον, quum nulla in eo accidentia sub conceptu accidentium reperiantur ».

prio. Non enim aliud est Deus, aliud tres hypostases. Scite (1) Gregorius theologus: θεου δε ὅταν εἰπω, λεγω πατρος και υἱου και ἁγιου πνευματος, *Deum quum dico, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum dico*. Et iterum: ἑν γαρ ἐν τρισιν ἡ θεοτης · και τα τρια ἑν, τα ἐν οἷς ἡ θεοτης · ἡ, τογε ἀκριβεστερον εἰπειν, ἃ ἡ θεοτης, *unum enim in tribus deitas est, et tria unum, ea* scilicet *in quibus est deitas; vel ut accuratius loquar, quae sunt deitas*. Cavit illud, ἐν οἷς, *in quibus*, ne intelligeretur compositio, ac si aliae essent personae in alia essentia adiecitque *quod accuratius* est, ἃ ἡ θεοτης, *quae* sunt *ipsa deitas*.

Divinus quoque Maximus gemina scribit, inquiens: οὐχ ὡς ἀλλην την μοναδα και ἀλλην την τριαδα ἐδιδαχθημεν εἰναι, ἀλλα την αὐτην ὡς ἀληθως μοναδα και τριαδα λεγομενην, *non quasi aliam Unitatem atque aliam Trinitatem didicerimus esse, sed eamdem prorsus quae Unitas quaeque Trinitas dicatur*; την μεν, τῳ κατ' οὐσιαν λογῳ · την δε, τῳ καθ' ὑπαρξιν τροπῳ, *ac Unitas quidem ratione essentiae, Trinitas autem modo existendi*. Et alio itidem loco: ἡ αὐτη μονας και τριας · ὁλη μονας ἡ αὐτη, και ὁλη τριας ἡ αὐτη. μονας ὁλη κατα την οὐσιαν ἡ αὐτη, και τριας ὁλη κατα τας ὑποστασεις ἡ αὐτη, *eadem Unitas est atque Trinitas: tota Unitas secundum essentiam eadem, totaque Trinitas secundum hypostases eadem*.

Rite ergo affirmabamus, ἑν μεν εἰναι τον θεον κατα την οὐσιαν, τρια δε κατα τας προοδους. δηλονοτι ἐν οὐδενι ἀλλῳ διαφοραν ἐχοντων των τριων, ἡ ὁτι το μεν αἰτιον, το δε ἐκ της αἰτιας, και του ἐξ αἰτιας, το μεν γεννητως, το δε ἐκπορευτως, *Deum unum esse substantia, tria vero secundum processiones: sic nimirum ut nulla sit trium distinctio, quam quod alterum auctor est, alterum ex auctore; ac quod ex auctore, alterum ex eo est generatione, alterum processione* ».

XXIII.

Quibus testimonio (2) Gregorii nysseni, Maximi et Athanasii comprobatis, iterum (3) subdit: « Vere igitur diceba-

(1) Orat. XXXIX. p. 630.

(2) De principiis fidei cath. pagg. 210—211.

(3) Ibid. p. 211.

mus, quum et Deum et Patrem dicimus, unum nos eumdemque significare Deum; τουτεστι, τον αὐτον και τοις ἀπολελυμενοις ὀνομασι και τοις διακεκριμενοις σημαινεσθαι· και δια μεν των ἀπολελυμενων, ἠγουν του θεος και ἀγαθος, το κοινον της οὐσιας και ὁλον σημαινειν· δια δε των ὑποστατικων, ὁταν δηλονοτι πατερα λεγωμεν ἠ υἱον ἠ πνευμα, παλιν αὐτο το κοινον, και ὁλον μετα του ἰδιαζοντος, *nempe eumdem ipsum tam absolutis quam discretis nominibus significari: et absolutis quidem, cuiusmodi sunt Deus et bonus, essentiae communitatem totalitatemque efferri; hypostaticis vero, quum nimirum Patrem dicimus aut Filium aut Spiritum, eamdem rursus communitatem totalitatemque cum eo quod proprium est designari.*

Licet enim sancti doceant, ἀλλο μεν εἰναι την οὐσιαν, ἀλλο δε την ὑποστασιν, οὐχ ὡς ἀλλο και ἀλλο πραγμα ἰδια νομιζουσιν, ὡς εἰναι συμβαινειν ὑποστασιν ἀνουσιον και οὐσιαν ἀνυποστατον, ὁπερ ὁ μεγας Βασιλειος ἀτοπον φησιν ἐν τῃ προς Τερεντιον Κομητα ἐπιστολῃ, *aliud quidem essentiam, aliud vero esse personam; haud tamen tamquam aliam atque aliam rem seorsum existimant, sic nimirum ut contingat, personam essentia carere, ac essentiam hypostasi, quod magnus Basilius in epistola* (1) *ad Terentium Comitem absurdum pronuntiat.* και γαρ πασα οὐσια μετα τινων ἰδιοματων θεωρειται· και τα ἰδιωματα οὐσιαν ἐχουσι, περι ἡν θεωρουνται. ἡ γαρ ὑποστασις, το κοινον μετα του ἰδιαζοντος εἰρηται, *etenim essentia omnis quibusdam insignita proprietatibus consideratur, habentque proprietates essentiam, circa quam considerantur. Hypostasim namque diximus commune una cum eo quod proprium est.* Atque hoc sensu tradiderunt sancti, ut in eadem epistola auctor est Basilius, *eamdem esse rationem communis ad proprium, quae est essentiae ad hypostasim.* Porro in epistola (2) ad Gregorium fratrem de distinctione essentiae et hypostaseos idem Basilius scribit: ὁ μεν της κοινοτητος λογος εἰς την οὐσιαν ἀναγεται· ἡ δε ὑποστασις, το ἰδιαζον ἑκαστου σημειον ἐστι, *communitatis ratio ad essentiam spe-*

(1) Epist. CCCXLIX. al. CCXIV.
(2) Epist. XLIII. al. XXXVIII.

ciat, hypostasis vero cuiusquè proprium signum ac nota est.

Ceterum το μεν κοινον, τω ἁπλως ἀναλογει· το δε ἰδιον, τῳ πως· και γαρ το θεος ὀνομα ὡς κοινοτερον ἐπι της ὡς θεοτητος ἐκλαμβανομεν, οὐχ ἐν ὁποιονουν των ὑποστατικων και ἰδιαζοντων ὀνοματων, οἱον πατηρ ἡ υἱος. ἐπει οὐδε ἀντιστρεφει. ὁ μεν γαρ πατηρ και ὁ υἱος και το πνευμα το ἁγιον εἱς ἐστι θεος· ὁ δε θεος οὐ παντως και πατηρ ἐστιν. θεος γαρ ἐστιν ὁ πατηρ, ἀλλ' υἱος οὐκ ἐστιν οὐτε πνευμα· καιτοι του υἱου θεου ὀντος και του πνευματος ὁμοιως, *quod commune est, illi affine est ac proportione respondet quod est absolutum; proprium vero idem notat ac relativum, quodque ad modum se habendi spectat. Etenim nomen Deus, velut communius in deitate assumimus, non ut unum quodvis ex hypostaticis propriisque nominibus, qualia sunt Pater aut Filius. Nam neque vicissim dicuntur. Etenim est quidem Pater et Filius et Spiritus-sanctus unus Deus; at non etiam omnibus modis Deus Pater est. Etenim Pater est Deus, non tamen Filius aut Spiritus est, quamvis* (1) *et Filius Deus sit, et Spiritus similiter.*

Praeterea nisi commune heic essentiam significet, ac propemodum universali respondeat, sed ita se habeat, velut cum dicimus, *homo est animal rationale;* consequens erit, deitatem, non secus ac genera et species, secundum complexionem sola mentis notitia contineri. Verum qui Damasco oriundus theologus est, talem opinionem (2) evertit, scribens: ἐπι μεν οὐν των κτισματων, ἡ των ὑποστασεων διαιρεσις πραγματι θεωρειται. πραγματι γαρ ὁ Παυλος του Πετρου κεχωρισμενος θεωρειται. ἡ δε κοινοτης και ἡ συναφεια και το ἑν, λογῳ και ἐπινοιᾳ θεωρειται: *in creaturis quidem hypostaseon divisio ipsa re consideratur. Re namque ipsa Paulus a Petro seiunctus conspicitur: communitas vero et coniunctio atque*

(1) Quae licet ad Calecae mentem assequendam omnino necessaria, in sua tamen latina versione Combefisius omittit. Sed haec atque hisce similia παροραματα cum barbarie coniuncta in combefisianis versionibus non sunt infrequentia.

(2) De fide orthod. lib. I. cap. VIII. p. 139: Sed multo antea Gregorius nazianzenus everterat Orat. XXXI. al. XXXVII. nn. 15—16. pagg. 565—566.

unitas ratione solum mentisque contemplatione tenetur. At paucis (1) interiectis, subdit: ἐπι δε της ἁγιας και ὑπερουσιου και παντων ἐπεκεινα και ἀληπτου τριαδος, το ἀναπαλιν. ἐκει γαρ, το μεν κοινον και ἑν πραγματι θεωρειται· ἐπινοιᾳ δε, το διῃρημενον, *in sancta autem et supersubstantiali cunctisque eminenti ac incomprehensa Trinitate, contra se res habet. In ea enim commune ac unum ipsa re intelligitur, discretio vero subtili mentis cogitatione consideratur* ».

E quibus tandem, Athanasii (2) etiam suffragio adhibito, concludit (3) Calecas: « ὡστε πραγματι το αὐτο ἐστιν οὐσια και ὑποστασις· μια γαρ οὐσια. ἀλλα ἀλλο μεν σημαινομεν ὁταν αὐτο φωμεν υποστασιν, ἀλλο δε τι ὁταν οὐσιαν. ἡ γαρ ὑποστασις ἐπι των θειων, ἀναφορικον τι σημαινει· ἡ δε οὐσια, ἀπολελυμενον· και τουτῳ διενηνοχεν οὐσια και ὑποστασις, τῳ, την μεν ἁπλως· την δε, πως λεγεσθαι. τουτο ἀρα βουλονται οἱ ἁγιοι. οὐ ταὐτον οὐσιαν και ὑποστασιν λεγοντες· ὡσπερ αν ει ἐλεγον, ὁτι οὐ ταὐτο ἐπι της ὑπερουσιου θεοτητος το ἀπολελυμενον και το ἀναφορικον. τοις μεν γαρ ἀναφορικοις, τα θεια διακρινονται προσωπα· τοις δ' ἀπολελυμενοις συναπτονται. ἑνωσις δε και διακρισις οὐ ταὐτο· τῃ μεν γαρ οὐσιᾳ, ἡ ἑνωσις ἑπεται· ταις δε ὑποστασεσιν ἡ διακρισις, *idem itaque reipsa sunt essentia et hypostasis. Sunt enim una essentia. Verum aliud significamus, si illam hypostasim dixerimus, ac aliud quidpiam si essentiam nominemus. Nam hypostasis in divinis aliquid significat relatione contentum; essentia vero quod est absolutum. Unde essentia et hypostasis hoc distant, quod illa simpliciter, haec autem de modo existendi effertur. Atque huc redeunt quod sancti volunt, quum dicunt, non esse idem essentiam et hypostasim: propemodum dicerent, in deitate quae omnem excedit essentiam, non esse idem absolutum et relatum. Relatis namque discernuntur divinae personae, absolutis vero copulantur. Non sunt autem idem unio et discretio. Porro essentiae comes est unio, hypostaseon vero discretio* ».

(1) Ibidem.

(2) Si tamen Athanasii sint dialogi de Trinitate, quos alii Maximo, alii Theodorito adscribunt.

(3) De principiis fidei cath. p. 212.

Quae quidem omnia arbitror abunde sufficere, ut quod nobis ostendendum evincendumque proposuimus, demonstratum existimetur: quum vehementius de divina Trinitate disceptaretur, quum ariana et macedoniana haereses acerbius ingravescerent, hanc apud graecos ecclesiae patres scriptoresque praevaluisse loquendi rationem, ut οὐσιας vocabulo quod est in augusta Trinitate absolutum, singulare atque commune repraesentaretur.

XXIV.

Porro, quod caput est, hanc ipsam της οὐσιας acceptionem oecumenica concilia suo suffragio, suaque qua maxima pollent auctoritate comprobarunt. Et comprobavit in primis nicaena synodus, quum (1) μεγαλοφωνως, *magnifice* credendum esse promulgavit, *Filium Dei genitum esse ex Patre unigenitum, τουτεστιν ἐκ της οὐσιας του πατρος, hoc est, ex substantia Patris.* Comprobarunt deinde patres concilii constantinopolitani primi, qui, uti apud (2) Theodoritum legimus, in epistola synodica ad Damasum aliosque Romae congregatos antistites, ex legitima baptismi formula consequens esse docuerunt, « credi omnino oportere unam deitatem et potentiam *και οὐσιαν ac substantiam* Patris et Filii et Spiritus-sancti; tum aequalem dignitatem et coaeternum imperium *ἐν τρισι τελειαις ὑποστασεσιν ἠγουν τρισι τελειοις προσωποις, in tribus perfectis* (3) *hypostasibus, sive in tribus perfectis personis.* Ita ut nec Sabellii morbus locum habeat, confundendo hypostases et tollendo proprietates; nec eunomianorum et arianorum ac pneumatomachorum blasphemia vim ullam obtineat, *την οὐσιαν, ἠ την φυσιν, ἠ την θεοτητα, substantiam et naturam ac deitatem* dividens, et increatae et consubstantiali ac coaeternae Trinitati recentiorem quam-

(1) Apud Socratem, H. E. lib. I. cap. VIII.

(2) H. E. lib. V. cap. IX.

(3) Epiphanius scholasticus hoc incisum ita reddit, *in tribus perfectissimis subsistentiis.* Legit itaque non τελειοις, sed τελειοταταις, quemadmodum etiam Nicephorus habet.

dam aut creatam, aut alterius substantiae Trinitatem superinducens.

Neque minus comprobarunt chalcedonenses (1) patres, quibus solemne est non alio quam *της οὐσιας* nomine (2) id efferre, quod tres divinae hypostases commune possident, quodque in illis singulare est ac absolutum. Quare orientales iuxta ac occidentales episcopi in (3) florentina synodo hanc ratam sanctamque esse iusserunt profitendae fidei formulam: *ὁτι το πνευμα το ἁγιον ἐκ του πατρος και του υἱου ἀϊδιως ἐστι, και την ἑαυτου οὐσιαν και το ὑπαρκτικον αὐτου εἰναι ἐχειν ἐκ του πατρος ἁμα και του υἱου, και ἐξ ἀμφοτερων ἀϊδιως ὡς ἀπο μιας ἀρχης και μοναδικης προβολης ἐκπορευεται, quod Spiritus-sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.* E quibus nihil

(1) Quod ea praeclare ostendunt, quae passim actione quinta, coll. 99. seqq. T. VII: edit. Florent. 1762, repetuntur.

(2) Placet vero, ut optatissimam Sacerdotii ac Imperii consensionem adprobem, nonnulla referre ex litteris Imperatorum Valentiniani et Valentis, quas illi, praeeunte illyriciana Synodo, ad asianam dioecesim dederunt. Haec ergo in illis ad rem praesentem accommodatissima legimus, apud Theodoritum, H. E. lib. IV. cap. VIII.: « Confitemur iuxta magnam et orthodoxam Synodum (nicaenam) Filium Patris esse ὁμοουσιον. Nec το ὁμοουσιον sic intelligimus, ut quidam olim exponebant, qui non sincere neque ex animo subscripserunt, atque nunc nonnulli, qui patres illos appellant (hi erant semiariani, qui episcopos antiocheni concilii in encaeniis celebrati, *patres vocabant*), vim huius vocis abolentes, eorumque vestigiis insistentes το ὁμοιον δηλουσθαι δια του ὁμοουσιου qui *consubstantialis vocabulo simile significari* docuerunt, quatenus Filius nulli reliquarum creaturarum quae per ipsum factae sunt, similis est, sed solius Patris similitudinem gerit. Nam qui ita exponunt, Filium Dei creaturam esse eximiam ac praecellentem, impie statuunt. Nos vero perinde sentimus ac Synodi, tum quae Romae, tum quae in Galliis, nuper factae sunt, *μιαν εἰναι και την αὐτην οὐσιαν του πατρος και του υἱου και του ἁγιου πνευματος, ἐν τρισι προσωποις, τουτεστιν, ἐν τρισι τελειαις ὑποστασεσιν, unam eamdemque substantiam Patris ac Filii et Spiritus sancti in tribus esse personis, hoc est in tribus perfectis hypostasibus* ».

(3) Definit. Fidei, col. 1030. T. XXXI. edit. Venet. 1798.

manifestius, quam orientis occidentisque consensione nomen της ουσιας ad id efferendum significandumque adhiberi, quod est in augusta Trinitate absolutum, commune ac singulare, illique opponitur, quod in eadem est relativum, proprium ac multiplex.

XXV.

COROLLARIUM I.

Iis, qui ista teneant, anceps esse non poterit, sive quo accipi sensu debeant, quae ex disputationibus Theodoriti, Anastasii, Damasceni ac Theoriani (1) retulimus; sive quo in numero habendum sit iudicium, quod de illorum sententia Clericus (2) pronunciavit. Iure suo illis testari ac affirmare licuit, apud orthodoxos ecclesiae scriptores, qui ab exorta ariana perfidia editis operibus inclaruere, usum praevaluisse, ut ουσιας vocabulo significarent, quod est in Deo absolutum, ac tribus ex aequo personis indivisum ac prorsus singulare competit. At vero Clericus, nullo facto discrimine, nullaque temporum ratione habita, quae tamen cordi esse plurimum debet quum de statuenda vocabulorum potestate disseritur, absurde omnino ac praepostere infinita quadam dicendi forma illorum testimonium reiecit, manifestique erroris accusavit.

XXVI.

COROLLARIUM II.

Quod toties a patribus inculcatum audivimus, id nomine της ουσιας in divina Trinitate significari, quod κοινον est tribus personis, nomine autem της ὑποστασεως, quod singulis est ἰδιον, atque (3) adeo ὁν ἐχει λογον το κοινον προς το ἰδιον, *qualem habet rationem commune ad proprium*, talem quoque

(1) §§. I. seqq.

(2) §. IV.

(3) Verba sunt ex Basilii epistola CCXIV. ad Terentium Comitem.

habere *την οὐσιαν προς την ὑποστασιν*, *essentiam ad hypostasim*, dextere omnino et ad mentem sententiamque eorumdem patrum accipi debet.

Itaque essentia a) non dicitur *communis* tribus, quemadmodum *totum* est commune *partibus*; siquidem et essentia est *ἀμερης*, et hypostases neque sunt neque credi partes possunt.

Neque b) dicitur communis tribus, quemadmodum *genus* est commune *speciebus*; siquidem et essentia non est genus, et hypostases non sunt species, sed individua.

Neque c) dicitur commune tribus, quemadmodum *species* communis est *individuis*; quamquam enim hypostases sint individua, essentia tamen non est species, sed est maxime una ac numero singularis.

Quo igitur sensu, quove pacto essentia est diciturque tribus communis? nimirum patribus uno ore consentientibus, quatenus una eademque numero essentia tribus ex aequo personis inest, modo licet alio ac diverso: inest namque Patri, sed citra communicationem: inest Filio, sed communicatione ex Patre: inest et Spiritui-sancto, sed communicatione ex Patre per Filium. Quare appositum *commune* de divina essentia adhibitum, non opponitur *singulari*, sed opponitur *incommunicabili*: et essentia divina non ideo dicitur communis, quod singularis non sit, sed quod sit *communicabilis*, et cum Filio ac Spiritu-sancto ab aeterno communicetur. Praeclare omnino (3) nazianzenus Gregorius: « *ἡμιν εἱς θεος, ὁτι μια θεοτης· και προς ἑν τα ἐξ αὐτου την ἀναφοραν ἐχει, κἀν τρια πιστευηται· οὐ γαρ, το μεν μαλλον, το δε ἡττον θεος· οὐδε το μεν προτερον, το δε ὑστερον· οὐδε βουλησει τεμνεται, οὐδε δυναμει μεριζεται, οὐδε τι των ὁσα τοις μεριστοις ὑπαρχει, κἀνταυθα λαβειν ἐστιν· ἀλλα ἀμεριστος ἐν μεμερισμενοις, εἰ δει συντομως εἰπειν, ἡ θεοτης· και οἱον ἐν ἡλιοις τρισιν ἐχομενοις ἀλληλων, μια του φωτος συγκρασις. ὁταν μεν οὐν προς την θεοτητα βλεψωμεν, και την πρωτην αἰτιαν, και την μοναρχιαν, ἑν ἡμιν το φανταζομενον· ὁταν δε προς τα ἐν οἱς ἡ θεοτης, και τα ἐκ της πρωτης αἰτιας ἀχρο-*

(1) Orat. XXXI. al. XXXVII. §. XIV. p. 565.

νως ἐκειθεν ὀντα, και ὁμοδοξως, τρια τα προσκυνουμενα. *nobis Deus unus est, quoniam una Deitas; atque ad unum, ea quae ex eo sunt, referuntur, etiamsi tres personas credamus. Neque* (1) *enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur, nec potentia dividuntur, nec denique quidquam eorum, quae dividuis rebus contingunt, heic quoque reperitur. Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas, ac velut in tribus solibus mutuo cohaerentibus* (2) *una lucis commixtio et temperatio.*

(1) Quibus illustrandis insigniter conferunt verba Leonis ex Serm. VIII. in nativitate Christi: *Gradus in vera divinitate esse non possunt. Quidquid Deo minus est, Deus non est.* Unde Gregorius nazianzenus in ea quam citavimus oratione, §. IX. p. 561. scribit: « Non enim Deo quidquam deest, unde neque Filio aliquid deest, ad hoc ut sit Pater (οὐδε γαρ ἐλλειψις ἡ υἱοτης, *filiatio enim defectus non est*), nec propterea tamen Pater est. Alioquin eadem ratione Patri aliquid deerit, ad hoc ut sit Filius. Nec enim Pater Filius est. ἀλλ' οὐκ ἐλλειψεως ταυτα ποθεν, οὐδε της κατα την οὐσιαν ὑφεσεως· αὐτο δε, το μη γεγενησθαι, και το γεγενησθαι, και το ἐκπορευεσθαι, τον μεν πατερα, τον δε υἱον, το δε, τουθ' ὁπερ λεγεται, πνευμα ἁγιον προσηγορευσεν, ἱνα το ἀσυγχυτον σωζηται των τριων ὑποστασεων ἐν τῃ μιᾳ φυσει τε και ἀξιᾳ της θεοτητος, *sed haec defectum procul dubio undequaque non arguunt, nec essentiae submissionem; quin potius ex his verbis, genitum non esse, genitum esse, et procedere, hoc effectum est, ut alius Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus appelletur, atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura et dignitate conservetur* ».

(2) Nescio autem an non etiam exquisitior similitudo videatur, qua epist. XXXVIII. Basilius utitur; iride namque pereleganter depicta, subdit: « Quemadmodum igitur in proposito exemplo et colorum discrimina aperte dignoscimus, et divisionem alterius ab altero non possumus sensu apprehendere; sic mihi cogita de rebus divinis rationem iniri posse: τας μεν των ὑποστασεων ἰδιοτητας, *hypostasum quidem proprietates*, veluti quemdam florem eorum, quae in iride apparent, micare et relucere in unaquaque earum personarum, quae in sancta Trinitate creduntur; της δε κατα την φυσιν ἰδιοτητος, μηδεμιαν ἑτερου προς το ἑτερον ἐπινοεισθαι διαφοραν, ἀλλ' ἐν τῃ κοινοτητι της οὐσιας, τας γνωριστικας ἰδιοτητας ἐπιλαμπειν ἑκαστῳ, *et proprietatis secundum naturam, nullum omnino discrimen, quo alter ab altero secernatur, excogitari, sed in communitate essentiae proprietates, ex quibus unaquaeque persona dignoscitur, in unaquaque resplendere.* Nam et heic in exemplo una est essentia per solares radios refracta, ex qua multicolor ille splendor effulget: flos autem, qui apparet, multiplex est ».

Quum ergo ad divinitatem primamque illam caussam, uniusque principatum et imperium (1) *respexerimus, unum est quod mentis nostrae oculis obversatur. Quum rursus ad ea, in quibus est divinitas, et quae ex prima illa caussa, citra ullam temporis intercapedinem, ac pari gloria sunt, tria sunt quae adorantur* ».

Cuiusmodi est igitur illa *communitas*, quae tam crebro, tantaque concordia in ecclesiasticis monimentis divinae essentiae tribuitur? communitas est, quae a) una deitate continetur, quae b) monarchiae (2) statum protegit, quae c) identitatem voluntatis, potentiae ac operationis inducit, quae d) id excludit omne quod rebus dividuis contingit, quaeque e) ex indivisa communicatione repeti debet, qua Filius a Patre gignitur, ut (3) Deus ex Deo, et totus ex toto, et qua Spiritus-sanctus ex Patre et Filio eadem ratione ut Deus ex Deo, ac totus ex toto procedit, adeo ut (4) neque crescat *μονας εἰς δυαδα, οὐδε δυας εἰς τριαδα, monas in dyadem, neque dyas in triadem.* Talis est communitas divinae substantiae, si Gregorio credimus, cum quo et (5) Basilius, et alter (6) Gregorius cognomento nyssenus, et ceteri passim patres scriptoresque ecclesiastici (7) praeclare insigniterque conspirant.

Atqui communitas haec est, quae non modo singularitati

(1) Summi esse ponderis μοναρχιαν, et μιας των παντων ἀρχης doctrinam ad statuendam tuendamque omnimodam divinae essentiae in tribus distinctis hypostasibus singularitatem, et nos in altero primae partis commentario innuimus, et pluribus demonstrarunt Bullus in defens. fidei nicaenae, sect. IV. cap. IV, et Guillelmus Cave in tertia ex Dissertationibus, quae habentur ad calcem T. II. Hist. literariae.

(2) Cf. quae in altero commentario prioris partis ad asserendam expoliendamque της μοναρχιας rationem e Tertulliano potissimum deprompsimus.

(3) Haec totidem verbis in iis leguntur Symbolis, quae in altero commentario praecedentis partis descripsimus:

(4) Ita loquitur in suo Symbolo Gregorius neocaesariensis.

(5) Epist. XXXVIII. nn. 3—4, et CCXIV.

(6) In libello ad Ablavium, opp. T. III. pagg. 16. seqq.

(7) De quibus praeclara habet Maranus in opere de Divinit. D. N. I. C. lib. IV. cap. XXXIII.

non opponitur, sed singularitatem postulat, et sine singularitate intelligi nequit: unde communitas est, quae solum *incommunicabilitati* opponitur, quaeque ita monarchiam tuetur, ut non subvertat oeconomiam. Ac tuetur sane monarchiam, et absolutam monadis singularitatem; huic enim difficultati, quam sibi Gregorius continuo opponit: *erunt fortasse qui dicant, nonne apud ethnicos quoque deitas una est, ut docent qui plenius apud illos perfectiusque philosophantur, atque apud nos genus universum humanitas una? et tamen plures sunt dii, et non unus, sicut etiam multi homines?* hisce decretoriis plane verbis (1) occurrit: « *ἀλλ' ἐκεῖ μεν ἡ κοινοτης το ἑν ἐχει μονον ἐπινοιᾳ θεωρητον· τα δε καθ' ἑκαστον πλειστον ἀλληλων, και τῳ χρονῳ, και τοις παθεσι, και τῃ δυναμει μεμερισμενα . . . το δε ἡμετερον, οὐ τοιουτον· οὐδε αὐτη μερις τῳ Ἰακωβ, φησιν ὁ ἐμος θεολογος· ἀλλα το ἑν ἑκαστον αὐτων ἐχει προς το συγκειμενον, οὐχ ἡττον ἡ προς ἑαυτο, τῳ ταυτῳ της οὐσιας και της δυναμεως. και οὗτος ὁ της ἑνωσεως λογος, ὁσον ἐφ' οἷς ἡμεις κατειληφαμεν, at illic communitas unitatem habet, quae cogitatione sola* (2)

(1) Orat. XXXI. al XXXVII. §§. XV—XVI. pagg. 565—566.

(2) « Aliud est, inquit Billius ex Elia cretensi, *re* quidpiam considerari, aliud *ratione* et *cogitatione*. Atque in omnibus quidem rebus creatis, personarum divisio *re* consideratur. Nam re Petrus a Paulo separatus consideratur. Communitas autem et coniunctio et unitas considerantur *ratione dumtaxat et cogitatione*. Nam mente intelligimus Petrum et Paulum eiusdem esse naturae. Uterque enim animal est rationale, mortale. Personae autem in se invicem non sunt, sed quaelibet earum peculiaris est, hoc est, separatim existit, et habet plurima, quae eam ab alia distinguant. Nam et loco distant, et differunt tempore, voluntate, temperamento, . . . Eo fit ut duo vel tres homines dicantur et multi (sicut fit etiam in graecorum diis), quod divisi sint tempore, loco, iudicii sententia, potestate, ... At in Trinitate contrario modo se res habet. Nam in ea, quod est commune, *re* consideratur, propter coaeternitatem et identitatem essentiae, propter etiam efficacitatis, voluntatis et sententiae conspirationem, et potentiae identitatem. Quod vero in eadem discrimen habet, id *cogitatione* intelligitur. Nam Deum unum agnoscimus, atque in solis proprietatibus paternitatis, filiationis et processionis discrimen intelligimus. Nec enim distantiam localem in deitate statuere possumus. Personae enim sunt in se invicem; non quod con-

considerari possit: singularia autem et tempore et affectionibus, atque adeo potentia et facultate plurimum inter se divisa sunt . . . . At nostrae doctrinae non eadem est ratio, nec pars haec Jacob, ut inquit (1) *meus theologus. Sed horum quodlibet unitatem habet, non minus eius cum quo coniungitur, quam suiipsius respectu, propter essentiae potentiaeque identitatem. Atque haec unionis huius ratio est, quantum quidem ipsi percipimus* ».

Eo igitur pertinet communitas divinae naturae, ut tres hypostases cum sint, non nuda mentis *ἐπινοια*, qua id quod in multis reperitur, licet distinctum ac divisum, simile tamen, instar unius consideratur, sed omnino *πραγματι* ac reipsa, siquidem *πραγματι* ac reipsa *το ταὐτον της οὐσιας και της δυναμεως*, *una eademque* numero *essentia ac virtus* tribus hypostasibus competit. Atqui communitas haec est perfectissimae singularitatis, quaeque (2) efficit, *ut licet Filius non sit Pater, sit tamen id quod est Pater, et licet Spiritus non sit Filius, sit tamen id quod est Filius: ἑν τα τρια τῃ θεοτητι, και το ἑν τρια ταις ἰδιοτησιν · ἱνα μητε το ἑν Σαβελλιου ᾐ, μητε τα τρια της πονηρας νυν διαιρεσεως, tria haec unum, si divinitatem spectes, et unum tria, si proprietatum rationem habeas, ut nec unum Sabellio faveat, nec tria pestiferae divisioni, quae hac tempestate grassatur.*

XXVII.

COROLLARIUM III.

Quare de divina Trinitate id gemina prorsus ratione statui potest et debet, quod de duabus unius Christi naturis credimus et profitemur. Profitemur enim illas uniri, ut chal-

fundantur, sed quod cohaereant, iuxta illud Ioh. X. 38. *ego in Patre, et Pater in me est.* Non item statuere possumus in Trinitate vel voluntatis, vel sententiae, vel efficacitatis aut potentiae diversitatem, vel cuiusquam alius rei, quaecumque realem ac totalem in nobis divisionem gignunt. Itaque nec tres deos dicimus, sed unum, sacro-sanctam Trinitatem ».

(1) Ierem. X. 16.

(2) Orat. cit. §. IX. pagg. 561—562.

cedonenses patres (1) loquuntur, ἀσυγχυτως, ἀτρεπτως, ἀδιαιρετως, ἀχωριστως, *citra confusionem, mutationem, divisionem ac separationem ;* vel ut lateranensis synodus Martino primo Pontifice Romae habita (2) decrevit, *duas naturas uniri inconfuse et indivise.* Ac uniuntur illae quidem ἀτρεπτως, quia neutra mutatur in alteram : uniuntur ἀσυγχυτως, quia inter se neque mixtae neque confusae, quae propria sunt retinent : uniuntur denique ἀδιαιρετως και ἀχωριστως, quia licet distinctae, non sunt tamen divisae, sed vinculo unius divinae hypostaseos copulantur. Huic autem simillima est ratio divinae Trinitatis, in qua pariter tres hypostases uniuntur ἀτρεπτως, ἀσυγχυτως και ἀδιαιρετως.

Et uniuntur quidem ἀτρεπτως, quia neque Filius in Patrem, neque Pater et Filius in Spiritum-sanctum commutantur. Uniuntur deinde ἀσυγχυτως, quia χαρακτηριστικα ἰδιωματα, *proprietatesque personales,* cuiusmodi sunt ἀγεννησια, γεννησις et ἐκπορευσις, neque commiscentur, neque confunduntur. Uniuntur tandem ἀδιαιρετως, quia ταὐτοτης της οὐσιας impedit, quominus ab invicem divisae sint ac seiunctae. Quod Joannes Damascenus (3), praeeunte (4) nazianzeno Gregorio, his verbis exponit : *di-*

(1) Act. V. passim.

(2) In formula fidei, et in anathematismis.

(3) De fide orthodoxa, lib. I. cap. VIII. pag. 132-138. ubi et ista habet: « Quocirca perfectas quidem personas profitemur, ne in divina natura compositionem intelligamus. Compositio enim dissidii mater est. At rursus tres personas ἐν ἀλληλαις *in se invicem* esse dicimus, ne Deorum copiam turbamque inducamus. Atque hoc pacto, tribus admissis personis, nullum compositioni et confusioni locum facimus: δια δε του ὁμοουσιου, και του ἐν ἀλληλαις εἰναι τας ὑποστασεις, και της ταὐτοτητος του θεληματος τε, και της ἐνεργειας, και της δυναμεως, και της ἐξουσιας, και της κινησεως, ἱνα οὑτως εἰπω, το ἀδιαιρετον, και το εἰναι ἑνα θεον γνωριζομεν. εἱς γαρ ὀντως θεος, ὁ θεος, και ὁ λογος, και το πνευμα αὐτου, *eo quod vero et tres personae sint consubstantiales, sibique mutuo inexistant, et propter identitatem voluntatis, operationis, virtutis, dignitatis, ac, ut ita loquar, motionis, cognoscimus et nullum in illis locum esse divisioni, et unum esse Deum. Unus quippe vere est Deus, Deus Pater et Verbum et Spiritus eius* ».

(4) Quaecumque enim omnia Damascenus habet, ex oratt. XIII—XXXII—XXXVII—XL. Nazianzeni, suo more, defloravit.

vinas hypostases ἀσυγχυτως citra confusionem esse unitas, et ἀδιαστατως citra distantiam discretas. Illae enim ἐν μοναις ταις ὑποστατικαις ἰδιοτησι in solis hypostaticis proprietatibus, quales censentur ἀγεννησια, γεννησις, ingenitum esse, genitum et procedere, διαφερουσιν ἀλληλων · οὐκ οὐσια, τῳ δε χαρακτηριστικῳ της ἰδιας ὑποστασεως ἀδιαιρετως διαιρουμεναι, inter se distinguuntur non essentia, sed peculiari cuiusque hypostaseos nota indivisim discretae.

XXVIII.

COROLLARIUM IV.

Jamvero cum hac divinae essentiae in tribus distinctis, indivisisque hypostasibus communitate altera conserta est similitudo, qua Trinitatis Incarnationisque sacramenta mutuo collustrantur. Quemadmodum enim propter unicam divinam hypostasim in duabus Christi distinctis naturis graeci patres scriptoresque (1) duplex de Incarnatione doctrinae caput distinxerunt, e quibus alterum *ἡνομενην οἰκονομιαν*, alterum vero *οἰκονομιαν διακεκριμενην* appellarunt; ita iidem propter unicam singularemque substantiam, quam tres divinae hypostases integram indivisamque possident, non dissimili modo dispescendam *θεολογιαν* existimarunt, adeo ut eam partem, quae circa id versatur, quod est in Deo unicum, absolutum atque commune, *θεολογιαν ἡνομενην*, eam vero partem, quae id respicit quod in Deo est multiplex, relativum ac proprium, *θεολογιαν διακεκριμενην* nuncuparint.

Egimus de hac theologiae partitione, ac illius vim rationemque explanavimus in priori commentariorum parte; atque ad eam ista pariter referuntur, quae scribit (2) Manuel Calecas: « *Δια δε την μοναδα και τριαδα, διπλους ἐστι λογος της θεολογιας · ὁ μεν, διακεκριμενος · ὁ δε, ἀπολελυμενος ὀνομαζομενος · ὁταν μεν γαρ ἑνα θεον λεγωμεν ἀγαθον, σοφον,*

(1) Iuverit hac de re contulisse quae notat Petavius de incarnat. lib. IV. cap. III.

(2) De principiis fidei cath. p. 209.

δικαιον, και τα τοιαυτα περι της ἀγαθοτητος αὐτου και προνοιας και των ἀλλων διαλεγωμεθα, τοτε οὐδεμια νοειται διακρισις πατρος, υἱου, και ἁγιου πνευματος· ἀλλ' ὡς ἐφ ἑνος θεου ταυτα λεγομεν· και τουτο καλειται ἡ ἡνωμενη θεολογια. ἐκ των ἀπολελυμενων ὀνοματων συνισταμενη· ὁταν δε τον ἑνα θεον πατερα λεγωμεν και υἱον και πνευμα, και περι των προοδων τε και ἰδιοτητων ὑποστατικων διαλεγωμεθα, οὑτος ὁ τροπος της περι θεου διαλεξεως καλειται διακεκριμενη θεολογια, ἐκ των διακεκριμενων ὀνοματων συνισταμενη. *Porro quod Unitas et Trinitas sit, duplex est ratio theologiae, altera discreta, altera absoluta vocatur. Quum enim Deum unum, bonum, sapientem dixerimus, taliaque de eius bonitate ac providentia disseruerimus, nulla Patris, Filii et Spiritus-sancti discretio intelligitur, sed* (1) *tamquam de uno Deo ista efferimus. Atque id theologia unita vocatur, quae nominibus absolutis* (2) *continetur. Sed quum unum Deum Patrem et Filium et Spiritum dixerimus, deque processionibus hypostaticisque proprietatibus sermonem habuerimus; talis de Deo disserendi modus, theologia discreta nuncupatur, quae discretis nominibus constat* ».

XXIX.

SCHOLION I.

Quod de graecis patribus scriptoribusque animadvertimus, opportunisque testimoniis comprobavimus; idipsum de latinis quoque tum patribus quum scriptoribus tenendum est: post medium seculum quartum ac deinceps usuvenisse, ut *essentiae* nomen de eo adhiberetur, quod a relativis proprie-

(1) Haec in Combefisii versione desiderantur, quae propterea manca est, nec integrum Calecae sensum reddit.

(2) Huc faciunt quae legimus in opusculo vetusti auctoris *de communi essentia Patris et Filii et Spiritus sancti*, §. 23. p. 14. inter opp. Athanasii, T. II: ὁτι πατρος, και υἱου, και ἁγιου πνευματος ἐστι τινα κοινα ὀνοματα, ὡσπερ το, θεος, το, κυριος, ἁγιος, ἀγαθος, πνευμα, και ἀλλατινα τοιαυτα, *quod Patris et Filii et Spiritus-sancti sunt quaedam communia nomina, qualia habentur Deus, Dominus, sanctus, bonus, spiritus, et alia quaedam eiusdem modi.*

tatibus solutum ac expeditum, in Trinitate unicum est atque commune.

Hunc loquendi scribendique usum, atque hanc *essentiae* acceptionem demonstrant symbolorum tam nicaeni quam constantinopolitani vetustae interpretationes, quibus, quod graece est οὐσια, latine *essentia* redditur. Demonstrant patrum testimonia, e quorum numero illud plane luculentum est, quod in libro de synodis deque fide orientalium habet Hilarius. Antequam enim ad ea explananda progrediatur, quae orientales episcopi in suis conciliis definiverant, lemmatis instar (1) praemittit: « Sed quia frequens nobis nuncupatio *essentiae* ac substantiae necessaria est; cognoscendum est *quid significet essentia*, ne de rebus loquuturi, rem verborum nesciamus. Essentia est res quae est, vel ex quibus (2) est, et quae in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia, et natura, et genus, et substantia uniuscuiusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco est dicta, quia semper est. Quae idcirco etiam substantia est, quia res quae est, necesse est subsistat in sese; quidquid autem subsistit, sine dubio in genere vel natura vel substantia maneat. Quum ergo essentiam dicimus significare naturam vel genus vel substantiam intelligimus eius rei quae in his omnibus semper esse subsistat». Eamdem *essentiae* descriptionem habet in opere historico, ubi ex praescripto nicaenae formulae de Filio (3) loquens, ait: « Non factura in eo coepit ex nihilo, sed est nativitas a parente. Unius autem cum Patre substantiae, quod graeci dicunt ὁμοουσιον. Ita est: aeternitas sola sui similis est, et quod est semper, in Deo est. Ne qua igitur labes in Dominum Jesum Christum haereticae pravitatis incideret, idcirco essentiae veritas explicatur. Essentia enim ex eo, quod semper est, nuncupatur: quae quia extrinsecus opis ad continendam se numquam eguerit, et substantia dicitur; quod intra se id, quod semper est, et in aeternitatis suae virtute subsistat ».

(1) De Synod. n. 12. p. 466.

(2) Nimirum, *vel res eorum, ex quibus est*: quo inciso explicatur essentia genita, quemadmodum priore ostenditur ingenita.

(3) Ex opere hist. fragm. II n. 32. p. 645-646.

Quum autem quae graece edita primum fuerant, latine in suis operibus Hilarius vertit; quemadmodum το ὁμοουσιον, *unius essentiae ac substantiae*, *ita* την οὐσιαν *essentiam* frequentissime interpretatur. Speciminis loco sit tertius (1) ex ancyranis canonibus, qui quum apud Epiphanium (2) ita graece efferatur, *εἰ τις εἰκονα ἀκουων τον μονογενη υἱον του ἀορατου θεου, ἀνομοιον λεγοι και κατ' οὐσιαν τον υἱον, ἀναθεμα ἐστω*, ab Hilario his verbis latine redditur: « Si quis audiens unigenitum Filium invisibilis Dei similem, non dixerit *essentia* Filium, qui est imago Dei invisibilis, cuius imago et iuxta *essentiam* intelligitur: quasi non vere dicens Filium, anathema sit ». Alia omitto quae huc pertinent testimonia, utpote quae in re perspicua minus sint necessaria, et magno numero apud Christianum Lupum (3) conferri possint.

XXX.

SCHOLION II.

Quemadmodum *essentiae* nomen ita et *substantiae* vocabulum quarti ac insequentium seculorum ecclesiasticis scriptoribus mos fuit adhibere, ut id exprimerent quod in augusta Trinitate *ad se* dicitur, absolutamque praefert significationem. Atque eiusmodi sane acceptio frequens est apud Rufinum, qui prima apostolici symboli verba (4) explanans ait: « Deus secundum quod opinari potest humana mens,

(1) Ex iis nimirum canonibus, quos Ancyrae congregati episcopi anno CCCLVIII. adversus anomoeorum impietatem ediderunt. De hisce canonibus, deque ancyrano concilio scribunt Epiphanius, Haeres LXXIII. n. 2. seqq., Sozomenus H. E lib. IV. cap. XIII., et Basilius, qui epistola LXXIV. illud vocat *συλλογον*, *conventum*, minime vero, ut in aliquot latinis versionibus legimus, *colloquium*.

(2) Haeres. LXXIII. n. 16. p: 857. *Si quis audiens unigenitum Filium esse invisibilis Dei imaginem, dissimilem etiam secundum essentiam Filium dixerit; anathema sit.*

(3) In diss. posthuma de vocibus substantia, essentia , . . . cap. III.

(4) Comm. in Symb. apost. n. 4. col. 57. edit. Veronae 1745.

naturae ipsius vel substantiae, quae est super omnia, appellatio est. Pater arcani et ineffabilis sacramenti vocabulum est. Deum quum audis, *substantiam intellige* sine initio, sine fine, simplicem, sine ulla admixtione, invisibilem, incorpoream, ineffabilem, inaestimabilem, in qua nihil adiunctum, nihil creatum sit. Sine auctore est enim ille, qui est omnino omnium auctor ». Et de appositis, *invisibili et impassibili*, quae in symbolo Deo Patri tribuuntur, ista (1) monet: « Quantum spectat ad illam deitatis immortalem *substantiam*, quae una ei (Filio) eademque cum Patre est; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus-sanctus visibilis aut passibilis creditur.

Secundum dignationem vero carnis assumtae, Filius et visus et passus est in carne ». Quibus longe sunt praeclariora quae de iis scribit quae in alexandrino concilio post Constantii obitum statuta sunt. Inter cetera enim et ista (2) habet: « Additur in illo concilii decreto etiam de Spiritu-sancto plenior disputatio, ut eiusdem *substantiae* ac deitatis, cuius Pater et Filius, etiam Spiritus-sanctus crederetur, nec quidquam prorsus in Trinitate aut creatum, aut inferius, posteriusve diceretur. Sed et *de differentia substantiarum et subsistentiarum* (3) sermo eius per scripturam motus est. Graeci οὐσιας et ὑποστασεις vocant.

Quidam etenim dicebant substantiam et subsistentiam unum videri: et quia tres subsistentias non dicimus in Deo, nec tres substantias dicere debeamus. Aliis vero, quibus longe aliud substantia, quam subsistentia significare videbatur, dicebant, *quia substantia ipsam rei alicuius naturam rationemque, qua constat, designet*. Subsistentia autem unius-

(1) Ibid. n. 5. col. 61.

(2) H. E. lib. I. cap. XXIX. col. 256.

(3) Nisi memoria fallor, primus omnium Rufinus post sedatas magni Athanasii oeconomia contentiones *de una* vel *de tribus hypostasibus*, quum videret, *substantiae* nomen apud latinos *naturam* passim *essentiamque* significare, *subsistentiae* vocabulum usurpare coepit ad hypostasim peculiariter exprimendam. Huius autem usus exempla habes quum in praesenti quod referimus testimonio, tum in latina eiusdem interpretatione libri primi περι ἀρχων, cap. I. n. 3., et cap. III. n. 1.

cuiusque personae hoc ipsum, quod extat et subsistit, ostendat. Ideoque propter Sabellii haeresim tres esse subsistentias confitendas, quod quasi tres subsistentes personas significare videretur, ne suspicionem daremus, tamquam illius fidei sectatores, quae Trinitatem in nominibus tantum, et non in rebus ac subsistentiis confitetur ».

Hanc autem substantiae vim significationemque ipse etiam expressit (1) Ambrosius, inquiens: « Est quaedam indistinctae distinctae incomprehensibilis et inenarrabilis *substantia* Trinitatis. Distinctionem etenim accepimus Patris et Filii et Spiritus-sancti, non confusionem: distinctionem, non separationem: distinctionem, non pluralitatem ». Et (2) rursum: « Per unitatem eiusdem *substantiae* idem velle atque idem nolle et idem posse et in Patre est et in Filio et in Spiritu-sancto ».

Expresserunt et alii latini patres scriptoresque, e quorum numero in promptu habeo quos allegem (3), Phoebadium aginnensem, Augustinum (4), Fulgentium (5), Faustum regiensem (6), Rusticum diaconum (7), et ne plures (8) commemorando recenseam, Paschasium (9) eadem diaconatus dignitate insignem. Molestum non erit Augustini primum, deinde vero nonnulla Fulgentii verba audire. Sic igitur (10) ille: « Deus est quaedam *substantia*; nam quod nulla substantia est, nihil omnino est. Substantia ergo aliquid esse (11) est. Unde etiam in fide catholica contra venena quorumdam haereticorum sic aedificamus, ut dicamus, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum *unius* esse *substantiae* ». Fulgentius ve-

(1) De fide lib. IV. n. 91. col. 537. opp. T. II. edit. Paris. 1690.

(2) Ibid. n. 74. col. 534.

(3) Con. arianos, pagg. 257-258-260, apud Galland. T. V.

(4) In Es. LXVIII. n. 5.

(5) De Trinit. ad Felicem, capp. II—III. pagg. 329-330, con. Serm. Fastidiosi, cap. VII. p. 347, et cap. XV. p. 352. edit. Paris 1684.

(6) Epist. V. ad Ruricium, p. 555. T. V. Bibl. Max. PP. edit. Lugd.

(7) In disput. con. acephalos, p. 357. T. X. Bibl. Max. PP. edit. Lugd.

(8) Hos vide apud Petavium de Trinit. lib. IV. cap. II.

(9) De Spiritu-sancto, lib. I. cap. IV.

(10) l. c.

(11) Supple, *per se* atque *in se*, ne latius, quam par sit, descriptio excurrat.

ro (1) his conceptam verbis fidei formulam Felici notario proponit: « Accipe fidem, in qua iam olim renatus es credens in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti. Pater Filius non est, Filius Pater non est, Spiritus-sanctus nec Pater nec Filius. Et quum tres sint, quod est, rogo, nomen unum Patris et Filii et Spiritus-sancti, in quo nos oporteat baptizari, nisi illud scilicet nomen deitatis, quod triplicari non potest? quamvis enim dicamus Patrem Deum, Filium Deum, Spiritum-sanctum Deum, tamen non dicimus tres deos, quia (2) scriptum est: *audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Unus est igitur Deus in natura, non in persona: quia alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus-sancti. Pater a nullo est genitus, Filius a Patre est genitus, Spiritus-sanctus a Patre Filioque (3) procedens est. Pater non sibi est, sed (4) Filio: Filius non sibi est, sed Patri: Spiritus alicuius est adspirantis: ergo ad Patrem Filiumque refertur. Ista itaque *relativa* (5) nomina Trinitatem faciunt: *essentialia* (6) vero nullo modo triplicantur. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus-sanctus. Bonus Pater, bonus Filius, bonus Spiritus-sanctus . . . . . . Et tamen non dicimus nec tres deos, nec tres bonos, nec tres pios, nec tres iustos, nec tres omnipotentes; sed unum Deum, bonum, pium, iustum, omnipotentem, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum: ubi est una natura, essentia vel *substantia.* Quodlibet unum de his nominibus in illa sancta summaque Trinitate (7) dixeris, unum idemque significat. Non est diversa Patris et Filii et Spiritus-sancti essentia. Quod si esset, nec veraci-

(1) L. c.

(2) Deut. VI. 4.

(3) Quae est ipsa latinorum formula tantopere photianis exosa.

(4) Ac si diceret, nomina Patris et Filii et Spiritus-sancti non esse *absoluta* sed σχετικὰ et intime cum *relatione* coniuncta; quod Augustinus prae ceteris abunde confirmat ac explanat de Trinit. lib. V. cap. V, lib. VI. cap. II, et lib. VII. cap. II.

(5) Quibus continetur *theologia distincta.*

(6) Haec spectant *ad theologiam unitam,* et monarchiae dogma repraesentant.

(7) Habes totidem verbis titulum decreti lateranensis, *de summa Trinitate.*

ter (1) Filius a Patre gigneretur, nec Spiritus-sanctus a Patre Filioque procederet. Sed quia verus est Filius, idest, de essentia Patris genitus, verus est et Spiritus-sanctus a Patre Filioque procedens. Quod si Filius aut Spiritus-sanctus alterius generis sunt quam Pater, nec Filius veraciter Patris est, quem extraneum facit differens essentia: similiter nec Spiritus-sanctus a Patre Filioque procederet, quod dementis est dicere: quia sancta Scriptura et Filium a Patre genitum, et Spiritum-sanctum a Patre (2) procedentem fideli manifestat narratione ».

Quibus e vestigio subiicit: « Ergo sunt tria quaedam coaeterna, *consubstantialia*, coessentialia. Sed quum quaereretur a patribus, et (3) diceretur, quid tria? nec essentias, nec *substantias*, nec naturas dicere ausi sunt; ne aliqua forte diversitas crederetur essentiarum, aut naturarum, aut *substantiarum*: sed dixerunt tres personas, unam essentiam: ut una essentia declararet Deum unum, tres autem personae sanctam Trinitatem ostenderent. Nec hoc dicimus, quod tantummodo Deus Trinitas sit, et non unaquaeque persona. Nam et Pater solus Deus est, et Filius solus Deus est, et Spiritus-sanctus solus Deus est. Solus dico, quia Pater non est Filius, et Filius non est Pater, et Spiritus-sanctus non est Pater aut Filius. Caeterum Trinitas inseparabilis, incommutabilis, infinita non recipit tres deos, sicut non reci-

(1) Unde apparet quanti sit momenti repetitio adverbii *ἀληθως* in symbolis ante-nicaenis, quibus inculcatur esse *πατερα ἀληθως πατερα, υἱον ἀληθως υἱον, και πνευμα ἁγιον ἀληθως ἁγιον πνευμα.*

(2) Velim eruditus lector consideret, hinc quidem absolutam propositionem, *dementis esse dicere, Spiritum-sanctum a Patre Filioque non procedere*; inde vero eiusdem confirmationem ex eo sumptam, quod *Scriptura fideli narratione manifestet, Spiritum-sanctum a Patre procedere.* Ecquis enim haec inter nexus existit? est ne consequens, Spiritum-Sanctum *etiam* a Filio procedere, quia a Patre indubitanter procedit? negant hoc photiani, sed certissimum erat Fulgentio, qui recta edoctus fide intelligebat, non posse Spiritum-sanctum procedere a Patre, qui omnia gignendo dedit Filio, una excepta paternitate, quin ab eodem simul Filio procedat.

(3) His omnino simillima iam scripserat Augustinus de Trinit. lib. VII. cap. IV.

cipit tres essentias aut *substantias* aut naturas, et idcirco nullatenus dicendus est Filius in id quod aequalis est Patri, aut creatus ex aliquo, aut de nihilo substitutus: quia quod est Pater hoc genuit, Deus Deum, lux lucem, incommutabilis incommutabilem, infinitus (1) infinitum, aeternus coaeternum, Similiter et de Spiritu-sancto credimus, quia hoc est quod ille a quo procedit ».

Dubitari ergo nullatenus potest, post medium seculum quartum, compositasque de una vel de tribus hypostasibus (2) contentiones, eum apud latinos ecclesiae scriptores loquendi modum, eamque rationem invaluisse, ut quod est in summa Trinitate unicum, quodque ad se dicitur, et ad theologiam unitam pertinet, nomine ac appellatione *substantiae* exprimeretur.

XXXI.

THEOREMA III.

Duplex apud philosophos της ὐσιας notio secerni debet, princeps altera et qua illi ὑποστασιν ac ἀτομον exprimunt, altera vero secunda et laxior qua speciem, quodque commune est, significant.

DEMONSTRATIO

Nullam fortasse partitionem reperire licet ea solemniorem, pleniorique consensione firmatam, qua philosophis *essentiam substantiamque in primam atque secundam* dispescere consue-

(1) E quo tria consequuntur: ac 1) non magis divinam naturam esse multiplicem posse, quam plura esse possint infinita: tum 2) eamdem esse trium divinarum hypostaseon ontologicam perfectionem, quum infinitum gradus non subeat: ac postremo 3) non maiorem esse trium simul personarum realitatem, quam uniuscuiusque seorsum; una enim eademque est omnium ac singularum infinitas.

(2) De qua contentione prae ceteris audiendi sunt Athanasius in Tomo ad antiochenos, et Gregorius nazianzenus Oratt. XXI-XXXII.

verunt. Illius perhibetur auctor Aristoteles, a quo et in categoriarum opusculo et in libris metaphysicis singulari diligentia proponitur atque illustratur. Verum quae illi inducendae huiusmodi partitionis ratio fuit? quo ea spectavit? ac quid utroque eiusdem membro expressum significatumque voluit?

Ut ab hoc ordiar quod postremo loco innui, sic habet (1) in categoriis dux ille ac philosophorum princeps Aristoteles: « Usia quae propriissime, quae primum, quaeque maxime dicitur, ea est, ἡ μη τε καθ' ὑποκειμενου τινος λεγεται, μη τε ἐν ὑποκειμενῳ τινι ἐστιν· οἱον ὁ τις ἀνθρωπος και ὁ τις ἱππος, *quae neque de subiecto aliquo* (2) *effertur, neque in subiecto aliquo* (3) *est; quemadmodum certus quidam homo et certus quidam equus.* Δευτεραι δε οὐσιαι λεγονται, ἐν οἱς εἰδεσιν αἱ πρωτως οὐσιαι λεγομεναι ὑπαρχουσι. *Secundae autem usiae dicuntur species, in quibus quae primum ac potissimum dicuntur usiae, insunt.* Species itaque specierumque genera secundas usias complectuntur. Ad hunc numerum, uti *species, homo,* uti *genus, animal* pertinent ».

Sua relegit (4) vestigia inferius, tum (5) addit: « Omnis usia videtur τοδε τι, *hoc aliquid* (6) significare. Et in primis quidem usiis indubitatum verumque est, iis significari τοδε τι, *hoc aliquid:* ἀτομον γαρ, και ἑν ἀριθμῳ το δηλουμενον ἐστιν, *est enim individuum ac unum numero quod iis significatur.* At in secundis usiis, quamquam ob appellationis formam similiter videatur τοδε τι, *hoc aliquid* significari, veluti quum dicimus ἀνθρωπον ἠ ζωον, *hominem aut animal;* haud tamen ita se res habet, quin potius ποιον τι, *quale aliquid* (7) exprimitur: οὐ γαρ ἑν ἐστι το ὑποκειμενον,

(1) Categor. cap. V. nn. 1-2.

(2) Ac propterea non est accidens aut substantiae modus.

(3) Unde non est pars, sed totum per se cohaerens, suique iuris.

(4) Categor. cap. V. n. 11.

(5) Ibid. n. 16.

(6) Videtur nimirum significare rem certam, singularem, per se constantem, individuam, quaeque ostendi digito veluti possit.

(7) Exprimitur nimirum aliquid universale, quod de singularibus effertur, iisque, tamquam commune praedicatur, ac propemodum adiicitur.

ὥσπερ ἡ πρωτη οὐσια, ἀλλα κατα πολλων ὁ ἀνθρωπος λεγεται, και το ζωον, neque enim subiectum est unum, ut prima usia, sed tam homo quam animal de multis dicitur ».

Sepono quae eadem omnino mente in metaphysicis libris (1) plus semel repetit, atque his (2) absolvo : « Contingit autem ut duobus modis *οὐσια* dicatur *: το ὑποκειμενον ἐσχατον, ὁ μηκετι κατ' ἀλλου λεγεται, και ὁ ἀν τοδε τι ὀν, και χωριστον ἡ · τοιουτον δε ἡ ἑκαστου μορφη και το εἰδος, tum ipsum ultimum subiectum, quod de alio non effertur ; tum id quod est cuiusque forma ac species* ».

XXXII.

Duplex igitur secerni notio debet, qua *οὐσιαν* Aristoteles accepit : princeps altera, qua id designavit quod per se cohaeret atque individuum est : altera laxior ac prope translata, qua genera spieciesque expressit, quae quum in seipsis non subsistant, de individuis singularibusque enunciantur. Ex his autem consequitur, individuis et singularibus *immediate* ac *proprie*, universalibus autem nonnisi *mediate* ac quadam veluti communicatione *οὐσιας* nomen convenire. Unde Aristoteles in deligendis vocabulis accuratissimus, singularia quidem *substantias primas*, utpote quae *κυριως και πρωτως* substantiae nomine exornentur, appellavit ; sed auctor vicissim fuit, ut universalia *δευτεραι οὐσιαι* nuncuparentur.

Neque sane fieri potuit, ut aliter ille statueret, qui Tullio (3) teste, omnium primus species labefactavit, quas mirifice Plato erat amplexatus, ut in his quiddam divinum esse diceret. Quae ne obscura penitus implexaque videantur, duo revocari in animum debent doctrinae capita, quibus excolendis diligentiorem Plato operam impendit.

Horum primum fuit, singularia, concreta, individua, quaeque (4) in sensus offendunt, quum in quodam perenni ve-

(1) Metaphys. lib. VI al. VII. capp. I—III.
(2) Ibid. lib. IV. al V. cap. VIII.
(3) Academic. quaest. lib. I. §. IX.
(4) De hisce Platonis sententiis, quantum sat est, disserunt Plutar-

luti motu sita sint, et continenter labantur ac defluant, nonnisi specie tenus esse, ac satius τα φαινομενα, quam τα ὀντως ὀντα, vel simpliciter τα ὀντα existimari.

Huic alterum subiecit, quo docebat, ea proprie esse, ac τα ὀντα merito vocari, quae ab omni concretione seiuncta, nullisque circumscripta individuis notis mente solummodo apprehenduntur, eodem semper se habent pacto, ac idearum specierumque instar praelucent, ut ad illarum normam concreta singulariaque procreentur.

« Homines quidem, scribit (1) Seneca, ex Platonis dogmate pereunt; ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet ». Et (2) rursum: « Tertium genus est eorum, quae proprie sunt. Innumerabilia haec sunt, sed extra nostrum posita conspectum. Quae sint, interrogas? propria Platonis suppellex est. Ideas vocat, ex quibus omnia quaecumque videmus, fiunt, et ad quas cuncta formantur. Hae immortales, immutabiles, inviolabiles sunt. Quid sit idea, idest, quid Platoni esse videtur, audi: idea est eorum, quae natura fiunt, exemplar aeternum ».

Neque aliter Cicero, cuius ista (3) sunt verba: « Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato; easque gigni negat, et ait semper esse, ac ratione et intelligentia contineri; cetera nasci, occidere, fluere, labi, nec diutius esse uno et eodem statu ». Et (4) alibi ad eiusdem philosophiae normam scribit: « Mundus ad id effectus est, quod ratione sapientiaque comprehenditur, atque immutabili ae-

chus de placit philosoph. lib. I. cap. X, Diogenes Laertius lib. III. segmm. 64—69, Alcinous. Apuleius, alii, quos Menagius in notis ad segm. 69. allegat, Iustinus in cohort. ad Graecos, Pseudo-Origenes, Philosophumen. cap. XIX, August. de civ. Dei, lib. X. cap. XXXI, Petavius de Deo, lib. IV. cap. IX, Iacobus Thomasius Schediasmatis philosoph. pagg. 10 seqq., et Bruckerus Hist. Philosoph. Part. II. lib. II. cap. VI. sect. I.

(1) Epistola LXV.

(2) Epist. LVIII.

(3) Orat. cap. III.

(4) De univ.

ternitate continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse, hunc quem cernimus mundum, *simulacrum* aeternum esse alicuius aeterni ». Hinc ista (1) Tertulliani: « Vult Plato esse quasdam substantias invisibiles, incorporeas, supermundiales, divinas et aeternas quas appellat ideas ».

XXXIII.

Universam hanc doctrinam improbavit Aristoteles, summaque illam contentione oppugnarunt, qui ab eo et nomen et formam rationemque philosophiae mutuati sunt. Quare propriam plenamque *του ὀντος* ac *της ούσιας* vim potestatemque, quam Plato ideis et universalibus asseruit, individuis autem singularibusque detraxit; peripatetici contra speciebus atque ideis detraxere, individuis autem singularibusque vindicarunt. Factum hinc est, ut *ούσιας* nomine primum ac potissimum *ὑφεστος πραγμα*, *individuum ac rem in se subsistentem* significari (2) tradiderint; neque ad ideas speciesque exprimendas aliter quam secundario transferri illud posse docuerint. Atque hunc loquendi modum magna deinceps consensione amplexi sunt philosophi, quemadmodum non scripta solum Plutarchi, Plotini, Procli ac Porphyrii demonstrant, sed sua quoque Hieronymus auctoritate (3) confirmat, inquiens: « Tota secularium litterarum schola nihil aliud *hypostasim* nisi *usiam* novit ». Quae de principe huius acceptione dubio procul intelligenda sunt, ut ex iis non minus liquet, quae hucusque retulimus, quam ex definitionibus appareat, quas Suidas (4) e philosophorum decerptas libris adducit.

Explanata siquidem vulgari *της ούσιας* significatione, ad logicum progrediens eiusdem usum, subdit: « Logicus usus

(1) De anima, cap. XVIII.

(2) Cuius rei testis est locuples Ammonius in comm. ad Aristotelis categorias.

(3) Epist. XV ad Damasum.

(4) In Lexic. ad v. *ούσια*. Alia suggeret Abrahamus Gravius, Hist. Philosoph. lib. IV. cap. III.

nomen *οὐσιαν* deductum novit a verbo *εἶναι*, *esse*, rem ipsam, quae est, vocans *οὐσιαν*. Nam *το ὀν* commune nomen est omnium eorum quae sunt. Hoc igitur *το ὀν* dividitur *εἰς οὐσιαν και εἰς συμβεβηκος*, *in essentiam et accidens*. Essentiam autem ita definiunt: *οὐσια ἐστιν ὀνομα κοινον, και ἀοριστον κατα πασων των ὑπ' αὐτην ὑποστασεων ὁμοτιμως φερομενον, και συνωνυμως κατηγορουμενον*, *essentia est nomen commune et indefinitum, quod dicitur de omnibus individuis eidem subiectis, pari honore praeditum et univoce praedicatum*. Vel essentia est, *ἡ καθ' ὑποκειμενον ὑποστασεων λεγομενη, και ἐν πασαις αὐταις ὁμοτιμως θεωρουμενη*, *quae de subiectis individuis dicitur*, *et in iis omnibus pari honore spectatur*. Vel essentia est *πραγμα αὐθυπαρκτον μηδενος ἑτερου δεομενον προς συστασιν, ἠγουν τι ἐν ἑαυτῳ ὀν, και μη ἐν ἑτερῳ ἐχον την ὑπαρξιν, ὡς το συμβεβηκος. οὐσια οὐν ἐστιν ἡ ἁπλως των ὀντων ὑπαρξις*, *res per se subsistens, quae nullo alio indiget ad sui constitutionem, id scilicet quod in seipso est, et quod in altero non habet suam existentiam, ut accidens. Essentia igitur* (1) *simpliciter est existentia eorum quae sunt* ».

XXXIII.

COROLLARIUM

Ea hactenus dedimus, e quibus quisque facile colligat, quae patres inter philosophosque iniri comparatio debeat. Videlicet I. acceptio *της οὐσιας* apud philosophos *laxior ac mediata*, patribus qui quarto insequutisque seculis floruere, *potior* fuit ac *vulgatior*.

Ad haec II. acceptio apud philosophos *princeps* ac *immemediata*, nonnisi *infrequens* fuit patribus, ac omnino eiusmodi, cuius apud scriptores nicaena synodo posteriores vix aut ne vix quidem vestigia aliqua reperiantur.

Quid est igitur quod a Clerico (2) audivimus, nullum pa-

(1) Cf. Lequienii adnott. ad cap. XXX. dialecticae, Iohanne Damasceno auctore.

(2) §. IV.

tres inter philosophosque extitisse dissidium, ac Damascenum proinde, Theorianum, Anastasium et Theodoritum huiusce dissensionis auctores et testes non minimum a veritate aberrasse? talia nimirum ista sunt, quae singularem Clerici confidentiam produnt, at simul adumbratam potius quam expressam eiusdem eruditionem demonstrant.

XXXIV.

SCHOLION.

Propria ac potior *της οὐσιας* apud philosophos acceptio iis summopere arrisit omnibus, qui sinceram de Augusta Trinitate fidem suis oppugnare machinis adlaborarunt. Arrisit Sabellio, qui, Anastasio sinaita (1) referente, *οὐσιαν* pro *ὑποστασει και ἀτομῳ* ex aristoteleis decretis usurpans, unam esse divinae Trinitatis hypostasim contendit. Unde usitata sabellianis loquutio, esse in Deo *μιαν οὐσιαν*, ac Deum esse *μονοουσιον*.

Placuit (2) Ario, qui tres statuens *οὐσιας*, totidem intellexit quum hypostases, tum naturas.

Placuit tritheitis, qui licet *ὁμοουσιους* crederent esse personas, atque hoc nomine ab ariana perfidia secederent; ita tamen, teste (3) Nicephoro, *τρεις οὐσιας* interpretabantur, ut pro hypostaseon numero naturarum quoque numerum am-

(1) In odego, cap. VI. p. 48. edit. Gresteri.

(2) Ibid., et cap. IX. pagg. 69-70. ubi ait: « Quicumque ex praescripto graecae philosophiae cum Aristotele tradunt naturas esse hypostases seu personas, illi nequeunt tres hypostases in sancta Trinitate profiteri, ne et tres naturas cum Ario asserant; neque rursum possunt duas in Christo naturas affirmare, ne et cum Nestorio cogantur in Christo duas personas, duasve hypostases admittere. Ut enim tueretur naturam et hypostasim unum et idem esse, id ex Aristotelis disciplina Nestorius hausit. ἡ δε ἁγια ἐκκλησια ἀποφυγουσα τας ἀριστοτελικας και ἑλληνικας ματαιολογιας, εὐαγγελικως τα περι Χριστου πιστευουσα, οὐ λεγει ταὐτον την οὐσιαν και την ὑποστασιν. *At sancta ecclesia fugiens aristotelicas graecasque vaniloquentias, evangelice et apostolice ea quae ad Christum spectant, credens, nullatenus idem dicit esse essentiam et hypostasim* ».

(3) H. E. lib. XVIII. cap. XLVII.

plificaverint. Quare cum iis haud aegre consentirem, qui cum Epiphanio (1) Trinitati hostes νεους ἀριστοτελικους nuncuparent.

Inconsultum sane immodicumque in philosophiam Aristotelis studium vitio Artemae vertit Synchronus auctor, cuius fragmentum (2) Eusebius describit. Eamdem maculam Aetio qui infami του ἀθεου cognomine notatus fuit, tribuunt (3) Epiphanius, Athanasius (4), Socrates (5), Theodoritus (6) et (7) Sozomenus. Neque aliter de Eunomio statuunt (8) Augustinus, Socrates (9) ac (10) Theodoritus, qui et illud monet, eo suis fallaciis scelestum hominem devenisse, ut christianam θεολογιαν ad sublestam redegerit τεκνολογιαν.

Haec aliaque hisce simillima unanimi propemodum ecclesiasticorum scriptorum testimonio confirmata complecti prius animo debebat Ritterus, quam in mendacii calumniaeque discrimen (11) Basilium et Gregorium nyssenum adduceret, quod Eunomium aristoteleum satius quam christianum habendum esse affirmaverint.

(1) Haeres. LXIX. quae est arianorum.
(2) H. E. lib. V. cap. XXVIII.
(3) Haeres. LXXVI. §. II.
(4) De Synod. n. 6.
(5) H. E. lib. III. cap. XXVIII.
(6) H. E. lib. II. cap. XXVIII—XXIX.
(7) H. E. lib. III. cap. XIV.
(8) De Trinit. lib. XV. cap. XX.
(9) H. E. lib. IV. cap. VII.
(10) Haeretic. Fabul. lib. IV. cap. III.
(11) Hist. Philosoph. Patrum, lib. V. cap. III. p. 58. edit. Paris. 1844.




COMMENTARIUS QUINTUS DE ECCLESIASTICA SIGNIFICATIONE

της οὐσιας

IIS COMPROBATA

QUAE IN DIVINIS LITTERIS CONTINENTUR



ARGUMENTUM

Quatuor in antecessum praemonentur I — II: — quaestionis ratio definitur II: — ac principio ostenditur, ecclesiasticam της οὐσιας significationem qua id exprimitur quod unicum in Deo est atque absolutum, iis concretis vocibus ἐμμεσως comprobari quae in Bibliis habentur II — VI: — quibus et pars altera eiusdem significationis comprobatur, qua id effertur quod est in Deo pluribus commune VI: — eodem pertinet abstractum nomen θειοτης, quod accurate explicatur VII— XI: — itemque formula ἡ θεια φυσις XI — XXIII: — cuiusmodi sit ἡ κοινωνια της θειας φυσεως, cuius meminit Petrus XII: — Grotii, Clerici, et Mori opinio XII:— opposita sententia Origenis, Didymi, Athanasii, Titi bostrensis, Macarii, Cyrilli alexandrini, Fulgentii, Iohannis Cyparissioti, aliorumque XIII — XVI: — confirmatur disiectis recentiorum interpretum argumentis XVI — XIX: — iisque in medium productis quae ad illam stabiliendam illustrandamque conducunt XIX — XXIII: — verborum Pauli ad Coloss. II. 9. ecclesiastica interpretatio XXIII — XXXIII: — eiusdem vindiciae, ac eae primum quae externis indiciis continentur XXXIII: — tum eae quae ex internis indiciis philologicis, logicis atque historicis pendent XXXIV — XLI: — iamvero praestituta ecclesiastica interpretatione consequitur, Christum esse θεανθρωπον, atque της θεοτητος appellatione id significari, quod quum unicum in Deo sit, pluribus tamen distinctis hypostasibus inest XLI — XLII.

I.

Is est mutuus veritatum habitus, ea affinitas atque cognatio, ut si quod doctrinae caput expoliendum confirmandumque susceperis, facile experiaris, multo esse plura quae praenosci, quae supponi, quae attingi, quae praeteriri silentio debent, sive ut ipsa sibi tractatio constet, nullaque ex parte manca sit ac imperfecta, sive ut certis iisque iustis limitibus concludatur. Atque istud sane in praesentia experimur, luculenterque intelligimus, propositam quaestionem de ecclesiastica significatione (1) της ουσιας iis statuenda vindicandaque quae in divinis litteris continentur, expediri apte non posse, nisi quaedam προληπτικως adnotentur, quae neque in controversiam veniunt, neque a nobis defenduntur.

Itaque I. in controversiam non venit, utrum της ουσιας nomen *quocumque* tandem *sensu* acceptum legatur in Bibliis: ineptus namque foret qui id inficiaretur, quum et *bis* in novo testamento (2) occurrat, et in alexandrina veteris interpretatione ac in Aquilae fragmentis (3) repetatur.

Neque II. in controversiam venit, utrum de Patre ac Filio, vel de Patre simul et Filio sanctoque Spiritu in divinis litteris usurpetur ecclesiastica formula, inesse illis μιαν ουσιαν: ultro namque concedendum est, nuspiam hanc formulam in Scripturis αὐτολεξει reperiri.

Quemadmodum vero ista duo extra controversiam sunt, ita nolim III. vel contendere vel negare, vocem ουσιαν in Scripturis aliquando sic sumi, ut id exprimatur quo fieri satis consuevit sciscitanti, το τι ἠν (4) ειναι, *quid res quaeque sit*; vel ut Schola (5) loqui mavult, *quid sit rei cujus-*

(1) Quam praecedente commentario idoneis testimoniis illustravimus.

(2) Luc. XV. 12-13.

(3) Tob. XIV. 18, Cohel. II. 8.

(4) Ubi verbum ἠν pro ἐστι, atticorum more sumitur, ipsaque formula huic aequipollet: τι ἐστι το εἶναι του πραγματος, vel, τι ἐστιν ὁσον κατα το εἶναι.

(5) Cf. Petavium de Trinit. lib. IV. cap. VII. § 1. et Alberti observatt. philolog. ad Luc. XV. 12.

que quidditas. Probe siquidem novi, patres iuxta ac theologos in diversas ire sententias, nullumque suppetere Bibliorum testimonium, quo eiusmodi disceptatio perspicue dirimatur.

Scribit enimvero (1) Ambrosius: « An negare ariani possunt *οὐσιαν* lectam, quum et (2) panem *ἐπιουσιον* Dominus dixerit, et Moyses (3) scripserit, *ὑμεις ἐσεσθε μοι λαος περιουσιος*? aut quid est *οὐσια*, vel unde dicta, nisi *οὐσα ἀει*, quod semper maneat? qui enim est, et est semper, Deus est; et ideo manens semper *οὐσια* dicitur divina substantia ». At neque sunt haec admodum (4) probabilia, neque caeteri consentiunt patres, qui non suo minus silentio, quam iis

(1) De fide, lib. III. cap. XV. n. 127.

(2) Matth. VI.

(3) Exod. XIX.

(4) De his ita scribit maurinus editor in subiecta adnotatione: « Etiam Marius Victorinus lib. I. et II. con. arianos, eodem modo vocem *ὁμοουσιον* defendit, quo heic defenditur ab Ambrosio. Unde non satis caute videtur Petavius de Trinit. lib. IV. cap. II. n. 13. de hoc Ambrosii loco ita scripsisse: *verum levius id argumentum, quam ut eo persuaderi possit, οὐσιας vocem in Scripturis nominatim exprimi. Melius id alii demonstrant ex eo quod Deus ipse ὁ ὢν appellatur.* Certum est enim arianos contra hanc vocem quasi Scripturis omnino incognitam reclamare solitos, ut Athanasius Orat. II. con. arianos, Epiphanius Haeres. LXIX, Marius Victorinus atque alii testificantur; quibus querimoniis Ambrosium heic recta occurrere manifestum est. Quod autem ad etymologiam, quam heic et libro de Incarnat. myst. cap. IX. tradit sanctus doctor, fatemur quidem eam dictionem simpliciter repetendam a participio *οὖσα*, sed in huiusmodi originibus rem ad vivum resecare velle aequo severius est. Proinde vix ullum fore existimamus, qui effraenem illam intemperiem probet, qua Dallaeus lib. II. de usu PP. cap. III. ob similes naevos in patres aliquot invehitur, maxime vero in Ambrosium ».

Sed quum vir doctus Petavium reprehendit, duo commiscet, quae distinguere omnino debebat, et quorum alterum est, utrum patres ac hos inter Ambrosius rite *το ὁμοουσιον* auctoritate Bibliorum adversus arianos defenderint: alterum vero, utrum ea recipi *του ὁμοουσιου* defensio debeat, qua Ambrosius, Marius Victorinus, aliique perpauci usi sunt. Illud et Petavius et boni omnes complectuntur et laudant; hoc autem posterius non admodum Petavio arrisit, ac ut ego quidem opinor, iure meritoque, et quin argui imprudentiae temeritatisque possit

quae in disceptatione *περι του ὁμοουσιου* arianis opponunt, quantum satis est declarant: acceptionem *της οὐσιας*, quae ecclesiasticae adamussim respondeat, quaque id efferatur quod philosophis est *δευτερα οὐσια*, ac patribus nicaena Synodo posterioribus, *οὐσια* simpliciter, in Bibliis desiderari.

Unde (1) Suidas: « *της οὐσιας την κλησιν και την προσηγοριαν οὐδολως ἐμφερομενην εὑρισκομεν ἐν τη θεια γραφη, essentiae nomen appellationemque nullo modo prolatam invenimus in divina Scriptura* ». Quod multo antea Epiphanius (2) monuerat, inquiens: « *το της οὐσιας ὀνομα, γυμνως μεν ἐν παλαια και καινη οὐ κειται γραφη, ὁ νους δε πανταχου φερεται. και πρωτον ἀφ' ὡν ὁ Θεος πεμπων Μωυσεα εἰρηκεν, οὑτως ἐρεις τοις υἱοις Ἰσραηλ, ὁ ὠν, ὡς ἐπι του πρωτως νοουμενου πατρος, ἐξ οὑ πασα πατρια ἐν οὐρανῳ και ἐπι γης ὀνομαζεται, ὁ μη τε ἐκ τινος ὠν, και τοις οὐσιν αἰτιος ὠν. Essentiae nomen minime quidem ipsum in veteri vel novo testamento aperte reperitur; sed quod eo significatur, passim expressum legitur. Inprimis eo in loco, in quo Deus Moysem mittens, sic eum* (3) *alloquutus est:* sic dices filiis Israel, qui est. *Quod de Patre praesertim dicitur, qui ordine primus intelligitur, e quo* (4) *omnis paternitas in caelo et in terra nominatur. Qui neque ab ullo est, et iis quae sunt, causa est ut sint* ».

II.

Inter theologos autem non penitus defuerunt, qui cum Bellarmino (5) existimarint, *την οὐσιαν* in Bibliis ecclesiastica significatione *ῥητως* adhiberi « ubi adolescentior filius apud (6) Lucam petit a patre portionem substantiae, graece, *μερος της οὐσιας*, idest, opum paternarum partem ».

Etenim, subdit Bellarminus: « Quae sunt Dei opes, nisi

(1) In Lexico ad v. *οὐσια*.
(2) Haeres. LXXIII. §. XII. p. 859.
(3) Exod. III. 14.
(4) Ephes. III. 15.
(5) De Christo, lib. II. cap. III.
(6) Luc. XV. 12-13.

ipsius divinitas, quae est summum et infinitum bonum »? atqui sunt haec longius quam par foret deducta, persuasionem non pariunt, ipsamque caussam non admodum iuvant. Quare non modo Johannes Gerhardus (1) Bellarmino infensissimus, sed ipse quoque Petavius (2) eruditi Cardinalis coniecturam suspicionemque refellit.

Postremum superest IV, quod mihi nullatenus defendendum sumo: nomen ούσιαν eo sensu aliquando in Bibliis de Deo usurpari, ut id quod est in divinitate absolutum, singulare, unicum atque commune exprimatur. Quare huc redit quod primum affirmo atque contendo: *comprobari quidem idoneis Scripturarum testimoniis ἀμέσως non posse ecclesiasticam abstracti nominis ούσιας acceptionem, comprobari tamen ἐμμέσως, quod tam concreta quam abstracta in iis adhibeantur vocabula, quae ecclesiasticae acceptioni accurate respondent.*

III.

Sane anceps nemini esse potest, hanc iure haberi τῆς ούσιας etymologiam, ut ούσια ducatur ab ούσα, ὤν participio verbi εἰμι, εἶναι. Nimirum de graeco nomine ούσια merito repetitur, quod de latino *essentia* Augustinus (3) animadvertit, scribens: » Sicut ab eo quod est *sapere* dicta est *sapientia*, et ab eo quod est *scire* dicta est *scientia*; ita ab eo quod est *esse* dicta est *essentia* ».

Porro concretum ὁ ὤν in Scripturis de Deo legitur, eoque sensu legitur, ut quod *absolutum* est ac *singulare* demonstret. Legitur apud (4) Johannem, dum ait: χαρις ὑμιν και εἰρηνη ἀπο (5) του ὁ ὤν και ὁ ἦν και ὁ ἐρχομενος:

(1) De Locis, loco III. cap. II. §. III.

(2) De Trinit. lib. IV. cap. II. §. XIII:

(3) De Trinit. lib. V. cap. II. n. 3.

(4) Apoc. I. 4. *Gratia vobis et pax ab eo qui est et qui erat et qui venturus est.*

(5) Articuli non secus ac nominibus propriis adduntur, et non eo adhibentur casu quo deberent, ut nimirum intelligamus formulam, ἀπο του ὁ ὤν, και ὁ ἦν, και ὁ ἐρχομενος, periphrasim esse augusti nominis יהוה

legitur apud (1) eumdem ubi scribit : *ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κυριος ὁ θεος ὁ παντοκρατωρ, ὁ ἦν, και ὁ ὤν, και ὁ ἐρχομενος* : ac iterum in graeca legitur (2) verborum Moisis interpretatione : *ἐρωτησουσι με, τι ὀνομα αὐτῳ; τι ἐρω προς αὐτους; και εἶπεν ὁ θεος προς Μωυσην λεγων: ἐγω* (3) *εἰμι ὁ ὤν. και εἶπεν, οὕτως ἐρεις τοις υἱοις Ἰσραηλ· κυριος* (4) *ὁ θεος των πατερων ἡμων, ὁ θεος Ἀβρααμ και ὁ θεος Ἰσαακ και ὁ θεος Ἰακωβ ἀπεσταλκε με προς ὑμας · τουτο μου ἐστιν ὀνομα αἰωνιον και μνημοσυνον γενεων γενεαις.*

Jamvero in hisce Scripturarum testimoniis *quater* recurrit participium *ὁ ὤν*, illudque non solum de Deo adhibitum, sed ea mente adhibitum, ut illius ope supremum Numen, Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob *propria veluti tessera* distinguatur. Hinc solemne epiphonema, *τουτο μου ἐστιν ὀνομα αἰωνιον.*

Eo autem *grammaticae logicaeque cognationis vinculo* participium *ὁ ὤν* et nomen *οὐσια* cohaerent, quo *concreta* cum *derivatis abstractisque* vocibus copulantur. Abstractum igitur *της οὐσιας* nomen *ἐμμεσως* in Scripturis habetur, eoque significatur quod *absolutum* in Deo est, illique *absolute* competit, vel ipsemet satius est Deus. Qui enim simpliciter *ὁ ὤν* appellatur ac est, is minus belle habere *οὐσιαν*, quam ipsam esse *οὐσιαν* censetur. Unde Athanasius adversus arianos disputans, nicaenamque formulam, *ἐκ της οὐσιας*, defendens, post alia (5) scribit : » Ex quibus animadvertere licet, ni-

(1) Apoc. IV. 8.

(2) Exod. III. 13-16.

(3) Neque aliter interpres vulgatus ; hebraice vero est, אהיה אשר אהיה, nimirum, Aquila et Theodotione hebraea ad verbum reddentibus, *ἐσομαι ὁς ἐσομαι*. Utramque porro versionem facile concilies, si animadvertas, futurum hebraicum plus semel accipi *ἀοριστως* oportere.

(4) Hebraice pro *κυριος* legitur יהוה, quod hebraei dicunt *nomen* Dei *proprium*, itemque *nomen essentiae*, utpote quod non significat ullum attributum divinum, veluti אל, אלהים, שדי, sed ipsam divinam naturam.

(5) Epist. ad afros, n. 4. p. 894.

caenos patres Scripturas spirare, quum dicat (1) ipsemet Deus in Exodo, ἐγω εἰμι ὁ ὠν, *ego sum qui sum* ».

IV.

Atque duo mihi sese heic offerunt, quae omnino nolim tacitus praeterire. Est autem primum, non minori proprietate quod absolutum in Deo est ac singulare οὐσιας nomine efferri, quam Deus ipsemet ὁ ὠν nuncupetur. Appellationem vero του ὀντος reliquis praestare, et ad significandam divinam naturam esse omnium accomodatissimam; quum Scripturae tum patres concordi suffragio persuadent.

Scripturae quidem, in quibus hac appellatione et semetipsum insignit secernitque Deus, et ab Johanne insignitur atque secernitur. Patres vero, quibus solemne est, nomen του ὀντος reliquis praeferre divinis nominibus, illudque omnium princeps existimare. Egregie (2) Didymus: « Το ὁ ὠν σημαινει το ἀει ὀν της θειας ὑποστασεως κατα και ἀλλαχου ἐφαμεν. ἀοριστος γαρ ἡ λεξις· ὁθεν ὀνομα ἑαυτου ὁ θεος εἰπεν εἰναι το ὁ ὠν. *Illud* qui est *sempiternam existentiam divinae hypostasis significat, sicuti alibi* (3) *etiam diximus: indefinita est enim ea dictio: quam ob caussam nomen suum Deus dixit* (4) *esse hoc ipsum* qui est ».

His autem simillima docent (5) Justinus, Clemens alexandrinus (6), Alexander item alexandrinus (7), Epiphanius (8),

(1) Exod. III. 14.

(2) De Trinit. lib. I. cap. XV.

(3) Suspicatur Tillemontius, T. X. p. 393, his verbis ad duos respici libros, quos Didymus contra arianos ediderat. At Mingarellius censet, heic verisimilius spectari « aut enarrationem in primam Iohannis epistolam, ea nempe quae dictavit Didymus ad prima epistolae verba: *quod fuit* (graece, ἠν, *erat*) *ab initio*; aut binos quos contra arianos edidit libros; aut quae ipse in Exodum ad ea capitis III. verba, *ego sum qui sum*, adnotavit ».

(4) Exod. III. 14.

(5) Cohort. ad Graecos, nn. 21. seqq.

(6) Paedag. lib. I. cap. VIII.

(7) In altera con. Arium epist. encyclica.

(8) Haeres. LXIX. n. 70.

Hieronymus (1), Augustinus (2), Cyrillus alexandrinus (3), Isidorus (4), Bernardus (5), et ne singulos a Petavio laudatos (6) commemorem, Gregorius nazianzenus (7), qui licet initio statuat, το θειον ἀκατονομαστον, *Deum nominari non posse*, idque non ratiociniis solum, verum etiam antiquissimorum ac doctissimorum hebraeorum (8) auctoritate comprobari, proindeque » praestantissimum apud nos eum censeri theologum, non qui in totum, quid Deus sit, invenerit: nec enim (9) vinculum capere hoc totum potest: sed qui ampliorem ipsius speciem mente conceperit, ampliusque veritatis simulacrum, vel adumbrationem, vel quocumque tandem alio vocabulo uti quis malit, in seipso collegerit »; nihilominus (10) pergit: « Quantum nobis assequi concessum est, ὁ μεν ὠν, και ὁ θεος, μαλλον πως της ουσιας ὀνοματα · και τουτων μαλλον, ὁ ὠν, Ens et Deus *magis quodammodo essentiae nomina sunt, ex iisque etiam* Entis *vox ad eam indicandam aptior est*; neque ideo solum quod ipse quum Moysi in monte oraculum ederet, quaereretque ille quo nomine vocaretur, ita seipsum appellavit edicens (11) ei, ut ad populum his verbis uteretur, ὁ ὠν ἀπεσταλκε με, *qui est, misit me*; ἀλλ' ὁτι και κυριωτεραν ταυτην εὑρισκομεν, *sed etiam quod nomen illud magis proprium esse comperimus.* Quamvis enim *Dei* vox, vel a verbo θεειν vel ab αἰθειν, ut putant qui in hoc genere sibi sciti atque arguti videntur, hoc est, *a currendo*, vel *ab urendo*, ratio-

(1) Epist. CCCXXXVI.

(2) De Trinit. lib. V. cap. II, et in Ioh. tract. XXXVIII.

(3) De Trinit. dialog. I.

(4) Etymolog. lib. VII. cap. I.

(5) De considerat. lib. I. cap. VI.

(6) De Deo, lib. I. cap. VI.

(7) Orat. XXX. al XXXVI. n. 17. p. 552.

(8) Qui nescio qua ducti religione nefas sibi esse arbitrabantur, divinum nomen יהוה sua pronunciatione efferre.

(9) Graeca sic habent, οὐδε γαρ δεχεται το παν ὁ δεσμος. Ubi δεσμος, *vinculum*, interprete Elia cretensi, significat *corpus, cui animus quasi quodam vinculo est copulatus.*

(10) Orat. cit. n. 18. pagg. 552-553.

(11) Exod. III. 14.

nem originis suae ducat, propter motus perpetuitatem, et quod vitiosos habitus consumat: nam hinc quoque (1) *ignis consumens* dicitur: ex eorum tamen numero est, quae ad aliquid referuntur, nec libera et absoluta est; quemadmodum nec vox ista, *Dominus*, quae Dei quoque nomen esse dicitur. *Ego enim*, inquit (2), *Dominus Deus tuus: hoc meum nomen est.* Et (3) *Dominus nomen ipsi.* At nos naturam eiusmodi exquirimus, ἡ το εἰναι καθ' ἑαυτο, και οὐκ ἀλλῳ συνδεδεμενον· το δε ὀν, ἰδιον ὀντως θεου, και ὁλον, μητε τῳ προ αὐτου, μητε τῳ μετ' αὐτον, οὐ γαρ ἠν, ἡ ἐσται, περατουμενον ἡ περικοπτομενον, *quae ipsum esse per se habeat, neque cum alio quopiam copuletur. Ens vero, proprium sane est Dei ac totum, nec priore aliqua re, nec posteriore (nec enim erat aut erit), definitum ac circumcisum* ».

Hinc ex communi orientalis ecclesiae sententia Damascenus (4) loquens, ait: « Δοκει μεν οὐν κυριωτερον παντων των ἐπι θεου λεγομενων ὀνοματων εἰναι ὁ ὢν, καθως αὐτος χρηματιζων τῳ Μωυσει ἐπι του ὀρους φησιν· εἰπον τοις υἱοις Ἰσραηλ· ὁ ὢν ἀπεσταλκε με. ὁλον γαρ ἐν ἑαυτῳ συλλαβων ἐχει το εἰναι, οἱον τι πελαγος οὐσιας ἀπειρον και ἀοριστον. *Ex omnibus porro nominibus quae Deo tribuuntur, nullum aeque proprium videtur atque* ὁ ὢν, qui est; *quemadmodum ipsemet quum Moysi in monte responderet, ait:* dic filiis Israel, qui est, misit me, *Nam totum esse, veluti immensum quoddam nullisque terminis definitum* (5) *essentiae* pelagus complexu suo ipse continet ».

V.

Alterum succedit quod dignum animadversione censeo, quodque Lequienius (6) his verbis exponit: « Priscos phi-

(1) Deut. IV. 24.

(2) Is. XLII. 8. Amos. IX. 6.

(3) Ps. LXVII. 5.

(4) De orthod. fide, lib. I. cap. IX. n. 2.

(5) Quemadmodum multis antea seculis scripserat Gregorius nazianzenus, Orat. VI. n. 12, et Orat. XLV. n. 3.

(6) In notis ad Ioh. Damasc. de orth. fide, lib. I. cap. IX.

losophos Deum neutro nomine ὂν nuncupasse, quae vox *ad ipsum ens in communi* significandum atheo sensu detorqueri possit. At masculinum ὢν solum verum Deum exprimere, cuius essentia sit ipsummet esse purissimum ac substantivum, conditis rebus neutiquam concretum, aut ex ipsis intellectus opera abstractum. Το ὢν, inquit Nazianzenus, ἴδιον ὄντως του Θεου και ὅλον, qui est *proprium prorsus est Dei nomen ac totum* ».

Sane et Plato sub initium (1) Timaei, et Plutarchus in libello de Ει apud Delphos inscripto, et (2) Plotinus et (3) Numenius, universaque platonicorum schola id in ore saepissime habent, nullis aptius vocabulis significari quid Deus sit, quam si το ὂν, *id quod est*, nuncupetur. Omnium nomine audiatur Numenius, qui Dei naturam in eo sitam esse docet, *ut sit*, nomen vero illius naturae consentaneum esse οὐσιαν et το ὄν, e quo reliquae deinde proprietates oriantur. Tum addit : » Atque haec muniendae viae gratia mihi dicta sunto. 'Ceterum quavis simulatione posita, nosse me incorporei nomen ingenue profitebor; quum id nunc quidem pronunciari iucundius futurum videatur quam sileri. Et quidem illud ipsum, de quo iampridem quaeritur, ei nomen esse contendo. Ἀλλα μη γελασατω τις, ἐαν φω του ἀσωματου εἶναι ὀνομα, οὐσιαν και ὄν. ἡ δε αἰτια του ὄντος ὀνοματος ἐστι το μη γεγονέναι, μηδε φθαρσεσθαι, μηδε ἄλλην μητε κινησιν μηδεμιαν ἐνδεχεσθαι, μηδε μεταβολην κρειττω, ἢ φαυλην· εἶναι δε ἁπλουν, και ἀναλλοιωτον και ἐν ἰδεᾳ τῃ αὐτῃ και μητε ἐθελουσιον ἐξιστασθαι της ταὐτοτητος, μηθ' ὑφ' ἑτερου προσαναγκαζεσθαι. *Nec rideat heic quisquam, dum audit, proprium incorporei nomen* essentiam *atque* id quod est *a me constitui. Nominis quippe huius eam esse caussam intelligat, quod neque ortum habuerit, neque interiturum sit, immo nec aliud prorsus ullum seu motus seu mutationis, eiusque vel melioris vel deterioris genus aliquando subiturum; sed omnino simplex et immutabile sit, adeoque in eadem sem-*

(1) Platonis verba latine habes apud Tullium in lib. de Universo.

(2) Apud Eusebium, Praeparat. Evang. lib. XV. p. 478.

(3) In lib. de bono, et in comm. ad Platonis Timaeum.

per naturae suae ratione persistat, quod ab illa nec suapte sponte, nec aliena vi aut necessitate discedat ».

Quamquam igitur tam inspiratis ecclesiasticisque scriptoribus, quam philosophis commune sit, appellatione *του ὀντος* Deum ornare ac distinguere; hoc tamen inter utrosque discriminis existit, quod hi *neutram* formam, illi *masculinam* usurpant. Quod discrimen etsi tenue ac plane levissimum prima fronte videatur, inspectum tamen intimius gravius apparet, quam ut negligi spernique possit. Etenim *το ὀν* generatim ac infinite *id quod est*, demonstrat; at vero *ὁ ὢν* non plenitudinem solum *του εἶναι* ostendit, sed notionem quoque hypostaseos, singularitatisque complectitur. Forma *neutra* abuti pantheistae possunt; sed forma *masculina* Deus ab rerum universitate secernitur.

VI.

Hactenus ostendimus ecclesiasticam *της οὐσιας* significationem, qua id exprimitur quod *unicum* in Deo est atque *absolutum*, iis *ἐμμεσως* comprobari quae in Bibliis habentur; reliquum iam est, ut alteram quoque partem eiusdem significationis, qua id effertur quod in Deo est *pluribus commune* ac *tribus ex aequo convenit*, non dissimili ratione stabiliamus. Quod quidem mihi neque validius conficere neque illustrius explanare posse videor, quam si consideranda proponam, hinc quidem verba (1) Christi Servatoris *ἐγω και ὁ πατηρ ἑν ἐσμεν*, inde autem (2) verba Johannis, *και οὑτοι οἱ τρεις ἑν εἰσι.*

Non ignoro multiplices impeditasque quaestiones *criticas* atque *hermeneuticas*, quae horum occasione textuum agitari solent: neque ignoro pluribus opus esse ut illae dextere accurateque dirimantur; sed quando ratum mihi est illas opportuniori loco habere, sumam in praesentia quae indubitata esse censeo, iisque utar, ut quod de ecclesiastica acceptione *της οὐσιας* proposui, tandem absolvam.

(1) Ioh. X. 30.
(2) I. Ioh. V. 7.

Sumo igitur utramque lectionem germanam esse, et sollicitari quidem *coniecturis* posse, *argumentis* vero subverti profligarique non posse.

Sumo deinde, phrasibus, ἑν ἐσμεν, *unum sumus*, et, ἑν εἰσι, *unum sunt*, quae de Patre, Filio et Spiritu adhibentur, per se atque ἀμεσως non minus *pluralitatem hypostaseon*, quam *ontologicam* earumdem *unitatem*, unitatem videlicet της οὐσιας ac substantiae significari.

Quid iamvero ex utroque colligitur? illud ipsum quod tuemur: concretum της οὐσιας in Scripturis accipi, ut id quod in Deo *commune* est, *tribusque* competit, designetur. Etenim concretum της οὐσιας est εἰναι: hoc autem et *commune* esse tribus personis, et illis *unicum* inesse, totidem traditur verbis, quum dicitur, ἐγω και πατηρ ἑν ἐσμεν, quumque repetitur, και οὑτοι οἱ τρεις ἑν εἰσι. Ecclesiastica igitur της οὐσιας acceptio ad id quod est *in se unicum tribusque personis commune* exprimendum, Scripturarum suffragio ἐμμεσως comprobatur.

VII.

Quibus tamen nolo investigationem hanc nostram circumscribi, atque ulterius idcirco progressus, affirmo: *ea in Bibliis contineri abstracta vocabula, quae ecclesiasticam significationem nominis οὐσιας perfectissime referunt, idque notant quod est in summa Trinitate absolutum, unicum atque commune.*

Ac primum sane quod occurrit eiusmodi vocabulum est θειοτης, quo in epistola ad Romanos Paulus utitur, quum de gentibus verba faciens, earumque (1) ἀσεβειαν και ἀδικιαν, *impietatem iniustitiamque* detestatus, pergit (2): « Revelatur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem et iniustitiam hominum eorum qui veritatem in iniustitia detinent. διοτι το γνωστον του θεου φανερον ἐστιν ἐν αὐτοις· ὁ γαρ (3) θεος αὐτοις ἐφανερωσε· τα γαρ ἀορατα αὐτου ἀπο

(1) Rom. I. 18.

(2) Rom. I. 18—22.

(3) Bengelius et Griesbachius probant transpositam lectionem, ὁ θεος

κτισεως κοσμου τοις ποιημασι νοουμενα καθοραται, ἡ τε ἀιδιος ἀυτου δυναμις και θειοτης, εἰς το εἰναι ἀυτους ἀναπολογητους ».

Cuius contextus non antea vim rationemque propono, quam germanam sinceramque aliquot loquutionum potestatem definierim. E quarum numero hae prae ceteris sunt, quae in examen merito adducuntur: I. quid sibi velit το γνωστον του θεου: II. quo illa spectent, ἐν ἀυτοις: III. quid significent verba ἀπο κτισεως κοσμου: IV. quid τοις ποιημασι exprimatur: ac postremo V. quid proprie θειοτης designet.

Jamvero graeci interpretes, Chrysostomus, Theodoritus et Teophylactus το γνωστον του θεου unanimes reddunt την γνωσιν του θεου, atque adeo censent enallage usum esse Paulum, et pro *abstracto concretum* usurpasse. Quae sane interpretatio et cum orationis ductu probe cohaeret, et ab usitata Paulo loquendi scribendique ratione minime abhorret, apud quem frequentes sunt formulae huic prorsus simillimae, et in quibus abstractum concreti vice adhibetur. Tales autem merito (1) censentur, το χρηστον του θεου, το ἀδυνατον του νομου, το ἀσθενες και ἀνωφελες προαγουσης ἐντολης, et το μωρον του θεου και το ἀσθενες του θεου. Quare haec Pauli interpretandi ratio quum aliis (2) inter recentiores, tum nominatim placuit (3) Glassio, Moro (4) ac (5) Winero, e quibus Morus sic omnino habet: « Το γνωστον του θεου, *cognitum Dei*, quod cognitum est de Deo, hoc usitatius dicitur *notitia Dei*. Itaque veteres graeci interpretes, ut Chrysostomus, Theodoritus monent, το γνωστον του θεου esse idem quod την γνωσιν του θεου. Deinde ut in v. 19. est, *notitia Dei in illis est*, sic in v. 21. legitur, γνοντες τον θεον, *norunt Deum*. Itaque non video quid possint haec in-

γαρ, cui et non pauci diversarum recensionum codices, et e patribus Origenes, Eusebius, Athanasius, Socrates ac Damascenus, patrocinantur.

(1) Rom. II. 4, VIII. 3, Hebr. VII. 18, et I. Cor. I. 25.

(2) De quibus confer Wolfium in curis philolog. ad Rom. I. 19.

(3) Philolog. sacr. lib. I. tract. I. de nomine, can. II.

(4) Praelectt. in epist. ad Rom. I. 19.

(5) Apud Abrahamum Wahl in Clavi, ad v. γνωστος.

ter se differre. Primum in v. 19. est rarum, et fortasse sine exemplo ».

At ego nihilominus censeo nihil impedire quominus propria του γνωστου potestas servetur, et phrasis το γνωστον του Θεου latine cum (1) Jacobo Sadoleto reddatur, *quod cognosci de Deo potest.* Ita sane illam accepit explanavitque (2) Oecumenius, inquiens : « *το γνωστον, ὁπερ δυνατον ἐστι γνωσθηναι . ὁτι ποιητης, ὁτι προνοητης, και τα ὁμοια*, *nimirum id quod cognosci potest, puta*, *Deum esse creatorem*, *provisorem*, *et similia* ». Neque aliter commodius accipi explanarique posse Raphelius (3) animadvertit, scribens : « Vim huius verbi rectissime intelligas ex Epicteti sermone Academicum quemdam ita loquentem inducentis (4) apud Arrianum: *γινωσκε, ὁτι οὐδεν ἐστι γνωστον, ἀλλα παντα ἀτεκμαρτα. Scito quod nihil sciri*, sive cognosci et certo percipi *possit, sed quod omnia sint obscura,* nullisque signis aut indiciis deprehendi, nullis argumentis intelligi, nulla coniectura colligi possint; hoc enim est *ἀτεκμαρτον*. Unde ab Hesychio quoque exponitur *ἀγνωστον, ἀσημον,* quod nulla nota deprehendi, nec ullo signo cognosci potest. *Ἀμαρτυρον* pro eo dicit (5) idem Paulus. Opponitur ergo *γνωστον τῳ ἀγνωστῳ,* et significat *quidquid ex signis colligi potest*, quae hoc quidem loco sunt omnes res creatae ».

Qua recepta probataque interpretatione, et vim vocabulorum propriam retinemus, et tropos non comminiscimur minus necessarios, et plenius Apostoli mentem assequimur, intelligimusque, verbis, *το γνωστον του Θεου*, *non infinitam* Dei notitiam, sed eam *praecise* significari, quae oblatis ab ipsomet Deo indiciis argumentisque colligitur. Apposite (6) Theophylactus : « *Το γνωστον δε του Θεου τι ἐστιν, οὑτως ἀν μαθοις . του Θεου, το μεν ἐστιν ἀγνωστον, οἱον ἡ οὐσια αὐ-*

(1) Comm. in epist. ad Rom. lib. I. p. 35. opp. T. IV. edit. Veronae, 1738.

(2) Comm. in epist. ad Rom. cap. II. p. 212. opp. T. I. edit. Paris. 1630

(3) Annotatt. in s. Script. ad Rom. I. 19.

(4) Lib. II. cap. XX. p. 224.

(5) Actt. XIV. 17.

(6) Comm. ad Rom. I. 19.

του · το δε γνωστον, οἷον παντα τα περι την οὐσιαν, τουτεστιν, ἡ ἀγαθοτης, ἡ σοφια, ἡ δυναμις, ἡ θειοτης, ἤτοι μεγαλειοτης · ἃ και ἀορατα αὐτου ὁ Παυλος λεγει, νοουμενα μεν τοις ποιημασι. τοις οὐν ἑλλησιν ἐδειξε το γνωστον αὐτου παν, ἤγουν τα περι την οὐσιαν αὐτου παντα · ἃ ὀφθαλμοις μεν αἰσθητοις ἀορατα εἰσι, νῷ δε καταληπτα, δια της ἐν τοις ποιημασιν εὐταξιας. *Quid autem sit quod de Deo cognosci possit, ita discere queas. De Deo aliud quidem cognosci non potest, ut ipsa essentia : aliud vero cognosci potest, ut* (1) *omnia quae sunt circa essentiam, nempe bonitas, sapientia, potentia, divinitas, sive maiestas : quae et invisibilia eius Paulus nominat, intellecta quidem ex operibus. Graecis itaque monstravit quidquid de sese cognosci posset, sive omnia ad essentiam eius spectantia : quae oculis quidem sensibilibus invisibilia sunt, mente vero comprehensibilia propter ordinis concinnitatem quae in operibus refulget* ».

VIII.

Succedunt verba, ἐν αὐτοις, de quibus (2) Beniaminus Koppe ita statuit : « ἐν αὐτοις, scilicet, τοις ἐθνεσι. Porro ἐν vel redundare dicendum ad similitudinem hebraici ב, vel (3) vertendum *inter* ». Sed in alia omnia abit (4) Christophorus Wolfius, quo auctore » amplius aliquid innuit Apostolus. Loquitur enim de notitia animis ipsorum ita impressa, ut (5) deinceps dicere posset eam γραπτην ἐν ταις καρδιαις αὐτων. Recte itaque tum alii, tum nostrates inprimis theologi et philosophi *notitiam* Dei *innatam*, tamquam ab *acquisita* (6) distinctam exprimi his verbis contendunt. Non

(1) Hanc partitionem diligenter explanat Petavius de Deo, lib. VII. cap. I.

(2) Annotatt, in epist. ad Rom. I. 19.

(3) Quam vim saepe exhibet, uti I. Cor. XI. 19, Philipp. I. 13, et I. Tim. IV. 15.

(4) In curis philolog. ad Rom. I. 19.

(5) Rom. II. 15.

(6) Rom. I. 20.

licet nobis nunc descendere in commemorationem eorum, quae vel superiore vel nostra memoria de idea illa innata, iisque quae huc pertinent, diligenter disputata sunt. Lege interim nobiscum facientes (1) Michaelem Foertschium, Jacobum Altingium (2), Fabricium (3) et (4) Fridericum Reimannum ».

At enimvero ne aliud omnino opus quam interpretis obire videamur, 1) seponendae sunt quaestiones, quid forte alibi Paulus de Dei notitia tradiderit, quidve de innata eiusdem cognitione e philosophicis theologicisque placitis existimare deceat; tum 2) cavendum est, ne de hoc maxime simus solliciti, quam possit particula ἐν significationem induere; sed 3) in id incumbendum est, ut certam definiamus vim potestatemque, quam in hac orationis serie eadem particula praesefert. Atqui eo omnia pertinent, ut ἐν αὐτοις idem valere existimemus ac *in ipsis*, in ipsorum mentibus animisque eam Dei notitiam insidere, quae ex inspecta rerum universitate sua sponte efflorescit.

Qua statuta notione, ut de tertia formula, ἀπο κτισεως κοσμου, dicamus, multi sunt qui cum (5) Pearsonio, Hombergio (6), Wolfio (7), Calovio (8), Elsnero (9) atque (10) Moro tradunt, ea significari *ex creatura mundi*, ac indicium, medium, argumentumque exhiberi, quo τα ἀορατα conspiciuntur. Ac profecto, scribit Calovius: a) praepositio ἀπο non reddi solum potest *a, ab*, et accipi *de termino a quo;* verum etiam reddi potest *ex*, et de indicio argumentoque sumi, quo in-

(1) In disput. ad Rom. I. 19. de notitia Dei nobis innata, Jenae 1721.

(2) Heptad. VI. dissertt. II—V. pagg. 166. seqq. T. V. opp.

(3) Bibliograph. Antiquar. p. 228.

(4) Hist. Atheismi.

(5) Exposit. Symb. apostolic. ad art. I. pagg. 31. seqq. edit. Francofurti, 1691.

(6) In parergis, p. 192.

(7) In curis philolog. ad Rom. I. 20.

(8) In scriptis anti-socinianis, de existentia Dei, § 6. p. 33. T. I. edit. Ulmae, 1684. Praelectt. in epist. ad Rom. I. 20.

(9) Observatt. Sacr. ad Rom. I. 20.

(10) Praelectt. in epist. ad Rom. I. 20.

visibilia Dei cognoscuntur. Immo b) haec posterior significatio, qua *obiectum mediumque* exprimit, non *tempus*, illi fere propria est, quum de haurienda cognitione agitur; uti quum (1) dicitur, ἀπο των καρπων, *a fructibus cognoscetis eos*, ἀπο της συκης, *ex arbore ficus discite parabolam*, ἐμαθεν, ἀφ' ὡν ἐπαθε, την ὑπακοην, *didicit ex iis, quae passus est, obedientiam*, et ἀπ' αὐτων *ex iis luminaribus cognoscere debent*. Hinc c) quoties Scriptura *temporis continuationem ab origine mundi* exprimit, non simpliciter ait ἀπο κτισεως κοσμου, sed (2) ἀπ' ἀρχης κτισεως, *ab initio rerum creatarum*, vel (3) etiam ἀπο καταβολης κοσμου, *ab ipsis iacti mundi primordiis*. Porro d) vox κτισις, quemadmodum exempla (4) probant, non *de ipsa creationis actione*, sed *de creatis operibus*, non *de actu*, sed *de effectu* usurpari in N. T. solet. Quam acceptionem e) heic praeferendam esse, suadent (5) consequentia, in quibus Apostolus κτισιν explicat *de creatura*, inquiens: potuisse quidem gentiles ἀπο κτισεως cognoscere τον κτισαντα, sed illos serviisse τῃ κτισει παρα τον κτισαντα, *creaturae prae creatore*. Quare, infert Calovius, quum verba ἀπο κτισεος κοσμου *medium* designent, quo invisibilia Dei intellecta conspiciuntur, Apostoli sermo huc redit: *ex in-*

(1) Matth. VII. 16—20, XXIV. 32, Marc. XIII. 28, Hebr. V. 8, et Sap. XIII. 3.

(2) Marc. X. 16, XIII. 19, II. Petr. III. 4.

(3) Matth. XIII. 35, XXV. 34, Luc. XI. 50, Hebr. IV. 3, IX. 26, Apoc. XIII. 8, XVII. 8.

(4) Marc. XVI. 15, Rom. VIII. 19-20-21-22-39, Coloss. I. 15, Apoc. III. 14.

(5) Rom. I. 25. Verum, inquit Clericus in notis ad Hammondi commentarios « si Paulus voluisset dicere, quod plures tuentur, ita rem efferre eum oportuisset: ἐκ κτισεως και ποιηματων, *ex creatione et operibus*, non, ἀπο κτισεως, τοις ποιημασι, *a creatione per opera*. Exempla quae afferri solent ad probandum ἀπο sumi pro ἐκ, ad rem nihil faciunt, quia phrases non sunt similes. Debuit afferri locus, in quo legeremus, γινωσκειν τινα ἀπο τινος, *aliquem cognoscere ab aliqua re*, pro, ἐκ τινος. At dicunt graeci, ἐκ των ὀνυχων λεοντα, ἐκ του κρασπεδου το ὑφασμα, τον αἰθιοπα ἐκ της ὀψεως, το δενδρον ἐκ του καρπου, ἐκ της καλαμης γινωσκειν. Sed dicunt etiam Matth. VII. 16-20., ἀπο καρπων, quamvis praepositio ἐκ sit frequentior in hac phrasi ».

tuitu rerum creatarum et universi huius cognosci posse Deum, et ea quae Dei sunt.

Sed ego satius esse puto inhaerere proprietati verborum, quae Paulus distinxit, non commiscere, atque adeo formulam, ἀπο κτισεως κοσμου, *de termino a quo*, deque tempore interpretari, a quo invisibilia Dei cognosci potuerint. Sane 1) quamquam ἀπο non semel (1) valeat ἐκ, eius tamen nativa communiorque significatio est *a*, *ab*; unde formulae, ἀπο κτισεως κοσμου, potestate significandi istae (2) omnino respondent, ἀπο καταβολης κοσμου, ἀπ' ἀρχης κτισεως. Rursum 2) κτισις et κτισμα ex sese notione discrepant, et sicuti posterior vox *creaturam*, ita prior *creationem* exprimit, et solum metonymice ad *rem creatam* innuendam traduci potest. Ergo 3) incolumi proprietate verborum, phrasis, ἀπο κτισεως κοσμου, reddenda est *iam inde ab ipsa mundi creatione*. Eo vel magis 4) quod sequentia, τοις ποιημασι νοουμενα καθοραται, vix alium ferre commentarium videantur. Fac enim ἀπο κτισεως κοσμου accipias *de creatura mundi*, et de medio argumentoque intelligas, quo τα ἀορατα ἀπο κτισεως κοσμου νοουμενα καθοραται? quo, amabo, pertinebit incisum, τοις ποιημασι? non erit nisi eorum quae antecessere inutilis repetitio. Quemadmodum igitur τοις ποιημασι argumentum indiciumque exprimitur, ita verbis ἀπο κτισεως κοσμου *terminus a quo* significatur. Quod 5) vidit declaravitque Syrus interpres graecam phrasim reddens *a fundamentis mundi*.

(1) Unde Pearsonius (l. cit.) his verbis in Socinum animadvertit, qui negaverat, praepositionem ἀπο reddi posse *e* vel *ex*: » Praepositio ἀπο et significare potest, et saepe reddita est per *e* vel *ex*, pariter atque ἐκ, ut Matth. III. 4. ἀπο τριχων καμελου, *e pilis cameli*; cap. VII. 4. ἀπο του ὀφθαλμου σου, *ex oculo tuo*; et v. 16. ἀπο ἀκανθων, *ex spinis*. Quin et in eodem sensu, quem Socinus propugnat, ἀπο της ὡρας ἐκεινης, Matth. XVII. 18. Vulg. *ex illa hora*; ut Tullius, *ex eo die*; et Virgilius, *ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis*. Et *tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis troianae*. Ita graecorum ἀπο μερους, latini reddunt, *ex parte*; ἀπο του ἰσου, *ex aequo*: atque talia sunt innumera ».

(2) Matth. XIII. 35, Marc. X. 6.

IX.

Ea autem hoc pacto explanata, facile erit de commentario statuere, quo sociniani (1) τα ποιηματα reddunt *miracula, insignioraque opera a Christo et ab apostolis edita.* « Sciendum est, inquit Socinus, verba *a creatione mundi* debere coniungi cum verbo *invisibilia*, atque sententiam idcirco Apostoli hanc esse: *aeternam divinitatem Dei*, idest, id quod nos Deus perpetuo facere vult (*divinitas* enim hoc sensu alibi quoque ad Coloss. II. 9. apud ipsum enunciatur), *aeternamque potentiam* vel promissiones quae numquam intercident (quo sensu paullo superius dixerat, *evangelium esse potentiam Dei*), haec, inquam, quae numquam postquam mundus creatus est, ab hominibus visa fuerant, et non fuerant eis cognita, *per opera*, hoc est, per mirabiles ipsius Dei et divinorum hominum, praesertim vero Christi et Apostolorum eius operationes, perspecta fuisse ».

Verum istud mihi a) primum occurrit quod opponam, socinianam interpretationem censeri talem non posse, quae obviam pronamque Apostoli sententiam referat. Nemini enim umquam in mentem venit: ac nemo sive graecus, sive latinus, sive prisca, sive media, sive postrema aetate de ea cogitavit. Neque b) mirum, quum ea non minus ab orationis serie ductuque, quam ab insita verborum proprietate longissime recedat. Recedit ab ἀκολουθια sermonis, quum totus in eo sit Paulus, ut numquam gentibus defuisse medium evincat, quo et Deum cognoscerent, et cognitum venerarentur. « Nulla ratione, inquit (2) Jacobus Elsnerus, docere Apostolus potuisset, Dei ἀΐδιον δυναμιν και θειοτητα ex Christi apostolorumque miraculis demum conspectam fuisse, quae inde a Mosis aetate e tot miraculis patratis tam luculenter iam apparuerat. Ποιηματα sunt *creationis opera*, quae ποιηματα θεου vocat (3) Ecclesiastes; unde Deus ὁ ποιησας *crea-*

(1) Socinus in Theolog. praelectt. cap. II, et Ostorodus in institutt. cap. I.

(2) Observatt. Sacr. ad Rom. I. 20.

(3) Eccles. VIII. 17. coll. Ephes. II. 10.

tor (1) audit. Ita Thales (2) *pulcherrimum opus mundum esse* dixit, ποιημα γαρ θεου: et Themistius (3), την θεου φυσιν τα ποιηματα ἐπιδεικνυσιν, *Dei naturam eius opera demonstrant* ». Recedit c) a proprietate verborum, siquidem ποιημα, tam origine quam usu, *effectum* potius quam *actionem* designat; unde Crellius, etsi socinianus, diffiteri (4) non potuit: « Vocem ποιηματων, seu *operum*, non actiones aliquas, quas vox operum apud latinos nonnumquam significat, sed *opera per actionem effecta, et post eam relicta* denotare, qualia sunt res a Deo conditae et in oculos nostros incurrentes ». Praeterea d) si quando exprimi miracula debent, non nuda ποιηματων voce significantur, sed vel alia adduntur vocabula, vel (5) nomina δυναμεως, σημειων και τερατων adhibentur. Hinc e) Syrus τοις ποιημασι substituit לבריתה, *in creaturis suis*. Quare f) commentarium unice verum praebet (6) Chrysostomus, scribens: « Unde notum est, o Paule, quod Deus suimetipsius cognitionem gentibus indiderit? quia, inquit, quod notum est eius manifestum est in illis. ἀλλα τουτο ἀποφασις ἐστιν, οὐκ ἀποδειξις· συ δε μοι κατασκευασον, και δειξον ὁτι ἡ γνωσις ἡ περι του θεου δηλη ἠν αὐτοις, και ἑκοντες παρεδραμον. ποθεν οὐν δηλη ἠν; φωνην αὐτοις ἀφηκεν; οὐδαμως· ἀλλ᾽ ὁ φωνης αὐτους ἐφελκεσθαι μαλλον ἠδυνατο, τουτο ἐποιησε, την κτισιν εἰς μεσον προθεις, ὡστε και σοφον, και ἰδιωτην, και σκυθην, και βαρβαρον δια της ὀψεως καταμαθοντα των ὁρωμενων το καλλος, ἐπι τον θεον ἀναβαινειν. At haec affirmatio est, non demonstratio. Tu vero mihi proba et ostende, cognitionem Dei manifestam fuisse illis; sed sponte illos praetermisisse. Unde ergo manifesta erat? vocem ne ad illos emisit? minime, verum id effecit quod magis illos quam vox quaelibet attrahere poterat; creatum orbem in medio posuit, ita ut sapiens, idiota, scytha,

(1) Matth. XIX. 4.

(2) Apud Diogenem Laertium, lib. I. segment. 35.

(3) De humanitate, p. 3.

(4) In comm. ad h. l. Cum Crellio autem consentit eiusdem factionis interpres, Ionas Slichtingius.

(5) Marc. XVI. 17-20, Rom. XV. 19, Hebr. II. 4.

(6) In epist. ad Rom. Hom. III. n. 2.

barbarus ex solo intuitu visibilium pulchritudinem edoctus, ad Deum conscendere posset. Ideo ait, *invisibilia enim ipsius a creatione mundi per ea quae facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Quod etiam propheta (1) dicit: *caeli enarrant gloriam Dei.* Quid enim dicent in illa die gentiles? ignoravimus te? ita ne (2) caelum non audistis ex solo aspectu vocem emittens? rerum omnium harmoniam et concentum clarius quam tuba clamantem? noctis et diei leges immotas perpetuo manentes? hiemis et veris et aliarum tempestatum firmum constantemque ordinem? maris commodum in tot procellis et fluctibus? omnia in ordine manentia ac per pulchritudinem et magnitudinem creatorem praedicantia »?

X.

Et praedicant sane τα ἀορατα θεου, idest, ut opportuna deinde distributione Paulus illa dispescit, την ἀΐδιον αὐτου δυναμιν και θειοτητα. Ubi quum omnia sint perspicua, istud unice impeditum nonnihil est, quid sibi velit ἡ θειοτης, quaeve illi subiici potestas debeat. Ut enim socinianam (3) cor-

(1) Ps. XVIII. 1.

(2) Hoc argumento, quo supremum existere numen e conspicua rerum universitate atque ex ordine colligitur qui in ea refulget, non solum post Paulum unanimi suffragio usi sunt patres scriptoresque ecclesiastici, quorum prolixam seriem Petavius de Deo, lib. I. capp. I-II. texit, sed ipsi quoque gentium philosophi, uti Cudworthus Systemat. intellect. cap. I., et Raphelius in adnotatt. ad Rom. I. 20. singulari eruditione confirmant. Quare 1) ferri nullatenus debent, qui nostra aetate huic argumento ac inferendi concludendique rationi videntur diffidere; ac ii 2) multo ferendi sunt minus, qui hanc deducendi formam in pantheismi discrimen adducunt.

(3) Quae sita in eo est, ut θειοτητος nomine divina voluntas, quodque Deus hominibus praecipit, intelligatur. Huic enim detorsioni adversatur a) potestas vocis, quum inauditum plane sit, θειοτητος appellatione divinam praecipientem voluntatem significari: adversatur b) orationis series, quae hac probata acceptione penitus abrumpitur: neque minus eidem adversantur c) interpretes quum veteres, tum recentiores, e quibus ne unum quidem reperias, qui την θειοτητα de divinitate, deque suprema Numinis maiestate non intellexerit.

ruptelam tacitus praeteream, qua θειοτης de manifestatione accipitur divinae voluntatis, deque iis quae Deus fieri ab hominibus exigit; video interpretes in duas maxime partes discedere, quorum alii (1) cum (2) Elsnero id statuunt discriminis θεοτητα inter ac θειοτητα, ut doceant priori nomine *Dei naturam*, posteriore *summam illius dignitatem maiestatemque* proprie exprimi: illud, Augustino (3) praeeunte, *deitatem*, hoc multo aptius latine reddi *divinitatem*. At alii contra, quos inter (4) Koppe et (5) Morus, ejusmodi discrimen repudiant, unam eamdemque esse θεοτητος και θειοτητος significationem contendunt, et την θειοτητα de ipsa divina natura interpretantur.

Cui componendo dissidio non minimum conducere posse arbitror, si animadvertatur: a) vocem θειοτητα in novo testamento esse ἁπαξ λεγομενην, ac in ipso etiam veteri testamento nonnisi semel occurrere, ubi (6) legimus, τον της θειοτητος νομον ἐν ὁμονοιᾳ διεθεντο: propterea b) illius significationem neque usu loquendi sacro, neque locis parallelis statui posse aut illustrari: reliquum idcirco c) esse, ut eadem usu loquendi profano et ecclesiastico, nec non orationis contextu determinetur ac expoliatur: porro d) utrumque loquendi usum tam profanum quam ecclesiasticum non ita esse circumscriptum, ut vis της θειοτητος eo praecise definiri possit. Sicut enim diffiteri non licet, την θειοτητα adhiberi frequenter eodem sensu quo (7) θεοτης usurpatur: ita testimo-

(1) Apud Wolfium in curis ad Rom. I. 20.

(2) Observatt. Sacr. ad Rom. I. 20.

(3) De civ. Dei, lib. VII. cap. I.

(4) Verba Koppii in adnott. ad h. l. ista sunt: » δυναμις και θειοτης mere sunt synonyma, idemque significant ac עז וכבד *divina maiestas*. Discrimen vero inter θεοτης et θειοτης ab Elsnero sic constitutum, ut illud *Numen ipsum*, θεον, hoc vero *divinam maiestatem* denotet, nullum est ».

(5) Praelectt. in epist. ad Rom. I. 20.

(6) Sap. XVIII. 19.

(7) De quo sensu insignia omnino sunt ista Basilii verba ex epist. CLXXXIX. al. LXXX, ad Eustathium archiatrum, n. 8. » Εἰτε οὐν ἐνεργειας ὀνομα ἡ θεοτης, ὡς μιαν ἐνεργειαν πατρος και υἱου και ἁγιου πνευματος, οὑτω μιαν φαμεν εἰναι την θεοτητα· εἰτε, κατα τας των πολλων δοξας, φυσεως ἐνδεικτικον ἐστι της θεοτητος ὀνομα· δια το μηδεμιαν εὑρισκειν ἐν τη φυσει παραλλαγην,

nia non desunt quibus ostendatur, τῇ θειότητι divinam maiestatem, divinamque gloriam significari. Exemplorum quantum satis est, dabunt (1) Elsnerus et (2) Wolfius. Contextus igitur c) dumtaxat superest, quo pressius τῆς θειότητος notio determinetur. Atqui eo spectat contextus, ut non tam abstractam absolutamque (3) *Deitatis* notitiam quam communiorem *gloriae maiestatisque* significationem ingerat ac suppeditet. Hanc certe significationem praetulit (4) Theophylactus, inquiens: « De Deo aliud quidem cognosci non potest, ut ipsa essentia; aliud vero cognosci potest, ut omnia quae sunt circa essentiam, nempe bonitas, sapientia, potentia, ἡ θειότης, ἤτοι μεγαλειότης· ἃ καὶ ἀόρατα αὐτοῦ ὁ Παῦλος λέγει, νοούμενα μὲν τοῖς ποιήμασι, *divinitas sive maiestas, quae et invisibilia eius Paulus nominat, eaque ex operibus intellecta* ». Hanc expressit (5) Grotius, scribens: « Habes vocem θειότητος, *divinitatis*, et Sap. XVIII. 9. Rabbini dicunt אלהות, *divinam maiestatem*, et ea voce *imperium* maxime denotant.

οὐκ ἀπεικότως μιᾶς θεότητος τὴν ἁγίαν τριάδα διοριζόμεθα. Sive igitur divinitas nomen est operationis (quam sententiam ipsemet profitetur Basilius); ut unam Patris et Filii et Spiritus-sancti operationem, ita divinitatem unam esse dicimus: sive divinitatis nomen, quae est multorum opinio, naturam indicat; et quoniam nulla invenitur in natura diversitas, non immerito unius divinitatis esse sanctam Trinitatem definimus ».

(1) Observatt. Sacr. ad Rom. I. 20.

(2) In curis philolog. ad Rom. I. 20. Juverit autem memoria reputasse, quod Eustathius ad Iliad. XIV. p. 655, animadvertit, πᾶν τεράστιον καὶ ὑπερφυὲς θεῖον λέγεσθαι παρὰ τοῖς ποιηταῖς, *quidquid mirabile est et eximium dici divinum apud poetas.*

(3) De qua abstracta absolutaque notitia legi possunt quae habet Pseudo-Dionysius de caelesti hierarchia, cap. IV, et de divinis nominibus, cap. IV.

(4) In comm. ad Rom. I. 20., ubi praeterea subdit: » Τινὲς δὲ ἀόρατα τοὺς ἀγγέλους φασίν· οὐκ εὐστόχως, οἶμαι. εἶπε δέ τις τῶν πατέρων ἀΐδιον δύναμιν τὸν υἱὸν· θειότητα δὲ τὸ πνεῦμα. Quidam vero invisibilia angelos dicunt, minus tamen apposite, ut opinor. Quidam autem e patribus sempiternam potentiam, Filium dixit; divinitatem autem Spiritum ».

(5) Annotatt. in epist. ad Rom. I. 20.

Alibi (1) eadem audit, גאון יהוה, *excellentia Domini.* Opifex ius habet in opificium suum. Unde (2) Seneca: *primus est deorum cultus deos credere; deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla maiestas est, scire illos esse qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt ».* Atque huic prae ceteris significationi patrocinatur contextus, siquidem ἀορατα θεου, *invisibilia Dei* ἀπο κτισεως κοσμου τοις ποιημασι νοουμενα καθορᾳται, *quae ab originibus mundi per res effectas intellecta conspiciuntur*, non tam est ipsa in se atque ὀντως spectata *deitas*, quam eiusdem *gloria* et *patefacta* (3) *maiestas.*

Quare paulinae orationis haec vis est ac sententia: « Revelatur enim ira Dei a caelo in omnem impietatem et iniustitiam hominum veritatem in iniquitate detinentium: quoniam quod cognosci de Deo potest, manifestum est in ipsis: Deus enim ipsis manifestum fecit. Invisibilia enim eius ab ipsa mundi creatione effectionibus ipsis intellecta perspiciuntur, aeterna nimirum ipsius potentia divinaque maiestas ».

Ubi ἡ θειοτης quemadmodum formam refert *nominis abstracti*, ita significatione (4) et adsignificatione demonstrat,

(1) Is. XXIV. 14.

(2) Epist. XCVI.

(3) Quae aptissime dicitur de divina vi et praesentia Numinis, qua se ostendit et declarat adesse quum universitati, tum maxime rebus humanis.

(4) Significatione quidem, quia unica est gloria et Numinis maiestas: adsignificatione vero, quia unica est divina illa substantia, cuius gloria ac maiestas in rerum universitate resplendet. Egregie Basilius, quum eos refellens qui vitio illi vertebant, quod τα ἐπιλεγομενα τῃ θειᾳ φυσει ὀνοματα, *quae de divina natura dicuntur nomina*, μοναδικως, *singulariter* efferret, scribit epist. CLXXXIX. al LXXX. n. 4: « Sed prompta nobis est adversus hoc et manifesta ratio. ὁ γαρ καταγινωσκων των μιαν λεγοντων θεοτητα, ἐξ ἀναγκης τῳ πολλας λεγοντι, ἠ τῳ μηδεμιαν συνθησεται. οὐ γαρ ἐστι δυνατον, ἑτερον τι, παρα το εἰρημενον, ἐπινοησαι. ἀλλ' οὐτε πολλας λεγειν ἡ θεοπνευστος συγχωρει διδασκαλια, εἰπου και μεμνηται, μοναχως της θεοτητος μνημονευουσα· Qui enim condemnat eos, qui unam dicunt divinitatem, necessario aut multas dicenti aut nullam, assentietur. Non enim potest aliud quidquam praeter id quod dictum est, excogitari. Sed nec multas dici divinitus inspirata patitur doctrina, quae sicubi meminit

quod *unicum* in Deo est atque *singulare*, quodque ab omni avulsum *originis* habitu, iure meritoque *absolutum* nuncupatur.

XI.

Eodem pertinet phrasis, *η θεια φυσις*, qua utitur Petrus, quum (1) benefacta extollens, quae *δια δοξης και αρετης του καλεσαντος*, idest (2), *δι' αρετης ενδοξου του καλεσαντος*, *per* (3) *gloriosam vocantis* Christi *virtutem* potentiamque nobis ob-

divinitatis, singulariter eam commemorat. Ut ad Coloss. II. 9. *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis.* Et Rom. I. 20. *invisibilia enim ipsius a creatione mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, tum sempiterna eius virtus, tum divinitas.* Si igitur in multitudinem extendere numerum divinitatum, illorum solum est, qui polytheismi errore laborant, omnino autem divinitatem negare, atheorum fuerit; *τις λογος εστιν ὁ διαβαλλων ἡμας επι τῳ μιαν ὁμολογειν την θεοτητα; qua ratione incusamur, quod unam confiteamur divinitatem »?*

(1) II. Petr. I. 3.

(2) Arbitror enim usitata in Scripturis loquendi ratione *ἑν δια δυοιν* dici, *δια δοξης και αρετης*, pro, *δι' αρετης ενδοξου*. Neque obest Wolfii in curis animadversio, propterea hunc tropum admitti heic non posse, quod Petrus v. 4. subdat non *δι' ἡς*, sed *δι' ὡν* Etenim grammatica constructio non tam *ad sensum*, quam *ad verba* exigi solet; unde fuit, cur Petrus subderet *δι' ὡν*, quamquam verba *δια δοξης και αρετης* per *ἑν δια δυοιν* usurpaverit.

(3) Sunt e calvinianis, qui post Bezam verba Petri, *του καλεσαντος ἡμας δια δοξης και αρετης*, reddant: *qui vocavit nos ad gloriam et ad virtutem.* Cuius interpretationis hanc maxime caussam proferunt, *quod αρετη multo melius hominibus quam Deo conveniat.* Sed 1) nullis ostenditur exemplis, vel particulam *δια* permutari cum *εἰς*, vel iunctam cum gignendi casu latine reddi posse *ad*. Contendit quidem Palairetus in philologicis observationibus id aliquot exemplis comprobare, sed, nisi plane fallor, operam lusit. Ad haec 2) Wetestenius et Lambertus Bos in subiectis ad praesentem locum adnotationibus, Heinsius in prologo ad Aristarchum sacrum, et Campegius Vitringa in observationibus sacris, diss. III. lib. I. cap. VII. §. V., praeclarissime demonstrarunt, *αρετην*, quum Deo tribuitur, idem valere ac הוד, *δοξαν, τιμην, δυναμιν.* Verba igitur 3) *του καλεσαντος ἡμας δια δοξης και αρετης*, reddi omnino debent, *qui vocavit nos gloriosa sua virtute ac potentia:*

tingunt, sic illa (1) describit: δι' ὧν (2) τα τιμια ἡμιν και μεγιστα ἐπαγγελματα δεδωρηται, ἱνα δια τουτων γενησθε θειας κοινωνοι φυσεως.

In qua descriptione statui accurate debet: I. quo spectet dictio δι' ὧν: II. quae verbo δεδωρηται potestas insit: III. cuiusmodi sit quae promittitur κοινωνια: ac postremo IV. quid sibi velit formula, ἡ θεια φυσις.

Porro (3) Nathanael Morus δι' ὧν reddit *quapropter*, *quare*, totumque incisum ita interpretatur ac illustrat: « *Quare etiam maxima nobis et pretiosa promissa donavit*, sive latinius, exhilaravit nos promissis maximis et pretiosis. Promissa vero sunt futura felicitas; promissio ergo haec est maxima et pretiosissima. Additur δι' ὧν, *quapropter*, et respicitur ad illud, vocavit nos, voluit esse pios et sanctos. Propter haec etiam promisit nobis praestantissimam felicitatem. Etenim noverat animi humani naturam maxime ad virtutem allici felicitatis spe et expectatione. Ergo quum nos vellet reddere virtutis studiosos, promisit nobis summa bona, ut per haec allecti tanto magis operam daremus virtuti ». Sed nemo ista probet, ac nemo inspecta orationis serie diffiteatur, non magis consequentia verba, δια τουτων, ad ἐπαγγελματα spectare, quam incisum, δι' ὧν, ad ea referatur quae ἀμεσως praecedunt, reddique idcirco debeat, *per quas*, gloriam nimirum ac virtutem, aut si sensus potius quam verba considerentur, *per quam* gloriosam virtutem ac potentiam.

XII.

Sequitur verbum δεδωρηται, ἀπο του δωρεομαι, quod Vulgatus, doctioresque cum eo interpretes *active* reddunt, *donavit*. Et iure, sic enim a) reddi posse, innumeris constat (4)

(1) II. Petr. I. 4.

(2) Interpretes vulgatus et aethiops, itemque unus alterve codex legunt, δι' ὅν, *per quem*. Sed lectio haec est, quae defendi critice nequit, ac alteri δι' ὧν postponi debet.

(3) Praelectt. ad II. Petr. I. 4.

(4) Magnam exemplorum vim collegerunt Erasmus Schmidius in comm. ad h. l., Henricus Maius observatt. sacr. lib. IV. p. 154, et Graevius ad Lucianum, T. I. p. 995.

exemplis, quibus comprobatum abunde est, verbis (1) *formae passivae activam* non raro inesse significationem. Sic autem b) reddi *oportere*, liquet quum ex antecedente participio, δεδωρημενης, quod active sumendum esse vel hoc unum ostendit, quod nihil secus (2) esset a quo vox παντα penderet; tum ex orationis ductu, cum quo nullam nisi activam significationem facile componas. Est igitur cur δεδωρηται active vertatur, *donavit*.

Quaecumque autem promissa nobis Christus donavit, eo spectant, auctore Petro, ut quotquot ad christianam professionem vocati sumus, fiamus θειας κοινωνοι φυσεως. De quo consortio opportunissime quaeritur, cuiusmodi illud sit, et in quo proprie situm existimari debeat. Manifestum vero est, non eam tantum κοινωνιαν heic nobis promissam dici, quam Paulus (3) exprimit, inquiens nos esse συμφυτους cum Christo, quamque Athanasius (4) uberius explanat, scribens: *Filium Dei humanam induisse naturam*, ἱνα ἡμεις θεοποιηθωμεν, *ut nos dii efficeremur*; ac (5) rursum: *Filium Dei idcirco factum esse hominem*, ἱνα ἡμας ἐν ἑαυτῳ θεοποιησῃ, *ut nos in seipso divinos efficeret*.

(1) Cf. Matthiae grammat. graec. §§. 493-496, Vigerum edit. Herm. pagg. 188—215, et Guilelmi Alt grammat. N. T. P. II. §. L. n. 3. ubi hanc proponit regulam: « Passivum in N. T., ut in veterum libris, non raro pro activo aut pro medio sumitur, idque in tribus temporibus, perfecto et plusquam perfecto, aoristo et futuro ». Immo si vere loquimur, quemadmodum forma frequentior του δωρεομαι est deponens, ita communior eiusdem significatio est activa; quod Passow in Lexico, et Kühner in altera grammaticae parte exemplis ostendunt.

(2) II. Petr. I. 3.

(3) Rom. VI. 5.

(4) De incarnat. Verbi Dei, n. 54. p. 94: « αὐτος γαρ ἐνανθρωπησεν, ἱνα ἡμεις θεοποιηθωμεν· και αὐτος ἐφανερωσεν ἑαυτον δια σωματος, ἱνα ἡμεις του ἀορατου πατρος ἐννοιαν λαβωμεν· και αὐτος ὑπεμεινε την παρ' ἀνθρωπων ὑβριν, ἱνα ἡμεις ἀθανασιαν κληρονομησωμεν. Ipse enim homo factus est, ut nos dii efficeremur: ipse seipsum per corpus videndum exhibuit, ut nos invisibilis Patris cognitionem acciperemus: ipse iniurias sibi ab hominibus illatas sustinuit, ut nos immortalitatis heredes institueremur ».

(5) Epist. ad Adelphium episcopum. n. 4. p. 914.

Etenim talis κοινωνια neque *a*) ad promissiones et eximia ac maxima spectat dona, quae opperimur, et quorum spe alimur ac inflammamur; neque *b*) fidelium est propria, sed ad omnes omnino pertinet homines, quorum naturam Verbum assumpsit, et quibus est secundum carnem ὁμοουσιον.

Quam igitur κοινωνιαν significat Petrus, inquiens: ἱνα δια τουτων γενησθε θειας κοινωνοι φυσεως? Grotius rem sic (1) explicat: « *Ut per ista promissa* (2) *excitati participes fieretis*, idest, imitatores *divinae bonitatis*. Nam φυσεως, *naturae* vox heic ad proprietates Dei pertinet, ut (3) ὑποστασεως, *substantiae*. In glossario, φυσις, *ingenium;* φυσεις ζωων, *naturae* (4) *animalium*. Hierocles: τα ἑξης ἐπαγγελεται θεον ἐξ ἀνθρωπου ποιησειν ἐφ' ὁσον οἱον τε ἀνθρωπῳ θεον γενεσθαι, *promittit deinceps facturum se ex homine Deum, quousque quidem homo Deus fieri potest* ».

Neque abludit (5) Clericus, qui aliquot relatis graecorum philosophorum testimoniis, concludit: deos et divinae consortes naturae eos inter homines dici consuevisse, qui sapientiae virtutisque studio plenius in seipsis divinam imaginem, divinosque mores exprimerent. Tum pergit: « Epictetus (6) eum, qui nihil adpetat, ait futurum ἀξιον των θεων συμποτην, *dignum deorum convivam*; sed eum, qui externa omnia despiciat, οὐ μονον συμποτην των θεων, ἀλλα και συναρχοντα, *non solum deorum convivam, sed et eorum imperii futurum participem*. Subdit: οὑτω γαρ ποιων Διογενης και Ἡρακλειτος και οἱ ὁμοιοι ἀξιως θειοι (7) τε ἠσαν και ἐλεγοντο: *sic faciens Diogenes et Heraclitus et similes merito divini erant et dicebantur*. Sic et Arcesilas Polemonem et Cratetem dicebat esse θεους τινας, ἠ λειψανα του χρυσου γενους, *deos quos-*

(1) Annotatt. in II. Petr. I. 4.

(2) Verba, ἱνα δια τουτων, idest, ἐπαγγελματων, reddi bifariam possunt: vel, *ut hisce exciti commotique promissis*: vel, *ut horum promissorum participes effecti*.

(3) Hebr. I. 3.

(4) Sap. VII. 20.

(5) Artis critic. P. II. sect. I. cap. III. §. 6.

(6) Enchiridii cap. XXI.

(7) Suspicatur Clericus non θειοι, *divini*, sed θεοι, *dii* legi oportere.

dam, aut aurei seculi reliquias, ut auctor est (1) Laertius. Indidem intelligendus Petrus, ubi (2) virtute nos dicit *κοινωνους γενεσθαι θειας φυσεως*, *divinae naturae participes fieri* ». Utrique suffragatur (3) Morus his verbis : « Natura divina, ut constat, sunt attributa eius omnia. Fit igitur particeps naturae divinae, qui accipit attributa divina. At homo non potest proprie accipere attributa divina, ita ut fiat Deus. Ergo : accipit attributa divina, significat : attributa accipit talia, qualia Deus habet, aut, fit similis Dei. Jam in religione nostra cum Deo similitudo inest in vero sensu de recto et bono, et in vero studio recti et boni ; dicitur enim in ea : *estote perfecti, uti pater vester caelestis est.* Ergo erit: imitamini Deum in cognitione et iudicio de eo, quod verum, probum, rectum est et vere utile. Fortasse non incommodum erit conferre quae habet auctor (4) epistolae ad hebraeos. Ibi enim scriptor tradit, per calamitates quae hominibus immittantur, eum veluti patrem disciplina quadam virtutis uti inter homines : atque id est in fine versus: *ille Deus castigat nos, immittit interdum mala in emolumentum nostrum.* Jam sequitur, *ut participes fiamus sanctitatis eius*, idest, ut per calamitates virtutis studium exerceatur : ita fit particeps homo divinae sanctitatis.

Sed et hoc abusi loco sunt Fanatici, quum plus a christianis postulari arbitrantur, nempe, ut deificentur, in Deum mutentur, desinant esse homines. Haec sunt inania postulata. Nam quid est participem fieri divinae naturae, si perspicue dicatur ? sufficit illud, similem Dei fieri. Sed multi

(1) Lib. IV. § 12.

(2) II. Petr. I. 4.

(3) Praelectt. in II. Petr. I. 4. Eduardus Leighius in annotationibus ad h. l. principio laudat Calvinum et Bezam, quod *naturae* nomen non *de substantia* sed *de qualitate* acceperint; tum, praeeunte Reynoldo, subdit, hac formula, *fieri participes divinae naturae,* duo ostendi : „ 1) communicationem cum Deo in eius sanctitate. Puritas enim, quae eminenter et infinite sanctissimae inest Dei naturae, formaliter aut secundum modum creaturae, in nobis formatur. 2) Communicationem cum Deo in felicitate sua, scilicet, beata visione et splendore gloriae „.

(4) Hebr. VIII. 10.

non putant esse dictum cum sensu, ubi aliquid perspicue dicitur. Velle autem hoc Petrum apparebit ex sequentibus, ubi exponit, quomodo fiant homines divinae naturae participes. Scilicet verba sunt, ἀποφυγοντες της ἐν κοσμῳ ἐν ἐπιθυμια φθορας, quae breviter id exprimunt: *si effugerimus pravitatem omnem.* En ergo modum, quo possunt participes naturae divinae fieri. Sed si quis effugit pravitatem, quid iam est in illo? nonne similitudo cum Deo, sanctitas, ut in Deo sanctitas est? non plus quam similitudo quaeri debet ».

XIII.

Sed multo sunt his illustriora, quae occasione verborum Petri tradunt patres scriptoresque ecclesiastici: ac longe est nobilior ea participatio divinae naturae, quam a Petro propòsitam iidem confirmant. Ut enim ex iis aliquot nominatim recenseam, Origenes (1) de societate loquens Deum inter ac fideles, scribit: « Audi Joannem, quomodo uno eodemque (2) spiritu (3) proloquatur; *et societatem*, inquit, *habemus cum Patre et cum Filio eius Jesu Christo.* Et iterum (4) Petrus dicit: *consortes facti estis divinae naturae*, quod est socii. Et iterum (4) dicit apostolus Paulus, *quae enim societas luci ad tenebras*? quod si luci ad tenebras societas nulla est, potest ergo societatem lux habere cum luce. Igitur si nobis cum Patre et Filio et Spiritu sancto societas data est, videndum nobis est, ne sanctam istam divinamque societatem peccando abnegemus. Si enim agamus opera tenebrarum, certum est, quia societatem negavimus lucis ». Didymus vero (5) recitata Johannis (6) sententia, και ἡ κοινωνια δε ἡ ἡμετερα μετα του πατρος και μετα του υἱου αὐτου Ἰησου χριστου, *et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius Jesu Christo*,

(1) In Levit. Hom. IV. n. 4. p. 200 opp. T. II.
(2) Cum Paulo nimirum, cuius verba ex epist. ad Philipp. II. 1. praemiserat.
(3) I. Joh. I. 3.
(4) II. Petr. I. 4.
(5) De Trinit. lib. I. cap. XV. pagg. 21. 22. edit. Bononiae 1769.
(6) I. Joh. I. 3.

subdit : « Animadverte salutis societatem cum Patre aut cum Unigenito eos non habere, qui Filium ipsum *κατα φυσιν secundum naturam* Deo coaeternum esse non confitentur; in hac enim fide, quae *ἐν τῃ μυσταγωγιᾳ του φωτισματος in mystagogia* (1) *illuminationis* ab omnium Domino tradita fuit, *ἐστιν ἡ κοινωνια ἡν Πετρος ἐγραψεν· ἱνα γενησθε θειας κοινωνοι φυσεως· το γαρ κτισμα και ὑπο χρονον ὀν οὐ θεια φυσις ἐστιν, consortium illud nobis est, de quo* (2) *Petrus scripsit*: ut efficiamini divinae consortes naturae. *Nam quod creatum est ac tempori obnoxium, non est divina natura* ». Quum autem ornamenta dotesque (3) recenset, quibus divinus Spiritus, tertiaque summae Trinitatis hypostasis resplendet, ait : « Qui est fecunda et infinita et servatrix vis . . . ; qui est divina ipsa (4) gratia, quae deficientia sunt, supplens, et quae infirma sunt, sanans; ineffabilis et sempiterna bonitas; indeficientium charismatum fons, et omnis bonae mentis praecursor . . . ; *ἡ σωτηριος σφραγις και το θειον χρισμα· ὁ ἀῤῥαβων των ἀϊδιων ἀγαθων· παρ' οὑ πασα κτισις ὁρατη και ἀορατος, λογικη και μη λογικη ἐνδυναμουται· παρ' οὑ ἡμιν ἡ θεια ἀναγεννησις· και των ἀνομιων ἡ ἀφεσις· και των ἁμαρτιων ἡ ἐπικαλυψις· και ἡ προς τον θεον οἰκειωσις· στεφανος τε δικαιοις και ἀγαθων ἀποληψις· οὐρανιον τε ἐνδιαιτημα και ζωη ἀτελευτητος· και βασιλειας θεου κληρονομια αἰωνιος· οὑτινος της κοινωνιας δια της παλιγγενεσιας ὁ μετοχων· τυγχανει των μνημονευθεντων ἀγαθων· και προς τας καθολικας ἐπιστολας· θειας ἐστι κοινω-*

(1) Ex Apostoli verbis Hebr. VI. 4. repeti debet ecclesiastica loquendi ratio, qua baptismus *φωτισμα* dicitur, et qua Cyrillus catecheses ad initiandos inscripsit catecheses *των φωτιζομενων*. Cur autem *illuminatio* vocetur baptismus, scite explicat Justinus Apolog. I. n. 61 : „ Vocatur autem lavacrum illud *φωτισμος*, eo quod mente illuminantur qui haec discunt „.

(2) II. Petr. I. 4

(3) De Trinit. lib. II. cap. I. p. 115.

(4) Graeca verba haec sunt : *ἡ θεια χαρις ἡ τα λειποντα ἀναπληρουσα και τα ἀσθενη ἰωμενη*. Dicitur autem a Didymo Spiritus-sanctus *ἡ θεια χαρις*, quemadmodum a Basilio de Spiritu-sancto, cap. XXIV. vocatur, *δωρον θεου*, a Chrysostomo in Joh. Hom. LXXVIII. simpliciter *δωρον*, a Cyrillo in dialog. III. de Trinitate, *δοσις ἀγαθη*, *δωρημα θειον*, et ab Augustino de Trinit. lib. V. capp. XIII. seqq. *donum Dei*.

νος φυσεως. ὁ γαρ ἀφθαρτου και ἀϊδιου φωτισματος μετειληφως· ἀγηρως κατα τον νοητον μενει ἐν νεοτητι και νηπιοτητι· και ἐξομοιουται τῳ μονῳ ἐχοντι ἀθανασιαν και φως οἰκουντι ἀπροσιτον, salutaris obsignatio, et divinum (1) chrisma, aeternorumque bonorum (2) arrhabo: a quo omnis creatura visibilis et invisibilis rationalis et irrationalis robur ac vim accipit: a quo nobis est divina regeneratio, et (3) *iniquitatum remissio et peccatorum absconsio*, et coniunctio (4) cum Deo, et corona iu-

(1) Quibus alludit ad confirmationis sacramentum, ut multo iis apparebit evidentius, qui haec cum iis componant quae scribit cap. XV. pag. 279.

(2) Graecum nomen ἀῤῥαβων ipsum est hebraicum ערבון, ἀπο του ערב, *fideiubere, spondere*, Gen. XLIV. 22. Optimi quoque latini scriptores *arrhabonis* voce utuntur. Plautus in Milit. Act. IV. Scen. I.

Hunc arrhabonem amoris primum a me accipe.

Et Terentius Heautontim. Act. III. Scen. III.

Ea relicta arrhaboni est huic pro argento.

Illius autem propria vis et significatio, atque *a pignore* distinctio scite explanatur ab Hieronymo comm. in epist. ad Ephes. I., et ab Isidoro lib. V. cap. XXV., cuius ista sunt verba: « Interest in loquendi usu inter *pignus* et *arram*. Nam pignus est quod datur propter rem creditam, quae dum redditur, pignus statim aufertur. Arra vero est primum quod pro re bonae fidei contractu empta, ex parte datur et postea completur. Est enim arra complenda non auferenda; unde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem ,,. Apparet igitur quem sensum fundant haec Pauli testimonia, II. Cor. I. 22. coll. V. 5. και δους τον ἀῤῥαβωνα του πνευματος ἐν ταις καρδιαις ὑμων, et Ephes. I. 14. ἐν ᾧ πιστευσαντες ἐσφραγισθητε τῳ πνευματι της ἐπαγγελιας τῳ ἁγιῳ, ὁς ἐστιν ἀῤῥαβων της κληρονομιας ἡμων· Videlicet, ut auctor est Stephanus Le Moyne in notis ad varia sacra, p. 480. T. II. edit. Lugd. 1694. ,, Omnia bona caelestia sunt ipsa hereditas, cuius pars iam nobis traditur, tamquam pignus χειροδοτον et κατακωχιμον, nimirum Spiritus-sanctus, qui a nobis iam possidetur semper possidendus, et concessus in spem obtinendae integrae hereditatis, et fruitionis, et usus omnium bonorum caelestium, in quorum perfecta congerie consistit aeterna beatitudo, et quorum delibatae primitiae, nimirum Spiritus-sanctus, sunt pignus homogeneum, arra sanctissima, et arrhabon certissimus ,,.

(3) Sunt loquutiones biblicae ex his Psalmi verbis desumptae : *beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.*

(4) Vox οἰκειωσις, qua Didymus utitur, conferri debet cum verbis Pauli ad Ephes. II. 19., quibus sancti dicuntur fieri οἰκειοι του Θεου.

stis, et bonorum acquisitio, et caeleste domicilium, et vita interminata, et regni Dei sempiterna hereditas: cuius communionis qui per regenerationem fit particeps, commemorata bona consequitur, et iuxta catholicas (1) epistolas *divinae* est *consors* naturae. Qui enim incorruptibile et aeternum baptisma (2) participavit, senii expers quoad animam et spiritum, in iuventute manet ac in (3) infantia, et ei assimilatur, qui (4) *solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessam* ». Et de praestantia baptismi, deque eiusdem auctore Spiritu-sancto verba (5) faciens, commemorata Christi (6) lege, *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus-sancti*, subdit: « Hoc idem et Paulus observans (7), scripsit: *gratia Domini nostri Jesu Christi, et caritas Dei et Patris, et communicatio Spiritus-sancti cum omnibus vobis.* ἥντινα πνευματικην κοινωνιαν και τα καθολικα προκατωνομασεν χαραγματα οὕτως· ἵνα γενηστε θειας κοινωνοι φυσεως· *Quam spiritalem communicationem catholicae etiam epistolae sic antea (8) nominaverant*, ut sitis divinae participes naturae ».

XIV.

Ad quam significandam participationem ista quoque pertinent (9) Athanasii verba: « αὐτου γουν του υἱου μετεχει τα παντα κατα την του πνευματος γινομενην παρ᾽ αὐτου χαριν,

(1) II. Petr. I. 4.

(2) Videlicet Spiritum-santum, quem Didymus incorruptibile aeternumque baptisma vocat, imitatus biblicas phrases quae leguntur Matth. III. 11. coll. Marc. I. 8, Luc. III. 16, Joh. I. 33, et Actt. I. 5.

(3) Eam significat *infantiam*, quae tantopere commendatur I. Petr. II. 2.

(4) I. Tim. VI. 16.

(5) De Trinit. lib. II. cap. XII. p. 239.

(6) Matth. XXVIII. 19.

(7) II. Cor. XIII. 13. ubi Didymus explicationis gratia addit verba, *et Patris*, ut clarius indicet, *Dei* nomine a se *Patrem* intelligi.

(8) Quibus innuit Didymus, secundam Petri epistolam antea fuisse editam, quam Paulus ad Corinthios iterum scriberet.

(9) Con. arian. Orat. I. n. 16. p. 420.

και φανερον ἐκ τουτου γινεται, ὅτι αὐτος μεν ὁ υἱος οὐδενος μετεχει, το δε ἐκ του πατρος μετεχομενον, τουτο ἐστιν ὁ υἱος· αὐτου γαρ του υἱου μετεχοντες, του Θεου μετεχειν λεγομεθα, και τουτο ἐστιν, ὁ ἐλεγεν ὁ Πετρος, ἱνα γενεσθε θειας κοινωνοι φυσεως, ὡς φησι και ὁ ἀποστολος, οὐκ οἰδατε, ὁτι ναος Θεου ἐστε; και, ἡμεις γαρ ναος Θεου ἐσμεν ζωντος. Itaque res omnes Filii fiunt participes secundum Spiritus gratiam, quae ab eo datur: idque inde fit manifestum, quod ipse quidem Filius nullius est particeps; quod autem ex Patre alios sui participes facit, hoc ipsum est Filius. Nos enim quum ipsius Filii participes efficimur, Dei participes esse dicimur, idque ipsum est quod aiebat (1) Petrus, *ut efficiamini divinae consortes naturae*, quemadmodum et Apostolus (2) dicit, *nescitis quia templum Dei estis?* et, *nos enim templum Dei viventis sumus* ».

Hoc autem quo pacto fiat, et cuiusmodi credi debeat cum divina natura consortium, insigniter declarat (3) Titus bostrensis, qui descriptis Zachariae (4) verbis, *gaude vehementer filia Sion, praedica filia Jerusalem*, atque hac eisdem adnotatione subnexa, *quemadmodum olera, volucres, quadrupeda animalia atque homines, pro varia forma atque virtute, alia atque alia acceperunt nomina;* οὑτως ἑκαστη κεραια των θειων λογιων, ἰδιαν δυναμιν και θεωριαν κεκτηται, *sic singuli divinorum eloquiorum apices virtutem propriam, sensumque spiritalem habent*, pergit: « Scrutemur ergo, quamobrem propheta fidelem Jerusalem primum appellet filiam Sion, subindeque filiam Jerusalem. Nam ait: *gaude vehementer filia Sion, praedica filia Jerusalem*. Sion (5) exponitur *sitiens*. Haec porro iustorum ac prophetarum congregatio est, qui fuerunt a seculo usque ad Christi adventum: διψησαντες ἑνωθηναι

(1) II. Petr. I. 4.

(2) I. Cor. III. 16.

(3) Orat. in ramos palmarum, §. IV. p. 353. apud Gallandium, T. V.

(4) Zach. IX. 9.

(5) Nihil verius, si *sitiens* intelligatur *aridum*, *siccum*: est enim Σιων ipsum habraicum צִיּוֹן, pro, צִהְיוֹן, ἀπο του צָהָה, *siccus fuit*, *aruit*, unde צִיָּה *siccitas*.

και εὐαρεστησαι, τῃ θειᾳ και προσκυνητῃ οὐσιᾳ της θεοτητος, καθως φησιν ὁ κορυφαιος των ἀποστολων Πετρος· ἱνα γενωνται θειας κοινωνοι φυσεως· οὑτοι ζητουντες τον Χριστον και διψωντες, ἐκληθησαν Σιων, καθως εἱς ἐξ αὐτων ἐλεγεν· ἐδιψησεν ἡ ψυχη μου προς τον θεον ἰσχυρον τον ζωντα· ὁταν δε ἐπετυχον και ἡγγισαν, μαλλον δε ὠφθησαν και ἐθεωρησαν το προσωπον αὐτου· οὑτω γαρ λεγει ἑτερα ἐκδοσις· ἐγενοντο Ἱερουσαλημ ὁρωντες θεον, και σκοπευτηριον πασης της γνωσεως, qui uniri sitierunt ac placere divinae adorandaeque deitatis substantiae, quemadmodum ait Petrus apostolorum princeps: *ut divinae efficerentur consortes naturae.* Hi Christum quaerentes ac sitientes appellati sunt Sion, quemadmodum eorum aliquis (1) ait: *sitivit anima mea ad Deum fortem vivum.* Ubi autem adepti sunt ac accesserunt, seu potius *viderunt ac contuiti sunt faciem eius*, sic enim habet alia editio; facti sunt Jerusalem (2) Deum videntes, ac totius scientiae specula ».

Neque aliter divinae naturae consortium atque ex eo dimanantes effectus describit (3) Macarius aegyptius ea in homilia, qua petit, τινος ἑνεκεν ἐδοθη ἡμιν ὑπο του θεου ἡ θεια γραφη; *cuius rei gratia Scriptura divina nobis a Deo donata sit*? sic enim habet: « Quemadmodum rex, qui scribit litteras ad eos, quibus vult codicillos et peculiaria munera largiri, notum facit omnibus, nempe: contendite confestim ad me venire, ut accipiatis a me munera regia: qui nisi venerint et acceperint, nihil ipsis proderit, quod has legerint; quin potius mortis supplicio fiunt obnoxii, quod renuerint venire, et e manu regis honorarium consequi: οὑτως και τας θειας γραφας ὡσπερ ἐπιστολας ἀπεστειλεν ὁ βα-

(1) Ps. XLI. 3.

(2) In Alberti Glossario graeco N. T. p. 11. legimus, ἱερουσαλημ· ὁρασις εἰρηνης. Mihi, inquit Dathius in app. ad grammat. sacr. Glassii, tract. III. de nomine proprio, p. 770. analogiae grammaticae nullo modo repugnare videtur, si statuamus, vocem ירושלם’ compositam esse ex ירושה’ *possessio; sedes*, et שלם, *pax tranquillitas.* Nam schin ante aliud schin elidi, analogia multorum aliorum exemplorum probari potest.

(3) Hom. XXXIX. p. 132. apud Gallandium, T. VII.

σιλευς θεος τοις ἀνθρωποις, δηλωσας δι' αὐτων, ἱνα παρακαλεσαντες τον θεον, και πιστευσαντες αἰτησωσι και λαβωσι δωρεαν οὐρανιον ἐκ της ὑποστασεως της θεοτητος αὐτου· γεγραπται γαρ, ἱνα γενωμεθα θειας κοινωνοι φυσεως, sic quoque divinas Scripturas velut epistolas misit rex Deus hominibus, iis significans, ut invocantes Deum et credentes petant et consequantur donum caeleste ex hypostasi divinitatis eius. Scriptum (1) namque est, *ut fiamus divinae consortes naturae*. Si vero non accesserit, non petierit, non acceperit, nihil ei proderit, quod legerit Scripturas; immo potius capitali supplicio tenebitur, ὁτι παρα βασιλεως οὐρανιου οὐκ ἠθελησε λαβειν ζωης δωρεαν, ἡς ἀνευ ἀδυνατον ἐστι ζωης ἀθανατου τυχειν, ἡτις ἐστιν ὁ Χριστος, quod a rege caelesti noluerit accipere donum vitae, sine quo fieri nequit, ut vitam immortalem, quae est Christus, consequatur ».

Idcirco (2) enim « venit Dominus, ἱνα τας ψυχας ἡμων ἀλλαξῃ και ἀνακτισῃ, και ποιησῃ αὐτας καθως γεγραπται, θειας κοινωνους φυσεως, και δουναι εἰς την ψυχην ἡμων ἐπουρανιον ψυχην, τουτεστι πνευμα θεοτητος ὁδηγουν ἡμας εἰς πασαν ἀρετην, ὁπως ζωην αἰωνιον ζησαι δυνηθωμεν, ut animas nostras converteret ac reformaret, illasque efficeret, quemadmodum scriptum est, *divinae consortes naturae*, et conferret in animam nostram (3) caelestem animam, hoc est,

(1) II. Petr. I. 4.

(2) Hom. XLIV. §. IX. p. 142.

(3) De hac animae nostrae cum Spiritu, quasi caelesti anima, coniunctione, plura eaque egregia scribit Irenaeus con. Haeres. lib. V. capp. VI—XII. Eo siquidem auctore: „ a) perfectus homo commixtio et adunatio est animae assumentis Spiritum Patris, et admixta ei carni, quae est plasmata secundum imaginem Dei : b) perfecti ii sunt, qui perceperunt Spiritum Dei, quos et spirituales Apostolus vocat, secundum participationem Spiritus existentes spirituales : c) quum Spiritus commixtus animae unitur plasmati, propter effusionem Spiritus, spiritualis et perfectus homo factus est; et hic est qui secundum imaginem et similitudinem factus est Dei : d) si defuerit animae Spiritus, animalis est vere, qui est talis, et carnalis derelictus, imperfectus erit; imaginem quidem habens in plasmate, similitudinem vero non assumens per Spiritum : e) neque plasmatio carnis ipsa secundum se homo perfectus est, sed corpus hominis et pars hominis; neque enim et anima ipsa secundum se ho-

spiritum divinum deducentem nos in omnem virtutem, ut vitam aeternam vivere possimus . . . . Ἐαν μη γαρ ἐν τῳ κοσμῳ τουτῳ δεξηται ἡ ψυχη τον ἁγιασμον του πνευματος δια πολλης πιστεως, και δεησεως, και κοινωνος θειας φυσεως γενηται, ἀνακραθεισα τη χαριτι, δι' ἡς πασαν ἐντολην ἀμωμως, και καθαρως ἐπιτελειν δυνησεται, ἀποιητος ἐστιν εἰς την βασιλειαν των οὐρανων. Nisi enim in hoc mundo consequuta fuerit anima sanctificationem Spiritus summa fide atque obsecratione, et particeps divinae naturae facta fuerit, permixta (1) gratiae, cuius beneficio omne mandatum absque reprehensione et pure perficere poterit, non est apta ad regnum coelorum ».

mo, sed anima hominis et pars hominis; neque Spiritus homo, Spiritus enim et non homo vocatur. Commixtio autem et unitio horum omnium perfectum hominem efficit: f) propterea Apostolus explanavit perfectum et spiritualem salutis hominem, in prima epistola ad Thessalonicenses (cap. V. 23) dicens sic : *Deus autem pacis sanctificet vos perfectos, et integer vester spiritus, et anima, et corpus sine querela in adventum Domini Jesu Christi servetur.* Et quam utique causam habebat his tribus, idest, animae et corpori et Spiritui, integram et perfectam perseverationem precari in adventum Domini, nisi redintegrationem et adunitionem trium, et unam et eamdem ipsorum sciebat salutem? propter quod et perfectos ait eos, qui tria sine querela exhibent Domino : g) Spiritus incompositus et simplex quique resolvi non potest, ipse vita est eorum qui percipiunt illum ».

(1) Apte cum his componas quae docet Irenaeus lib. V. cap. IX. nn. 1—2 : « Sunt tria, ex quibus, quemadmodum ostendimus, perfectus homo constat, carne, anima et Spiritu : et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus : altero, quod unitur et formatur, quod est caro : id vero quod inter haec est duo, quod est anima; quae aliquando quidem subsequens Spiritum, elevatur ab eo; aliquando autem consentiens carni, decidit in terrenas concupiscentias . . . Sicut enim *caro infirma*, sic *Spiritus promptus* a Domino testimonium (Matth. XXVI. 41) accipit. Hic est potens perficere quaecumque in promptu habet. Si igitur hoc, quod est promptum Spiritus, *admisceat* aliquis velut stimulum infirmitati carnis, necesse est omnimodo, ut id quod est forte, superet infirmum, ita ut absorbeatur infirmitas carnis a fortitudine Spiritus: et esse eum, qui sit talis, non iam carnalem sed spiritualem, propter Spiritus communionem. Sic igitur martyres testantur, et contemnunt mortem, non secundum infirmitatem carnis, sed secundum quod promptus est Spiritus. Infirmitas enim carnis absorpta, potentem ostendit Spiritum ; Spiritus

XV.

At vero Cyrillus a Theodoriti reprehensionibus tertium defendens ac vindicans anathematismum, principio (1) docet « Unigenitum inter assumptamque humanitatem *φυσικην γενεσθαι την ἑνωσιν, τουτ᾽ ἐστι ἀληθη, και τροπης ἐλευθεραν, και ἀσυγχυτον παντελως των ὑποστασεων συνοδον*, factam esse naturalem unionem, idest, veram, et conversionis expertem, inconfusumque omnino (2) substantiarum concursum ». Tum ab hac naturali unitione eam secernens, quam *σχετικην συναφειαν*, et *της υἱοτητος χαριν* appellat, subdit : » istam nobis *δια πιστεως ἁγιασμου* convenire, *ὁτι και θειας φυσεως γεγοναμεν κοινωνοι, και καθα φησιν ὁ Παυλος · ὁ κολλωμενος τῳ Κυριῳ, ἑν πνευμα ἐστι*, quia et divinae naturae facti sumus consortes, et sicut inquit (3) Paulus, *qui adhaeret Domino, unus spiritus est* ».

Consonat (4) Fulgentius, et in causas inquirens assumptae ab unigenito Dei filio humanitatis, scribit : « Nisi enim Verbum Deus humanam sibi uniens singulariter naturam, ex virgine homo verus nasceretur et plenus, numquam nobis carnaliter (5) natis, spiritaliter ex Deo nascendi conferretur exortus : sed ut carnalibus donaretur divina nativitas, prius concepta et nata est in veritate carnis unigeniti filii divina maiestas. Longe (6) enim erat a peccatoribus salus, et (7) iniquitates nostrae magna nos a Deo separatione disiunxerant. Et quia in ipsa nativitate carnis nostrae, mortis vin-

autem rursus absorbens infirmitatem, hereditate possidet carnem in se : et ex utrisque factus est vivens homo ; vivens quidem propter participationem Spiritus, homo autem propter substantiam carnis ».

(1) Inter opp. Theodoriti, pagg. 19—20. T. V. edit. Halae 1774.

(2) Nomine namque *ὑποστασεως* utitur Cyrillus non ut *personam*, sed ut naturam substantiamque designet.

(3) I. Cor. VI. 17.

(4) De incarnat. et grat. ad Petrum diaconum, cap. VII. p. 235. apud Gallandium, T. XI.

(5) Ioh. III 6.

(6) Ps. CXIII. 15.

(7) Is. LIX. 2.

culo tenebamur obstricti, a quo solius beneficio spiritalis nativitatis possemus absolvi; Deus natus est ex homine, ut homines nascerentur ex Deo. Ideo namque Christus filius Dei, idest, verus Deus et vita aeterna, natus et mortuus est in veritate carnis, ut nos spiritaliter in uno Trinitatis nomine renasceremur in sacramento baptismatis. Hoc docet (1) Apostolus, dicens: *quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Christi ergo filii prima nativitas ex Deo, secunda ex homine: nostra vero prima nativitas ex homine, secunda ex Deo. Et quia Deus nasciturus ex utero veritatem carnis accepit, ideo nobis renatis in baptismo spiritum adoptionis indulsit. Ille quod ex prima nativitate natura non fuit, secunda nativitate per gratiam factus est; ut nos quod primae nativitatis natura non fuimus, gratia secundae nativitatis essemus. Sed Deus ut ex homine nasceretur, gratiam nobis attulit, nos autem gratiam gratis accepimus, ut (2) *divinae consortes naturae*, Dei ex carne nascentis munere fieremus ».

De quo munere divini consortii quid existimare par sit, ex iis non obscure deprehenditur, quibus Johannes cyparissiotus tertium e palamitarum (3) erroribus refellit ac profligat. Sic enim (4) habet: « Tertium caput pari cum superioribus impietate laborat. *οὐ μονον ἀφιστασι την ὑπερουσιον και ἀπεριγραπτον οὐσιαν της ἐν τοις κτισμασιν ἐνοικησεως, και το της γραφης ἀναιρουσι διαῤῥηδην βοωσης· ἐνοικησω ἐν αὐτοις και ἐμπεριπατησω· και ἐσομαι αὐτοις εἰς θεον· και αὐτοι ἐσονται μοι εἰς λαον· ἀλλ' ὡς ἀν και μη τι παθοιεν ὑπ' αὐτης ἀνθρωποι, ταυτην ἐκφευγειν ἀναπειθοντες, και φθαρτικην ἀπεφηναντο, φασκοντες ἐν τῃ τεθεισῃ παρ' αὐτων πιστει· και την οὐσιαν του θεου, δια το ἀμεθεκτον και ἀπροσπελαστον εἰρεσθαι, φθαρτικην ἡμας εἰναι νομιζειν· τους οὑτω περι αὐτης*

(1) Rom. VIII. 3.

(2) II. Petr. I. 4.

(3) De Gregorio Palama, deque Palamitis praeter notissimos historiae ecclesiasticae scriptores confer quae litteris consignavit Petavius de Deo, lib. I. capp. XII. seqq.

(4) In opere *παλαμικων παραβασεων*, Serm. IV. cap. VII. pagg. 96—97, apud Combefisium, Auctarii Part. III.

φρονουντας · ὢ της τολμης, ἀσεβεις ἀπεφηναντο · και ταυτα του θεου προς Μωσην εἰρηκοτος, οὐδεις ὀψεται το προσωπον μου, και ζησεται. Nedum superessentialem incircumscriptamque essentiam, ne in creatis inhabitet, eliminant, Scripturamque abolent quae diserte (1) clamat, *inhabitabo in eis et inambulabo; et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum*; verum etiam ne quid homines ab illa patiantur, eam hominibus fugiendam suadentes, corrumpendi vi praeditam pronuntiaverunt, sic nimirum in constituta fidei formula loquentes: *et quod Dei essentiam, propterea quod imparticipabilis ac inaccessa dicta sit, corruptrice vi praeditam existimamus: nos de illa ita sentientes, oh temeritatem et audaciam! impios appellarunt; idque quum Deus ad Mosem* (2) *dixerit, nemo videbit faciem meam, et vivet* ».

Contra quam scelestam furorisque plenam professionem scribit (3) Cyparissiotus: « *Δυο δε ταυτα, οὐ μονον πασαν ἀσεβειαν νενικηκοτα, και περιφανεστερον την του πρωτου κατασκευαζοντα ἀθειαν, ἀλλα και πασαν Χριστιανων ἀποσεσυληκοτα την ἐλπιδα · και ταυτα του Σωτηρος φασκοντος, ὁ ἀγαπων με, τας ἐντολας μου ποιησει, και ἐγω και ὁ πατηρ ἐλευσομεθα, και μονην παρ' αὐτῳ ποιησομεν, του δε θειου Πετρου, θειας γεγοναμεν φυσεως κοινωνοι. Ἀθανασιου δε του μεγαλου, κατα ταυτα ἐστιν ἡ του πατρος και υἱου θεοτης ἡ ἁγια και ἁγιοποιος. ἡ ἁγιαζουσα παντα τα λογικα, τα καταξιουμενα ἐξ αὐτεξουσιου γνωμης και σπουδης δεξασθαι την ἁγιαν και μακαριαν οὐσιαν εἰς κοινωνιαν ἁγιασμου. και του Μελῳδου, φως μοναδικον και τριλαμπες, οὐσια ἀναρχε, καλλος ἀμηχανον, ἐν τῃ καρδιᾳ μου οἰκησον.* Duo vero haec non modo omnem impietatem vincunt, superiorisque erroris flagitium evidentius confirmant; sed omnem praeterea christianorum spem labefactant, idque quum Salvator (4) dicat: *qui diligit me, mandata mea faciet, et ego et Pater veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et (5) divinus Petrus, *divinae consortes*

(1) Levit. XXVI. 2. coll. II. Cor. VI. 16.
(2) Exod. XXXIII. 20.
(3) Ibid. pag. 97.
(4) Ioh. XIV. 23.
(5) II. Petr. I. 4.

facti sumus naturae. Magnus quoque Athanasius : *secundum haec est deitas Patris ac Filii sancta et sanctificandi vi praedita , cuncta sanctificans quae ratione utuntur , quaeque liberae mentis sententia et voluntate ac industria sanctam beatamque essentiam suscipere meruerint in sanctificationis consortium.* Et Melodus : *lumen singulare ac ter fulgens , omni principio carens essentia , inexplicabilis pulchritudo , in meo corde inhabita* ».

Est autem omnino siugularis , dignaque quae referatur interpretatio , qua hierosolimitanus Cyrillus (1) Petri verba enarrat, inquiens : « *Ὥστε μετα πασης πληροφοριας , ὡς σωματος και αἱματος μεταλαμβανωμεν Χριστου . ἐν τυπῳ γαρ ἀρτου , διδοται σοι το σωμα · και ἐν τυπῳ οἰνου, διδοται σοι το αἱμα · ἱνα γενῃ , μεταλαβων σωματος και αἱματος Χριστου , συσσωμος και συναιμος αὐτου . Οὑτω γαρ και χριστοφοροι γινομεθα , του σωματος αὐτου και του αἱματος εἰς τα ἡμετερα* (2) *ἀναδιδομενου μελη . οὑτω κατα τον μακαριον Πετρον , θειας κοινωνοι φυσεως γινομεθα.* Quare cum omni persuasione tamquam corpus et sanguinem Christi (illa) sumamus. Nam in figura panis datur tibi corpus, et in figura vini datur tibi sanguis ; ut quum sumpseris corpus et sanguinem Christi , concorporeus et consanguis ipsi efficiaris. Sic enim et christiferi efficimur, distributo in membra nostra corpore eius et sanguine ; sic iuxta (3) beatum Petrum, *divinae reddimur consortes naturae* ».

(1) Catech. XXII. §. III.

(2) Duo gignendi casus, *του σωματος και του αἱματος*, qui praecedunt , postulant *ἀναδιδομενου* , et vix ferunt lectionem , *ἀναδεδεγμενοι*. Quae tamen librariis aliquot arrisit, quod illos offenderet Christi corporis in membra nostra distributio. Atqui, subdit Touttée, eadem loquendi forma utitur Cyrillus Catech. XXIII. n. 9.: « nec alia fuit patrum loquendi ratio, qui corpus Christi corpori nostro misceri et agglutinari aiunt. Cyrillus alex. lib. IV. in Ioh. p. 364., et Gregorius nyssenus Orat. Catech. cap. XXXVII, eo sanguinem et carnes nostras per transmutationem nutriri docent, Iustinus Apolog. II. p. 98. sanguinem nostrum ex Christi sanguine, et corpus nostrum ex eius corpore augeri. Irenaeus lib. V. cap. II. nn. 2—3, et Origenes de Orat. p. 95., illud in nostra membra distribui tradunt ».

(3) « Quod scribit Cyrillus, verba sunt Touttée, de divinae per Eucha-

XVI.

Patres igitur scriptoresque ecclesiastici magno numero confirmant, divinae naturae consortium, quod inter τιμια και μεγιστα ἐπαγγελματα Petrus recenset, consortium esse non *affectus* dumtaxat atque *morale*, sed *ontologicum* et *substantiae*. Immo contendere non dubitaverim, ne unum quidem allegari posse veterem ecclesiae doctorem, qui κοινωνιαν της θειας φυσεως intra fines limitesque unionis societatisque moralis circumscripserit.

Ipsorum enim commentarii ad aliquam ex iis, quas subnecto classibus, commode rediguntur: vel enim a) θειας κοινωνιαν φυσεως de eo consortio interpretantur, quod (1) tum accidit, quum caeleste Verbum humanam naturam sibiipsi ὑποστατικως univit: vel b) illam accipiunt (2) *de arra Spiritus, de eiusdem communicatione, de participatione Filii, de unitione cum divina adorandaque deitatis substantia, de consequutione doni caelestis ex hypostasi divinitatis, de collatione caelestis animae, Spiritusque divini, de arctissima cum Spiritu sanctificationis societate, de quadam veluti unitate spiritus cum Deo, et de inhabitante in nobis superessentiali et incircumscripta natura*: vel illam c) certe referunt ad eam naturalem (3) unionem, qua cum Christo Deo per

ristiam naturae participatione, idem a diversis patribus explicatur. Vide Chrysost. Hom. XXIV. in I. Cor. p. 256., Auctorem librorum de Sacramentis apud Ambrosium, lib. VI. cap. I. nn. 2—4.; sed praesertim Hilarium de Trinit. lib. VIII. nn. 13. seqq., et Cyrillum alexandrinum in Ioh. lib. XI. ad cap. XVII. 21, et de Trinit. dialog. I. pag. 407, ubi per Eucharistiam non moralem solummodo et affectus, sed naturalem divinae nobiscum naturae unionem effici aiunt, dum Christi corpus, in quo Verbum Patri natura coniunctum hypostatice inhabitat, in membris nostris naturaliter coniunctum recipimus. „

(1) Quo pertinent Oecumenii verba in commentario ad h. l. " θειας δε κοινωνοι φυσεως γεγοναμεν δια της του κυριου και θεου ἐπιδημιας, ἀπαρχην της ἡμετερας φυσεως ἐν ἑαυτῳ ὑποστησαντος τε και ἁγιασαντος τῃ προσληψει. Divinae autem consortes facti sumus naturae per Domini ac Dei adventum, qui nostrae naturae primitias in seipso assumpsit, et assumendo sanctificavit ».

(2) §§. XIII. seqq.

(3) §. XV.

Eucharistiam copulamur. Sed genus nullum huiusce triplicis coniunctionis tale est, quod non sit *οὐσιωδες*, quodve ad coniunctionem ethicam moralemque unice revocetur. Conspiratione igitur christianae antiquitatis edocemur, *θειας κοινωνιαν φυσεως* tot tantisque laudibus a Petro commendatam, communionem esse societatemque non affectus solum et moralem, sed ontologicam inprimis atque substantiae.

Cui sane commentario neque pauca neque obscura patrocinantur argumenta; ea vero nullatenus obsunt, quibus recentiores interpretes (1) verba Petri ad moralem societatem, divinarumque virtutum imitationem coercent. Ut enim ab his dicendi exordium faciam, video, duo maxime esse quae novi interpretes usurpant, ut Petri verbis non aliam inesse significationem quam moralis coniunctionis persuadeant. Ac 1) usurpant nonnulla gentilium philosophorum testimonia, quae quum *verbo tenus* Petri sententiae similia videantur, eidem *re quoque significata* similia esse contendunt. Tum 2) ea usurpant quae Petrus continuo (2) subiicit, inquiens: *ἀποφυγοντες της ἐν κοσμῳ ἐν ἐπιθυμιᾳ φθορας*, atque ex iis eruunt, non aliam Petro propositam esse *της θειας φυσεως κοινωνιαν*, nisi quae divinae sanctitatis imitatione contineatur.

XVII.

Verum quis neget, ductam ex gentilium philosophorum testimoniis enarrationem fallacem esse, sublestam et cui nullatenus fidas? profecto ut duos pluresve locos merito similes parallelosque arbitreris, ac ut apte illos mutuo componas, illustres atque explanes; sat non est, si ii verbis utcumque conspirent, opus praeterea est ut ab iis profecti sint auctoribus, qui eadem de re similia, immo eadem omnino existimarint. Canon siquidem est indubitatus, diversarum sectarum relligionumque scriptores iisdem saepe uti (3) vocabulis, ut *δογματα* efferant non dissimilia solum, sed

(1) §. XII.

(2) II. Petr. I. 4.

(3) Qui canon historia dogmatum luculentissime comprobatur.

plane opposita ac secumipsis pugnantia. Quod ut exemplo confirmem, fac ne desint qui verba Pauli (1) monentis ephesios, *ut nolint contristare Spiritum-sanctum Dei, in quo signati erant in diem redemptionis*, cum his componant, quae (2) Seneca scribit: « Non sunt ad caelum elevandae manus, nec exorandus aedituus, ut nos ad aures simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat; prope est (3) ad te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, *sacer* intra nos *spiritus* sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat ».

Tu qui nosti stoica δογματα ab apostolica doctrina penitus dissidere: tu qui nosti quae mox Seneca addat, scribens: « Maiore sui parte (humanus animus) illic est, unde descendit. Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur; sic animus magnus et sacer, et in hoc demissus, ut propius divina nossemus, *conversatur quidem nobiscum, sed haeret origini suae.* Illinc pendet, illuc spectat ac nititur, nostris tamquam melior interest. Quis est ergo hic? *animus*, qui nullo bono nisi suo nititur ». Tu qui haec omnia nosti, quique probe tenes, quod Justus etiam Lipsius (4) animadvertit, *sacrum spiritum*, quem *intra nos sedere* tradit Seneca, ipsum esse animum humanum, partem animae mundi ac stoicorum Dei; facile perspicis, in tanta verborum similitudine incredibilem esse sententiarum oppositionem.

Unde ipsemet quoque (5) Clericus cavendum esse praecipit « ne temere conferamus ethnicorum dicta cum sacrorum scriptorum sermone; quandoquidem *saepe*, ubi videntur *eadem* dicere, *diversa* proferunt. Atque hac in re passim peccavit Johannes Pricaeus, qui immensam farraginem, etiam

(1) Ephes. IV. 30.

(2) Epist. XLI.

(3) Quae crederes ne lato quidem ungue ab his dissidere Pauli verbis, Actt. XVII. 27—28: καιτοιγε οὐ μακραν ἀπο ἑνος ἑκαστου ἡμων ὑπαρχοντα. ἐν αὐτῳ γαρ ζωμεν, και κινουμεθα, και ἐσμεν. Atqui toto caelo ab invicem discrepant.

(4) In notis ad Senecae epist. XLI.

(5) Artis critic. P. II. Sect. I. cap. XV. n. 3.

in rebus claris, locorum veterum scriptorum ad novum testamentum illustrandum congessit. A quo vitio ne ipse quidem Hugo Grotius ubique prorsus immunis et ».

Igitur non antea Petri verba cum similibus ethnicorum formulis conferre licuit, quam innotesceret, de consortio divinae naturae unam eamdemque mentem ac sententiam tam christianis quam gentilibus insedisse. Sed una ne eademque fuit christianis atque gentilibus hac de re persuasio ac sententia? nemo id ultro credat; ac praeterea cognosci eiusmodi concentus non potuit, nisi comperta *prius* ac *aliunde* doctrina, quam Petrus, quamque christiani profiterentur.

Quare etiam (1) Wolfius, iis primum laudatis, qui cum (2) Gatakero, Clerico (3), Petro Needhamo (4), Zentgravio (5) et (6) Tobia Eckhardo, Petri phrasim similibus gentilium loquutionibus expoliendam susceperunt, e vestigio addit: « Cave autem putes, κοινωνιαν, de qua Petrus, non conditionis aut originis esse longe nobilioris, quam quae paganis in mentem venire potuerit ».

XVIII.

Neque gravioris est momenti quod ex serie sermonis petitur argumentum. Subdit quidem (7) Petrus, ἀποφυγοντες της ἐν κοσμῳ ἐν ἐπιτυμια φθορας: sed his ne explicat, quae sit vis, quaeve ratio illius κοινωνιας, cuius mentionem iniecerat? immo omnia persuadent, his declarari illius *effectum*, *conditionem et signum.*

Effectum quidem, quia (8) *omnis qui natus est ex Deo*, ac eiusmodi nativitate compos factus est divinae naturae, *non peccat*, fugitque mundi corruptelam. Conditionem vero,

(1) In curis ad II. Petr. I. 4.
(2) In Cinno p. 65.
(3) Artis Crit. P. II. Sect. I. cap. III. n. 6.
(4) Ad Hieroclis comment. in aurea carmina, p. 361.
(5) In specim. antiquitt. moral. diss. I. §. 15.
(6) Technic. Sacr. p. 152.
(7) II. Petr. I. 4.
(8) I. Ioh. III. 9.

quia si (1) dixerimus, *ὅτι κοινωνιαν ἐχομεν μετ' αὐτου, και ἐν τῳ σκοτει περιπατωμεν, ψευδομεθα, και οὐ ποιουμεν την ἀληθειαν, nobis esse societatem cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur et veritatem non facimus.* Signum postremo, quia sicuti (2) arbor bona bonos fructus facit, ita (3) *πας ὁ ἐν αὐτῳ μενων οὐχ ἁμαρτανει. πας ὁ ἁμαρτανων οὐχ ἑωρακεν αὐτον, οὐδε ἐγνωκεν αὐτον, omnis, qui in eo manet, non peccat; et omnis, qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.*

Quare subiectam Petri verbis significationem non male expressit (4) Estius, inquiens: « Sentit apostolus, eos demum effici divinae naturae consortes, qui sese abstraxerint a corruptione carnalium cupiditatum, quae passim in mundo, idest, inter homines dominatur. Quum enim divina natura purissima sit ab omni inquinamento, ad eius consortium (quae maxima dignitas est) admitti non potest, qui adhuc corruptioni carnis inhaeret ». Unde illud (5) Sapientis: *φροντις δε παιδειας ἀγαπη, ἀγαπη δε τηρησις νομων αὐτης, προσοχη δε νομων βεβαιωσις ἀφθαρσιας, ἀφθαρσια δε ἐγγυς εἰναι ποιει θεου, cura autem disciplinae, dilectio, et dilectio custoditio legum illius est, custoditio autem legum confirmatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo.*

XIX.

Quod si argumenta desunt, quibus *θειας κοινωνια φυσεως* ad moralem unionem imitationemque divinae sanctitatis circumscribatur; argumenta vicissim neque pauca neque obscura suppetunt, quibus idem cum divina natura consortium multo esse nobilius, multoque praestantius adprobetur.

Ac principio suppetit divinarum litterarum analogia, qua edocti scimus ac tenemus, nostram cum Deo societatem con-

(1) I. Ioh. I. 6.
(2) Matth. VII. 17—18.
(3) I. Ioh. III. 6.
(4) In comm. ad II. Petr. I. 4.
(5) Sap. VI. 19—20.

tineri illam quidem (1) spiritali et mystica cum Christo unione, supernaque gratia (2), qua in Dei filios adoptamur; his tamen limitibus non finiri, sed longe progressam ulterius ad ipsam usque pertingere inhabitationem summae Trinitatis in nobis, eximiamque personae Spiritus sanctificantis donationem. Et perspicua profecto sunt haec, atque hisce (3) similia testimonia: *si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, και μονην παρ' αὐτῳ ποιησομεν, et mansionem apud eum faciemus: si in vobis permanserit quod audistis ab initio, και ὑμεις ἐν τῳ υἱῳ και ἐν τῳ πατρι μενειτε, et vos in Filio et Patre manebitis: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, ἐν ἐμοι μενει, κἀγω ἐν αὐτῳ in me manet, et ego in illo: et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ἱνα μενῃ μεθ' ὑμων εἰς τον αἰωνα, ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum, ὁτι παρ' ὑμιν μενει, και ἐν ὑμιν ἐσται, quia apud vos manebit, et in vobis erit: ἡ ἀγαπη του θεου ἐκκεχυται ἐν ταις καρδιαις ἡμων δια πνευματος ἁγιου, του δοθεντος ἡμιν, caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per* (4) *Spiritum-sanctum, qui datus est nobis: vos autem in carne non estis, sed in spiritu, εἰπερ πνευμα θεου οἰκει ἐν ὑμιν, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis: quod si Spiritus eius, qui suscitavit Jesum a mortuis, οἰκει ἐν ὑμιν, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, δια* (5) *του ἐνοικουντος αὐτου πνευματος ἐν ὑμιν, propter inhabitantem Spiritum eius in vobis:*

(1) I. Cor. VI. 15, Ephes. III. 17, V. 30.

(2) Ioh. I. 12, et I. Ioh. IV. 7.

(3) Ioh. VI. 57, XIV. 16—17—23, I. Ioh. III. 24, Rom. V. 5, VIII. 9—11, I. Cor. III. 16, VI. 19, II. Cor. I. 22, V. 5, Gal. IV. 6, Ephes. I. 14, I. Thess. IV. 8, et II. Tim. I. 14.

(4) Ubi donum caritatis, creatumque *χαρισμα* ab ipso Spiritu Paulus distinguit, atque hunc datum esse, illud vero effusum testatur.

(5) Griesbachius in textum recepit lectionem, *δια το ἐνοικουν αὐτου πνευμα ἐν ὑμιν*, quam graviori instrumentorum testiumque auctoritate comprobatam censuit.

nescitis , ὅτι ναος θεου ἐστε , και το πνευμα του θεου οἰκει ἐν ὑμιν; *quia templum Dei estis* , *et Spiritus Dei* (1) *habitat in vobis?* *an nescitis*, ὅτι το σωμα ὑμων ναος του ἐν ὑμιν ἁγιου πνευματος ἐστιν , οὗ ἐχετε ἀπο θεου, και οὐκ ἐστε ἑαυτων; *quoniam* (2) *corpus vestrum templum est Spiritus-sancti*, *quem* (3) *habetis a Deo* , *et non estis vestri?* *bonum depositum custodi* δια πνευματος ἁγιου, του ἐνοικουντος ἐν ἡμιν, *per Spiritum-sanctum*, *qui habitat in nobis* : *quoniam autem estis filii*, ἐξαπεστειλεν ὁ θεος το πνευμα του υἱου αὐτου εἰς τας καρδιας (4) ὑμων, κραζον · ἀββα , ὁ πατηρ , *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem* , *abba* , *pater* : *qui* (Deus) *et signavit nos* , και δους τον ἀῤῥαβωνα του πνευματος ἐν ταις καρδιαις ἡμων, *et dedit arrhabonem Spiritus in cordibus nostris* : *qui autem efficit nos in hoc ipsum Deus*, ὁ και δους ἡμιν τον ἀῤῥαβωνα του πνευματος , *qui dedit nobis* (5) *arrhabonem Spiritus* : *in quo et credentes signati estis*

(1) Quae verba intelligi non posse de effectis donisque Spiritus, sed de ipsa Spiritus hypostasi ac illius in iustis eximia singularique habitatione intelligi oportere ; quum a) insita verbis potestate ostenditur , tum b) plenius suffragio patrum comprobatur, qui, uti apud Petavium de Trinit. lib. VIII. cap. IV. §§. IX. seqq. videre licet, ex hoc atque hinc similibus Bibliorum testimoniis deducunt, Spiritum-sanctum esse Deum.

(2) Vulgatus et cum eo Scriptores aliquot latini habent non *corpus vestrum*, sed *membra vestra*. Lectio tamen το σωμα ὑμων, est omnino certissima.

(3) Tamquam maximum et pretiosissimum donum, quo fit, teste Iohanne Cyparissioto, Decad. VII. cap. II., *ut Deo secundum substantiam praesente, substantiam ejus impermixte participemus*; *quum ipsa sit quae nos sanctificat et habitat in nobis.*

(4) Ita Vulgatus, sed graeci codices, scriptoresque summa consensione habent, ἡμων.

(5) « Utrobique, monet Petavius de Trinit. lib. VIII. cap. IV. §. VI, ἀῤῥαβων est in graeco. Qua in voce vis inest quaedam, quod arrha pars sit summae totius; pignus vero diversum aliquid, quod et persoluto pretio redditur, ut Hieronymus in cap. I. epist. ad Ephesios, et Chrysostomus in eiusdem capitis commentario observant. Quorum ille sic disputat. *si arrhabo tantus, quanta erit ipsa possessio?* iste autem , *quemadmodum*, ait, *si bellum inter se gentes aliquae gerant, obsides dare solent* ; *sic Deus Filium suum dedit pacis induciarumque pignus* , *et Spiritum-sanctum qui ab ipso procedit.* Quocirca uti Filius ita nobis datus est, ut

Spiritu promissionis sancto, ὅς ἐστιν ἀῤῥαβὼν τῆς κληρονομίας ἡμῶν, *qui est arrhabo hereditatis nostrae: qui haec spernit*, non hominem spernit *sed Deum*, τὸν καὶ δόντα τὸ πνεῦμα αὐτοῦ τὸ ἅγιον, εἰς ἡμᾶς, *qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in nobis: et, in hoc scimus*, ὅτι μένει ἐν ἡμῖν, ἐκ τοῦ πνεύματος, οὗ ἔδωκεν ἡμῖν, *quoniam manet in nobis ex Spiritu, quem dedit nobis.*

Jamvero repetitae formulae, a) quod Pater et Filius in nobis maneant, b) quod Spiritus-sanctus in nobis sit ac inhabitet, c) quod nobis detur, d) quod mittatur in corda nostra, e) quod sit arrhabo nobis concessus, f) quod nos reddat templum Dei, quodque g) a caritate distinguatur, quae in nos effunditur; tales sunt quae sua sponte (1) coniunctionem praeferunt *ontologicam* atque *realem*, quaeque nonnisi ingratiis de imitatione, deque nuda affectus societate accipi possunt.

XX.

Eo autem magis de priori coniunctionis modo accipi debent, quo cum analogia Scripturarum doctrina christianae Traditionis manifestius conspirat. Quam ego doctrinam pluribus et accurate exponerem, nisi suus illi esset (2) locus opportunior, et nisi Petavius ea iampridem edidisset, quae ad illam cognoscendam abunde sufficiunt. Ex eo itaque nonnulla deligam, tum insignem subnectam Cardinalis Bessa-

ipsa eius substantia, non creatum aliquod donum hominibus illius vice concessum fuerit: ut propterea non minus pie quam eleganter scripserit Augustinus in Ps. XLII: *seipsum dabit, quia seipsum dedit. Seipsum dabit immortalibus immortalem, qui seipsum dedit mortalibus mortalem.* Ut igitur ipsa Filii persona data nobis est, et in aeterna felicitate semetipsam dabit; ita procul dubio Spiritus-sanctus, velut pignus et arrhabo, per se et οὐσιωδῶς dari intelligendus est, ne infinitis partibus minor eo sit arrha, cuius fidem sponsionemque nobis exhibet ».

(1) Neque contrarium profecto evincunt quae operose disputant Musaeus, Ausführlicke Erklärung der Tenaischen Theologen, p. 600—644, et Nathanael Morus in diss. *de notionibus universis in Theologia*, pagg. 272. seqq., edit. Lipsiae 1787.

(2) In eo quem edam commentario *de ordine supernaturali.*

sarionis in florentina synodo disceptationem, quae utriusque ecclesiae tam graecae quam latinae ratam fixamque sententiam splendidissime patefacit.

Petavius ergo hanc sibi principio thesim expoliendam demonstrandamque (1) proponit: « Spiritus-sancti substantiam ipsam donum esse, illamque ad iustos et adoptivos Dei filios efficiendos divinitus infundi, ut sit formae cuiusdam instar, qua status ille constat ». Illam vero continuo praeclarissimis ostendit testimoniis (2) Origenis, utriusque Gregorii (3), nazianzeni et nysseni, Athanasii (4), Didymi (5), Epiphanii (6), Cyrilli alexandrini (7), Maximi (8), Johannis Cyparissioti (9), Ambrosii (10), Fulgentii (11) et (12) Paschasii diaconi.

Pergit vir summus, atque altero loco (13) subdit: « Demonstratur aliis patrum testimoniis eadem substantiae Spiritus-sancti cum iustis ac sanctis communicatio. Illustratur eiusdem Spiritus comparatio cum sigillo et charactere, indidemque communicatio illa substantiva deducitur. Plerosque veterum spiraculum vitae illud infusum Adamo Spiritum-sanctum interpretari. Christum Deum dare Deum Spiritum-sanctum. Idipsum ex doni ratione conficitur, tum arrhae vel pignoris ». Testimonia autem quibus haec omnia ostendit, neque insigniora esse possunt, neque gravioris auctoritatis, utpote ex operi-

(1) De Trinit. lib. VIII. cap. IV.

(2) Periarchon, lib. I. cap. I.

(3) Orat. XXXXIV. p. 712, et Orat. III. in orat. dominicam, p. 737.

(4) Epist. I. ad Serapionem.

(5) De Spiritu-sancto, libb. I—II. apud Hieronymum.

(6) Haeres. LXXIV. n. XIII.

(7) Thesaur. lib. XXXIV. p. 352, de Trinit. dialog. VII. p. 641—658—659, in Ioh. lib. IX. p. 810, et lib. X. p. 831, ac alibi non minus frequenter quam splendide.

(8) Apud Euthymium in Panoplia, Tit. II. cap. VII.

(9) Decad. IX. cap. VII.

(10) De Spiritu-sancto, lib. I. cap. X.

(11) Lib. II. ad Monimum, cap. VII.

(12) De Spiritu-sancto, lib. II. cap. VIII.

(13) De Trinit. lib. VIII. cap. V.

bus deprompta (1) Athanasii, Basilii (2), Gregorii nazianzeni (3), Chrysostomi (4), Cyrilli hierosolymitani (5) et (6) alexandrini, Maximi (7), Hugonis etheriani (8), Johannis Vecci (9), Hilarii (10), Hieronymi (11), Augustini (12), Fulgentii (13) atque (14) Paschasii.

De qua patrum unanimi consensione locupletior non immerito testis videri potest Bessario Cardinalis, qui adversus photianos atque schismatis assertores (15) scribit: « Ut autem clarius omnis eorum arguatur calumnia, qui contra sanam doctoris (is est Cyrillus) sententiam autumant, eum dixisse, *ἐκ του υἱου τα του πνευματος χαρισματα πεμπεσθαι, οὐκ αὐτην αὐτου την ὑποστασιν*, *ex Filio dona Spiritus mitti, non ipsam eius hypostasim ;* is rursus adsit hanc falsam eorum arguens opinionem, et seipsum exponens, quidnam sit quod ait, per Filium sive ex Filio profluere, prodire, emanare, scaturire; et simpliciter, quod in sanctificationem in hunc mundum ab eo mittitur ».

(1) Epist. I. et II. ad Serapionem.

(2) Con. Eunomium, lib. V.

(3) Orat. XXXIV. p. 429.

(4) Apud Photium, Cod. CCLXXVII.

(5) Catech. XVII.

(6) Dialog. VII. de Trinit. p. 638, et de adorat. in Spiritu, lib. I. p. 9.

(7) Capitul. Theologic. Hecat. II. n. 26.

(8) Con. Graec. lib. II. cap. XIV.

(9) De process. Spiritus-sancti, cap. VII.

(10) De Trinit. lib. VIII.

(11) Comm. in epist. ad Ephes. IV. 30.

(12) De verbis Matthaei, Serm. XXXIV. cap. II.

(13) De praedest. lib. II.

(14) De Spiritu-sancto, lib. I. cap. XI: « Daturus (Pater) seipsum, dat iam in praesenti pignus Spiritum-sanctum. In terrenis negotiis arrhae quantitas contractus illius, pro quo intercesserit, quaedam portio est; pignoris vero ratio meritum rei, pro qua poni videtur, excedit. Heic vero maiestati pignus suum, quia nescit praeferri, necesse est exaequari. Nequeunt enim perfecta transcendi. Pro se ergo Pater Spiritus-sancti pignus indulget ». Non utique nudum charismatum pignus, nihil enim nisi Deus ac substantia ipsa Dei exaequari Deo potest.

(15) Orat. dogmat. habita in concilio florent. anno MCDXXXIX. cap. VIII. col. 950. T. XXXI. edit. Concil. Mansi, ann. 1798.

Tum allegatis Cyrilli verbis, inferendo (1) concludit: « Quod autem haec de substantia Spiritus, minime vero de charismatibus non subsistentibus dixerit, omnibus patet ». Et paucis interiectis (2), pergit: « *ταυτα σαφης του προκειμενου μαρτυρια · σαφεστερον δ' οὖν ὁμως ἐτι προιων και φανερως ὁ αὐτος ἀναιρει το νομιζειν ἀνυποστατον ἡμιν πεμπεσθαι χαριν, και δι' αὐτης ἡμας ἁγιαζεσθαι.* Haec aperta sunt rei propositae testimonia; apertius tamen in sequentibus dirimit opinionem, qua quidam putant, non subsistentem nobis gratiam mitti, et per eam nos sanctificari. Ait enim, *ναοι δε θεου, και μην και θεοι κεκλημεθα και ἐσμεν*, *templa vero Dei nec non dii et vocamur et sumus.* Qua de causa, quaeras ab adversariis, si gratiam participamus nudam et non subsistentem? at non ita se veritas habet: *ποθεν ναοι γαρ ἐσμεν του ὀντος τε και ὑφεστηκοτος*, *templa namque existentis et subsistentis* Spiritus sumus ». Ac mox ex eiusdem commentario in verba (3) Johannis, *qui non ex sanguinibus*, ista (4) refert: « *εἰπερ θεος ἐστι και ἐκ θεου κατα φυσιν το πνευμα, οὗ δη και μετισχειν δια πιστεως της εἰς Χριστον ἀξιουμεθα, θεοι χρηματιζομεν, ὡς ἠδη και θεον ἐχοντες ἐν ἑαυτοις, κατα το · ἐνοικεσω ἐν αὐτοις και ἐμπεριπατησω, ἐπει κατα τινα τροπον ναοι θεου ἐσμεν, εἰ μη θεος το πνευμα κατα φυσιν ἐστιν*; Si (5) Deus ex Deo secundum naturam est Spiritus, cuius et per fidem in Christum participes reddimur, et dii efficimur, tamquam iam in nobis ipsis habentes Deum, secundum illud: *inhabitabo et inambulabo inter eos*; quo tandem modo templa Dei essemus, nisi Spiritus natura Deus esset » ?

Hanc porro Cyrilli doctrinam illico tuetur (6) Basilii suffragio affirmantis, *Spiritum homini a principio insufflatum*,

(1) Ibid. col. 951.

(2) Ibid.

(3) Joh. I. 13.

(4) Ibid. coll. 951—954.

(5) Haec non tam reddunt verba ipsa, quam verborum sensum; retinentur tamen a nobis quod usu commendentur.

(6) Ibid. col. 954.

tum a Salvatore discipulis datum, ipsam fuisse hypostasim Spiritus-sancti; eo autem non contentus (1), addit: « *και τι λεγω, πατερες; αὐτος ὁ σωτηρ τους τουτων λογους ἐπισφραγιζων, τουτ' αὐτο φησιν αὐτον πεμψειν, ὁ παρα του πατρος ἐκπορευεται, και οὐκ ἀλλο μεν αὐτον πεμψειν, ἀλλο δε ἐκπορευειν του πατρος· ὁταν γαρ, φησιν, ἐλθῃ ὁ παρακλητος, ὁν ἐγω πεμψω ὑμιν, ὁς παρα του πατρος ἐκπορευεται. τουτο δε και γραμματικων παιδες οὑτως ἀν εἰποιεν· ὁταν ἐλθῃ ὁ παρακλητος, ὁς παρα του πατρος ἐκπορευεται, ὁν ἐγω πεμψω ὑμιν. ὡς εἰναι δηλον, ταὐτο τουτο πεμψειν αὐτον, ὁ παρα του πατρος ἐκπορευεται. εἰ οὐν ἡ ὑποστασις του πνευματος πατρος ἐκπορευεται, ταυτην και ὁ υἱος πεμπει· εἰ δε χαριν ὁ υἱος πεμπει την ἀνυποστατον, και παρα του πατρος οὐ το πνευμα, ἀλλ' ἡ χαρις ἀν ἐκπορευοιτο.* Et quid dico, patres? ipse Salvator dicta istorum omnium approbans, illum eumdem pollicetur se discipulis missurum, qui a Patre procedit; et non esse alium qui a Patre procedit, quam quem ipse mittet. *Quum venerit*, inquit (2), *Paracletus*, *quem ego mittam vobis*, *qui a Patre procedit.* Hoc enim ipsi quoque grammatici isto modo construerent: *quum venerit Spiritus*, *qui a Patre procedit*, *quem ego mittam vobis;* ut manifestum sit, Filium eum ipsum missurum, qui a Patre procedit. Si igitur persona Spiritus a Patre procedit, eadem etiam a Filio mittitur. Quod si Filius gratiam non subsistentem mittit, a Patre etiam non persona, sed gratia procedit.

Sed hoc quum stultum, tum impium est dicere. Quum enim de uno eodemque subiecto, videlicet Spiritu, duo quaedam (3) praedicantur, procedere nimirum et mitti; eodem

(5) Ibid. coll. 954—955.

(6) Ioh. XV. 26.

(1) Haec profecto firmissima sunt, inquit Petavius de Trinit. lib. VIII. cap. VI. §. XIX: « nec video quid adversus ea opponi merito possit. Est enim absurdissimum, unam Spiritus vocem eadem in sententia sic ambigue et *ὁμωνυμως* usurpari, ut alteri iuncta verbo personam ipsam significet, ad alterum relata, qualitatem et gratiam; hoc est, proprie simul usurpetur ac tropice. Quae ratio universe valet ac per omnia Scripturae loca funditur, in quibus Spiritus sancti mentio fit. Nam quum nomen ipsum *Spiritus-sancti* proprie ac per se divinam eius substantiam per-

modo accipi subiectum debet de utroque praedicato. Si igitur hypostasim Spiritus procedere intelligimus, eamdem etiam mitti intelligere debemus: aliter enim dicere absque ratione, nullam probationem adducendo, et procedere quidem, hypostasi Spiritus attribuere, mitti vero gratiae non subsistenti; hoc ridiculum, irrationabile et voluntarium est, et quod nullus concesserit. *πεμπεται ἀρα παρα του υἱου, ἡτις και παρα του πατρος του πνευματος ὑποστασις ἐκπορευεται, ὡς ἀπο τε των λογιων ἐδειχθη, ἀπο τε των διδασκαλων.* Mittitur igitur ex Filio ipsa Spiritus hypostasis, quae et a Patre procedit; quemadmodum ab ipsis Evangelii verbis et a doctoribus probatum est ».

XXI.

Quapropter huc redit explorata christianae traditionis sententia: iustos sanctosque reddi homines non effusione solum caelestium charismatum, divinaeque sanctitatis sollicita imitatione; sed primum ac potissimum reali immediatoque summae Trinitatis consortio, ac illius divinae hypostaseos communione, cui (1) *ἁγιαστικη και τελειωτικη δυναμις*, *sanctificans et perficiens virtus* notio est ac *ἰδιωμα διακριτικον και ὑποστατικον* *proprietas distinguens et personalis.* Hanc adversus photianos summo studio defenderunt (2) Hugo etherianus et Johannes Veccus: hanc rursum defendit Bessario:

sonamque significet, nec in plerisque locis aliter interpretari liceat; in ceteris, quae bene multa sunt, ubi diffundi, vel ad nos venire atque in nobis habitare dicitur idem ille Spiritus-sanctus; figurate et improprie sumi putare, res est periculi plena, ne quod in istis Scripturae testimoniis tute tibi permiseris, idem in aliis concedi suo sibi iure postulent haeretici. Sed in una continentique sententia, quam ex Joannis evangelio doctissimus Bessario refert, species est absurdi, argumentique firmitas maior ».

(1) Quod de Spiritu-sancto unanimes affirmant Basilius, Cyrillus, Eulogius, Johannes damascenus, alii, quorum diserta testimonia Petavius refert de Trinit. lib. VII. cap. XIII.

(2) Cf. Petavium de Trinit. lib. VIII. cap. VI. §§. XVII. seqq., ac inprimis Vecci inscriptiones, earumque vindicias a Bessarione susceptas, pagg. 37. seqq., inter opuscula aurea edita a Petro Arcudio, Romae 1630.

ac nullum plane reperire licet sive graecum sive latinum doctorem, qui manus cum schismaticis conseruerit, quique non etiam propugnaverit, ita nobis Christi beneficio χαριν ἀνυποστατον concedi, ut simul etiam χαρις ἐνυποστατος, ipsaque Spiritus persona concedatur.

Quum igitur apud Petrum legimus, reddi nos θειας κοινωνους φυσεως, *divinae naturae participes*; quod, quaeso, consortium, quamve animo reputare societatem possumus, nisi eiusmodi, quae realis coniunctio sit, veraque ἑνωσις cum ipsa divina natura ac substantia? praesertim quum id ipsum is quoque habitus, eaque σχεσις postulet, qua iusti filiique adoptionis ad Christum proprium naturalemque filium referuntur.

Sane Christum inter iustosque homines eum existere habitum, quo filius κατα φυσιν cum filiis κατα θεσιν και κατα χαριν (1) copulatur et iungitur; tanta perspicuitate, tantaque frequentia in (2) Scripturis monimentisque ecclesiasticis (3) affirmatur, ut hac de re nemo dubitet, qui non item summae auctoritati refragetur. Verum qui fit, ut homo Christus dici credique debeat Dei Filius naturalis ac proprius? aut quaenam est eiusmodi υἱοτητος ratio ac principium? utrumque effertur (4) solemni formula, και ὁ λογος σαρξ ἐγενετο, qua ostenditur, hypostaticam ἑνωσιν divini Verbi cum assumpta humanitate principium esse forma-

(1) Sunt istae formulae suffragio patrum comprobatae: nam et Epiphanius in Ancorato, §. V., *naturali* filio θετον opponit, et filium θεσει ei filio, qui est ἀληθεια: et Athanasius in tertia adversus arianos oratione, υἱον φυσει comparat cum υἱῳ, qui est θεσει και κατα χαριν: et Hadrianus Pontifex, ut ex actis liquet Francofurtensis synodi, *gratiam adoptionis* opponit *propriae filii dignitati*.

(2) Joh. I. 12, XI. 52, I. Joh. III. 1, Rom. VIII. 15, Gal. III. 26, et IV. 4.

(3) Cf. quae tradunt Chrysostomus in Matth. Hom. I., et in Joh. Hom. XI., Cyrillus alexandrinus Thesaur. lib. XXV. p. 242, et in Joh. lib. IX. p. 820, Augustinus de Civ. Dei, lib. XXI. cap. XV., et in Joh. Tract. II., Fulgentius de incarnat. et grat. cap. VII., atque hisce omnibus vetustior Irenaeus con. Haereses. lib. III. cap. XXI., et praefat. ad librum quintum.

(4) Joh. I. 14.

lemque caussam, e qua dimanat ut homo Christus naturalis Dei filius constituatur. Quapropter naturalis filii dignitatem conditionemque ii omnes inficias ire existimandi sunt, qui reiecta hypostatica unitione, non aliam Verbi cum humana natura probant ἑνωσιν, nisi quae ἑνωσις sit ἐνεργειας και εὐδοκιας, *operationis et beneplaciti.*

Hactenus praeclare, sed illud ne etiam praeclarum, sive ad amplificandam adoptivae filiationis nobilitatem ac praestantiam, sive ad tuendam inter (1) Christum *primogenitum* ceterosque *fratres* similitudinem, quo iustorum cum Deo κοινωνια ad imitationem *dumtaxat*, moralemque societatem detruditur? haud arbitror, siquidem et pretium adoptionis vehementer imminuitur, et primogenitum inter aliosque fratres similitudo summopere attenuatur, et ratio veluti suggeritur, qua de Christi primogeniti filiatione non ad praescriptum catholicae veritatis, sed ad normam nestoriani erroris iudicetur. Plurima ergo sunt, eaque ponderis omnino maximi quae flagitant, ut iustorum cum Deo societas atque coniunctio non moralis solum, verum etiam realis atque ontologica existimetur.

XXII.

Ecquid enim aliud, ut istud praeterea addam, ipsa Petri verba (2) significant? profecto quisquis legit, iustos fieri

(1) Rom. VIII, 29. ubi Christus πρωτοτοκος dicitur ἐν πολλοις ἀδελφοις, ut nimirum, Cyrillo interprete lib. XXV. Thes. p. 242., intelligamus: ὁτι παντες ἐν υἱῳ, και δι' υἱου προς το ἰσον αὐτῳ σχημα καλουμεθα, υἱοι θεου κατα χαριν ἀναδεικνυμενοι, *omnes nos in Filio et per Filium ad aequalem ipsi formam vocari, dum filii Dei per gratiam efficimur.*

(2) Ad rem Petrus Keuchenius in annot. ad h. l: « Celeberrimus de Dieu optime notavit, Petrum his verbis nihil aliud velle, quam quod fideles cum Deo communionem habeant: θειαν ergo φυσιν putat Deum indigitare, quemadmodum Jacob. III. 7. φυσις ἀνθρωπινη et θηριων sunt *homines* et *bestiae*. Hoc sensu etiam fideles I. Joh. I. 3. dicuntur cum Deo κοινωνιαν, *communionem* habere. Ita κοινωνος etiam usurpatur Prov. XXVIII, 24: *qui patri et matri aliquid suffuratur, et dicit, non est transgressio; perditi viri socius est.* In hebraeo est חבר, atque hic facinorosi socius ab alexandrinis dicitur, κοινωνος ἀνδρος ἀσεβους. Si enim universum genus

θειας κοινωνους φυσεως, nisi iam secumipse statuerit, phrases formulasque a nativa significandi potestate detorquere; necesse est ut quod legit, de consortio deque societate cum ipsa divina natura interpretetur. Huiusmodi enim acceptio praecipitur usu loquendi tum apud omnes vulgato, quum biblico nominatim atque ecclesiastico.

Ac in primis *a*) loquendi usu praecipitur vulgato et communi: sicuti enim nemo est, cui ὁ ἀνθρωπος, και ἡ φυσις ἀνθρωπινη, dictiones non sint aequipollentes; ita nemo est vel esse potest, qui non eodem numero habeat phrases, την θειαν φυσιν, και τον θεον.

Praecipitur deinde *b*) usu in Scripturis recepto: quemadmodum (1) enim φυσις θηριων est θηριον, *bellua*; ita θεια φυσις est θεος, *Deus*.

Praecipitur tandem *c*) usu ecclesiastico, eoque duplici: nam et patres (2) φυσιν και οὐσιαν indiscriminatim usurpant: et φυσεως appellatione passim utuntur, ut divinam substantiam demonstrent. Basilius (3): ὁ θεος, ἡ μακαρια φυσις, *Deus beata illa natura*; Chrysostomus (4): θεος ἡ ἀνωλεθρος και ἀτρεπτος φυσις, *Deus immortalis* illa *immutabilisque natura*; et (5) Theodoritus: ἡ θεια φυσις ἀνειδεος τε και ἀσχηματιστος, *divina natura et forma caret et figura*.

Porro neque divina natura *multiplex* est, neque eiusdem ratio *cum originis notione* conseritur. Dictio ergo ἡ θεια φυ-

humanum θεου γενος dicitur Actt. XVII. 29., eo quod particula saltem quaedam aurae divinae superest; non mirum est, fideles qui ex Deo geniti sunt, et ad imaginem ipsius renovati, dici θειας κοινωνους φυσεως. Sic *natura* passim pro *ipsa re* sumitur. Similiter Horatius lib. I. Od. II. v. 9. *piscium genus* dicit pro *piscibus*. Hoc sensu θειαν φυσιν pro ipso Deo sumere videtur Josephus Ἀρχαιολ. lib. VIII. cap. II. Nec hic loquendi modus Targumistae insolitus est. Sic Buxtorfius in Lex. Talmud. ad vocem מדה notat, quod מדה דין, *proprietas* et *natura iudicii*, sit *ipse Deus iudex*. Ita Ps. LVI. 5. באלהים, *in Deo*, Targum vertit, דינא דאלהא כמדת ».

(1) Jacob. III. 7.

(2) Horum testimonia dabit Petavius de Trinit. lib. IV. cap. II.

(3) In Hexaem. Hom. I.

(4) In epist. ad Rom. Hom. XI.

(5) In Exod. q. LX.

σις eam praefert ecclesiasticam της οὐσιας significationem, qua id ostenditur quod in augusta Trinitate *unicum* est, *singulare* ac *absolutum*.

XXIII.

Complendae absolvendaeque tractationi hoc unum videtur esse reliquum, ut aliquod e divinis litteris promamus *abstractum* vocabulum, quo alteri etiam conditioni fiat satis, ac id quod in Trinitate *commune* est, significetur. Ne autem eiusmodi vocabulum desideremus, efficit Paulus his omnino verbis (1) Colossenses alloquens: *βλεπετε, μη τις ὑμας ἐσται ὁ συλαγωγων δια της φιλοσοφιας και κενης ἀπατης, κατα την παραδοσιν των ἀνθρωπων, κατα τα στοιχεια του κοσμου, και οὐ κατα Χριστον· ὁτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, και ἐστε ἐν αὐτῳ πεπληρωμενοι, ὁς ἐστιν ἡ κεφαλη πασης ἀρχης και ἐξουσιας.*

Qua in adhortatione prior pars nullis est impedita difficultatibus, atque hunc sensum perspicue fundit: *videte* ac porro sedulo (2) circumspicite, *ne quis vos praedam agat* (3) *inani philosophiae* (4) *fallacia* ac vanissima religionis (5)

(1) Coloss. II. 8-9.

(2) Quam *cavendi prospiciendique* significationem tum maxime βλεπω induit, dum vel costruitur cum ἀπο, vel post se particulam negantem habet. Cf. Matth. XXIV. 4. Marc. VIII. 15, XII. 38, Luc. XXI. 8, I. Cor. VIII. 9, X. 12, et Gal. V. 15.

(3) Sicuti enim συλα est quod *per vim abducitur*, ita συλαγωγειν est *vi abducere* ac *depraedari*. At vero Hesychius συλαγωγων interpretatur ἀπογυμνων, *denudans, spolians*; ac si Paulus dixisset: *cavete, ne quis inani philosophiae fallacia vos denudet* veris sapientiae thesauris, qui insunt in μυστηριῳ του Χριστου, non autem in φιλοσοφιᾳ οὐ κατα Χριστον.

(4) Phrasis, δια της φιλοσοφιας και κενης ἀπατης, aequipollet alteri, δια της κενης ἀπατης της δια φιλοσοφιας.

(5) Philosophiae nomen ad religionem denotandam in usu fuit tam apud iudaeos quam apud christianos scriptores. Philo de legat. ad Caium memorat ἰουδαικην φιλοσοφιαν, et in lib. de somniis laudat την πατριαν φιλοσοφιαν. De religiosis iudaeorum sectis loquens Josephus, scribit Antiquitt. lib. XVIII. cap. I: φιλοσοφιαι τρεις ἰουδαιοις εἰσι: et rursum in opere de Bello Jud. lib. II. cap. VIII., τρια παρα ἰουδαιοις εἰδη φιλοσοφειται,

specie *secundum* (1) *traditionem* praeceptaque hominum, *secundum elementa* rudimentaque (2) *mundi* ac prorsus (3) terrestria et carnalia, *et non secundum Christum*, eiusque caelestem spiritalemque (4) institutionem.

At vero quod consequitur incisum, illudque cum priore arctissime nexum, multo est salebrosius, diligentioresque sibi vindicat curas. Quas ego libentissime impendam, si tamen prius quae de eo fuerit veterum interpretum tam latinorum quam graecorum sententia, in medium protulero. Mihi autem videor affirmare posse, in hanc omnes, qui Pauli litteras iustis commentariis explanarunt, conspirasse mentem, ut *a*) της θεοτητος nomen *de divina substantia*, *b*) formulam, παν το πληρωμα της θεοτητος, *de plenitudine deitatis*, et *c*) ῥησιν universam, ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, *de sacramento incarnationis* acceperint.

Sane inter veteres latinos interpretes quatuor maxime invenio dignos qui nominatim recenseantur, Ambrosiastrum, Pelagium, Primasium et Attonem vercellensem. Horum autem ne unus quidem est, qui suo calculo non ea probet quae praemisimus. Probat Ambrosiaster (5), scribens: « Cavendam monet Paulus hominum traditionem, quia

Eusebius vero, Chrysostomus, Theodoritus, alii non semel christianam religionem titulo της εὐαγγελικης φιλοσοφιας insigniunt. Cf. Loesneri et Mazzochii ad h. l. animadversiones.

(1) Quemadmodum alibi, ac nominatim ad Gal. I. 11-12, et 1. Cor. IX. 8., ita hoc in loco vis praepositionis κατα ea est, ut auctoritatem significet.

(2) Elementa mundi, τα στοιχεια του κοσμου, esse *rudimenta* ac veluti *prima elementa* parvulis accommodata, ex iis liquet aperte quae habentur Hebr. V. 12. coll. Gal. VI. 1—3.

(3) Adieci hanc circumloquutionem, quod existimem iudaizantes perstringi, qui τα στοιχεια του κοσμου *terrenam* videlicet *institutionem* urgebant, seque de terreno cultu, cuiusmodi erat circumcisio, ciborum delectus . . . ., sollicitos inprimis anxiosque ostendebant. Cf. Christiani Storr adnotatt. ad h. l., et Henrici Heinrichs prolegom. in epist. ad Colossenses.

(4) Christus enim, Joh. IV. 23—24., non terrena docuit sed caelestia, et caelestia sunt non terrena, quae eos decent, qui Coloss. III. 1—3, Rom. VI. 8—11, Ephes. II. 5. seqq., cum Christo cruci affixo mortui, excesserint a terra atque in caelis vivant.

(5) Comm. in epist. ad Coloss. II. 9-

mundi cultrix est, non Dei, qui unus est; nec ad Christum ducit, sed a Christo abstrahit, in quo *perfectio divinitatis* (παν το πληρωμα της θεοτητος) est. Omnia enim quae habet Pater, dedit Filio, quum illum in plenitudinis genuit divinitate (sic) corporaliter; ut quia ipse caput est, creatura autem eius corpus est, quidquid putatur posse caelestis creatura, hoc totum *plene* in Christo esse credatur; ut nullus arbitretur quemquam alium colendum. Quidquid enim in aliquo magnum putaverit, plus in illo inveniet; quia omnes ex ipso habent, sicut ex capite membra: ipse autem plenus est semper ». Probat Pelagius, qui (1) Apostoli verbis haec alia, non secus ac si eiusdem essent potestatis, substituit: « Omnis plenitudo divinae naturae in corpore eius inhabitat ». Probat Primasius, ex cuius sententia (2) verba Pauli huc redeunt: « Omnis plenitudo divinae virtutis in corpore eius inhabitat substantialiter et realiter ». Neque diversa est Attonis interpretatio, quo (3) auctore « idcirco *corporaliter* dictum est, quia in Christi corpore, quod adsumpsit ex Virgine, tamquam in templo habitat Deus. Hinc est enim quod iudaeis signum petentibus quum (4) dixisset, *solvite templum hoc, et post triduum suscitabo illud*; evangelista quid hoc esset consequenter exponens (5) ait: *ille autem dicebat de templo corporis sui*. Hoc ergo interesse arbitramur inter caput et cetera membra, quod in quolibet quamvis praecipuo membro, velut in aliquo magno propheta, aut apostolo, quantumvis divinitatis habitet, non tamen sicut in capite, quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis: quia et in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus, quantus in capite ». Latinis ergo interpretibus (6)

(1) Comm. in epist. ad Coloss. II. 9.

(2) Comm. in epist. ad Coloss. II. 9.

(3) Comm. in epist. ad Coloss. II. 9.

(4) Joh. II. 19.

(5) Ibid. V. 21.

(6) Quibus addi potest et Beda, qui in comm. ad h. l. postquam iis gemina scripsit, quae ex Attone retulimus, subdit: « hoc etiam inter excellentiam capitis ceterorumque membrorum interesse, quod singulari quadam susceptione hominis una facta est persona cum Verbo. De nullo enim

fixum ratumque fuit, apostolicis verbis sacramentum divinae incarnationis significari.

XXIV.

Quae item persuasio non minus graecis communis fuit. Oecumenius (1) enim adductis verbis, *ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ*, *quoniam in illo inhabitat*, continuo quaerit: « Quomodo contingit *και ἐν τῃ σαρκι οὐσιωδως κατοικειν τον θεον λογον και καθ' ὑποστασιν αὐτῃ ἡνωσθαι, και πανταχου εἰναι μη περικλειομενον ἐν αὐτῃ*; et in carne inhabitare substantialiter Deum Verbum, et secundum hypostasim cum ipsa uniri, ac ubique esse non in ipsa conclusum » ? tum reponit: « Quemadmodum lux in principio ante cetera producta, quum incorporea et immaterialis esset, solari tamen corpore continebatur, sed non ita ut impediretur ac prohiberetur, quominus omnia illuminaret; *οὑτως ὁ ἐν ἀρχῃ ἀσαρκος θεος λογος, σαρκωθεις, οὐ κωλυεται και σαρκι ἡνωσθαι καθ' ὑποστασιν. και μη συγκεκλεισθαι ἐν αὐτῃ, ἀλλα τα παντα πληροι*, sic et Deus Verbum, qui in principio carnem non habebat, incarnatus non prohibetur etiam carni ita secundum hypostasim uniri, ut ipsa non concludatur, sed omnia repleat ». At quaestio aeque quaestionisque solutio evidenter demonstrant, visum esse Oecumenio, Apostoli verbis mirabilem *του λογου ἐνσαρκωσιν* significari. Quod ea etiam evidentius demonstrant, quibus duo consequentia orationis membra interpretatur.

Verbis enim, *παν το πληρωμα της θεοτητος*, hunc subiicit (2)

sanctorum dici potuit, aut potest, aut poterit, *Verbum caro factum est.* Nullus sanctorum qualibet praesentia gratiae *Unigeniti* nomen accepit, ut quod est ipsum Dei Verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis, quantalibet sapientia et sanctitate praestantibus ullo modo potest esse communis ». Ut vero adverbii *corporaliter* vim explanet, iis utitur quae in Ps. LXVII. Augustinus habet, inquiens: « In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis non *umbraliter*, tamquam in templo a rege Salomone facto, sed corporaliter, idest, *solide* atque *veraciter* ».

(1) Comm. in epist. ad Coloss. cap. VI. p. 130.

(2) Ibid. p. 130.

commentarium : « εἴ τι ἐστι, φησιν, ὁ Θεος λογος, ἐν αὐτῳ κατοικει. ἀλλα μη νομισῃς αὐτον ἐκ τουτου συγκεκλεισθαι. και γαρ ἐσαρκωθη ἁπας, και μετα του πατρος ἐστιν ἁπας, σωματι περιγραπτος ὠν, θεοτητι δε ἀπεριγραπτος. Quidquid est, inquit, Deus Verbum, in ipso inhabitat. Ne tamen ipsum ex hoc esse conclusum intelligas : siquidem totus incarnatus est, et totus est cum Patre: quumque corpore circumscriptus sit, tamen divinitate manet incircumscriptus ».

Adverbium autem, σωματικως, sic (1) explanat : « τουτεστιν, οὐσιωδως, οὐ σχετικως. Hoc est, secundum substantiam, et non solo habitu ac relatione. Eo modo, inquit, quo habitat (2) anima in corpore ; ita divinitas habitavit in assumpto homine. Quomodo autem habitat anima in corpore? δηλονοτι ἀσυγχυτως, ἀδιαιρετως, nimirum inconfuse, indivise. Quoniam vero dixerat, κατοικει, *inhabitat; ἱνα μη νομισῃς ὁτι ἐνηργηθη ὡς και οἱ προφηται (ἐνῳκει γαρ αὐτοις ὁ θεος κατα το, ἐνοικησω ἐν αὐτοις και ἐμπεριπατησω), προστιθησι το σωματικως, τουτεστιν, οὐσιωδως, οὐ σχετικως, ὡς ἐν σωματι ψυχη. οὑτως και ὁ Κυριλλος, ne existimares, quod in ea tantum (3) sit operata, sicut in prophetis (inhabitat enim in ipsis Deus iuxta illud, *inhabitabo in eis et inambulabo*), adiecit, *corporaliter*, idest, substantialiter, non solo habitu, sed sicut anima in corpore. Ita habet et Cyrillus . . . Aut *corporaliter*, intellige σεσαρκωμενως, *incarnatione*. Neque enim qui inhabitavit, rursum migrat, ἀλλ᾽ ἐσαρκωθη, μιαν λοιπον μετα της ἰδιας σαρκος ὑποστασιν ἐχων, κἀν ἐκ δυο συνεστη των ἐναντιων, sed incarnatus est, unam deinceps cum sua carne habens hypostasim, quamquam ex duobus contrariis consistat ».

Consonat penitus Theophylactus, ac ceteris propterea se-

(1) Ibid. pagg. 130—131.

(2) De hac similitudine ab ecclesiasticis scriptoribus frequentata, ac in symbolum etiam, quod Athanasii nomen praefert, recepta; conferri debent quae Petavius scribit de Incarnat. lib. III. cap. X.

(3) Est enim unitio κατ᾽ ἐνεργειαν, qualis est caussae efficientis et instrumenti quae nullam οὐσιωδη ac proprie dictam coniunctionem habet, *quae colligat res et in idipsum adducit*, ut Leontius loquitur in priore contra Nestorium et Eutychem libro.

positis, quibus nonnisi antecedentium repetitio continetur, ea subtexo, quibus particulam σωματικως explanat (1), inquiens: « *σωματικως· τουτεστιν, ουκ εστιν ενεργεια τις, αλλα ουσια, και ως σωματωθεις και μια υποστασις ων μετα του προσλημματος*, *corporaliter*, hoc est, non est operatio quaedam, verum substantia, ac veluti incorporatus (ὁ θεος λογος) et una hypostasis existens cum assumpto homine. Vel hoc modo e Cyrilli sententia: *ὡς ἀν ἐν σωματι ἐνοικησῃ ψυχη· ἐνοικει δε αὐτῃ σωματι οὐσιωδως και ἀδιαιρετως και ἀφυρτως*, perinde ac in corpore inhabitat anima: inhabitat autem ipsa in corpore substantialiter et indivisibiliter ac citra commixtionem».

Praeclare etiam Johannes Damascenus, qui Pauli sententiam ita (2) reddit: « *ἐν Χριστῳ, φησι, και ὁ πατηρ ἐστι και το ἁγιον πνευμα, και ἱνα μη τις νομισῃ σχετικην εἰναι την κατοικησιν, ἡ συναπτικην ἁπλως, τουτου χαριν εἰπε, σωματικως, ἀντι του, οὐσιωδως· λεγει οὐν, ὡς οὑτος ὁ γενομενος ἀνθρωπος ἐστιν ὁ υἱος του θεου, ὁ ὁμοουσιος αὐτῳ τε και τῳ ἁγιῳ πνευματι.* In Christo, inquit, existit Pater ac Spiritussanctus. Sed ne quis arbitraretur, relativam dumtaxat esse aut simplicis coniunctionis inhabitationem deitatis; idcirco dixit, *corporaliter*, hoc est, substantialiter. Ait ergo, hac ratione illum qui factus est homo, Dei filium esse, quia consubstantialis est ei, ac Spiritui-sancto ».

At vero Theodoritus commemorata (3) primum illorum opinione, qui censuerunt, *ἐνταυθα Χριστον την ἐκκλησιαν ὠνομασθαι, και ἐν αὐτῃ κατοικειν παν το πληρωμα της θεοτητος*, *ecclesiam heic Christi nomine esse insignitam, in eaque inhabitare omnem plenitudinem divinitatis;* e vestigio illam non obscure improbans, addit: « *οὐκ οἰδα δε, εἰ και σωματικως ἁρμοττει τῃ τοιαυτῃ του νοηματος θεωριᾳ.* Nescio autem an etiam illud corporaliter cum eiusmodi intelligentia conveniat ». Tum suam pergit (4) explanare sententiam, inquiens: « *ἡγουμαι τοινυν, ἐπειδη κεφαλην της ἐκκλησιας ὠνο-*

(1) Comm in epist. ad Coloss. II. 9.
(2) In Comm. ad h. l. p. 210. opp. T. II. edit. Lequien, 1712.
(3) In epist. ad Coloss. II. 9. p. 485. opp. T. III. edit. Halae, 1771.
(4) Ibid. pagg. 485—486.

μασε τον Χριστον, δηλον δε ὅτι κατα το ἀνθρωπειον ἡμων ἐστι κεφαλη, ὡς και περι ἀνθρωπου και ταυτα εἰρηται, πασαν ἐν αὐτῳ φεροντος την θεοτητα. και γαρ δηλωσαι θελων ὁ θειος ἀποστολος του νομου και της χαριτος το διαφορον, τῃ των στοιχειων πτωχειᾳ παρατεθεικε τον Χριστον· και δειξαι την ὑπερβολην ἐκ παραλληλου βουλομενος, προστεθεικεν ὅτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, τουτεστιν, ὡς ἐν ἰδιῳ σωματι. οὐ γαρ μερικην τινα χαριν, φησι, Μωσῃ παραπλησιως ἐδεξατο· θεος γαρ ἐστιν και ἀνθρωπος, και το ὁρωμενον τουτο πασαν ἐχει ἡνωμενην του μονογενους την θεοτητα. ταυτῃ δε τῃ διανοιᾳ και τα ἑξης συμφωνει. Existimo ergo quoniam Christum nominavit caput ecclesiae: clarum est autem quod quatenus homo est, caput est nostrum: haec quoque de homine dicta esse, qui omnem in se continet divinitatem. Etenim divinus apostolus volens demonstrare differentiam Legis et Gratiae, elementorum egestati Christum opposuit; et per amborum collationem volens ostendere quam sit Christus longe superior, adiecit *quod in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hoc est, tamquam in proprio corpore. Non enim particularem, inquit, aliquam gratiam accepit, quemadmodum Moses: Deus enim est et homo, et hoc quod cernitur unitam habet totam Unigeniti divinitatem. Huic intelligentiae conveniunt etiam quae sequuntur ». Quam consensionem conspirationemque semel ac rursum (1) deinde confirmat.

Prae his autem non minus sunt luculenta quae Chrysostomus (2) scribit, sive quum proposito eorum commentario, qui Pauli verba ita accipiebant, ac si illis significaretur την ἐκκλησιαν πεπληρωμενην ὑπο της θεοτητος αὐτου, καθως ἀλλαχου φησι· του παντα ἐν πασι πληρουμενου, *ecclesiam ab eius divinitate repletam, sicut alibi* (3) *dicit, qui omnia implet in omnibus*: et propterea adverbium σωματικως interpretabantur, ὡς ἐν κεφαλῃ σωμα, *tamquam corpus in capite*; subdit: πως οὐν οὐκ ἐπηγαγεν, ἡτις ἐστιν ἡ ἐκκλησια; *quomo-*

(1) Ibid. p. 486.
(2) In epist. ad Coloss. Hom. VI. n. 2. p. 366.
(3) Ephes. I. 13.

do ergo non subiunxit , quae est ecclesia ? sive quum incisum, *ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ παν το πληρωμα της θεοτητος*, huic respondere docet : *τουτεστιν, ὅτι ὁ θεος ἐν αὐτῷ οἰκει, idest, quia Deus in ipso habitat.*

Quare si apostolici testimonii vis ac potestas eorum auctoritate suffragioque definienda sit, qui priscis temporibus, mediaque aetate Pauli litteras idoneis commentariis explanarunt ; statuatur oportet : *a*) verbis, *παν το πληρωμα της θεοτητος*, significari *perfectionem divinitatis, plenam divinitatem quam Filius a Patre generatione accepit , omnem plenitudinem divinae naturae, Deum, τον θεον λογον, εἰ τι ἐστιν ὁ θεος λογος, πασαν του μονογενους την θεοτητα, και τον θεον*: adverbium autem *b*) *σωματικως* idem valere ac *plene, in corpore, substantialiter , realiter , personaliter , non umbraliter sed solide atque veraciter , οὐσιωδως και καθ' ὑποστασιν, οὐσιωδως οὐ σχετικως, σεσαρκωμενως, οὐκ ἐνεργειᾳ, ἀλλα οὐσιᾳ, κατα μιαν ὑποστασιν, και ὡς ἐν ἰδιῳ σωματι* : proindeque *c*) integra formula , *ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως* , idipsum tradi quod (1) Johannis verbis , *ὁ λογος σαρξ ἐγενετο*, et Christum *θεανθρωπον* declarari.

XXV.

Cui sane commentario multo inde gravius auctoritatis pondus accedit , quod suum illi suffragium , suamque consensionem reliqui patres adiunxerint. Ut enim sin minus omnes, ex iis saltem tot recenseam , quot prudenti theologo satis esse possunt ac debent, ut de sententia christianae eruditaeque vetustatis scite arbitretur; Athanasius (2) adversus Acacium et Eudoxium defendens reiectum ab ipsis in Isauria *ὁμοουσιον*, itemque fidem in Encaeniis praestitutam, *Filium esse οὐσιας ἀπαραλλακτον εἰκονα* , scribit : « *εἰ γαρ οὐκ ἐστι κατ' οὐσιαν ὁμοιος ὁ υἱος του πατρος, λειπει τι τῃ εἰκονι, και οὐκ ἐστι πληρης εἰκων, οὐδε τελειον ἀπαυγασμα. πως οὖν ἀναγινωσκετε το, ἐν αὐτῷ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος*

(1) Joh. I. 14.

(2) De synodis, n. 38, p. 753. opp. T. I. Part. II.

σωματικως· και, ἐκ του πληρωματος αὐτου ἡμεις ἐλαβομεν; Si enim Filius non est secundum substantiam Patri similis, aliquid profecto imagini deest, neque est plena imago, neque perfectus splendor. Cur itaque hoc (1) legitis: *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; et (2), *ex plenitudine eius nos omnes accepimus* »? censuit ergo Athanasius, παν το πληρωμα της θεοτητος ipsam esse deitatem, ac ex illius in Christo inhabitatione repeti oportere, ut idem sit credaturque πληρης εἰκων του πατρος και τελειον ἀπαυγασμα.

Quod evidentius edicit, quum distinctis Bibliorum formulis, quae intelligi de Christo debent vel δια την ἀνθρωποτητα, *propter humanitatem*, vel δια την θεοτητα, *propter divinitatem*, ita (3) pergit: « Quum Servator (4) dicit, *Pater meus, qui misit me, maior me est*, eo dicit Patrem se maiorem, quod ipse homo factus sit. Quatenus autem Verbum est Patris, aequalis est illi. Nam (5), *ego*, inquit, *et Pater unum sumus*, et (6), *qui vidit me, vidit et Patrem* .... Et quum Apostolus (7) dicit, *quia* in Christo *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; ἐν τῃ σαρκι αὐτου κατοικειν παν το πληρωμα της θεοτητος νοητεον, *in carne eius habitare plenitudinem divinitatis intelligendum est* ». Athanasio igitur interprete, σωματικως idem valet ac ἐν τῃ σαρκι αὐτου: et παν το πληρωμα της θεοτητος ipsam exprimit deitatem, qua Christus ὁμοουσιος est Patri, et propter quam affirmare verissime potuit, ἐγω και ὁ πατηρ ἑν ἐσμεν.

Hinc ubi sancti Spiritus (8) deitatem tuetur ac ἀσεβες esse pronunciat, το πνευμα του θεου, *Spiritum Dei* credere κτιστον ἠ ποιητον, *creatum aut factum*, inter cetera habet: « Propterea Christus insufflavit ipsum in faciem apostolo-

(1) Coloss. II. 9.
(2) Joh. I. 16.
(3) De Incarnat., et con. arianos, n. 4. p. 873.
(4) Joh. XIV. 28.
(5) Joh. X. 30.
(6) Joh. XIV. 9.
(7) Coloss. II. 9.
(8) Op. cit. pagg. 876—877.

rum (1) dicens, *accipite Spiritum-sanctum*, ut discamus, ὅτι ἐκ του πληρωματος της θεοτητος ἐστι το διδομενον πνευμα τοις μαθηταις, Spiritum qui discipulis datur, ex plenitudine deitatis esse. *In Christo enim,* inquit, *inhabitat*, hoc est in carne eius, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quemadmodum etiam ait (2) Johannes baptista, *nos omnes de plenitudine eius accepimus* . . . . In nobis quippe primitiae et arrha deitatis inhabitant; in Christo autem omnis plenitudo divinitatis ». Quibus profecto nihil illustrius ad Athanasii mentem sententiamque aperiendam.

Cum Athanasio autem non uno in loco (3) consentit Didymus, ac utrique Eustathius antiochenus et Gregorius nyssenus patrocinantur. Quorum ille (4) sic ait: « Si enim *in Christo plenitudo divinitatis inhabitat*, aliud profecto inhabitatur. Si vero naturaliter differunt ab alterutris; neque mortis passionem, neque cibi appetitum, . . . neque lacrimarum effusiones, neque aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coexistere fas est, quum sit inconvertibilis per naturam. Homini vero haec adplicanda sunt proprie, qui ex anima constat et corpore; congruit enim ex ipsis humanis et innoxiis motibus demonstrare, quia non phantasiastice et putative, sed ipsa veritate totum hominem indutus est Deus perfecte adsumens ». Gregorius vero nyssenus auctoritate ac Pauli testimoniis ita Apollinarem (5) refellit: « A Paulo edocti credimus, Christum, quum Dei (6) forma secundum id quod mente percipitur, esset, in servi forma, secundum id quod exterius apparebat, factum fuisse. Quod si divina forma excellentior est servili persona, profecto quod exterius apparebat, nequaquam aequalis erat dignitatis cum eo, quod intus latebat. Quod igitur secundum

(1) Joh. XX. 22.

(2) Joh. I. 16.

(3) De Trinit. lib. I. cap. XVI. p. 40., et lib. III. cap. XX. p. 392.

(4) Apud Gelasium de duabus naturis in Christo, Bibl. PP. Paris. 1644. T. IV. Part. I. p. 424., et apud Gallandium, T. IV. p. 581.

(5) Antirrhetic. adversus Apollinarem, §. XXVII. pagg. 541—542. apud Gallandium T. VI.

(6) Philipp. II. 6—7.

carnem conspiciebatur, et cum hominibus conversabatur, in seipso aliquid semetipso praestantius habuit, quod tamen scriptor noster (Apollinaris) crimen adversus fidem esse comminiscitur. Atqui etiam *in ipso*, ait (1) Apostolus, *inhabitare omnem plenitudinem divinitatis corporaliter*; qui autem *in ipso* dicit, non dimidium sed integrum subiectum significatione complectitur. Si igitur humanum corpus est, in quo divinitas habitavit, corpus autem non est inanimum; ac praeterea humanae tantum naturae proprium est habere partem intelligentem et rationalem: si enim haec ab homine seiungantur, quemadmodum saepe diximus, quod remanet, brutorum est: ergo non nos egregius iste, sed Apostolum potius maledictis incessit, immo vero Johannem ipsum (2) clare dicentem, *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Non enim in aliqua nostri parte dixit, sed omnia pariter quae in humana intelliguntur natura, plurali voce significavit; et Verbum quidem prius a carne separavit, deinde vero eidem univit: nam Verbum in semetipso erat et apud Deum erat, et quod Deus erat, hoc et Verbum erat, nam et hoc Deus erat; sed quando in propria venit, et in tenebris luxit, tunc Verbum caro factum est, propria virtute in Virginis utero caro factum ».

Quo igitur spectavit Apostolus quum dixit, *ἐν αὐτῳ κατοικειν παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως*? eo spectavit, si Eustathio et Gregorio fidem adiungimus, ut *habitandi* verbo idem significaret ac *induere et adsumere hominem, carnemque fieri*; formula vero, *παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως*, exprimeret *την θειαν μορφην*, id quod *κατα το νοουμενον* in Christo percipitur, id cui ex adverso respondet, quod in Christo *κατα το φαινομενον* apparet, *την θεοτητα και τον λογον*.

XXVI.

Quae omnia ab Isidoro pelusiota longe enarrata plenius leguntur in litteris (3) Archibio presbytero datis de hoc ipso

(1) Coloss. II. 9.
(2) Joh. I. 14.
(3) Epistt. lib. IV. epist. CLXVI. pagg. 507—508. edit. Paris 1638.

Apostoli testimonio, et quibus controversiam omnem his plane verbis dirimit: « Tu quidem te ignorare dicebas, quid istud sibi velit: *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* ἐγω δ' οἰμαι εἰρησθαι ἀντι του οὐσιωδως, οὐ γαρ ἐνεργεια θεοτητος, ἡν ἐνουσια τικτει, τον ναον ἐκεινον ἐκυβερνα τον ἀχραντον, ἀλλ' οὐσια μυριας ἐνεργειας ἐχουσα · οὐ μερικον ἐχουσα χαρισμα, ἀλλ' ἡ πηγη των ἀγαθων. Ego vero id dictum esse arbitror pro *essentialiter*. Non enim efficacia divinitatis, quam parit inexistentia, templum illud (1) impollutum gubernabat, sed essentia ipsa infinitis praedita operationibus: non particulare habens donum, sed fons ipse existens bonorum. Ipse, inquit Paulus, qui cum Patre regnat, quique rerum supramundanarum habenas tractat, et terrestria, quo vult, flectit, homo factus est, et imperatoriis armis in acie stetit, ut et illa ornaret, et victoriam hominum generi compararet, et noxios daemones in fugam verteret, et ipsorum ducem magnum quiddam spirantem destrueret, et infinitis donis gratiae impleret ecclesiam ».

Eamdem cum Isidoro interpretationem tradit sequiturque Marchus monachus et eremita eo in opusculo (2) quod in-

(1) Regula namque est graecis latinisque patribus certissima, ac ex ipsa divinae incarnationis intima ratione petita, ita per assumptum hominem Deum Verbum operatum esse, ut nullatenus solam illi communicaverit ἐνεργειαν, et actionem quasi transeuntem impresserit. Quod graeci sic efferunt: οὐκ ἐνηργησθαι, vel ἐνεργουμενον fuisse hominem in Christo. Sane operatus ipse est unus et idem Deus et homo secundum naturam utramque, et efficientiae divinae pariter ac humanae principium fontemque in se habuit, non illlius motionem et impulsum identidem accepit. Praeclare nazianzenus Gregorius. Orat. XXXVI. p. 592: « Χριστος δε δια την θεοτητα. Χρισις γαρ αὐτη της ἀνθρωποτητος, οὐκ ἐνεργεια, κατα τους ἀλλους χριστους, ἁγιαζουσα. παρουσια δε ὁλου του χριοντος. Christus propter divinitatem dicitur. Ea enim humanitatis unctio est, non operatione, ut in aliis Christis, sanctificans, sed totius ungentis praesentia ». Cf. Petavium de Incarnat. lib. VIII. cap. XII. §§. XV. seqq.

(2) Opusc. X. p. 92. apud Gallandium, T. VIII. Quam varie immaniterque ab altero Christi seculo et deinceps aberratum fuerit in explicando Melchisedechiano vaticinio, pluribus enarrant Ludovicus Burghesius in Hist. critic. Melchisedechi, et Calmetus in dissertatione quam commentariis in epist. ad Hebraeos praefixit. Marcus eremita hoc in opu-

scripsit, εἰς τον Μελχισεδεκ, *de Melchisedech*, et in quo subtiliter investigans, *num* (1) *ipsa in Christo naturarum unio initia habeat*, scribit : « Habet illa vero et non habet; quod ille idem ipse qui initium non habet, unionis initium exstitit; ideo dixi, et habet et non habet. Religioni autem magis consentaneum est dicere quod non habet, quoniam quae ὑποστατικως *hypostatice* unita sunt, etsi ex duobus existere intelligantur, quod tamen cum potioris natura unitum est, illud et intelligitur et perhibetur; haud secus ac fluvius ex imbribus conflatus, ubi mari sese immiscuerit, non amplius fluvius, sed mare appellatur, quod inde initium sumpserit, ibique desierit. Si corporea natura tamquam praestantior vi sua superincubans Verbo coaluisset, et ita unio extitisset, merito Christus existimaretur initium habere secundum corporis naturam; quum vero Deus Verbum corpoream naturam divinae operationis illapsu ipse sibi aptarit iuxta evangelium; manifestum est quod per illam naturam sanctum Christi corpus fuerit nobilitatum, ὅτι ἐν αὐτῳ εὐδοκησε κατοικησαι παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, quoniam illud inhabitare corporaliter omnis divinitatis plenitudo dignata est. εἰ δε παν το πληρωμα, δηλονοτι οὐδεν ὑπολελειπται της θεοτητος, ὁ οὐκ ἐχει το ἁγιον σωμα του Χριστου, εἰτε ἀναρχοτητα εἰποις, εἰτε θεοτητα, εἰτε ἀθανασιαν, εἰτε παντοκρατορικην δυναμιν, εἰτε ἐξουσιαν, εἰτε κρατος, εἰτε σοφιαν ἀθανατον, παντα ἐχει · ὁτι εὐδοκησεν ἐν αὐτῳ κατοικησαι παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Profecto si omnis divinitatis plenitudo; nihil divinum est quod sanctum Christi corpus (2) non habeat, sive carentiam initii dicas,

seculo eos dumtaxat insectatur, qui Melchisedechum filium esse delirabant. Cf. Epiphanium ad Haeres. LV., Hieronymum in epist. ad Evangelum, et Theodoritum in dialogo, *Inconfusus*.

(1) Opus. cit. §. V. p. 95.

(2) Hisce, uti par est, intelligendis non minimum conducet novisse, quae Garnerius diss. I. de haeresi et libris Nestorii, cap. II., scribit de ἀντιδοσει, seu κοινωνια των ἰδιωματων, idest, communicatione reciproca proprietatum inter naturas in Christo unitas. » Quoties enim, ait, fit unum quiddam ex duobus, toties quae attributa singulorum sunt propria (ἰδιωματα graeci dicunt), vicissim communicantur, non tamen temere, sed pro unitionis modo : nam si physica illa fuerit atque substan-

sive divinitatem, sive immortalitatem, sive omnipotentiam, sive potestatem, sive imperium, sive sapientiam; quandoquidem *omnis plenitudo divinitatis in illo habitare* dignata est ».

Quum itaque duo sint quae in controversiam adduci posse videnter: ac 1) quae sit adverbii *σωματικως* vis et potestas: tum 2) quo pertineat incisum *παν το πληρωμα της θεοτητος*, *omnis plenitudo divinitatis*; illud patres sic diriment ut doceant, *σωματικως και οὐσιωδως* sibi invicem significatione respondere; de altero autem sic statuunt, ut *παν το πληρωμα της θεοτητος* idem sit ac *οὐσια μυριας ἐνεργειας ἐχουσα, οὐ μερικον χαρισμα, ἀλλ' ἡ πηγη των ἀγαθων*, *plena suisque numeris absoluta divinitas*, atque adeo *immortalitas*, *omnipotentia*, *imperium*, ceteraque omnia quibus *θεοτης* continetur.

tialis, non *morales* tantum *proprietates*, cuiusmodi sunt coli, dominari, auctoritate pollere, praestare dignitate, iudicium exercere, sed etiam *physicae*, ut nasci, pati, mori, ita communes evadunt, ut quod aiunt logici, etiam in recto praedicari valeant. Sin autem unitio fuerit tantum moralis et *σχετικη*, communicantur quidem reciproce singulorum idiomata, non tamen omnia pariter; sed *moralia* in recto, ut loquuntur, physica in obliquo solum, si modo propria sit dictio .... Quum enim unio physica seu substantialis sit in unitatem hypostasis, neque hypostasis aliud quidquam existat praeter suppositum, idest, ut loquuntur graeci, *πρωτον ὑποκειμενον*, de quo omnia dicuntur: oportet ut cuncta sine discrimine attributa, sive physica fuerint sive moralia, uni supposito tribui possint; in contrarium vero, quum unio moralis non sit in unitatem hypostasis, sed vel affectus tantum, vel eorum quae ex affectu pendent, id unum praestare potest quod sibi cognatum est, nempe ut attributa moralia comunia evadant, sintque indivisa, atque ipsa indivisio verbis indicetur etiam recti casus; physica autem ita communicat, ut divisio simul significetur, quod fit relativa, seu obliqua praedicatione .... Exinde conficitur regula, ad qoam examinari certo possint uniuscuiusque scriptoris dicta, ut constet, rectene ille sentiat an secus de unione naturarum in Christo, vel, ut olim aiebant, de unitate Christi. Videndum enim, an idiomata physica Dei de homine, et hominis de Deo proprie dici neget, aut concedat. Si neget, unionem moralem solum agnoscit, qualis est Deum inter et sanctos, facitque Christum solum hominem. Si concedit, proprioque sensu accipit verba evangelistae, *Verbum caro factum est*, idest, incarnatione factum est, ut vere Verbum sit homo; recte sentit de incarnationis mysterio ».

XXVII.

Quae pariter expositio est alexandrini (1) Cyrilli, quo nemo sacramentum de unitione naturarum in Christo vel intimius perspexit, vel religiosius vindicavit. Quum enim Nestorius Johannis (2) ac Pauli (3) testimoniis abuteretur, ut Verbi ἐνανθρωπησιν, *humanationem* ad ἐνοικησιν εἰς ἀνθρωπον, *inhabitationem in homine* redigeret; sic illi obviam Cyrillus (4) occurrit: « Beatus evangelista quum prius dixisset, *Verbum caro factum est*, subiunxit opportune, *et habitavit in nobis;* ut per utrumque integram Christi mysterii cognitionem nobis traderet. Nam unitum esse carni secundum hypostasim illud ex Deo Patre Verbum indicavit aperte, quum dixit, ipsum esse carnem factum; iamvero carnem factum non in carnis transiisse naturam, neque mutationem in id quod non erat subiisse, sed cum eo quod secundum nos factum est mansisse quod erat, id rursus perspicuum facit prioribus verbis ista adiiciens, *habitavit in nobis.* Habitasse autem dicit beatus Paulus in Christo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter, ἱνα μη ἁπλην, ἡγουν σχετικην την κατοικησιν ὑποτοπησειε τις, ἀλλ', ὡσπερ ἐφην ἀρτιως, ἀληθινην τε, και καθ' ὑποστασιν, ne quispiam simplicem vel relativam habitationem suspicetur, sed veram, ut nuper dixi, ac secundum hypostasim. Neque enim vir ille spiritu Dei plenus ignorabat incorporeum esse Dei Verbum et impalpabile. Sed quia necesse erat, ut mysterii explicatio nullo pacto manca videretur, sed adeo accurate ac distincte ad rectam regulam veritatemque traderetur, ut omne miraculum superaret; καταβιαζεται το εἰκος, και μονονουχι το πρεπον ὑπερορα τῃ ἀσωματῳ τε, και ὑπερτατῳ φυσει· προστεθεικε γαρ το, σωματικως, οὐκ ἑτερως ἐχων εἰπειν, ἠ ὡς ἀν γενοιτο και νῳ, και γλωττῃ τῃ καθ' ἡμας ἐφικτον, vim infert consequentiis rerum, ac illud ferme negligit quod in-

(1) Cf. quae docet comm. in Joh. evangel. pagg. 96—386. opp. T. IV.

(2) Joh. I. 14.

(3) Coloss. II. 9.

(4) Con. Nestorium, lib. I. cap. VIII. pagg. 26—28. opp. T. VI.

corpoream summamque naturam decet: adiecit enim, *corporaliter*, quum nihil praeterea haberet quod diceret, quodque nostra intelligentia et lingua consequi posset ». Quemadmodum ergo *παν το πληρωμα της θεοτητος*, Cyrillo interprete, est *ἀσωματος και ἀναφης ὁ του θεου λογος*, *incorporeum et impalpabile Dei Verbum*; ita eodem interprete, *το σωματικως* idem *negative* est ac *οὐ σχετικως*, *affirmative* vero idem ac *ἀληθινως και καθ' ὑποστασιν*.

Atque haec in defendendis adversus Theodoritum anathematismis (1) inculcat et repetit, inquiens: « Etiamsi vera sit beati Pauli vox, quod complacuerit in ipso habitare omnem plenitudinem deitatis *σωματικως corporaliter*, *τουτ' ἐστιν*, *οὐ σχετικως*, idest, *non relative* neque nuda habitudine; attamen unum ait (2) esse Deum Patrem, et unum Dominum Jesum Christum, per quem omnia ». Et (3) rursum: « Non sumus immemores, corpus suum ab eo (4) templum appellatum; *πλην οὐ σχετικην ἐποιησατο την ἐνοικησιν, καθα και ἐν ἡμιν δια του πνευματος, ἀλλ' εἰς καθ' ἑνωσιν νοειται* Χριστος, *και υἱος, και κυριος*, verum non secundum habitudinem, sicut et in (5) nobis per Spiritum est, inhabi-

(1) In defens. anathematismi V. adversus Theodoritum, p. 34. opp. Theodoriti, T. V.

(2) I. Cor. VIII. 6.

(3) Ibid. p. 35.

(4) Joh. II. 19.

(5) Quae ne cui sint obscura, operae pretium arbitror animadvertere, solemne esse Cyrillo communionem Spiritus-sancti, qua iustorum sese mentibus infundit, appellare *σχεσιν*, *relationem*, vel *μετοχην σχετικην*, *participationem relativam*: eo quod ipse Spiritus non ita in iustis inest, ut sit eorum proprius, uniusque cum illis aut substantiae aut personae: vel ut unum aliquod cum iis per se et *οὐσιωδως* efficiat. Id enim Christo homini ac Deo peculiare est, cuius proprius est Spiritus-sanctus. Nam qua Deus est, unius et eiusdem cum illo est substantiae. Quod si naturam hominis et ipse Spiritus, itidem ut Filius, assumeret, idipsum quod assumptum esset, in unam cum Spiritu-sancto hypostasim conveniret. At sancti homines et adoptivi Dei filii, tametsi Spiritum ipsum, eiusque in se substantiam habeant, quae instar cuiusdam formae filios illos adoptivos facit; non sunt tamen unum quiddam cum ipso, nisi tropice, ac ut loqui amant, *moraliter*. Ideo possidere et habere dicuntur Spiritum: quae possessio et habitio est apud Cyrillum

tationem fecit; sed unus secundum unitionem itelligitur Christus et Filius et Dominus.

A quibus ne minimum quidem dissident, quae Theodotus ancyranus de restituta per Christum prima hominis dignitate scribit (1) his verbis : « Non est quod rem mireris. Si enim dignum Deo habitaculum nunc te ipsum constitueris, in te quoque habitabit, *εἰ και μη οὕτως ὡς ἐν τῳ Χριστῳ. ἐν Χριστῳ γαρ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. ἀλλ' ὢ του θαυματος· παν το πληρωμα της θεοτητος ἐν ἑνι σωματικως κατοικει, και παντα πληροι, και ὑπερεχει την κτισιν, ὁλος ὢν ἐν ἑνι, και των κτισματων οὐδενος, χωριζομενος*, etiamsi non ad eum modum, quo in Christo. In Christo enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed, o miraculum! omnis plenitudo divinitatis in uno habitat corporaliter, et tamen omnia implet, et universam excedit creaturam: totus existit in uno, et a nulla creatura separatur. Nec quod heic dicitur, tibi impossibile videatur. Etenim ego quoque verbum nunc profero, et hoc ipsum verbum toto est in uno, et totum rursum in omnibus factum est: et totum hoc verbum hausit unus, neque a multitudine ita circumscribitur, quin singuli hauriant totum. *εἰ τοινυν το πραγμα γινομενον και φθειρομενον και ἐν ἑνι ὁλον οἰκει, και ἐν πασι γινεται, τι θαυμαστον σοι φαινεται, εἰ θεος και ὁλος ἐν οὐρανῳ ᾤκησε, και ἐν πασιν εὑρισκεται*; si itaque res ortui et occasui obnoxia, tota existit in uno, et tota comperitur in omnibus; quid mirum tibi videtur, si Deus (2) et totus in caelo erat, et totus invenitur in omnibus »?

σχεσις et *μεταληψις σχετικη*. Quam quidem *μεταληψιν σχετικην* in libro XXXIII. Thesauri, p. 337. scribit ipsam esse substantiam Spiritus-sancti, qui se ad creaturas demittit, et in eis habitat, et ab illis possidetur: eamdemque dicit creaturam non esse, sed a Deo Patre ac Filio itidem in creaturas derivari *και ἐκ πυρος θερμοτης ἐν σωματι*, *uti calor ab igne transit in corpora.*

(1) Homilia lecta in Synodo, Cyrillo episcopo praesente, in natalem Salvatoris, §. XI. p. 454. apud Gallandium, T. IX.

(2) Quemadmodum etsi Deus ubique ac in rebus omnibus insit, non tamen eadem agit in omnibus, siquidem pro diversa eorum, in quibus

XXVIII.

Tacitus praetereo alia graecorum patrum suffragia, quorum nonnulla (1) refert expenditque Suicerus; et ad latinos progressus inquiro, quid ipsi de significatione verborum Pauli existimarint. Atqui ad rei caput summamque quod pertinet, mira est omnium conspiratio, et hi aeque ac illi apostolicum testimonium de divinae incarnationis mysterio accipiendum esse contendunt.

Ac Hilarius enimvero mentem sententiamque suam his verbis (2) exponit: « Ut autem dictum Domini intelligas, quo (3) ait, *omnia quae Patris sunt*, *mea sunt*; Apostoli et doctrinam et fidem disce (4) dicentis, *videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter*. De mundo est, et doctrinas hominum sapit, et philosophiae (5) *praeda* est, quisquis Christum verum Deum ne-

est conditione, efficientiam suam temperat; sic etiam quod ad *οὐσιωδη* existentiam attinet, licet una ac simplex sit substantia, quae universa permeat, non eodem tamen modo cum omnibus copulatur. Etenim aliter cum creatis omnibus coniungitur Dei substantia, aliter cum iustis, aliter cum beatis mentibus, quas veluti forma quadam afficit, ac longe aliter cum homine dominico, sive cum humana Christi natura. Sunt quidem omnes hi modi *substantiales*, quum per eos applicetur ipsa Dei substantia, non sola eius efficientia; neque propterea sequitur, omnibus eiusmodi modis unam fieri vel substantiam vel hypostasim cum divina rerum illarum, quibuscum *οὐσιωδως* iungitur. Hoc enim in ea singulare est coniunctione, qua, teste Augustino in Enchirid. cap. XXXVI, id *natura humana in homine Christo consequuta est, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter esset assumpta.*

(1) In Thesauro ad v. *σωματικως*.

(2) De Trinit. lib. VIII. nn. 53—56. coll. 979—982. edit. Paris. 1693.

(3) Joh. XVI. 15.

(4) Coloss. II. 8—9.

(5) Apud veteres latinos scriptores tres invenio verbi *συλαγωγεω* interpretationes: a) *decipio* et *circumvenio*, apud Hilarium et Tertullianum de praescriptt. haeret. cap. VII.: b) *depraedor*, apud Cyprianum epist. LII., Ambrosium de fide, lib. I. cap. V., et Hieronymum in cap. IV. epist. ad Galatas: postremo c) *exspolio*, apud Hilarium de Trinit. lib. I. n. 13.

scit, quisquis in eo plenitudinem divinitatis ignorat . . . Et interrogo, cuius in eo divinitatis plenitudo est? quae si non Patris est, quem mihi Deum alium unius Dei fallax praedicator imponis, cuius divinitatis plenitudo habitet in Christo? si vero Patris est, edoce quomodo *corporaliter* haec in eo habitet plenitudo. Si enim corporali modo Patrem in Filio credis: Pater in Filio habitans non exstabit in sese. Si vero, quod est potius, corporaliter in eo manens divinitas naturae in eo Dei ex Deo significat (1) *veritatem*; dum in eo Deus est, non aut per dignationem, aut per voluntatem, sed per generationem verus et totus corporali secundum se plenitudine manens; dum quod ipse est, id etiam per nativitatem Dei in Deum natum est; neque diversum aut differens aliquid in Deo est, quam id quod corporaliter habitet in Christo; et quidquid inhabitet corporaliter, idipsum secundum divinitatis est plenitudinem. Quid humana sectaris? quid inanium deceptionum doctrinis inhaeres? quid mihi affers unanimitatem, concordiam, creaturam? plenitudo divinitatis in Christo est corporaliter.

Tenuit autem etiam in hoc Apostolus fidei suae legem, ut corporaliter in Christo inhabitare plenitudinem divinitatis doceret: ne ad unionem impiam fidei sermo decideret, nec ad alterius naturae intelligentiam furor irreligiosus erumperet. Habitans enim in Christo plenitudo divinitatis corporaliter, nec singularis nec separabilis est: dum nec se patitur a corporali plenitudine corporalis plenitudo discerni, nec habitans divinitas ea ipsa intelligi potest esse divinitatis habitatio. Atque ita Christus est, ut corporaliter pleni-

(1) Igitur Hilario idem est *corporaliter* ac *vere* et *substantialiter*. Quo sensu in Ps. CXXXI. n. 26. scripsit: « Ceterum nunc perfecta exsultatione exsultantes, non spe sed *veritate*, non in imagine sed *corpore* ». Praeiverat Tertullianus con. Praxeam, cap. VII. inquiens: « Quis enim negabit Deum *corpus* esse, etsi Deus spiritus est » ? Sed cur Deus credi *corpus* debet? quod non sit *sine substantia*, uti mox declarat: « Sed et invisibilia illa quaecumque sunt, habent apud Deum et suum *corpus* et suam formam, per quae soli Deo visibilia sunt; quanto magis quod ex *ipsius substantia* missum est, *sine substantia* non erit » ? et de carne Christi, cap. XI: « Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est ».

tudo divinitatis in Christo sit; sic vero in Christo sit divinitatis corporaliter plenitudo, ut in eo inhabitans plenitudo non aliud (1) intelligatur esse quam Christus. Furare quas voles verborum occasiones, et irreligiosi ingenii aculeos excita. Ementire saltem cuius plenitudo divinitatis in Christo inhabitet corporaliter. Est enim Christus, est et inhabitans in eo divinitatis corporaliter plenitudo.

Et si quaeras quae sit habitatio corporalis; intellige quid sit loqui in loquente, et in viso videri, et in operante operari, et in Deo Deum, et ex toto totum, et ex uno unum: et ita corporalis divinitatis plenitudinem recognosce. Et cuius haec divinitatis corporaliter inhabitans plenitudo sit, memento Apostolum non tacere (2) dicentem: *ea enim, quae invisibilia sunt eius, a constitutione mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, aeterna quoque eius virtus et divinitas.* Huius itaque divinitas corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota; neque portio est sed plenitudo: ita corporaliter manens, ut unum sint; ita unum sunt, ut a Deo non differat Deus; ita indifferens a Deo Deus, ut perfectum Deum substituerit (3) perfecta nativitas; ita autem perfecta nativitas subsistat, quia in Deo ex Deo nato corporaliter divinitatis inhabitat plenitudo ».

Quam interpretationem denuo repetens, iteratisque curis

(1) Quibus verbis, nisi plane fallor, divinam in Christo naturam Christi nomine Hilarius exornat. Quod non est illius proprium, sed graecis pariter latinisque patribus familiare, uti Petavius de incarnat. lib. XI. cap. VIII. §§. VI. seqq. affirmat, productisque testimoniis demonstrat. Verum, si proprie loquimur, Christus nomen est non naturae sed personae; *Christi enim vocabulum,* ait Theorianus in legatione armeniaca, *κυριως το συναμφοτερον δηλοι, θεον όμου, και ἀνθρωπον, proprie utrumque significat, Deum simul et hominem.* Hinc Cyrilli minime dubia sententia in libro de recta fide ad Imperatorem Theodosium: « *χρηναι γαρ ἐγωγε φημι, μητε τον ἐκ θεου λογον ἀνθρωποτητος διχα, μητε μην τον ἐκ γυναικος ἀποτεχθεντι ναον, ὡς μη ἑνωθεντα τῳ λογῳ, Χριστον Ἰησουν ὀνομαζεσθαι.* Ego affirmo, neque Verbum ex Deo sine humanitate, neque templum ex muliere editum, tamquam Verbo minime unitum, nominandum esse Christum Jesum ».

(2) Rom. I. 20.

(3) Idest, subsistentem effecerit.

expoliens (1) Hilarius, scribit: « In quo (Apostoli ad Colossenses testimonio), per corporaliter habitantem in eo divinitatis plenitudinem, verum et perfectum et paternae naturae Deum demonstrari docuimus; ita ut habitans plenitudo nec *diversum* intelligeretur significare, neque *unicum*: quum et incorporalis Dei corporalis habitatio proprietatem naturalis unitatis in Deo qui ex Deo substitisset, doceret; et habitans in Christo Deus, subsistentis (2) Christi nativitatem, dum eius est habitator ostenderet. Per quod impietati eorum satis superque arbitror fuisse responsum, qui id quod a Domino (3) dictum est, *qui me vidit, vidit et Patrem*; *Pater in me, et ego in Patre*; et, *ego et Pater unum sumus*; et, *omnia quae Patris sunt, mea sunt*, ad unitatem et concordiam voluntatis referrent: ut quia dicti fides maneret, dicti tamen intelligentiam fallacis doctrinae religio ementita corrumperet; et quum negari non posset in his voluntatum assensus, in quibus naturae unitas praedicatur, ad abolendam tamen eam quae secundum nativitatem est unitatem, societas tantum concordiae crederetur.

Sed beato Apostolo, post multa naturalis veritatis non ambigua praeconia, corporaliter habitantis divinitatis plenitudinem in Christo docente, abscissa est omnis impiae temeritatis assertio, quum naturalem unitatem incorporalis divinitatis habitatio corporalis efficeret: ut id quod non solus est Filius, sed quod in eo manet Pater; neque solum manet, sed et operatur et loquitur; neque solum operatur et loquitur, sed et videtur, non sint nuncupativa sed vera, dum habet in se per sacramentum nativitatis et (4) virtus virtutem, et

(1) De Trinit. lib. IX. §. I. coll. 983—984.

(2) Nimirum, subsistentia distincti. Porro Apostoli verbis *per se* non ostenditur nativitas; sed quum alius sit qui habitatur, ac alius qui habitat, Patris habitantis et Filii in quo habitat, non una significatur subsistentia: adeoque ἐμμεσως ostenditur nativitas, qua sola Filius a Patre alius subsistit.

(3) Joh. X. 30—38., XIV. 9., et XVI. 15.

(4) Filius qui est virtus habet in se virtutem quae Pater est; quia, ut lib. VIII. n. 24. scribit Hilarius, non aliud sunt in Deo quae sua sunt, quam quod est ipse.

potestas potestatem, et natura naturam; tenens per nativitatem ipsa quod suum est, et ex se (1) per imaginem referens quod in se est, dum et imago est auctoris et veritas, quia perfecta nativitas perfectam imaginem praestat, et plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet veritatem »,

Hinc simul perpendens (2) quum verba, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, tum quae continuo (3) sequuntur, *et estis in illo repleti, quod* (4) *est caput omnis principatus et potestatis,* subdit: « Exposita itaque habitantis corporaliter divinitatis in eo plenitudine, sacramentum (5) assumptionis nostrae continuo subiecit, dicens, *estis in eo repleti.* Ut enim in eo divinitatis est plenitudo, ita nos in eo sumus repleti. Neque sane ait, estis repleti, sed, *in eo estis repleti*: quia per fidei spem in vitam aeternam regenerati ac regenerandi omnes nunc (6) in Christi corpore manent; replendis postea ipsis, non iam *in eo*, sed in ipsis, secundum tempus illud de quo Apostolus (7) ait, *qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae, con-*

(1) Impeditam horum verborum significationem explanatam vide apud maurinum editorem.

(2) De Trinit. lib. IX. §. VIII. coll. 988—989.

(3) Coloss. II. 9—10.

(4) Graece est, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πασης ἀρχης και ἐξουσιας: ac Hilarius quoque lib. I. n. 13. legit, *qui est caput omnis principatus et potestatis.*

(5) Cuius sacramenti fructus praestantiamque sic effert n. 7. col. 988: « Nascitur itaque Deus assumptioni nostrae, patitur vero innocentiae, postremo moritur ultioni: dum et homo noster in Deo permanet, et infirmitatum nostrarum passiones Deo sociae sunt, et spiritales nequitiae ac malitiae potestates triumpho carnis, Deo per carnem moriente, subduntur ».

(6) Manent in Christi corpore, quia, Hilario teste in Ps. LI. n. 16., *Christus naturam in se universae carnis assumpsit.* Quare cap. IV. in Matth. n. 12. carnem Christi civitatem appellat, in qua *quaedam universi generis humani congregatio continetur*: unde, ut monet Ambrosius epist. LXXVI. ad Irenaeum, n. 8. *in illa carne Christi per consortium eiusdem naturae caro omnis humani generis honorata est.*

(7) Philipp. III. 21.

forme corpori gloriae suae. Nunc igitur in eo repleti sumus, idest, per assumptionem carnis eius, in quo divinitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Et huius spei nostrae non exigua in eo potestas est. Namque quod repleti in eo sumus, hoc est caput ac principium omnis potestatis secundum (1) illud : *ut in nomine suo omne genu flectat, caelestium, terrestrium et infernorum ; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei Patris.* Confessio itaque haec erit: *Jesus in gloria* (2) *Dei Patris*, et natum in homine iam non in infirmitate corporis nostri manere, sed in Dei gloria. Et hoc lingua omnis confitebitur. Et quum caelestia et terrestria genu flectent : hoc caput omnis principatus et potestatis est , ut ei universa genu flectendo subiecta sint, in quo sumus repleti, et qui per habitantem in se corporaliter divinitatis plenitudinem, in Dei Patris sit gloria confitendus ».

E qua pictaviensis Hilarii prolixa illa quidem ac interdum salebrosa , sed opportuna inprimis disceptatione consequimur : a) adverbio *corporaliter* , rei qua de agitur , *substantiam veritatemque* denotari : formulae autem b), *plenitudo* divinitatis, duplicem inesse significationem ; negantem alteram, et qua idem effertur ac *non ex parte, neque ex portione ;* alteram aientem , qua *plenitudo divinitatis* designat *Deum ex Deo , totum ex toto , unum ex uno, verum, perfectum , paternaeque naturae Deum , perfectam subsistentemque Dei imaginem , quaeque ex nativitate habet ut totum referat auctorem.*

(1) Philipp. II. 10—11.

(2) Textus graecus habet , *εἰς δοξαν του πατρος* , *in gloriam Dei Patris.* Omnes autem graeci interpretes, Chrysostomus , Theodoritus , Damascenus , Theophylactus et Oecumenius , *εἰς δοξαν* accipiunt non de gloria Christi, sed de gloria quae ex Christi exaltatione in Deum Patrem redundat. „ *Δοξα γαρ πατρος,* inquit Oecumenius , *το ἐχειν τοιουτον υἱον, παντων δεσποτην , και ποιητην , και θεον, και ᾧ κλινει παν γονυ , και πασα γλωσσα ἐξομολογησεται.* Est enim Patris gloria talem habere filium , omnium Dominum , et conditorem , et Deum, et cui se flectat omne genu, et lingua omnis confiteatur ”.

XXIX.

Ab his autem seiungi nullatenus debent, quae alterum gallicanae ecclesiae splendidissimum lumen, Phoebadius aginennis scribit, ut arianos compescat, qui suam perfidiam his maxime verbis (1) tuebantur: *Pater maior me est.* Etenim (2) reponit: « Merito maior, quia solus hic auctor (3) sine auctore est. Denique Apostolus de Filio: *in ipso*, inquit, *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Ergo ut Filius in Patre, ita et Pater perfectus in Filio est ». Cuius illationis nulla vis foret, nisi Phoebadius *plenitudinem divinitatis* de ipsa accepisset perfecta ac omnibus absoluta numeris divinitate, quam Pater ex sese habet, Filius vero a Patre sempiterna generatione consequitur.

Unde Alcimus Avitus (4) eosdem expugnans haereticos, adductis (5) verbis, *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*, pergit: « Quod si quis minorem putat accipientem eo qui dat, legat et de Christo per Apostolum (6) dici, *quum tradiderit regnum Deo et Patri*: quum sic non possit esse Pater sine regno, quod ei Filius dicitur esse traditurus, sicut nec Filius sine omni potestate quam sibi dicit datam in caelo et in terra. De quo sanctus Paulus ad colossenses, prohibens ne credamus secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, et non secundum Christum: *quoniam*, inquit, *in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ». Quid igitur est *omnis plenitudo divinitatis*? est ipsa Patris divinitas, est

(1) Joh. XIV. 28.

(2) Lib. con. arianos, §. XIII. p. 253. apud Gallandium T. V.

(3) Alteram mox subiicit causam, inquiens: « Merito maior, quia non ipse descendit in Virginem; quod Sabellius noluit, apud quem Pater et Filius ambo non sunt, hoc est, duum nominum una persona ». Praecedente autem paragrapho XII. scripserat: *Pater*, inquit, *maior me est.* Sed plenitudo eiusdem divinitatis in Filio est ».

(4) Ex libris contra arianos, p. 760. apud Gallandium, T. X.

(5) Matth. XVIII. 28.

(6) II. Cor. XV. 24.

omnis potestas, qua Filius est omnipotens atque idcirco Patri aequalis.

Cui interpretationi ea est plane simillima, quam Paulus Orosius (1) semel iterumque proponit, quamque Marius Victorinus, relatis Apostoli verbis, diligenter (2) expolit, inquiens: « Si igitur ex nihilo erat Filius, quomodo ista? sine fide igitur et impossibile sic ista talia esse. Et rursus, si non ὁμοουσιον, quomodo et Pater plenitudo et Filius »? tum (3) infra: « *Quia in illo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, quod est οὐσιακως: Deus enim potentia, et λογος actio, in utroque utrumque; nam et potentia quod potest esse est, et quod est, potest esse. Ipsa igitur potentia actio est, et ipsa actio potentia. Actio est ergo et Pater, agit et Filius, agit et Pater: ideo Pater quia potentia gignit actionem: et ideo Filius actio, quia actio ex potentia: ergo et Pater in Filio, et Filius in Patre, sed utrumque in singulis, et idcirco unum. Duo autem, quia quo magis est, id alterum apparet: magis autem Pater potentia, et actio Filius; et idcirco quia magis actio, magis autem actio, quia foris actio. Hoc si ita est, et substantia Pater et Filius, et una substantia, et de Patre substantia, et simul substantia, et semper, et ex aeterno simul Pater et Filius, eadem simulque substantia, hoc est, ὁμοουσιον ».

Quae licet obscura ac propria hominis, cui commoda desunt signa, quibus quod mente animoque concepit, dextere luculenterque depromat; abunde tamen ostendunt, *plenitudine divinitatis* ipsam significari divinitatem, cuius quum οὐσιακως Filius sit consors, idem quoque est Patri ὁμοουσιος.

XXX.

Sed his luculentiora sunt, quae eiusdem africanae ecclesiae duumviri nobilissimi, Augustinus et Fulgentius, litteris

(1) Apolog. de arbitrii libertate, §§. XVII—XXV. pagg. 162—163. apud Gallandium, T. IX.

(2) Adversus Arium, lib. I. §§. XXIV—XXV. pagg. 160—161. apud Gallandium, T. VIII.

(3) Adversus Arium, lib. II. §. III. p. 176.

consignarunt. Ille enim in aureo opusculo de praesentia Dei sic prorsus (1) habet: « De ipso capite nostro Apostolus ait, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Non ideo *corporaliter*, quia corporeus est Deus, sed aut verbo translato usus est, tamquam in templo manufacto non *corporaliter*, sed *umbraliter* habitaverit, idest, praefigurantibus signis; nam illas omnes observationes, *umbras* futurorum (2) vocat, etiam ipso translato vocabulo: summus enim Deus, sicut (3) scriptum est, *non in manufactis templis habitat*: aut certe *corporaliter* dictum est, quia et in Christi corpore quod assumpsit ex Virgine, tamquam in templo habitat Deus. Hinc est enim quod iudaeis signum petentibus, quum (4) dixisset, *solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud;* evangelista, quid hoc esset, consequenter (5) exponens, ait: *hoc autem dicebat de templo corporis sui.*

Quid ergo est? hoccine interesse (6) arbitramur inter ca-

(1) Lib. de praesentia Dei, sive epist. CLXXXVII. al. LVII. ad Dardanum: nn. 39—40. p. 526. opp. T. II. edit. Antwerpiae, 1700. Cum his autem conferri debent quae tradit de Genesi ad litteram, lib. XII. cap. VII. n. 17. col. 226. opp. T. III., inquiens: « Satis est ergo scire *corporale* aliquid vel proprie dici, quum de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est, *quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta veteris Testamenti appellat *umbras* futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia, quae in illis umbris figurata sunt; ac sic quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus, hoc est, figurarum et significationum illarum ipse sit *veritas*. Sicut ergo ipsae figurae significative, translato utique vocabulo, non proprie dictae sunt umbrae; ita et quod ait plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, translato verbo usus est ».

(2) Ad Coloss. II. 17.

(3) Actt. XVII. 24.

(4) Joh. II. 19.

(5) Ibid. v. 20.

(6) Quae Augustini doctrina de discrimine inter habitationem Dei in Christo capite ac in iustis qui eius sunt membra, huc redit: 1) In iustis Deum esse κατα μεθεξιν, illosque sola *participatione* deos effici, quasi particula quadam divinitatis aspersos; in Christo autem inhabitare *omnem plenitudinem divinitatis*, illumque propterea *ipsam in solidum divinita-*

put et membra cetera, quod in quolibet quamvis praecipuo membro, velut in aliquo magno propheta aut apostolo quamvis divinitas habitet, non tamen sicut in capite quod est Christus, *omnis plenitudo divinitatis*? nam et in nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus. Ibi enim et visus et auditus et olfactus et gustus et tactus. In ceteris autem solus est tactus.

An etiam praeter hoc, quod tamquam in templo in illo corpore *habitat omnis plenitudo divinitatis*, est aliud quod intersit inter illud caput, et cuiuslibet membri excellentiam? est plane, quod singulari quadam susceptione hominis illius una facta est persona cum Verbo. De nullo enim sanctorum dici potuit aut potest aut (1) poterit, *Verbum caro factum est*. Nullus sanctorum qualibet praestantia gratiae *Unigeniti* nomen accepit, ut quod est ipsum Dei Verbum ante secula, hoc simul cum assumpto homine diceretur. Singularis est ergo illa susceptio, nec cum hominibus aliquibus sanctis quantalibet sapientia et sanctitate praestantibus, ullo modo potest esse communis ».

Quae si tenemus, existimabimus: a) non aliter reddi posse adverbium *corporaliter*, quam aut *vere* et *perfecte*, aut multo etiam pressius, *personaliter*: tum existimabimus b) *plenitudine divinitatis* ipsum significari Deum, Deique Verbum, quod singulari susceptione ipsam sibi humanam naturam unitate hypostaseos copulaverit.

tem possidere, utpote qui Deus ipse sit factus eodem, quo coepit esse, momento. 2) Homines sanctos adoptivosque Dei filios, non ipsos proprie ac φυσει esse deos, quia non est illorum propria divinitas; alioqui non *dii* sed *Deus* appellarentur. Quippe nonnisi unus est, qui vere et proprie dicitur Deus. At illis hoc nomen absolute non convenire, sed quadamtenus et σχετικως, propter quamdam habitudinem relationemque templi vel domus ad habitantem. Christum vero non θειον, idest, *divinum*, neque dumtaxat θεοφορον, sed omnino θεον appellari. Denique 3) coniunctionem humanae naturae cum Verbo esse dicique tum συνοδον καθ' ἑνωσιν φυσικην, quum ἑνωσιν καθ' ὑποστασιν: coniunctionem vero iustorum cum Deo esse κατα συναφειαν και σχετικην ἑνωσιν, ac proinde cuiusdam affinitatis nexu contineri.

(1) Joh. I. 14.

Neque vero secus existimare integrum nobis esse arbitrabimur, si Fulgentii auctoritate commovemur. Quaestioni (1) namque, *utrum anima Christi, susceptricis deitatis plenam habeat omnino notitiam : et quemadmodum se invicem norunt Pater et Filius et Spiritus-sanctus ; ita idem Filius seipsum per id quod homo est, in eo quod Deus noverit ; ex utraque atque in utraque substantia totum capiens Patrem. An forte sicut oculis corporalibus Deum spiritum minime videt, ne non homini dignitas addita, sed natura credatur penitus commutata : sic rationalis animae quamvis pio intellectu et corde mundissimo non videri, neque comprehendi omnem divinitatis essentiam, ne quaelibet creatura inveniatur capere creatorem;* post alia non pauca , ita tandem (2) Fulgentius occurrit : « Accepit Christus (3) Spiritum , sed non ad mensuram accepit. Quod si animae Christi non ad mensuram dedit Deus Spiritum ; necesse est, ut nihil minus habeat sapientiae, nihil scientiae. Spiritus enim ille , Spiritus est sapientiae et intellectus , consilii et fortitudinis , scientiae et pietatis.

Ac per hoc non solum ad divinitatem Christi , sed ad eius quoque animam illa perfectionis praerogativa pertinet , quam ipsi Christo beatus assignat (4) Apostolus dicens : *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Si enim non ad mensuram accepit Spiritum sapientiae et scientiae , necesse est ut omnes thesauros sapientiae et scientiae habeat. Quod si ei aliquid huius plenitudinis demitur, consequens est, ut ad mensuram accepisse Spiritum praedicetur. Et quis est cui non ad mensuram Deus Spiritum dederit , si eum ad mensuram Christus accepit ? in quantum enim Spiritus datur , in tantum cognitio divinitatis accipitur : ubi autem Spiritus non est mensura , necesse est ut plena sit divinitatis immensae notitia. Tota enim plenitudo datur, ubi Spiritus non ad mensuram datur.

(1) Haec est tertia e quaestionibus, quas Fulgentio expediendas Ferrandus proposuit , habeturque in Fulgentii epistola ad Ferrandum , §. XXV. p. 336. apud Gallandium. T. XI.

(2) Epist. cit. §. XXIX. p. 338.

(3) Respicit ad ea quae leguntur Is. XI. 1.

(4) Coloss. II. 3.

Non autem plenitudinem eius, sed (1) *de plenitudine nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* Ubi ostenditur etiam in illa gratia (2) *speciei*, quae dabitur pro gratia *fidei*, non ipsam plenitudinem, sed de plenitudine eius nos esse accepturos gratiam pro gratia: et hoc ipso quod de plenitudine eius accepimus, nos esse implendos, in quantum per eius gratiam capaces erimus. Quod ostendit nobis (3) propheta, dicens: *adimplebis me laetitia cum vultu tuo.* Et (4) iterum: *repleti sumus mane misericordia tua.* Et (5) iterum: *replebimur bonis domus tuae*; sed ut repleamur, de plenitudine eius accipiemus. De Christo autem Paulus doctor gentium (6) dicit, quia *in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*; de quo idem (7) dicit, quia *in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.*

Non ergo existimo illi animae in aliquo plenam divinitatis deesse notitiam, cuius una est persona cum Verbo; quam sic Sapientia suscepit, ut eadem Sapientia ipsa sit; quae rerum omnium in tantum facta est domina, ut cum ipsa divinitate sua, una sit in Trinitate persona, idest Christus crucifixus, quem *Dei* (8) *virtutem Deique sapientiam* Paulus apostolus praedicat ».

(1) Joh. I. 16. Apposite Cosmas aegyptius ab indica navigatione *ἰνδοκοπλευστης* dictus in opere *de opinione christianorum de mundo*, lib. V. p. 476. apud Gallandium, T. XI. scribit: “ *πασας γαρ τας κατοικιας ἑαυτου ὁ θεος, ἁς προς τους ἀνθρωπους ἐποιησατο, μερικως μεν ἐν τοις προφηταις, ὁλοτελως δε και ἀδιασπαστως και καθολικως ἐν τῳ δεσποτῃ Χριστῳ κατα σαρκα πεποιηται τῳ ἐκ του Σημ ὑπαρχοντι· καθαπερ ἐκ του δεσποτου Χριστου γεγραπται κατα σαρκα· ἐν ᾦ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως.* Nam Deus omnes habitationes suas apud homines, *ex parte* solum in prophetis habuit; *integre* autem et *plene universimque* in Domino Christo, qui secundum carnem ex Sem oriundus est, ut de illo secundum carnem accepto scriptum est: *in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ».

(2) II. Cor. V. 7.

(3) Ps. XV. 11.

(4) Ps. LXVI. 5.

(5) Ps. LXXXIX. 14.

(6) Coloss. I. 19.

(7) Ibid. II. 9.

(8) I. Cor. I. 24.

Hucusque Fulgentius, qui et adverbium *corporaliter* idem notare docet ac *personaliter*; et verba, *omnis plenitudo divinitatis*, tam comparate quam absolute sic enarrat, ut idem valeant ac Verbum, unaque de Trinitate persona. Hanc enimvero significationem comparate statuit, quum iubet discrimen animadverti inter phrases, *accipere de plenitudine divinitatis*, atque adeo *ad mensuram*; et *habere inhabitantem divinitatis plenitudinem*, idest, totam plenamque divinitatem, nullaque mensura constrictam. Statuit deinde absolute quum tradit, eo pertinere apostolicum testimonium, ut humanam Christi naturam unam esse cum Verbo personam demonstret.

XXXI.

Nobilissimis ecclesiarum gallicanae, hispanicae et affricanae testibus testes consentiunt ecclesiae hibernicae, e quorum numero Columbanus (1) his plane verbis Bonifacium quartum alloquitur: « Si, ut audivi, aliqui in Christo duas substantias non credunt, haeretici potius quam christiani credendi sunt. Christus enim Salvator noster verus Deus, aeternus sine tempore, et verus homo absque peccato ex tempore est; qui iuxta divinitatem coaeternus est Patri, et iuxta humanitatem iunior est matre. Qui natus in carne, nequaquam deerat caelo: manens in Trinitate, vixit in mundo. Et ideo si scriptum est in quinta synodo, ut quidam mihi dixit, quod qui duas substantias adorat, orationem suam divisam habet, ille divisus est (2) a sanctis, et separatus est a Deo, qui scripsit. Nam nos pro unitate personae, in qua (3) *complacuit plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter*, unum Christum credimus divinitatem eius

(1) Epist. V. ad Bonifacium IV. §. XII. pagg. 354-355 apud Gallandium, Tom. XII.

(2) Ignosci ista debent Columbano, quod impeditissimam de tribus Capitulis, deque quintae sinodi celebratione controversiam neque compertam satis neque exploratam habuerit. Quaecumque huc spectant, dabit Mabillonius in Annal. Benedict. lib. XI. §. IV. pagg. 273. seqq., et in Itinere Italic. pagg. 215. seqq.

(3) Coloss II. 9.

et humanitatem, quia (1) *qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes caelos, ut adimpleret omnia*. Si quis aliter de incarnatione Domini senserit, hostis est fidei, et abominandus est omnibus christianis, et anathematizandus, cuiuscumque ordinis, aut status, aut gradus fuerit; nullus enim ad iniuriam Dei hominem honorare debet ». Visum est igitur Columbano, idem esse *corporaliter* ac *hypostatice*, et idem esse *plenitudinem divinitatis ac ipsam divinitatem*.

Neque iis visum est aliter, qui mentem sententiamque ecclesiarum italicarum exhibent ac repraesentant. Rufinus enim eam versans (2) quaestionem, *quomodo terra illa, quae in Filio Dei benedicta est, habeat omnia*, scribit: « Id hoc modo intelligendum puto. Unusquisque secundum mensuram fidei suae recipit *gratiam Spiritus*; *alii* namque (3) *secundum mensuram fidei datur sermo intelligentiae, alii sermo sapientiae, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum*. Haec per singulos singula, aut simul tum bina vel terna invenies; in illa autem terra, hoc est, in illa carne quae in Jesu benedicta est, non solum erant omnia haec, verum et *plene* et *substantialiter* habitabant, sicut et Apostolus dicit, *in quo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter* . . . . Nec alia caussa est, quod omnes istas benedictiones in carne natus accepit, nisi ut eas in semetipsum, velut per traducem quemdam a Patre diffusas, ipse rursum transfunderet ad credentes, et mediator Dei atque hominum effectus, benedictiones, quas pro infirmitate sui suscipere iam humana natura poterat, ipso mediante et praelibante eas ac transfundente, susciperet, sicut et ipse (4) dixit, *quia ego sanctifico me pro his* ».

At Gaudentius (5) postquam dixit, *iustum itaque crede Dominum, et verum, et pium in omnibus dictis atque operibus suis, ut perfectam sapientiam consequaris*, illico subdit:

(1) Ephes. IV. 10.
(2) De benedict. patriarch. lib. II. n. 2. coll. 44—45. edit. Veronae, 1745.
(3) I. Cor. XII.
(4) Joh. XVII. 19.
(5) Tractatus III. p. 249. edit. Brixiae, 1738.

« *Agnus* enim *perfectus*, *masculus*, *anniculus erit* (1) *vobis*: ut nihil mediocre de perfecto sentias, nihil infirmum de masculo, nihil de anniculo semiplenum. Perfectus est, quia *in eo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Masculus est, quippe quia vir nasci dignatus est ex Virgine, ut sexui utrique consuleret. Anniculus est, quia post illud baptismum quod pro nobis in Jordane susceperat, usque ad passionis suae diem unius anni tempus (2) impletur ». Quo ista similiter pertinent, quibus (3) prophetae verba, *quoniam calix in manu Domini vini meri plenus est mixti: et inclinavit ex hoc in illud: verumtamen faex eius non est exinanita*, allegorice interpretatur (4), scribens: « *Vini inquit meri plenus est mixti*. Et mixtum perhibet vinum, et illud ipsum merum testatur esse, ut eumdem credamus Deum, quem pro nobis et hominem confitemur. Nam quem inclinatum nuntiat, pariter dicit et plenum; ut is qui se exinanivit formam servi accipiens, *plenus Deus* esse non desinat. *Habitavit* enim in Christo *omnis plenitudo divinitatis corporaliter;* et (5) *de plenitudine eius nos omnes accepimus*, *gratiam pro gratia* ».

Unde (6) Maximus taurinensis ita e fidei praescripto auditores suos alloquendos censuit: « Retinet vestra sanctitas, fratres, quod in die festivissimae Epiphaniae diximus in Jordane Dominum baptizatum, et prosequuti sumus, quod nostri magis caussa, quam sui, voluerit hoc mysterio consecrari. Nostri plane caussa haec universa perfecit. Nam illi ad quem profectum necessaria consecratio, qui ipse est sacramentum? ad quem usum in eo mysterii solemnitas, in quo est plenitudo mysterii? in ipso est enim plenitudo, si-

(1) Exod. XII.

(2) Quam opinionem, etsi a veritate alienam, non uni Gaudentio sed pluribus omnino arrisisse patribus ecclesiasticisque scriptoribus notius est quam ut debeat productis in medium testimoniis confirmari.

(3) Ps. LXXIV.

(4) Responsio ad Paulum diaconum de eo quod Dominus Jesus dixit apostolis, *quia Pater maior me est*, pagg. 365—366.

(5) Joh. I. 16.

(6) Inter sermones de Tempore, sermo XII, de baptismo Christi II., col. 427, edit. Romae 1784.

cut ait Apostolus: *quoniam in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et iterum (1) evangelista, *de plenitudine eius omnes accepimus.* Ergo in quo plenitudo divinitatis erat, non indigebat, ut sacramentorum mysteriis impleretur. Sed ideo mysterium implere voluit, non ut ipse profectum caperet, sed ut nobis plenitudo mysterii proficeret».

XXXII.

Quae sane omnia e graecis latinisque deprompta patribus aperte valideque commonstrant, hanc utrique ecclesiae orientali ac occidentali insedisse de apostolico testimonio sententiam: *a*) adverbio σωματικως, *corporaliter*, illud ipsum exprimi, quod aliis verbis dicimus aut ἀληθινως *vere*, aut οὐσιωδως *substantialiter*, aut ὁλοτελως, ἀδιασπαστως και καθολικως *integre perfecte ac universim*, aut ὑποστατικως *personaliter.*

Tum *b*) phrasi, παν το πληρωμα της θεοτητος, non minus *negative* significari, in Christo divinitatem haud μερικως inhabitare, quam *affirmative* ostendi, totam plenamque deitatem Christo inesse, atque ita inesse, ut ille non modo sit θειος, sed omnino θεος.

Denique *c*) integra formula, ὅτι ἐν αὐτῳ (Χριστῳ) κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, illud efferri, quod a Paulo (2) vocatur, ὁμολογουμενως μεγα το της εὐσεβειας μυστηριον· θεος ἐφανερωθη ἐν σαρκι, *citra controversiam magnum pietatis mysterium, Deus qui in carne apparuit.*

Praeclare Eulogius alexandrinus (3) in libro των συνηγοριων, *defensionum*, in quo iis primum disiectis profligatisque, qui την της θεοτητος οὐσιαν *divinitatis essentiam* μεριστην *divisibilem* esse comminiscebantur, mox (4) pergit: « Dicimus, quamvis personam certis insignem notis attributa deitatis

(1) Joh. I. 16.

(2) I. Tim III. 16.

(3) Huius operis meminit Photius Codd. CCXXV—CCXXVI:

(4) Apud Lequien in notis ad caput VI. libri III. Johannis Damasceni, de fide orthodoxa.

possidere, ut nullum ei desit; puta bonitatem, creandi virtutem, et quaecumque increatae naturae conveniunt. Ideo enim Trinitatem esse consubstantialem profitemur, quia substantia eadem in tribus personis ὁλοτελως integre cognoscitur. Pater enim integram deitatis essentiam habet, quemadmodum et Filius et Spiritus sanctus. τουτοις, και ὁ της ἀληθειας κηρυξ Παυλος συνηγορει φασκων· ἐν αὐτῳ γαρ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Quae Paulus veritatis praeco confirmat, ubi ait: *in ipso enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Non enim incarnatum Patrem esse annuit, sed totam divinitatem nullo defectu in tribus personis exstare: quippe quae in Patre et Filio et Spiritu sancto, et in unaquaque persona τελειως *perfecte* existat, secundum Salvatoris vocem, *omnia quae Patris mei sunt, mea sunt*; τουτεστιν ὁσα της του πατρος οὐσιας ὑπαρχει γνωρισματα, ταυτα του θεου λογου, και σαρκωθεντος ἐστιν, hoc est, quaecumque essentiae Patris insignia, eadem et Verbi Dei sunt, etiam incarnati ».

Johannes vero damascenus quum illud (1) defendit, ὁτι πασα ἡ θεια φυσις ἐν μια των αὐτης ὑποστασεων ἡνωθη παση τη ἀνθρωπινη φυσει, και οὐ μερος μερει, *quod tota divina natura in una suarum personarum toti humanae naturae unita sit, et non pars parti*; inter cetera (2) scribit: « Totam divinitatis naturam in quavis personarum suarum τελειως *perfecte* esse, totam in Patre, totam in Filio, totam in Spiritu sancto confitemur: ob idque et Pater perfectus Deus est, et Filius perfectus Deus, et Spiritus sanctus perfectus Deus. οὑτω και ἐν τη ἐνανθρωπησει του ἑνος της ἁγιας τριαδος θεου λογου, φαμεν πασαν και τελειαν την φυσιν της θεοτητος ἐν μια των αὐτης ὑποστασεν ἑνωθηναι παση τη ἀνθρωπινη φυσει, και οὐ μερος μερει. φησι γουν ὁ θειος ἀποστολος, ὁτι ἐν αὐτω κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, τουτεστιν ἐν τη σαρκι αὐτου. Sic etiam in incarnatione unius ex sanctae Trinitatis personis Dei Verbi, totam et integram divinitatis naturam in una suarum personarum

(1) De fide orthodoxa, lib. III, cap. VI.
(2) Ibid. p. 212.

cum tota natura humana unitam fuisse dicimus, minime vero partem (1) cum parte. Ait quippe divinus apostolus, *in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, hoc est, in ipsius carne.

Et deifer Apostoli discipulus (2) Dionysius, ingenti divinarum rerum cognitione illustris ait: *ὅτι ὁλικως ἡμιν ἐν μια των ἑαυτης ἐκοινωνησεν ὑποστασεων*, *eam totam in una suarum personarum nobiscum habuisse commercium*. Nec propterea tamen eo adducemur, ut fateamur omnes sanctae Trinitatis personas, sive tres, cum omnibus humanae naturae personis secundum hypostasim unitas fuisse. Nam nec Pater nec Spiritus-sanctus ulla omnino ratione incarnationi Dei Verbi communicarunt, *εἰ μη κατ' εὐδοκιαν και βουλησιν*, *nisi beneplacito et voluntate*. *πασῃ δε τῃ ἀνθρωπινῃ φυσει φαμεν ἑνωθηναι πασαν την της θεοτητος οὐσιαν*. *Verum toti humanae naturae totam deitatis essentiam unitam fuisse affirmamus* ».

XXXIII.

Functi hactenus sumus *historici* munere, et quam quaerebamus apostolici textus veterem ecclesiasticamque intelligentiam, relatis comparatisque patrum commentariis, invenimus. Jam *critici* personam induimus, et qualis ista sit interpretatio vestigamus: sit ne ea non probabilis tantum, verum etiam certa: an contra non a certitudine magis quam a probabilitate discedat.

Videor autem mihi initio uti *praeiudicio* posse, quod sin minus litem dirimat, ad eam certe dirimendam non minimum conducat. Praeiudicium autem est huiusmodi: *eam verborum significationem obviam, nativam ab ipso adeo scripto-*

(1) Quibus non severianos minus, quam arianos et apollinaristas Damascenus oppugnat. Oppugnat severianos, qui quum statuerent singulas cuiusvis naturae personas totidem esse *οὐσιας μερικας* unius essentiae communis; unam veluti divinae naturae partem cum una parte naturae humanae, non totam cum tota iunctam unitamque docebant. Oppugnat arianos, qui anima, et appollinaristas qui humana mente Christum exuebant.

(2) De div. nominibus, cap. II.

re intentam expressamque credi oportere, *quae pluribus continenter seculis lectorum omnium mentes occuparit, neque vulgarium dumtaxat*, *sed illorum etiam qui multiplici eruditione claruerint*, *quique illis intelligendis enarrandisque sedulam operam adhibuerint, neque versiones solum, sed ipsum quoque originalem textum contulerint.* Atqui pluribus continenter seculis tam in Oriente quam in Occidente, tam latinis quam graecis lectoribus ac interpretibus haec fuit communis intelligentia ac persuasio : a) adverbio *σωματικως* exprimi sive *ἀληθως* et *οὐσιωδως*, sive *ἐν τῃ σαρκι αὐτου*, sive *ὑποστατικως* : b) phrasi, *παν το πληρωμα της θεοτητος* designari *πασαν και τελειαν την φυσιν της θεοτητος*, *totam perfectamque deitatis naturam* : et c) integro inciso, *ὅτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως*, ostendi, *πασῃ τῃ ἀνθρωπινῃ φυσει ἑνωθηναι πασαν της θεοτητος οὐσιαν*, *toti humanae naturae totam fuisse unitam deitatis substantiam.* Aut igitur haec est vera germanaque interpretatio, aut (1) *externo*, caremus *indicio*, quo de vera germanaque alicuius textus enarratione iudicemus.

Quamquam eam esse sinceram ac minime dubiam intelligentiam, ipsa quoque *interna indicia*, *internique canones* persuadent atque confirmant. Hi namque revocari omnes commode possunt ad *canones grammaticos et philologicos, ad canones deinde logicos et historicos* ; ita ut interpretatio, quae eiusmodi conspiratione canonum stabiliatur, neque prudenter negari, neque adduci rite in dubitationem possit. Nullus autem horum est canonum, qui non aperte expositioni suffragetur, quam christiana antiquitas suo calculo comprobavit.

XXXIV.

Sane ut a canone ordiar grammatico et philologico, duo sunt quae difficultatem aliquam creare posse videntur : 1) quid sibi velit *το πληρωμα* : ac 2) quae sit potestas adver-

(1) Parcius loquimur quam ex catholicis scitis fas nobis esset; idcirco autem parcius loquimur, quod et cum iis rem *πολεμικως* habeamus, qui se catholicorum regulis minime obstrictos arbitrantur.

bio (1) σωματικως subiicienda. Neutra autem difficultas talis est, quae non facile, quantum satis est, complanetur.

De significatione enim του πληρωματος statui dupliciter existimarique potest, vel spectata eius nominis origine, vel considerato usu, qui loquendo scribendoque invaluerit. Sed quemadmodum usus postulat, ut πληρωμα *active* accipiatur, eidemque notio subiiciatur *vel* perfectionis et consummationis rei, ac *metonymice*, illius quod rem perficit, supplet, integram reddit ac finit; *vel* expletionis rei, ac eadem figura loquutionis, illius quod rem implet ac explet: ita nominis origo et derivatio cum hac significatione non male consentit.

Ac usus sane, isque *triplex*, biblicus, ecclesiasticus et profanus postulat, ut το πληρωμα alterutro sensu *active* sumatur. In versione alexandrina το πληρωμα crebro respondet hebraico nomini מלא, uti videre licet (2) in formulis, πληρωμα της γης, της οἰκουμενης, της θαλασσης. Neminem porro latet hisce in formulis πληρωμα active (3) sumi, idemque valere ac *id quod terram*, *quodque mare replet ac implet*. In novo autem testamento etsi plurimi (4) omnino sint loci tam evangeliorum quam epistolarum, in quibus το πληρωμα recurrit; nulli tamen sunt qui passivam significa-

(1) Etsi monente Griesbachio adverbium σωματικως desideretur apud Irenaeum, Cyprianum, Archelaum, Primasium et Haymonem *alicubi*; nihilominus illud constanter exhibent a) omnes graeci codices, graecique patres, b) versiones omnes orientales, c) utraque latina versio, tam vulgata quam ante-hieronymiana, ac d) latini patres apud Sabatierium propemodum omnes, ita ut nonnisi contra omnes criticae leges expungi e textu possit.

(2) Ps. XXIV. 1, L. 12. XCVI. 11, XCVIII. 8, I. Chron. XVI. 32. ἡ θαλασσα συν τῳ πληρωματι αὐτης, Jerem. VIII. 16, XLVII. 2, Amos. VI. 8.

(3) Matth. IX. 16, Marc. II. 21, Joh. I. 16, Gal. IV. 4. Rom. XI. 12, Ephes. I. 10, IV. 13, I. Cor. X. 26, alibi.

(4) Qui testimonio alexandrinae versionis assertam vellent *passivam significationem*, hi se ad verba recipiunt Cant. V. 12, ubi אפיקי מים, redduntur, πληρωματα ὑδατων. Sed quum ego probe noverim, ab alexandrinis אפיקים modo (Ps. XVIII. 16.) *de fontibus*, ac modo (Ps. CXXVI. 4.) de torrentibus sumi, non solum non concedo, πληρωματα ὑδατων esse *alveos aquarum*, quique aquis *replentur*, sed vicissim contendo esse fontes aquarumque torrentes, qui terram irrigando *replent*.

tionem (1) exigant, et in quos activa significatio non aptissime quadret. Quod ego exemplorum inductione vindicarem, nisi prolixioris id esset operis, et nisi Christianus Storr (2) omnia quae huc pertineat, singulari industria occupasset. Si ergo in explanandis illustrandisque Scripturis receptum in iisdem loquendi usum sequimur, eoque veluti norma gubernamur; necesse est ut adhibitum a Paulo πληρωματος nomen activa significatione interpretemur.

Quae necessitas eo etiam maior apparebit, si ecclesiasticus loquendi usus (3) animo reputetur. Ad quem quidem usum aperiendum commonstrandumque ea inprimis pertinent sane non pauca, quae de Patrum interpretatione solliciti in medium protulimus; tum ea pertinent quae Du Cangius (4) habet his verbis: « Πληρωμα, *universitas*, *coetus*, quomodo vox *plenitudo* ab aliquot scriptoribus latinis (5) usurpatur. πληρωμα της συνοδου apud (6) Eusebium, πληρωμα της πολεως apud (7) Justinianum. Ignatius diaconus in vita (8) sancti Nicephori, ἐκεινην γαρ μονος αὐτος την δια μαχην ὑφιστατο · ταυτη δε και το του κοινου παντος ἐκινδυνευε πληρωμα. Martyrium (9) sancti Epiphanii, ὑπερ του λαου σου και της καθολικης ἐκκλησιας, και παντος του πληρωματος αὐτης σοι πιστευοντος. Theophanes (10), τουτο δε μαθων ὁ Παπας Θεοδωρος, το πληρωμα της ἐκκλησιας συγκαλεσας. Ita πληρωμα

(1) Unde Schleusner etsi omnes in lexico recensuerit locos, ne unum quidem invenit, ad quem rite explicandum passiva potestas requiratur.

(2) Volum. I. opusculorum, opusc. III. de vario sensu vocis πληρωμα in N. T., pagg. 144. seqq. edit. Tubingae, 1796.

(3) De quo ea conferri possunt sane plurima et luculenta, quae superius descripsimus.

(4) In glossario ad scriptores mediae et infimae graecitatis, col. 1181. T. I. edit. Lugduni, 1688.

(5) Quod in glossario mediae ac infimae latinitatis idoneis exemplis adprobaverat.

(6) De vita Constantini, lib. IV. cap. XLIII.

(7) Novell. XXXVIII. cap. I.

(8) n. 60.

(9) n. 5.

(10) Ad annum XX. Heraclii.

της εκκλησιας usurpant pariter (1) sanctus Basilius, Agatho diaconus (2), Anonymus (3), Johannes (4) patriarcha hierosolymitanus, Auctor vitae (5) sancti Nicolai Studitae, Jus graeco-romanum (6) et (7) Scylitzes. *πληρωμα ιερατικον* apud (8) sanctum Basilium: *πληρωμα μοναχικον* in (9) concilio nicaeno secundo: *πληρωμα των πολιτων* apud (10) Acropolitam: *πληρωμα των ναυτων* apud (11) Philotheum patriarcham constantinopolitanum: *πληρωμα της πολιτειας* apud (12) Nicetam: et *πληρωμα λαικον* apud (13) Matthaeum Blastarem ». Quae sane omnia probant, receptam ecclesiastico loquendi usu *του πληρωματος* vim significationemque esse activam, eoque pertinere, ut *τῳ πληρωματι* id efferatur, quod rei inest, illamque implet et explet.

Et activa similiter est eiusdem nominis potestas, quae apud profanos scriptores frequentior invenitur. Id quum alii, tum Casaubonus (14) nominatim, Wesselingius (15), Elsnerus (16) et (17) Storrius idoneis exemplis confirmarunt. Apud Philostratum (18) *πληρωμα* dicuntur graeci in equo troiano delitescentes: apud Aristidem (19) id quod est in urbe, urbisque incolae audiunt *πληρωμα της πολεως*: apud (20) Lysiam,

(1) In Liturgia, p. 159.
(2) De synodo VI.
(3) Orat. in Festum restitut. imagin. p. 730.
(4) In vita s. Johannis Damasceni, n. 14.
(5) p. 299.
(6) p. 253.
(7) p. 538.
(8) Epist. ad Nicopolitas.
(9) pagg. 97—392. edit. Labbei.
(10) In chron. cap. LXXXVII.
(11) Con. Gregoram, lib. XII.
(12) In Andronic. lib. II. n. 13, in Alexio, lib. I. n. 1.
(13) In Syntagmat. canonum, cap. IV. litt. Υ.
(14) Ad Athenaeum, VIII. 10. p. 612.
(15) Ad Diodor. Sic. XI. 3. T. I. p. 406.
(16) Observatt. ad Ephes. I. 23.
(17) De voce, *πληρωμα*, §. V. pagg. 152—153.
(18) Heroic. cap. X. n. 12.
(19) Orat. de non agendis comoediis, p. 282; et de Roma, p. 374. *το πληρωμα πολεως ἀξιον* dicit *cives Urbis dignos.*
(20) Oratt. Graec. a Reiskio editorum, Vol. V. p. 702.

Demosthenem (1), et (2) Aeschinem πληρωματα νηων id dicitur omne, quod inest navibus, navesque replet cuiusmodi censentur remiges, milites classarii, et si quae alia ad navem adornandam conferunt; unde (3) apud Suidam legimus: « πληρωματα · ὁ των νηων φορτος . ὁ δε ἀναλαβων τα πληρωματα, και τους αἰχμαλωτους, ἡκεν εἰς την Ῥωμην · πληρωμα και οἱ ἐπιβαται . την (4) δε ναυν καταρτισαντες πληρωματι ἐπιλεκτῳ . και αὖθις · παρεκομιζον χρειας τοις πληρωμασι · και (5) Ἀριστοφανης · τουτων πληρωμα ταλαντ' ἐγγυς δισχιλια. Pleromata, navium onera ac sarcinae. *Ille vero assumptis navium oneribus et captivis, Romam ivit.* Pleroma etiam vocantur remiges, militesque classarii. *Quum autem navem instruxissent delecta manu militum et remigum.* Et iterum: *res necessarias militibus classariis afferebant.* Et Aristophanes, *horum summa talenta circiter bis mille implet* ».

Singulari igitur ac eximia prorsus conspiratione monimenta omnia tam biblica quam ecclesiastica et profana ostendunt, eam apostolici testimonii enarrationem ad usum loquendi imprimis exactam censeri oportere, qua το πληρωμα activa significatione usurpetur.

XXXV.

Cui activae significationi minime obest grammatica του πληρωματος derivatio. Est illud quidem nomen verbale, ac ex prima persona perfecti passivi πεπληρωμαι, verbi πληροω *impleo*, manifeste deductum; ac proinde videri prima fronte posset, illi ex origine *passivam significationem* inesse. Duo nihilominus sunt, quae aliter statuendum esse demonstrant.

Exempla imprimis non pauca nominum verbalium in syllabam μα desinentium, quae activam vim induunt, activamque potestatem praeseferunt. Eiusmodi sunt, ut nonnulla in-

(1) Ibid. p. 1217.

(2) Ibid. p. 488. Vol. III.

(3) In Lexico ad v. πληρωματα, p. 130. T. III.

(4) Eiusmodi fragmentum legitur apud Polybium, lib. I. cap. XLVII.

(5) Cf. Küsteri adnotationem.

dicem, *ἄκεσμα* et *ἴαμα*, quae *sanationem* (*θεραπειαν*), ac metonymice id quod *sanationem efficit*, idest, *medicamentum* significant: itemque *παρηγορημα*, *κριμα* et *κατακριμα*, quae *consolationem*, *iudicium*, *damnationemque* (1) exprimant.

Accedit grammaticus canon (2) minime dubius, non raro contingere, ut ipsa quoque praeterita passiva intelligi active debeant; vel ut Storrius (3) loquitur, non semel accidere « ut passiva praeteriti forma, instar praesentis et imperfecti, cum ipso etiam *medio* communicetur, quemadmodum (4) in *δεδεκται*, *προσκεκληται*, *δεδωρηται*, *δεδωρημενης*: proindeque mirum esse non oportere, si etiam verbalia quae in *μα* desinunt, activam potestatem induant ».

Origo igitur et grammatica *του πληρωματος* derivatio talis non est, quae activam significationem repudiet, quaeque cum activa significatione componi apte conciliarique nequeat.

XXXVI.

Quibus rite praestitutis, ad vim quod attinet potestatemque adverbii *σωματικως*, ita habet (5) Christianus Schoett-

(1) Huius generis plura vocabula coniunctim leguntur Rom. V. 16.

(2) De hoc canone praeclare disserit Krebsius in observationibus e Flavio Josepho.

(3) In opusculo de voce *πληρωμα*, §. II. p. 144.

(4) Act. VIII. 14, XIII. 2, XVI. 10, Gen. XXX. 20. apud *τους ὁ*, et II. Petr. I. 3,

(5) Horae hebraic. et talmudic. ad Coloss. II. 9. In observationibus autem ad h. l. sic habet Jacobus Cappellus: « Corporaliter, hoc est, *ὁλως*, *totaliter*, quod eadem ratio sit corporis ad membrum, quae totius ad partem. Scriptura quippe vocem *σωμα*, *corpus*, sumit pro quovis toto, ut Rom. VI. 6., *ut aboleatur corpus peccati*. Sic in Christo dicimur esse *corpus unum*, I. Cor. VI. 16., *unus panis*, *unum corpus* estis vos *qui multi estis*, I. Cor. X. 17, XII. 12—13—14, Ephes. I. 23, II. 16, IV. 4—16, V. 30, Coloss. I. 18—24. Vel potius *corporaliter*, *σωματικως*, sumitur heic pro *veraciter*, quod veritas typis opponatur, quomodo corpus umbrae, Coloss. II, 18 ». De Augustini vero commentario, *ideo corporaliter dictum esse, quia in Christi corpore quod assumpsit ex Virgine, tamquam in templo habitat Deus*; negat illum esse opportunum » quia vel eo pertinet ut *corporaliter* explicetur per *tamquam in templo*, quod durum est, vel tautologiae species affingitur Pauli verbis ».

genius : « Hebraeis גוף inter alia notat (1) *ipsam rei substantiam.* Σωματικως ergo idem est ac *vere* et *realiter*, hebraice, גופית. Contrarium huic est τυπικως, quemadmodum in sacerdotibus summis et prophetis V. T. Deus et Spiritussanctus habitavit. Sic puto nos sensum longe melius capere, quam qui de nescio quodam πληρωματι ex Platone et aliis proferunt, quae ad rem nihil faciunt ».

Haud multum a Schoettgenio abludit Augustus Noesseltus (2), qui laudata primum clarissimorum interpretum diligentia, qua nihil intentatum reliquere, ut germanam particulae σωματικως vim significationemque reperirent, repertamque illustrarent, pergit: « Sequamur igitur heic quoque praeeuntem Apostolum, qui v. 17. iudaeorum instituta σκιαν των μελλοντων, *umbram* sive *imaginem futurorum* appellat, το δε Σωμα, του Χριστου. Nam similem esse hunc locum ad eumque rectam interpretationem dirigendam, Pauli consilium docet et orationis contextus; in utroque quidem loco deseri iudaicas imagines (τα στοιχεια) et praecepta iubet, auctoritatemque unius Jesu Christi commendat. Sunt autem σκια et σωμα disiuncta, plane ut Hebr. X. 1. σκιαν των μελλοντων ἀγαθων, et εἰκονα των πραγματων, hoc est, ipsam

(1) Opusculorum Fascic. II. Commentat. X. ad Coloss. I. 19. et II. 9. pagg. 253—254. edit. Halae 1787. Nolim autem silentio praeterire quae Campegius Vitringa notat Observatt. sacr. diss. II. de Sephiroth Kabbalistarum, lib. I. cap. IV. §. V., inquiens: « Respiciunt verba Pauli vel ad *Templum* vel ad *Arcam*. Utrumque enim fuit συμβολον της שכינה, *inhabitationis Dei gloriosae*. De *Arca* videri iam Paulus noster posset cogitasse v. 3., ubi de Christo: ἐν ᾧ εἰσι παντες οἱ θησαυροι της σοφιας και της γνωσεως ἀποκρυφοι, *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et cognitionis absconditi*. Nihil enim magis respondet τη κιβωτῳ, *arcae*, quam quod res aliqua in illa *abscondita sit*. Nihil hebraei omni aetate sanctius Arca habuerunt. Ad illam preces fusuri se convertebant. Ibi maiestatem divinam venerabantur. Illam religionis suae μυστηριον maximum esse crediderunt. Omnem vero illam spem fidemque, quam quondam in Arca repositam habebant iudaei, translatam vult Apostolus in Messiam nostrum, in quo μυστηρια omnia intelligi possunt veritatem suam consequuta esse. Quam sententiam hac ratione adstruit, quia *omne deitatis* πληρωμα *in Christo habitat, quod quondam creditum est habitare in Arca*: quippe quae, omnium iudicio, *sedes erat maiestatis divinae* in Tabernaculo et Templo ».

rem perspicuam discernit, et genitivus του Χριστου vim habet declarandi, ut sit pro, τουτ' ἐστι ὁ Χριστος, quemadmodum in loco simili (1) Johannis, χαρις και ἀληθεια, *veri nominis beneficium* item a beneficio, quod erat in Mosis lege, disiungitur. Recte igitur σωματικως vertitur *vere*, *reipsa*: iudaei nihil in mosaicis institutis nisi involucra tenebant futurorum bonorum, Christus haec ipsa bona vere attulit ».

Sed Friedericus Schleusner et Abrahamus Wahl nihil videntur habuisse fixi ac rati; ille enim ad vocem σωματικως (2) scripsit: « Semel legitur in N. T. Coloss. II. 9. σωματικως *tamquam corpus*, cuius caput est Christus. Alii interpretantur per *vere, realiter*, οὐσιωδως, ut locus intelligatur non solum de unione hypostatica, sed etiam de intima communicatione idiomatum ». Iste vero ad eamdem vocem (3) ait: « Σωματικως *corporaliter, ut in corpore*, Coloss. II. 9. 9; alii, *vere*, *revera* ».

Non dissimilem animi haesitationem demonstravit Christianus Storr, quum primum hac de re commentatus est, ipsasque ambigendi caussas (4) exposuit, inquiens: « Vocabulum σωματικως latine reddere dubitamus, quia haeremus inter eorum explicationem, qui *solide verissime* interpretantur, et alteram quae (5) vertit *corporea, visibili ratione*. Illi favere videtur locus ad Coloss. II. 17. Et poterat omnino divinitatis perfectissima habitatio in Christo percommode opponi temporariae illi omni et minus perfectae manifestationi gloriae divinae in V. T., quam iudaei magistri (6) ad mosaica instituta commendanda sermonibus iactasse videntur.

Verum alter quoque sensus hos ipsos homines scitissime pungit. Quod si enim summa divinitatis in Christo habitat corporea ratione, hoc est, sic ut ipsum etiam corpus Jesu incolat et imbuat; quo igitur iure isti humanum corpus,

(1) Joh. I. 17.
(2) In Lexico N. T.
(3) In Clave N. T.
(4) In opusc. de voce πληρωμα, §. X. not. 40. pagg. 162 – 163.
(5) Cf. Coloss. I. 15.
(6) Coloss. II. 8.

quod ne divinitas quidem contempsit, ita prorsus despiciebant, ut tribui iis (1) posset ἀφειδια σωματος? si divinitatis summa in Christo inest *corporea ratione*; cur alios mediatores (2) quaerebant, qui non carent modo divinis attributis ad iuvandum necessariis, sed ne contingunt quidem nos *propinquitate* ea, qua homines attingit idem ille, in quo divinitatis summa inest, sed ita ut vere corpus humanum habeat, et in propinquis nostris numerari possit? inficiari quidem non licet, insolitum esse pronunciatum, quod divinitas *corporeo modo* habitet in Christo.

Sed singularis quoque et inaudita prorsus est divinitatis coniunctio cum humana Christi natura universe, et corpore eius proprie; talis nimirum et tanta, ut ὁ λογος, qui (3) Deus est, *factus sit* homo, corpore (4) instructus ».

Sed quum secundis iteratisque curis apostolicum testimonium expendit, ea se reperisse arbitratus est, quibus et animum dubitatione solveret, et certam του σωματικως vim definiret (5), scribens: « Audemus nunc vocabuli σωματικως eam versionem praeferre, qua ipsa summa divinitatis, seu divina omnis virtus, quae (6) in universi creatore et statore inest, in Christo inesse dicitur *corporaliter*, seu visibili modo, hoc est, sic (7) ut λογος θεος factus sit (8) creatura corpore praedita, quae (9) habitantis eam invisibilis divinitatis visibilis effigies (10) sit. Quam scite hoc παραδοξον, *divinitatem ἀσωματον*, ut graeci (11) dicunt, *inesse in Christo σωματικως*, contra Essenorum admiratores urgeri potuerit, nihil attinet hoc loco repetere. Illud vero adiicere li-

(1) Coloss. II. 23.
(2) Coloss. II. 18.
(3) Joh. I. 1.
(4) Joh. I. 14.
(5) Interpret. partis prioris epist. ad Coloss. cap. II. 9. not. 75.
(6) Coloss. I. 16—17.
(7) Joh. I. 1.
(8) Joh. I. 14.
(9) Coloss. I. 16.
(10) Ibid. v. 15.
(11) Videsis Ciceronis lib. I. de natura Deorum, cap. XII.

ceat, nec probari posse vocis σωματικως eam notionem, qua valere dicitur *vere* (quod enim σωμα, ubi diserte a verbo σκιας disiungitur, quod et cap. II. 17., et locis a Wetestenio ad h. l. allatis, fieri constanter videmus, *umbrae* ratione habita, *ipsam rem* significat, id ad nostrum locum, ubi nulla umbrae mentio fit, omnino non pertinet), nec exquisitum valde (1) ad Essenos, qui communi cum ceteris iudaeis templo uti (2) non solerent, respectum haberi, si verba Apostoli in hanc partem accipiantur, ut divinitas Christum *multo verius, quam templum hierosolymitanum*, incolere dicatur ».

XXXVII.

In hac autem interpretum contentione nihil Christophoro Wolfio (3) succurrit commodius, quam singulas enarrationes ad harmoniam redigere, omnesque opportune complecti. « Mihi quidem, inquit, tres illae interpretationes, modo vox θεος de natura Christi divina accipiatur, adeo sibi non adversari videntur, ut altera potius alteram nunc *praestruat*, nunc *consequatur*. Divina Christi natura, seu ὁ λογος, dicitur *habitare*. Si hoc, necesse est, ut praestruatur *subiectum*, quod inhabitare possit. Hoc vero est *corpus*, seu humana Christi natura. Illam inhabitat λογος non per *umbram*, speciem et figuram quasi quamdam, sed *vere* et *praesentissime*. Si vero hoc, non ἐνεργητικως tantum et *effective*, sed *substantialiter* et essentialiter. Negat (4) Bochartus, inhabitationem hanc σωματικως, seu *vere* factam, illi inhabitationi templi hierosolymitani, tamquam *typicae* oppositam, dici posse, quia Deus templum illud *vere* inhabitarit, et praesentiae suae signa ediderit. At ipse facile largitur, insigne inter utrumque habitationis genus discrimen intercedere. Prior enim illa ut per-

(1) Quos oppugnari a Paulo non tantum Storrio, sed recentioribus vulgo interpretibus persuasum est. Cf. Henrici Heinrichs prolegom. in epist. ad Colossenses.

(2) Uti testis est Josephus, Antiquitt. lib. XVIII. cap. I. n. 5.

(3) In curis philolog. et critic. ad Coloss, II. 9.

(4) Tom. II. opp. p. 1040. epist. singulari.

petuo locum non habebat, ita cum excidio templi finem est sortita. Haec autem *του λογου* inhabitatio ut perpetua fuit et numquam interrupta, ita nec umquam finem sortietur. Recte (1) van Till: fateor quidem et veram deitatem habitasse in templo, quod opponit doctissimus Camero; attamen modus habitationis fuit manifestare praesentiam suam *in umbra* corporis Christi, et ibi modo umbratili; nunc vero *in ipso corpore* Christi, et quidem modo directo ».

Verum in quaestionem non venit, *aut* quid ex Apostoli verbis sit consequens, *aut* quid iunctum cum illis sit atque consertum; sed quid illa *ἀμέσως* ac proprie significent. Hoc autem si unice quaeritur, profecto adverbium *σωματικως* a) neque *de subiecto inhabitationis* accipi potest ac reddi, *ὡς ἐν ἰδιῳ σωματι*: neque b) ad *veritatem plenitudinemque* inhabitantis divinitatis referri, ac ita sumi ac si valeret *solide*, *perfecte*, *vere*, *non typo ac umbra tenus*.

Accipi nequit de subiecto inhabitationis, quod disertis exprimitur verbis, *ἐν αὐτῳ*, quum dicitur: *ὅτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως*.

Neque referri potest ad inhabitantis divinitatis plenitudinem veritatemque eiusdem umbrae typoque oppositam; illa siquidem verbis, *παν το πληρωμα της θεοτητος*, luculenter designatur.

Reliquum est igitur, ut *σωματικως* modum rationemque exhibeat, qua *παν το πληρωμα της θεοτητος* in Christo, humanaque Christi natura degit ac inhabitat. Eiusmodi autem et modus et ratio ab Johanne (2) quidem proponitur solemni formula, *ὁ λογος σαρξ ἐγενετο, και ἐσκηνωσεν ἐν ἡμιν*: a Paulo vero (3) his verbis edicitur, *ὁς ἐν μορφῃ θεου ὑπαρχων ἑαυτον ἐκενωσε, μορφην δουλου λαβων*.

Atqui Johannis formula, verbaque Apostoli eo pertinent ut intelligamus, inter *παν τω πληρωμα της θεοτητος*, humanamque Christi naturam *ἑνωσιν* interesse non *σχετικην* et operationis, sed *ὑποστατικην* et personalem, quaque fit, ut unus

(1) In comm. ad h. l.
(2) Joh. I. 14.
(3) Philipp. II. 6 - 7.

idemque Christus sit *θεος και ανθρωπος*, *Deus et homo*. Adverbium igitur *σωματικως* personalem denotat unitionem, qua ex humana natura assumpta Verboque assumente unus extitit Christus, unusque Filius Deo Patri *ὁμοουσιος κατα πνευμα και* (1) *θειαν φυσιν*, et nobis *ὁμοουσιος κατα σαρκα και μορφην δουλου*.

Cui quidem acceptioni non modo patres, quod suo loco (2) vidimus, praeclara consensione suffragantur, sed eidem expoliendae vindicandaeque ex ipso protestantium numero (3) non pauci, ac nominatim insignem dederunt operam (4) Bullingerus, Bochartus (5) et (6) Suicerus, qui suam ita sententiam promit: « In aliis habitat Deus Spiritu suo, novum lumen et novos motus accendens; sed in Christo habitat non solum Spiritu, sed etiam ita, ut *personali unione* humanae naturae divina *του λογου* sit unita. Nam *σωματικως* significat *substantialiter* seu *personaliter*. Quia ut nunc *personam* dicimus ita veteres graeci *σωματα* dicebant, ut in voce *σωμα* pluribus (7) docuimus ».

Quare apostolica verba ad grammaticum et philologicum expressa canonem hunc edunt sensum: *quia in ipso habitat* sedemque (8) fixam habet *tota* (9) *deitatis plenitudo*, quae-

(1) Quam loquendi rationem e vetustissimis ecclesiae scriptoribus mutuati sumus, quibus solemne fuit *divinam* Christi *naturam* prae *humana* nomine *του πνευματος* exornare. Testimonia, quae id comprobant, magno numero retulerunt Hugo Grotius ad Marc. II. 8., et Georgius Bullus in defens. fidei nicaenae, sect. I. cap. II. §. V. Ex his autem lux, uti opinor, non minima affundi potest lucis Marc. II. 8, Rom. I. 3—4, I. Tim. III. 16, Hebr. IX. 14, I. Petr. III. 18-19-20, et Joh. VI. 63. coll. v. 56.

(2) §§. XXX.

(3) Quos laudat Wolfius in curis ad h. l.

(4) In comm. ad Coloss. II. 9.

(5) In singulari epistola, cuius superius meminimus.

(6) In Thesauro ad v. *σωματικως*.

(7) Praeeunte Gatakero in diss. de novi Instrumenti stylo, cap. X, e qua dissertatione Suicerus exempla omnia defloravit.

(8) Quae est nativa potestas *του κατοικειν*, quod opponitur *τῳ παροικειν*, *ad tempus alicubi manere et commorari*.

(9) Infrequens non est synecdoche, qua totum *universale* pro toto *integrali* sumitur, *το παν* pro *τῳ ὁλῳ*, ac *omne* loco *totius*. Vulgatus certe, Matth. XXVI. 59, Marc. I. 33, XIV. 55. Actt. II. 47, VII. 10, XV. 22,

cumque deitati insunt, illamque veluti (1) explent, *corporaliter*; *et vos consummati estis per eum* (2), *qui omnis principatus ac potestatis* (3) *caput est.* In hoc autem grammatico et philologico commentario nihil est, quod ab ecclesiastica interpretatione (4) dissideat, immo quod illam non praeclare tueatur ac vindicet.

XXXVIII.

Quam *canones* similiter *logici* eadem perspicuitate confirmant. Hi namque sicuti a) *negative* flagitant, ut nulla admittatur interpretatio, quae a contextu sive propinquo sive remotiore discedat; ita b) *positive* exigunt, ut ea solum adprobetur, quae cum utroque contextu apte luculenterque conveniat. Atqui interpretatio, quam tradi a patribus, quamque philologico canone stabiliri ostendimus, non solum a proximo contextu non abludit, sed cum eo potius perfectissime conspirat.

Quod a proximo contextu non abludat, legentibus facile (5) apparet, ac eorum praeterea confessione suadetur, qui alia sectantur. Ex horum numero Henricus Heinrichs de ea interpretatione (6) loquens, scribit: « Commodissimum et hanc explicationem sensum fundere quis neget? unde et novissime eam amplexus est Storr; attamen quominus eam praeferamus, prohibent tum loci (7) paralleli, maxime ex epi-

et Philipp. I. 13., usurpat *omne* pro eo quod graece est ὅλον. Graece autem pronomen πας, ad normam hebraici כל, hanc vim refert Matth. XXVII. 45, Marc. XV. 33, Actt. I. 8, IV. 10, Rom. IV. 16, Ephes. III. 15, II. Thess. I. 11, eoque in loco quem expendimus.

(1) Atque hoc pacto etiam Jamblichus, vel quisquis auctor est libri de myster. aegypt., *ea, quae insunt diis*, τα πληρωματα των θεων appellat apud Massuetum, diss. I. in Irenaeum, §. XXXV.

(2) Aut etiam *in eo*, tamquam in fonte bonorum omnium.

(3) Coloss. I. 16. coll. II. 18., Ephes. III. 10, et VI. 12.

(4) §§. XXV. seqq.

(5) Sua enim sponte animo occurrit, illumque sic occupat, ut alteri expositioni praecludere locum videatur.

(6) In annotatt. ad h. l.

(7) Sed quos ipse intelligit locos parallelos? eos ne, in quibus eadem

stola ad Ephesios petiti, tum omne Apostoli consilium, ut qui non divino numine perfusum fuisse Christum colossensibus persuadere velit, sed eum collegisse, conciliatis omnibus inimicitiis, et sub se tamquam unum caput redegisse omnem ecclesiam, eamque moderari ut unicum potentissimumque (1) dominum ». Schleusnerus autem sic (2) habet: « Plurimi interpretes volunt hunc locum ita explicandum esse: voluit Deus, ut in Christo, quidquid inest in ipso, nempe omnis divina ipsius virtus habitaret. Sed si vere hic locus *de maiestate et natura divina, qua Christus vere praeditus erat*, intelligendus esset; quomodo tunc εὐδοκησε explicandum esset, equidem (3) non video ».

Sed parum id est, ac addi omnino debet, cum proximo contextu ecclesiasticam interpretationem (4) egregie conve-

integra formula, idemque contextus habeantur? sed nulli sunt eiusmodi loci paralleli. Quos ergo intelligit? illos nimirum, in quibus vox quidem πληρωμα adhibetur, sed alio contextu, aliaque verborum orationisque serie. Quod sane est parallelismo abuti, egregiumque hermeneuticae praesidium in perniciem ipsius interpretationis convertere.

(1) Cuius tamen summi dominii si originem quaeras, hanc unam invenies, Christum esse θεανθρωπον, atque in eo σωματικως deitatem habitare.

(2) In Lexico ad v. σωματικως.

(3) Quod profecto Schleusnerus vidisset, si tantam theologiae dedisset operam, quantam philologiae et grammaticae impendit. Neminem enim theologorum latet, παραδειγμα omnium nobilissimum divinae benevolentiae in eo splendescere, quod Verbum sibi humanam naturam ὑποστατικως copulaverit.

(4) Negat id Noesseltus in citata commentatione, p. 247. scribens: « Interpretatio, quae verba refert ad naturam Dei vere et quasi plene cum Christo communicatam, non ea quidem verbis repugnat, ac posset ferri, si nulla alia consistere cum verbis posset. Nunc nihil omnino habet quo se prae ceteris commendet, ac ne comparari quidem cum aliis potest; quum nec consilium Apostoli orationisque contextus eam requirat, nec Pauli consuetudo umquam το πληρωμα θεου *de Dei natura* dicat, sed alio ubicumque sensu; ut commenticiam esse eam, nec usu loquendi sacrorum librorum probatam, facile agnoscatur ».

Verum 1) frequens ne est apud Paulum, aut apud alios Scripturarum auctores phrasis, παν το πληρωμα της θεοτητος? immo nuspiam alibi occurrit. Quem ergo Noesseltus venditat loquendi usum? quid porro illud 2) quod monet, neque cum Pauli consilio sermonisque contextu hanc expositionem cohaerere, neque ullo prae aliis nomine commendari? atqui

nire. Sane particula ὅτι, qua comma nonum cum praecedente cohaeret, aperte demonstrat, eodem commate nono argumentum rationemque contineri, qua exciti colossenses firmissime nollent instituta sequi, religionemque complecti, quae essent κατα την παραδοσιν των ἀνθρωπων, κατα τα στοιχεια του κοσμου, και οὐ κατα Χριστον. Atqui ad colossenses permovendos, creandamque illis persuasionem, ut reiectis inanis philosophiae ludibriis, humanisque traditionibus posthabitis in ea doctrina constantes permanerent, cui iampridem adhaeserant, quaeque Christum habebat auctorem; aut nihil excogitari accommodatum potuit, aut illud certissime fuit, quo verbis, ὅτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, augusta divinaque Christi dignitas exprimeretur. Eiusmodi enim significatione praestituta, hic prodit sensus, atque haec est sententiarum ἀκολουθια: « ea institutio eaque doctrina unice retinenda est, quae summum quaeque fide dignissimum nacta fuerit auctorem. Nemo autem Christo maior, ac nemo cui meliori iure fides adiungatur; siquidem in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ac ita ipse est homo, ut verus simul ac perfectus sit Deus ».

Quid iamvero est, in hac sententiarum consequutione, quod non sua se concinnitate commendet, quod non praeclare fluat, rectaque linea ad σκοπον dirigatur? iure ergo Storrius (1) eamdem vindicans interpretationem animadvertit, illam esse ad Pauli consilium aptissimam. « Eo siquidem spectat Apostolus, ut colossenses, quemadmodum cognoverint Christum Jesum, Dominum (2), ita vivant constanter ei (3) adhaerescentes, nec magistros alios sequantur a Chisto (4) abducturos. Neque enim (5) maiorem inveniri

inde prae aliis commendatur. a) quod sit obvia, b) quod sponte ex verbis fluat, c) quod ad Pauli consilium aptissime faciat, quodque tandem d) totius christianae antiquitatis suffragio stabiliatur.

(1) Opusc. de voce πληρωμα, §. X. pagg. 163—164.

(2) Coloss. II. 6.

(3) Ibid. vv. 6—7.

(4) Ibid. v. 8.

(5) Ibid. v. 9.

posse magistrum eo, *in quo* (1) *insit divinitatis summa, eique* adhaerescentes, aut, si malis, *per* (2) *eum*, perfecte (3) absolutos esse colossenses; ut nulla alia (4) disciplina indigeant, ipsisque ad perfectam salutem nihil plane desit. Jam, verbi gratia, *angelorum cultu*, quem inepti doctores (5) exigant, nihil ipsis opus esse, sed ad eum, quem, Epaphra duce, cognoverint (6) *Dominum*, tamquam ad suam κεφαλην (7) confugere eos debere, quae eadem, quum summa divinitatis ei (8) insit, rerum creatarum omnium, itaque πασης etiam ἀρχης και ἐξουσιας, etiam (9) *summorum quorumque angelorum* κεφαλη et (10) Dominus sit ».

XXXIX.

Neque aliter de consensione *cum remotiore contextu* existimare licet. Eo namque *theologia* (11) aeque ac Christi *oeconomia* propriis iisdemque splendidissimis coloribus depingitur.

Depingitur theologia, quum de Christo (12) dicitur, ὅς ἐστιν εἰκων του θεου, του ἀορατου, πρωτοτοκος πασης κτισεως ὅτι ἐν αὐτῳ ἐκτισθη τα παντα: quum de eodem (13) additur,

(1) Hebr. I. 1, II. 3, Joh. III. 31.
(2) Coloss. II. 10. ἐν αὐτῳ.
(3) Coloss. II. 10. coll. IV. 12.
(4) Coloss. II. 8.
(5) Coloss. II. 18.
(6) Ibid. v. 6.
(7) Ibid. v. 19.
(8) Ibid. v. 9.
(9) Ephes. III. 10.
(10) Coloss. II. 10.
(11) Opportune Theodoritus in comm. ad Coloss. I. 18., ἀπο της θεολογιας εἰς την οἰκονομιαν μετεβη, *a sermone de divinitate transit ad dispensationem.*
(12) Coloss. I. 15—16. Idcirco autem scribit Theodoritus, εἰκων του θεου του ἀορατου, *imago Dei invisibilis* audit Christus, quod ἐναργεις φερει του γεγεννηκοτος τους χαρακτηρας, *expressos eius qui genuit characteres praefert.*
(13) Coloss. I. 16. Quum enim Christus sit Joh. I. 1—14. θεος ἐνσαρκος, hoc sibi vult Apostolus, a Deo per Filium Hebr. I. 2. omnia creata esse.

τα παντα δι' αὐτου και εἰς αὐτον ἐκτισται : quum (1) subditur, και αὐτος ἐστι προ παντων, και τα παντα ἐν αὐτῳ συνεστηκε : quum tandem (2) horum omnium fons ac origo his verbis reseratur, ὁτι ἐν αὐτῳ εὐδοκησε παν το πληρωμα κατοικησαι.

Depingitur autem oeconomia his ac similibus (3) formulis: ἐν ᾡ ἐχομεν την ἀπολυτρωσιν, την ἀφεσιν των ἁμαρτιων : και (εὐδοκησε) δἰ αὐτου ἀποκαταλλαξαι παντα εἰς αὐτον, εἰρηνοποιησας δια του αἱματος του σταυρου αὐτου : και αὐτος ἐστι κεφαλη του σωματος της ἐκκλησιας, ὁς ἐστιν ἀρχη, πρωτοτοκος ἐκ των νεκρων, ἱνα γενηται ἐν πασιν αὐτος πρωτευων.

Porro si haec omnia simul comparentur, liquet : a) unum eumdemque Christum Deique Filium et *creatione* esse humamani generis *auctorem*, et *redemptione* esse eiusdem *reparatorem* : b) illi propterea *in utroque ordine* tam naturali creationis, quam supernaturali reparationis πρωτειον convenire : sed c) in ordine naturali creationis πρωτειον illi convenire κατα θεολογιαν, convenire autem κατ' οἰκονομιαν in ordine supernaturali reparationis : huius vero d) augustae divinaeque plane dignitatis, qua Christus ἐν πασιν πρωτευει, fontem ac originem duplici formula exhiberi, quarum prior (4) est, ὁτι ἐν αὐτῳ εὐδοκησε παν το πληρωμα κατοικησαι, altera autem sic (5) habet, ὁτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως. Atqui neutra formula censeri origo potest, e qua tanta Christi dignitas tantaque praestantia dimanet, nisi πληρωμα et παν το πληρωμα της θεοτητος, de plena veraque deitate accipiantur.

Quare Storrio (6) penitus subscribo affirmanti : in loco ad Coloss. I. 19. το πληρωμα esse το πληρωμα της θεοτητος,

(1) Ibid. v. 17. coll. Hebr. I. 3.

(2) Ibid. v. 19. Verbum εὐδοκησε necessario refertur ad vocem πατρι, etsi paullo remotiorem ; unde quod memoratur πᾶν το πληρωμα est παν το πληρωμα αὐτου, ac totius loci sententia huc redit : *voluisse Patrem ut Christo inesset suae divinitatis plenitudo.*

(3) Coloss. I. 14—20—18.

(4) Coloss. I. 19.

(5) Coloss. II. 9.

(6) Opusc. De voce πληρωμα §. X., pagg. 164. seqq.

nempe πληρωμα (1) eius, qui (2) εὐδοκησε παν το πληρωμα (αὐτου) ἐν Χριστῳ κατοικησαι. Patri (3) vel Deo placitum est, ut in Christo, *quidquid inest* in ipso, omnis divina ipsius virtus habitaret. Atque ex eo *primum* caussa (4) intelligitur, quamobrem Christus etsi homo et hactenus κτισις sit, omni tamen rei creatae antecedat, Deique invisibilis (5) perfectissima imago dici possit, quae in omnibus (6) principatum obtineat, quin rerum adeo omnium (7) auctor et conservator appellari queat. Ea omnia in Christum propterea cadunt, quia (8) ille homo est, in quo *divinitatis summa* habitare visum est. *Deinde* etiam exponitur, *quo consilio* (9) Deus in Christo habitare voluerit divinam omnem virtutem suam: voluit Deus divina omnia attributa in Christo inesse, *et per eum omnia, quae vel in terra vel in caelo fuerint, conciliare* et redigere voluit (10) *ad ipsum*, *qui* (11) *pacem fecit per sanguinem suum in cruce* (12) *profusum*, idest per seipsum (13) sanguinem in cruce profundentem.

Ut Christus magnas has res perficere omnes posset, ut Dei *voluntatem*, salva (14) eius iustitia, *reconciliare* (15) *nobis*, atque inter iudicem universi et poena dignos homines *pa-*

(1) Qui est Pater, ut orationis series ostendit.

(2) Gemina prorsus constructio του εὐδοκειν habetur Macc. XIV. 35.

(3) Joh. XVI. 15.

(4) Conferri debet particula ὅτι ad Coloss. I. 19.

(5) Coloss. I. 15.

(6) Ibid. v. 18.

(7) Ibid. vv. 16—17.

(8) Ibid. v. 19.

(9) Ibid. v. 29.

(10) Ibid. v. 20.

(11) Εἰρηνοποιησας ponitur pro εἰρηνοποιησαντος, vel potius more hebraico ante εἰρηνοποιησας omittitur pronomen relativum ὅς cum verbo substantivo ἐστιν.

(12) Philipp. II. 8. αἱμα του σταυρου dicitur θανατος σταυρου, supplicium crucis.

(13) Similiter Coloss. I. 22. ἐν τω σωματι της σαρκος αὐτου δια του θανατου valet *per corpus suum morti traditum*, seu *per corporis sui mortem*.

(14) Rom. III. 25.

(15) Ephes. II. 16, II. Cor. V. 19, Rom. V. 10.

cem (1) *conciliare*, veniamque peccatorum, integra legum violatarum dignitate, impetrare nobis posset; homo quidem esse debebat, qui sanguinem in cruce profundere posset, sed (2) ille homo, in quo divina omnis virtus inesset ».

Canon ergo logicus (3) non minus cum canone philologico quam cum ecclesiastica interpretatione consentit, ostenditque apostolicum testimonium praepostere accipi, nisi de vera deitate quae in Christo plenissime habitet, intelligatur.

XL.

Quo item spectat *historicus canon*, ad cuius amussim ut interpretatio quaevis exacta videatur, necesse est: a) verbis

(1) Rom. V. 1.

(2) Hebr. VII. 26. seqq.

(3) Alia prorsus est Doederlein sententia, qui in institutione theologi christiani, P. I. pagg. 331—332. principio monet, *ad normam potius vulgaris Lexici quam ad contextus regulam verba Pauli sic reddi, in eo habitat omnis divinitas vere.* Tum subdit: " πληρωμα της θεοτητος non differt a πληρωματι του θεου, Ephes. III. 19., vel πληρωματι του τα παντα ἐν πασι πληρωμενου, quod quin sit regnum divinum universum, vel universitas gentium, quae orbem terrarum incolunt, non est dubium. πληρωμα θεου esset *id quod Deus implet*, vel praesentia sua ac vi comprehendit, universitas hominum qui iam divino imperio subsunt; sed *illa universitas*, semotis iam partibus per quas divisa fuit (erant enim iudaei alii, alii graeci vel profani), *habitat in Christo*. κατοικειν enim nihil esset aliud, nisi excipi ἐν οἰκῳ Χριστου, hoc est Hebr. III. 6, in familiam et societatem christianam. Idque fit σωματικως, vel ὡς σωμα. Omnes illi cives imperii divini sunt *quasi corpus Christi*. Atque hunc sensum commendant Coloss. I. 16, *pro consilio Dei benigno in Christo* vel ecclesia *universitas habitat*, omnes recipiuntur. Cf. v. 17. et Ephes. III. 19., quem recte cum nostro loco contulit Teller ». Sed quum omnia huic interpretationi adversentur, ultimum non est quod Noesseltus comm. cit. p. 249, animadvertit: « nihil excogitari durius posse illo loquendi modo, quo πληρωμα κατοικει ἐν Χριστῳ poneretur pro *omnes Dei cives incolae sunt templi a Christo instructi, ab eo tamquam capite omnes pendent, et per eum sunt in unum coniuncti corpus*. Hoc enim deberet esse, ὁ Χριστος κατοικει ἐν τῳ πληρωματι, Christus habitat in ecclesia, non ecclesia in Christo; ut Deus dicitur in nobis, non nos dicimur in Deo habitare ... Huiusmodi catachresin nullius linguae analogia tulerit ».

phrasibusque nullam tribuere potestatem, quae ab exploratis opinionibus sententiisque quum scribentis tum legentium audientiumve discedat. Tum necesse est b) sedulam diligentemque eorum omnium habere rationem, quae propria illius aetatis fuerint, qua scriptio prodiit. Ac necesse demum est c) accurate investigare, quae sibi auctor vel stabilienda et confirmanda, vel subvertenda ac funditus profliganda proposuerit.

Nihil porro evidentius 1), quam universas (1) Pauli epistolas, atque hanc ipsam ad Colossenses datam testimoniis refertas esse, e quibus quisque sibi persuadere debeat, hanc Paulo ratam fixamque insedisse sententiam, *in Christo praeter eam quae apparebat naturam, aliam eamque multo nobiliorem credi oportere*, qua ipse sit (2) dicaturque εἰκων του θεου του ἀορατου, ἀπαυγασμα της δοξης και χαρακτηρ της ὑποστασεως του θεου, κρειττων των ἀγγελων, et ἐπι παντων θεος εὐλογητος εἰς τους αἰωνας.

Nihil deinde evidentius 2), quam lectores epistolae ad colossenses neque aliam de Christo fidem alere, neque aliam profiteri doctrinam potuisse. Hanc enim et ex iis didicerant quae Paulus in priori capite tanto verborum pondere, tantaque sententiarum magnificentia de Christo (3) tradiderat, inquiens: ὁς ἐστιν εἰκων του θεου του ἀορατου, ἐν αὐτῳ ἐκτισθη τα παντα, τα παντα δἰ αὐτου και εἰς αὐτον εκτισται και αὐτος ἐστι προ παντων, και τα παντα ἐν αὐτῳ συνεστηκε. Atque hanc e communi didicerant apostolorum praedicatione, quam compendio retulisse videtur (4) Ignatius,

(1) Quod inter ceteros demonstravit Prudentius Maranus de diviuit. Domini nostris Jesu Christi, Lib. I. Part. II. capp. IX. seqq.

(2) Coloss. I. 15, Hebr. I. 3, et Rom. IX. 5.

(3) Coloss. I. 15—16—17.

(4) Epist. ad Magnes. §. VIII. « Ignatiano-mastiges, inquit Hefele, contendunt fieri heic mentionem Σιγης Valentini gnostici, et inde apparere epistolam nostram non ab Ignatio esse exaratam. Respondet Vossius, respexisse Ignatium ad gnosticos Valentino antiquiores; melius autem agunt Cotelerius (ad h. l.) et Rothe (Anf. p. 726.), Ignatium dixisse monentes: Christus est Verbum Dei aeternum, quod non instar humani sermonis *post silentium* seu *e silentio* progreditur, non *iunius* est silentio sed *aeternum*.

scribens : « Εἷς θεος ἐστιν ὁ φανερωσας ἑαυτον δια Ἰησου Χριστου του υἱου αὐτου, ὅς ἐστιν αὐτου λογος ἀιδιος οὐκ ἀπο σιγης προελθων, ὅς κατα παντα εὐηρεστησεν τῳ πεμψαντι αὐτον. Unus est Deus, qui se manifestavit per Jesum Christum Filium suum, qui est Verbum ipsius aeternum, non a silentio (1) progrediens, quique in omnibus ei, qui ipsum miserat, complacuit.

Nihil postremo evidentius 3), quam de eo maxime sollicitum fuisse Apostolum, ut comparatione instituta Christum inter ac visibilia omnia et invisibilia, his omnibus infinito intervallo praecellere Christum doceret, auctorque colossensibus esset, ne aures (2) pseudo-doctoribus praebere vellent, sed in suscepta semel christiana religione perseverarent. Huc ista (3) pertinent : ὅτι ἐν αὐτῳ ἐκτισθη τα παντα, τα ἐν τοις οὐρανοις και τα ἐπι της γης, τα ὁρατα και τα ἀορατα, εἴτε θρονοι, εἴτε κυριοτητες, εἴτε ἀρχαι, εἴτε ἐξουσιαι· τα παντα δι' αὐτου και εἰς αὐτον ἐκτισται, και αὐτος ἐστι προ παντων, και τα παντα ἐν αὐτῳ συνεστηκε. Eodemque referuntur tum (4) haec, και ἐστε ἐν αὐτῳ πεπληρωμενοι, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλη πασης ἀρχης και ἐξουσιας, quum quae his verbis (5) Paulus complectitur, μηδεις ὑμας καταβραβευετω, θελων ἐν ταπεινοφροσυνῃ και θρησκειᾳ των ἀγγελων, ἁ μη ἑωρακεν, ἐμβατευων, εἰκῃ φυσιουμενος ὑπο του νοος της σαρκος αὐτου, και οὐ κρατων την κεφαλην.

XLI.

Age iam ac ipse tecum reputa, cuiusmodi esse debeat verborum, ὅτι ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτη-

(1) De vi ac potestate huius phraseos digni sunt qui potissimum consulantur duumviri eruditissimi, Pearsonus in vindiciis ignatianis, et Bullus in defens. fidei nicaenae, sect. II. de Filii τῳ συναιδιῳ, cap. I.

(2) Vide de his accurate disserentem Henricum Heinrichs in prolegomenis ad hanc epistolam.

(3) Coloss I. 16—17.

(4) Coloss. II. 10.

(5) Ibid. vv. 18—19. Utriusque autem commatis veram germanamqua sententiam pluribus exponit confirmatque Petavius de Angelis, lib. II. cap. X. §§. X. seqq.

τος σωματικως, interpretatio, ut cum hisce rerum, temporum, personarumque adiunctis probe conspiret. Haud aegre assequeris, nullam aliam interpretationem comparatam sic esse, ut hisce omnibus singulisque conditionibus faciat satis, nisi qua Pauli verba de sublimiore Christi natura, deque infinita eiusdem praestantia intelligantur. Haec enim sola a) cum explorata Pauli de Christo fide doctrinaque consentit: haec sola b) persuasioni respondet, in qua versari colossenses debebant: haec sola c) aperit fallaciamque pseudo-doctorum refutat: atque haec sola d) potuit colossensium animos Christo penitus devincire, et contra deceptorum astum fraudesque invicto robore armare.

Haec autem est ipsamet ecclesiastica interpretatio, qua 1) παν το πληρωμα της θεοτητος de plena suisque absoluta numeris deitate accipitur: qua 2) particula σωματικως de eo explicatur arctissimo vinculo, quo assumentis Unigeniti persona cum natura assumptae humanitatis cohaeret: et qua 3) totum incisum, ἐν αὐτῳ κατοικει παν το πληρωμα της θεοτητος σωματικως, eo traditur pertinere, ut unus idemque Christus Deus et homo ac vere θεανθρωπος censeatur.

Summus est igitur concentus, quo canones omnes legesque sincerae germanaeque enarrationis ecclesiasticam acceptionem interpretationemque tuentur ac illustrant.

XLII.

Quod si res ita se habet, ac apostolico testimonio eiusmodi subest significatio: si παν το πληρωμα της θεοτητος idem valet ac θεοτης, θεια φυσις, θεια οὐσια, θεος: et si in Christo ἡ θεοτης habitare σωματικως perhibetur; profecto sic illi ἡ θεοτης convenit, ut sit θεος.

Eadem vero θεοτης et Patri convenit, qui est crediturque (1)

(1) Idest *ex scipso* Deus, nec deitatem aliunde communicatam habens. Sin autem αὐτο in hac nominis αὐτοθεου compositione eo sumatur sensu quo *rei veritatem* affirmat; non solum Pater sed ipse quoque Filius αὐτοθεος est credique debet. Scite Epiphanius Haeres. LXXVII: « ὁ θεος λογος ἐν ἑαυτῳ ἐχων την πασαν τελειοτητα, αὐτοτελειος ὢν, αὐτοθεος ὢν, αὐ-

αὐτοθεος, ac deitatis, quae Filio inest (1), ῥιζα και πηγη. Nomine igitur θεοτητος id effertur, quod est Patri Filioque *commune.*

Est autem θεοτης a) nomen *abstractum*, b) *a quavis originis σχεσει liberum ac solutum*, et praeterea c) nota atque charactere distinguitur *omnimodae unitatis* ac *singularitatis.* Iis ergo dotibus grammaticis logicisque nomen θεοτητος insigne est, ut significandi virtute ac potestate ecclesiasticae acceptioni της οὐσιας plene perfecteque respondeat.

τοδυναμις, αὐτονους, αὐτοφως. Deus Verbum in seipso omnem habens perfectionem, per se perfectus (idest, οὐ κατα μετοχην, οὐδε εξωθεν) existens, per se Deus existens, per se potentia, per se mens, per se lux ».

(1) Voces sunt istae orthodoxis scriptoribus usitatae, ut Patrem esse totius deitatis originem significent, idque exprimant quod Johannes Damascenus de fide orth. lib. I. cap. X. his verbis complectitur: « παντα οὐν ὁσα ἐχει ὁ υἱος και το πνευμα, ἐκ του πατρος ἐχει, και αὐτο το εἰναι. Omnia quaecumque habet Filius et Spiritus, a Patre habet, etiam ipsum esse ».



IMPRIMATUR

Fr. Dom. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

Ioseph Canali Archiep. Coloss. Vicesg.

KAROLI PASSAGLIA SOD. E. S. J.


COMMENTARIORUM THEOLOGICORUM

PARS TERTIA

DE PARTITIONE DIVINAE VOLUNTATIS

IN PRIMAM ET SECUNDAM

DEQUE UNIVERSALI REPARATI ORDINIS AMPLITUDINE



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

MDCCCLI

ANGELO MAIO

VIRO EMINENTISSIMO

PRAEFECTO SACRI CONSILII TRIDENTINIS DECRETIS INTERPRETANDIS

POLYHISTORI AETATIS NOSTRAE PRAECLARISSIMO

CVIVS DOCTRINA ET EDITIS LIBRIS

SACRAE ET PROFANAE ERVDITIONIS MONVMENTA

AVCTA MIRIFICE INLVSTRATAQVE SVNT

KAROLVS PASSAGLIA

SODALIS E SOCIETATE IESV

DOCTOR DECVRIALIS APVD COLLEGIVM ROM.

COMMENTARIOS THEOLOGICOS

AVSPICI STVDIORVM SVOR.


DEDICABAT

Quum mecum animo reputarem diuturnas impeditasque quaestiones de voluntate Dei salutifera, de parta Christi meritis reparatione, de amplitudine gratiae, de electione ad gloriam, deque sempiterna plurium hominum reprobatione; non potui quin ipse mecum sedulo exquirerem qui factum sit, ut tot tantisque adhibitis studiis exhaustisque laboribus obscurata potius quam illustrata veritas videretur. Neque in irritum cogitatio cessit; visus namque mihi sum tres potissimum caussas repperisse quae adhuc impedierint, quominus depulsis tenebris liquida veritas enitesceret. Et re sane vera quo fieri diligentius potest, mutuo contendantur quae ad nostram usque aetatem de hisce grovissimis doctrinarum capitibus in lucem prodierunt, quaeque non minus a catholicis quam a protestantibus et iansenianis sunt disputata; illud coutinuo apparebit pleraquae omnia esse polemica, ab universalibus ideis notitiisque seiuncta, et ad partem satius aliquam quam ad integram Scripturarum Traditionisque summam exacta atque expressa. Neminem vero latere potest, eiusmodi tractationis modum ita suapte natura esse comparatum, ut ex eo tibi veritatis assequutionem immerito pollicearis. Haec enim fructus est non pugnae et contentionum sed tranquillitatis ac pacis: et fructus est indagationis non solutae et imperfectae sed plenae suisque e princicipiis apte solerterque deductae.

Dedimus igitur operam ut rixis litibusque sepositis, cum nihil praetermitteremus eorum, quae christiana traditio quaeque divinae litterae complectuntur, tum ad ea mente animoque proveheremur quae normae instar ac regulae obversari oculis debent. An ista nobis e voto acciderint, apud illos arbitrium esto qui nostra penitus non fastidiunt, quique illorum sunt memores quibus Theodoritus prologum ad disputationes de curandis graecorum affectionibus absolvit inquiens: « Quicumque vero in aliorum lucubrationes inciderint, eos ego rogatos velim, ut siquidem bene habent omnia quae scripta sunt, Deum laudent qui bene scribendi facultatem dedit, ipsisque adeo scrtptoribus bene precentur; sin vero aliqua desiderari videantur, ne horum caussa cuncta condemnent, sed ex iis potius quae recte scripta noverint, emolumentum sibi comparent ».



COMMENTARIUS
DE PARTITIONE DIVINAE VOLUNTATIS
IN PRIMAM ET SECUNDAM
DEQUE UNIVERSALI REPARATI ORDINIS AMPLITUDINE



ARGUMENTUM

Tractationis materies I: — Chrysostomi doctrina de partione divinae voluntatis in primam et secundam II— XIV: — nomina, origo, dotes voluntatis primae IV — VIII: — nomina, origo, dotes voluntatis secundae, atque huius ad primam respectus VIII — X: — universalis amplitudo voluntatis primae XII — XIII: doctrinae capita, quae hac partitione efferuntur XV: — consona Iohannis damasceni sententia, loquendique ratio XVII — XXI: — Theophylacti testimonia eodem pertinentia XXI—XXIV: — quo spectet discrimen appellationum, quibus utraque voluntas insignitur XXII: — de supernis donis, quorum Deus est caussa princeps et unica, et quorum sic est caussa princeps, ut caussas subiuges postulet XXIII: — formulae ac ratio, quibus eamdem divinae voluntatis partitionem Oecumenius effert atque explicat XXIV: — quid de ea latini scriptores censuerint XXV — XXXIV: — et quid nominatim censuerint Anselmus cantuariensis XXV—XXVIII: — Anselmus laudunensis XXVIII: — Rupertus tuitiensis XXIX: — ac Bernardus XXX — XXXII: — comparatio formularum, quibus graeci latinique usi sunt XXXII: — simillima, immo eadem doctrina, diversis licet formulis, ab utrisque tradita XXXII: — petiora huius doctrinae capita XXXII — XXXIV.

Haec aliorum suffragio testium comprobantur XXXIV: — et in primis Attonis vercellensis XXXIV: — tum vero Hincmari remensis XXXV — XXXVIII: — Paschasii Rathber-

ti XXXVIII : — Paulini aquileiensis XXXIX : — Venantii Fortunati XL : — Salviani XLI : — auctoris Praedestinati XLI : — Gennadii massiliensis XLI : — Aviti viennensis XLII : — Isidori hispalensis XLII : — Cassiodorii XLIII — XLVI : — Fastidii XLVI : — Gaudentii brixiensis XLVI.

Accuratius expenditur doctrina auctoris de vocatione omnium gentium XLVII — LXII : — qui ex ordine statuit, credendum esse, Deum velle omnes omnino homines salvos fieri XLVII — XLIX : — Christum pro omnibus mortuum esse XLIX — LI : — ac omnibus semper hominibus necessaria adfuisse gratiae auxilia, quibus salutem consequerentur LI — LIII : — Quesnelli opinio, non aliam ab Anonymo universalem gratiam stabiliri, nisi externam LIII : — refellitur, ac principio refelluntur hypotheses, quibus ea incumbit LIV : — ipsa deinde refellitur thesis LV — LXII : nexusque comprobatur, quo cum externis donis interiora conseruntur LVIII — LX : unde infertur, Anonymi fidem doctrinamque huc redire, inesse Deo voluntatem salutiferam universalem, fecundam, et e qua ordo universalis reparationis repeti debet LXI.

Prosperi in eamdem mentem conspiratio LXII — LXXII: — eo auctore, sincerissime profitendum est, Deum velle, ut omnes homines salvi fiant LXII — LXIV : — profitendum deinde est, hanc voluntatem salutiferam ex fonte permanare misericordis benignitatis, efficacem esse, caussamque supremam universalis per Christum reparationis LXIV — LXX : — quae tamen reparatio circumscripta et particularis dici merito potest, si passive non active consideretur, referaturque non ad voluntatem salvandi, sed ad propositum huius voluntatis implendae LXX — LXXII.

Sententia ecclesiae alexandrinae de voluntate Dei salutifera deque universali reparationis ordine, comprobatur testimoniis Clementis alexandrini, Origenis, Didymi, Athanasii, utriusque Macarii, Paphnutii, Isidori, Sinesii, Cyrilli, Theophili, Serapionis, Orisiesii, Antonii, Petri, Theonae ac Phileae LXXII — XCIX : — illa huc redit, inesse Deo voluntatem salutiferam, universalem, fecundam; omnibus necessaria gratiae auxilia concedi; triplicem ordinem naturalem, praeternaturalem, supernaturalem ita divinitus temperari, ut sin-

guli ad hominum salutem dirigantur; ad hanc ipsum quoque ordinem poenarum temporalium referri, hominesque universos in statu erectae restitutaeque per Christum naturae versari, ibidem.

Concors suffragium ecclesiae africanae, cuius testes sunt Tertullianus, Cyprianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, Marius Victorinus, Optatus, Facundus et Primasius XCIX — CXII: — hoc suffragio edocemur, universali per primum Adamum ruinae universalem per secundum Adamum reparationem successisse; huius universalis reparationis principem caussam insita Dei erga hominum genus benevolentia contineri; ex hac benevolentia semper defluxisse ac porro defluere eximiam gratiarum copiam, qua recreati homines possint ac debeant e miserrima filiorum irae conditione ad dignitatem adoptivae filiationis contendere illaque potiri; non alios idcirco peccatis vinci ac sempiterna beatitate privari, quam qui caelestem misericordiam contempserint, oblatamque salutem repudiarint, ibidem.

His omnibus Hispaniarum ecclesiae patrocinantur, quemadmodum verbis omnino disertis Dracontii, Orosii, Marii Mercatoris, Prudentii atque Paciani efficitur CXIII — CXVI.

Patrocinantur et Galliarum ecclesiae quarum fidem exhibent Irenaeus, Hilarius, Phoebadius, Sedulius, Caesarius, Valerianus, Apollinaris, Avitus, Salvianus ac utraque Synodus arausicana et arelatensis CXVII — CXXXIII: — potiora huius fidei capita sunt, nemini ab aeterno poenas decerni, ac nemini suo tandem tempore desituras numquam poenas infligi, nisi quem misericordiae contemptorem Deus praenoverit, quique reipsa ad extremum usque misericordiam contempserit; tam sempiternum poenae decretum, quam temporariam illius exequutionem ad eam voluntatem spectare, quae praescientiam comitem habet, qaaeque voluntas secunda nuncupatur; ad voluntatem primam et antecedentem pertinere ordinem misericordiae ac praemii; neque alios ab hoc ordine excidere nisi qui perniciem exitiumque contra benevolam Dei voluntatem sibi libera struxerint, ibidem.

Sucedunt Italiae patres, Hippolytus, Ambrosius, Zeno, Hieronymus, Chromatius et Paulinus, quorum quae vox est,

falli vehementer qui docent primitivam labem eo usque fuisse fatalem, ut pereundi necessitatem intulerit; qui docent sanguinem agni qui tollit peccatum mundi, non semper omnibus profuisse; qui docent ex originali a Deo separatione tantam in hominum genus perniciem dimanasse, ut non defuerint qui ad divinam societatema dspirare deinceps non possent, qui docent aliquod ertitisse tempus quo Deus humani generis curam neglexerit, inflictisque eidem vulneribus paterna pietate non consuluerit; qui postremo docent aliquando extitisse vel etiam modo nonnullos existere, quibus superna absolutaque destinatione caelorum regnum abstructum existimari debeat CXXXV—CLVI.

Conspirant romani praesules, Clemens, Innocentius Caelestinus et Leo, quibus auctoribus tenendum est, statum humani generis, qui consideratis hominum operibus, status esset ruinae ac damnationis, interveniente Dei clementia ac bonitate, statum esse reparationis ac salutis, et eius quidem reparationis quae prorsus universalis sit et actuosa CLVI—CLXV.

Simillima tradunt antiocheni patriarchatus doctores, Barnabas, Ignatius, Theophilus, Titus bostrensis, Jacobus nisibenus, Ephraemus, Isaacus, Nemesius, Eustathius, Basilius seleuciensis, Theodoritus et Anastasius, quorum haec est indubitata sententia: divinum de servandis hominibus consilium non aliud ante, et aliud post humanitatis praevaricationem, ad rem ipsam quod pertinet, extitisse; sicut enim ante praevaricationem voluit Deus hominum salutem, ita post praevaricationem voluit, ut ne unus quidem periret: nihilominus inter utrumque divinum consilium id discriminis intercessisse, quod ante praevaricationem consilium fuerit bonitatis, post praevaricationem vero benignae iustaeque in Christo misericordiae: venisse Christum, effusoque pro omnibus sanguine iustitiae satisfecisse, hominem a Deo divulsum iterum cum Deo in semetipso copulasse, ac mortuam humanitatem ad utramque vitam tam animae quam corporis revocasse CLXV — CLXXXI.

Neque aliter statuunt nobilissima ecclesiarum Asiae, Ponti Thraciaeque lumina, Polycarpus, Auctor epistolae ad Diognetum, Athenagoras, Gregorius neocaesariensis, Amphilochius, Caesarius, uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus, Basilius ac Photius, e quorum reliquis adhuc operibus intelligi-

mus, pro duplici humanae vitae stadio duplicem secerni oportere providentiae ordinem, misericordiae alterum ac pietatis, alterum severitatis et iustitiae: misericordiae pietatisque ordinem ad stadium praesentis mortalitatis, ordinem severitati et justitiae ad stadium aeternitatis pertinere: huius discriminis caussam inde esse repetendam, quod Deus sua excitus bonitate sincerissime velit, ut hominibus prorsus omnibus quamdiu mortalem ipsi vitam degunt, potestas adsit caelestis beatitatis consequendae: hac bonitatis voluntate Deum pro praesenti vita ordinem selegisse misericordiae ac salutis, misisse Unigenitum qui quod devium abierat, reduceret, et quod corruptum depravatumque refingeret: refingeret autem operatione multiplici, variisque gratiarum auxiliis, quibus singuli homines pro necessitate ac opportunitate ditati ignorantiam depellerent, infirmitatem vincerent, amissam Dei similitudinem recuperarent, et cum summo vero, summo bono, summoque pulchro beatissima rursum societate iungerentur CLXXXII — CXCVIII.

Agmen claudunt qui Palaestinae ecclesias sua sapientia illustrarunt, Iustinus, Tatianus, Methodius, Eusebius, Cyrillus et Aeneas gazaeus, quique unanimes profitentur, salutiferam Dei voluntatem, partamque Christi meritis reparationem universalem esse iisque fecundam donis, quibus expedita obtinendae salutis facultas omnibus tribuitur CXCVIII — CCV.

Corollaria cum iis nexa quae hucusque praestituimus CCV: — et ea inprimis quibus via complanatur CCVI — CCXIV: — ea deinde quibus doctrinae summa continetur CCXIV — CCLIX: — et ea postremo quibus praeposterae absurdaeque opiniones refelluntur CCLIX — CCLXXV: — difficultas contra universalem restituti ordinis amplitudinem inde petita, quod plurimi semper infantes antea supremum obierint diem, quam illis media reparationis conferri potuerint CCLXXV: — multiplex responsio ac hypotheses omnino septem, quibus eiusmodi factum cum thesi quam demonstravimus, non male componitur CCLXXVI — CCLXXIX.

De principe Scripturarum testimonio, quo exposita Traditionis doctrina de voluntate prima ac secunda, deque universali reparatione continetur CCLXXIX: — illud habetur I. Tim. II. 1—7. CCLXXX: — refertur, eiusque vera lec-

tio stabilitur CCLXXX: — internis externisque argumentis efficitur, hoc testimonium veluti princeps existimandum esse CCLXXXI: — declaratur nexus quo illius incisa cohaerent CCLXXXII: — interpretatio prioris incisi, e qua consequens est pro omnium prorsus hominum salute orandum esse CCLXXXII — CCLXXXV: — interpretationis illustratio ex simili Christi effato CCLXXXV: — de altero inciso, deque vinculo quo cum praecedente conseritur CCLXXXVI — CCLXXXVIII: — opinio Grotii de habitu inter tertium incisum et incisa antecedentia CCLXXXVIII: — idoneis ergumentis refutatur CCLXXXVIII — CCXC: — quo pertineat loquutio, του σωτηρος ἡμων θεου CCXC—CCXCII: — expenduntur quae conferunt enarrandae propositioni, ὅς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν CCXCII — CCXCV: — accedit locus parallelus ex II. Petr. III. 9, CCXCV — CCXCVII: — hunc alter excipit qui habetur Ezech. XVIII. 23, et XXXII. 11, CCXCVII: — reseratur salutiferae voluntatis origo, et infinita eiusdem amplitudo ac singularis virtus ostenditur CCXCIX: — eadem confirmantur Pauli verbis ex epistola ad Rom. II. 4 — 6. ibidem: — sequitur incisum, εἷς γαρ θεος, εἷς και μεσιτες θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος χριστος ἰησους, quod articulatim explanatur CCC — CCCVI: — stabilitur universalis ambitus sulutiferae voluntatis CCCVI: — huius princeps origo non alia esse efficitur quam misericors Dei Patris amor per Jesum Christum communem omnium mediatorem ac sequestrem CCCVI — CCCVIII: — de postremo inciso, ὁ δους ἀντιλυτρον ὑπερ παντων CCCVIII: — potestas του ἀντιλυτρου definitur, ibidem: — itemque extensio definitur vocum ὑπερ παντων CCCIX: — quae prorsus universalis tum aliis nominibus, cum harmonia concentuque Scripturarum adprobatur, ibidem: — quod non omnes salventur, inde repeti nequit quod aliquibus facultas obtinendae salutis denegetur, sed quod non omnes accepta divinitus facultate, uti par esset, utantur CCCX.

I.

Etsi divina voluntas *simplicissima* sit ac *uniusmodi*, ut θέλησις commodius quam θέλημα nuncupetur, et *ab spsa Dei substantia*, quemadmodum alexandrinus Cyrillus (1) loquitur, et cum Cyrillo Junilius africanus antistes (2), ceterique ecclesiastici scriptores (3) testantur, minime discrepet; Patrum tamen, Theologorumque omnino omnium usu receptum est, ut pro multiplici quo ea considerari modo potest, multipliciter etiam distinguatur. Quae enim simplicia quidem sunt, sed virtutis simul praestantiaeque *infinitae*, eadem quum pluribus aequipolleant, plures item referunt adspectus ac veluti facies, et pluribus notitiis partitionibusque subiiciuntur.

Inter partitiones vero divinae volnntatis ea prae reliquis insignis est ac omnium ore celebrata, qua divina voluntas ita tribuitur, ut altera *prima* et *antecedens*, altera *secunda* et *consequens* appelletur. Hanc ego divisionem explanandam suscipio, insitam eidem vim definiendam adgredior, fontem resero e quo illa dimanat, naturam amplitudinemque reparati ordinis suffragio traditionis demonstro, et propter arctissimam quaestionum cognationem in veram sinceramque verborum Pauli ad Timotheum (4) scribentis interpretationem mihi inquirendum propono.

II.

Et ad memoratam distributionem quod spectat, neminem praehabitum velim Johanni Chrysostomo, qui et pluribus de illa agit, et quaecumque omnia ad illam rite intelligendam conducunt, diligentissime edisserit. Relatis enim Pauli (5) verbis, καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ πρὸ καταβολῆς (6) κο-

(1) In Dialog. V. pag. 554.

(2) De partibus divinae legis lib. I. cap. XIX.

(3) Horum testimonia refert, expenditque Petavius de Deo lib. V. capp. IV. seqq.

(4) I. Tim. II. 1—7.

(5) Ephes. I. 4.

(6) « Praeclare, inquit Chrysostomus *constitutionem* appellavit κατα

σμου, εἶναι ἡμας (1) ἁγιους και ἀμωμους κατενωπιον αὐτου ἐν ἀγαπη, προορισας ἡμας, *quemadmodum elegit nos* (Deus) *in ipso* (Christo) *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos;* continuo (2) subdit: « Οὐ γαρ ἀπο πονων, οὐδε κατορθωματων τουτο γινεται, ἀλλ' ἀπο ἀγαπης, οὐτε ἀπο ἀγαπης μονον, ἀλλα και ἀπο της ἡμετερας ἀρετης· εἰ γαρ δη ἀπο ἀγαπης μονης, ἐχρην ἁπαντας σωθηναι· εἰ δε ἀπο της ἡμετερας ἀρετης παλιν μονης, περιττη ἡ παρουσια αὐτου, και παντα τα οἰκονομηθεντα, ἀλλ' οὐτε ἀπο ἀγαπης μονης, οὐτε ἀπο της ἡμετερας ἀρετης, ἀλλ' ἐξ ἀμφοτερων. ἐξελεξατο γαρ ἡμας, φησιν. ὁ δε ἐκλεγομενος, οἰδεν ὁπερ ἐκλεγεται. ἐν ἀγαπη, φησι, προορισας (3) ἡμας. οὐδενα γαρ ἀν ἐσωσεν ἡ ἀρετη, της ἀγαπης μη οὐσης. εἰπε γαρ μοι, τι Παυλος ἀν ὠφεληθη, τι δε ἀν ἐπεδειξατο, εἰ μη και ἀνωθεν αὐτον ἐκαλεσε, και ἀγαπησας εἱλκυσε προς ἑαυτον; ἀλλως δε, και το τοσουτων ἀξιωσαι, ἀγαπης ἠν, οὐ της ἡμετερας ἀρετης. το γαρ ἐναρετους γενεσθαι, και πιστευσαι, και προσελθειν, και τουτο μεν αὐτου ἠν του καλεσαντος· πλην ἀλλα και ἡμετερον· το δε προσελθοντας τοσουτων ἀξιωσαι τιμων, ὡστε εὐθεως ἀπο ἐχθρας εἰς υἱοθεσιαν ἀγαγειν, ὑπερβαλλουσης ὀντως ἀγαπης. *Non enim obtinetur (prae-*

βολη, ὡς ἀπο τινος ὑψους καταβεβλημενον μεγαλου αὐτον δεικνυς, *tamquam a magna aliqua altitudine deiectum ipsum (mundum) ostendens.* Magna enim est, et quae dici non potest, Dei altitudo, non loco, sed quod superius evecta sit eius natura, και πολυ το μεσον κτισματος και κτιστου, *et magnum est interstitium inter rem creatam et creatorem* ». Sed longe simplicius, προ καταβολης κοσμου, ad normam loquendi interpretum alexandrinorum, hebraicaeque dictionis, מִנִּי־קֶדֶם, redditur *ante mundi primordia.*

(1) « Ne ergo audiens, scribit Chrysostomus, quod Deus elegerit, την πιστιν ἀρκειν νόμισης μονον, και τον βιον προστιθησι, *fidem solam sufficere putes, vitam etiam addit* .... Και το ἐκλεγηναι δε, και της του θεου φιλανθρωπιας τεκμηριον, και της αὐτων ἀρετης. *Electos quoque esse, est et Dei benignitatis clementiaeque, et ipsorum simul hominum virtutis indicium* «.

(2) In epist. ad Ephes. Hom I. n. 2.

(3) Avellit Chrysostomus verba, ἐν ἀγαπη, ab antecedentibus κατενωπιον αὐτου, illaque cum sequentibus προορισας ἡμας, coniungit: Quem coniunctionis modum sequuti item sunt Theodoritus. Theophylactus ac Hieronymus, probaruntque Bengelius, Griesbachius et Koppius.

destinatio) laboribus et recte factis, sed caritate*: neque caritate solum, sed etiam nostra virtute. Nam si caritate sola obtineretur*, oporteret omnes esse salvos. *Si autem rursus nostra sola virtute, supervacaneus fuisset Christi adventus, et omnia supervacanea, quae sua oeconomia peregit. Sed neque sola caritate, neque nostra virtute solum obtinetur*, sed utrisque. Elegit enim nos, *inquit, qui autem elegit, scit quid eligat.* In caritate, *inquit*, praedestinavit nos (1). *Nullum enim salvum fecisset virtus, nisi esset caritas. Nam, dic mihi, quid profuisset Paulo, et quid effecisset, nisi ipsum superne vocasset et dilectum ad se traxisset? alioquin autem, quod tam multis dignatus sit, caritatis fuit, non nostrae virtutis. Nam fuisse bonos et virtute praeditos, et credidisse, et accessisse, fuit hoc quidem ejus qui vocavit, sed nostrum quoque. Quod autem quum accessissemus tam multis dignatus sit honoribus, ut confestim ex inimicitia proveheret ad filiorum adoptionem, est re vera exsuperantis caritatis.*

III.

Ne cui vero implexum, obscurumque videretur quod affirmaverat*: « εἰ γαρ δη ἀπο ἀγαπης μονης, ἐχρην ἁπαντας σωθηναι, si enim a divina solum caritate* penderet hominum salus et electio, *omnes salvos esse oporteret* »; rem totam aperit, quum ad insequentia (2) Pauli verba, *ἐν ἀγαπῃ προορισας ἡμας εἰς υἱοθεσιαν δια Ἰησου Χριστου εἰς αὐτον, κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου, in caritate praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suae*, progressus (3), subdit: « Κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου. τουτεστιν, δια το σφοδρως θελησαι· ἡ ἐπιθυμια αὐτου, ὡς ἀν τις εἰποι, αὑτη ἐστι· πανταχου γαρ εὐδοκια το θελημα ἐστι το προηγουμενον. ἐστι γαρ και ἀλλο θελημα· οἱον, θελημα πρωτον, το μη ἀπο-

(1) Unus e Coislianis codicibus habet, προορισας ἡμας. καλως· οὐδενα γαρ κ. τ. λ, quam lectionem minime spernendam esse Montfauconius arbitratur.

(2) Ephes. I. 5.

(3) In epist. ad Ephes. Hom. I. n. 2.

λεσθαι ἡμαρτηκοτας · θελημα δευτερον, το γενομενους κακους ἀπολεσθαι · οὐ γαρ δη ἀναγκη αὐτους κολαζει, ἀλλα θελημα. τοιουτον και ἐπι Παυλου ἐστιν ἰδειν, οἷον ὡς όταν λεγῃ · θελω παντας ἀνθρωπους εἶναι, ὡς και ἐμαυτον. και παλιν, θελω νεωτερας γαμειν, τεκνογονειν. εὐδοκιαν οὐν το πρωτον θελημα φησι, το σφοδρον θελημα, το μετ' ἐπιθυμιας θελημα, το πεισμα. οὐ γαρ παραιτησομαι και κοινοτερᾳ λεξει χρησασθαι σαφηνειας ἑνεκεν των ἀφελεστερων. οὑτω γαρ και ἡμεις την ἐπιτασιν του θεληματος δηλουντες, κατα το πεισμα ἡμων λεγομεν. ὁ οὐν λεγει, τουτο ἐστι. σφοδρα ἐφιεται, σφοδρα ἐπιθυμει της σωτηριας της ἡμετερας. τινος οὐν ἑνεκεν οὑτως ἡμας ἀγαπᾳ, και ποθεν οὑτω φιλει; ἀπο ἀγαθοτητος μονης. ἡ γαρ χαρις, ἀγαθοτητος ἐστι. δια τουτο, φησιν, εἰς υἱοθεσιαν ἡμας προορισε θελων, και σφοδρα τουτο βουλομενος, ἱνα ἡ της χαριτος αὐτου δοξα δειχθῃ, *secundum beneplacitum* (1) *voluntatis suae. Idest, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, eius* (2) *desiderium. Ubique enim* (3)

(1) Ad illustrandam της εὐδοκιας significationem faciunt haec ex Etym. M: εὐδοκια · ἡ ἀριστη και καλλιστη του θεου ἑκουσιος θελησις: item ista Phavorini, εὐδοκια · το ἐπ' ἀγαθοποιΐᾳ του θεου θελημα παρα το καλως δεδοχθαι, qui mox subdit : εὐδοκιαν την ἐπ' εὐεργεσιᾳ βουλησιν ἐθος τῃ θειᾳ γραφῃ καλειν. Consentit Suidas, qui in Lexico scribit : « Εὐδοκια · το ἀγαθον θελημα του θεου. ὡς ὁπλῳ εὐδοκιας ἐστεφανωσας ἡμας. και ὁ Ἀποστολος · κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου. -- Εὐδοκια, bona Dei voluntas. *Nos* (Ps. V. 15.) *tamquam scuto benevolentiae tuae coronasti*, Et (Ephes. I. 5.) Apostolus : *secundum beneplacitum voluntatis eius* ». Plura si cupias, Budaeum confer ad hanc vocem, qui et illud monet, visum esse Hieronymo, εὐδοκιαν vocem esse novam et ab alexandrinis interpretibus excogitatam.

(2) Quamquam ex Stoicorum definitione, uti videre licet apud Suidam et Budaeum, hoc βουλησιν inter et ἐπιθυμιαν existat discriminis, quod βουλησις dicatur εὐλογος ὀρεξις, ἐπιθυμια vero ὀρεξις ἀλογος : usu tamen loquendi receptum est, ut desiderium quodvis, quaevis voluntas, etsi honestissima et ad praescriptum rationis imprimis exacta, ἐπιθυμια nuncupetur. Unde Phavorinus, ἐπιθυμιᾳ δηλουσιν ὁρμην ψυχης και κινησιν ἐπι τι.

(3) Apposite Theodoritus in comm. ad h. l. « Εὐδοκιαν γαρ την ἐπ' εὐεργεσιᾳ βουλησιν ἐθος τῃ θειᾳ καλειν γραφῃ. *Divinae namque scripturae mos est, eudokiam dicere voluntatem ex beneficentia profectam* ». Quod continuo exemplis confirmat.

εὐδοκια, hoc enim vocabulum heic usurpat Paulus, est voluntas princeps et quae praecedit : est enim etiam alia voluntas. Ut puta , voluntas prima est ne pereant qui peccarunt : voluntas secunda est ut qui facti sunt mali pereant. Non enim eos castigat necessitas sed voluntas. Id etiam videre licet in Paulo , ut quando (1) *dicit* , volo omnes homines esse sicut meipsum. *Et* (2) *rursum* , volo iuniores nubere , filios procreare. Εὐδοκιαν *ergo dicit primam voluntatem , vehementem voluntatem, voluntatem quae est cum desiderio, quaeque firmo proposito constat : non enim recusabo dictione uti communiore , ut simplicioribus res sit dilucidior. Sic enim nos dicimus, κατα το πεισμα ἡμων* , secundum (3) persuasionem nostram. *Hoc ergo sibi vult , valde cupit , valde desiderat nostram salutem. Cur sic nos amat ? cur sic nos diligit ? a sola id bonitate proficiscitur. Gratia enim est a bonitate. Propterea dicit* , praedestinavit nos in adoptionem filiorum volens , *et admodum volens* , ut ostendatur gloria gratiae eius ».

IV.

Simplicissimam nimirum Dei voluntatem ita dispescit Chrysostomus, ut alia sit dicaturque *θελημα πρωτον, voluntas prima* , alia vero *θελημα δευτερον , voluntas secunda.* Cuiusmodi porro sit *voluntas prima,* tribus omnino modis declarat : ac *principio* quidem , quum referri illam ad voluntatem docet, quae in Scripturis *εὐδοκια* nuncupatur : *deinde* vero , quum circumloquutionibus, appositisque cumulatis illius vim naturamque demonstrat : ac *postremo* quum illius originem , nativumque fontem aperit ac resignat.

(1) I. Cor. VII. 7.

(2) I. Tim. III. 14.

(3) De derivatione huius vocis , deque eiusdem significandi potestate agit Stephanus in Thesauro ad v. πειθομαι : agit et Isaacus Habert lib. II. Theolog. Graec. Patrum de Gratia , cap. VIII. §. III. inquiens : « Certum est sumi vocem πεισμα pro vehementi et firma persuasione et proposito ; quo sensu et apud Patres usurpatur , ut Clementem alexandrinum qui et ideo in septimo Stromatum βεβαιοτατον πεισμα appellat ; apud quem etiam in Protreptico voluntas illa universalis et antecedens qua Deus vult omnes homines salvos fieri , dicitur το προκειμενον , quasi dicas *praeiacentem* voluntatem. »

Et illam quidem ad voluntatem referri, quae vocari εὐδοκια in Scripturis solet, apertissimis tradit verbis, inquiens: πανταχου εὐδοκια το θελημα ἐστι το προηγουμενον, *ubique in Scripturis* εὐδοκια *est voluntas princeps et quae praevertit.* Ac rursum tradit, subdens: εὐδοκιαν οὐν το πρωτον θελημα φησι, *beneplacitum itaque dicit (Paulus) primam voluntatem.* Est autem εὐδοκια non voluntatis *signum* et *umbra*, sed *vera*, *intima*, ac ut schola loquitur, *formalis voluntas*, animique sincera, benignaque propensio. Talis igitur quoque est το πρωτον και προηγουμενον θελημα, *prima ac praecedens voluntas*; neque ea accipi vel de signo voluntatis vel de metaphorica voluntate (1) potest, quin Chrysostomi verba turpissime pervertantur.

V.

Quod multo etiam splendidius apparet ex circumloquutionibus ab eo adhibitis, appositisque quibus το πρωτον θελημα, *primam voluntatem* explanat ac illustrat. Ecquid enim illi est το πρωτον θελημα, *prima voluntas*? nimirum I. est εὐδοκια, *benigna propensaque voluntas*, ἡ ἀριστη και καλλιστη του θεου ἑκουσιος θελησις, *optima et pulcherrima neque* ἐξωθεν *provocata Dei voluntas*, το ἀγαθον του θεου θελημα, *bona* (2) *Dei voluntas*, πολλη του θεου περι ἡμας φιλοστοργια τε και ἀγαπη, *maximus* (3) *Dei amor et erga nos dilectio*, itemque ἐπ' εὐεργεσιᾳ βουλησις, *voluntas* (4) *ex animo benefaciendi oborta*, quae totidem sunt της εὐδοκιας periphrases apud ecclesiasticos scriptores frequentissimae.

Est II. θελημα προηγουμενον, *voluntas quae* originis ordine (5) *praevertit*, quae ipsum ex sese Dei animum occu-

(1) Quod non calviniani solum iansenianiqne faciunt, sed ex iis etiam non pauci moliuntur, qui de amplitudine divinae providentiae reparatricis severiores fovent doctrinas.

(2) Verba sunt Theodoriti in Ps. V.

(3) Quibus Theodoritus eodem in loco vim rationemque της εὐδοκιας explanare pergit.

(4) Descriptio est Oecumenii in comm. ad h. l.

(5) De circumloquutione Chrysostomi, qua εὐδοκιαν interpretatur το προηγουμενον θελημα, scribit Isaacus Habert. Vabrensis Antistes lib. II.

pat, et ab eo, de quo Iohannes (1) scribit, ὁ θεος ἀγαπη ἐστι, sua sponte progerminat.

Est III. το σφοδρον θελημα, non remissa sed *intensa* inflammataque *voluntas*, το μετ' ἐπιθυμιας θελημα, *voluntas cupida* et cum desiderio benefaciendi coniuncta, ἡ ἐπιθυμια θεου, *ipsum Dei desiderium*, ac tandem το πεισμα, *firmissima animi inductio.*

At nemo non intelligit, suisque propemodum oculis usurpat, his efferri non signum, ementitamque speciem voluntatis, sed veram interioremque voluntatem, non voluntatem segnem ac inertem, sed sollicitam imprimis et (2) efficacem, non voluntatem effectis operibusque sterilem, sed fecundam utpote germen amoris, qui (3) *vacare in animo amantis non potest.*

Theolog. Graec. Patrum de Gratia cap. VIII. §. III : ,, dici το προηγουμενον θελημα, idest, vel *antecedentem* vel etiam *excellentem principem* seu *praecipuam* voluntatem hoc sensu, quia primus est actus voluntatis, qui in Deo concipitur respectu creaturarum, quas creare decernit non ad perniciem, *Deus enim mortem non fecit,* Sap. I., sed ad salutem. Dici quoque a Chrysostomo *praecipuam* voluntatem, quia respicit bonum ut bonum est absolute, simpliciter, absque ullis circumstantiis illud determinantibus. Quod autem adiicit, illud πρωτον θελημα σφοδροτερον, *primam illam voluntalem vehementiorem* esse, hoc sensu verum est, quia prima illa seu antecedens volitio, prima per se veluti occupat divinam voluntatem, eamque ad volendum creaturae bonum applicat : deinde quia divinae bonitati convenientissima est naturamque illius εὐεργετικην propius assequitur, ut multis disserit Dionysius cap. IV. de divinis nominibus, et Chrysostomus ad cap. II. epist. ad Romanos; nihilominus tamen alio sensu voluntas *secunda* seu *consequens* ratione decreti absoluti ac efficaciae ultimae σφοδροτερα *vehementior* dici potest „.

(1) I. Ioh. IV. 8-16.

(2) Efficacem appello non recepta in Scholis significatione, sed ea quae apud Latinos unice obtinet, et qua *efficax* dicitur quod ad agendum vim habet, quodque multum efficit. Hac significatione Plinius *herbam* memorat *efficacissimam adversus venena,* Seneca, *rationem efficacem ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas,* et Horatius, *Herculem efficacem.*

(3) Indubitatum namque est quod Tract. in Ps. CXXI. Augustinus affirmat : *Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis.*

VI.

Ac opportune enimvero *divini* in homines *amoris* meminimus, quem originem esse nativumque fontem *primae praecedentisque voluntatis* semel ac iterum Chrysostomus confirmat. Et confirmat sane, quum θελημα πρωτον και εὐδοκιαν scribit *ipsum esse Dei desiderium*, inquiens : ἡ ἐπιθυμια αὐτου, ὡς ἀν τις εἰποι, αὐτη ἐστι. Confirmat, sive quum idem esse docet θελημα πρωτον, ac σφοδρα ἐφειται, σφοδρα ἐπιθυμει της σωτηριας της ἡμετερας, *vehementer cupit* Deus, *vehementer salutem nostram desiderat*; sive quum ἀμεσως addit: τινος οὐν ἑνεκεν οὑτως ἡμας ἀγαπᾳ, και ποθεν οὑτω φιλει; ἀπο ἀγαθοτητος μονης, *cuius rei gratia nos sic amat? cur nos sic diligit? sola* impulsus *bonitate*. Nihil enim evidentius, quam primae praecedentisque voluntatis *caussam in Dei amore benevolentiaque* sitam ostendi ; amoris vero divinaeque adversus homines benevolentiae originem ac principium *ex una* Dei *bonitate* derivari.

Quod enim Deus sit bonus, ipsaque (1) bonitas, quod sit, ut (2) alexandrinus Cyrillus loquitur, ἡμεροτητος πηγη και γενεσις, *benignitatis fons et origo*, *omnium* (3) idcirco *miseretur, diligit omnia quae sunt, nihilque odit eorum quae fecit, parcit omnibus , quoniam omnia eius sunt , ac ipsemet est* φιλοψυχος και φιλανθρωπος. Unde Scripturae illi (4) tribuunt σπλαγχνα ἐλεους , *viscera misericordiae* , eum (5) dicunt τον πατερα των οἰκτιρμων και θεον πασης παρακλησεως , *patrem misericordiarum et Deum totius consolationis*, eius naturam docent (6) esse ἀγαπην, *ipsam caritatem*, ab eoque (7) τον κοσμον, *universitatem hominum* sincerissime *amari* testantur.

(1) Hinc non minus priscis Philosophis quam Theologis solemne fuit, Deum insigniter ac proprie τἀγαθον nominare, quemadmodum pluribus ostendit Petavius de Deo lib. VI. cap. I.

(2) In comm. ad Oseae II. 8-9.

(3) Sap. XI. 24-27.

(4) Zac. I. 78.

(5) II. Cor. I. 3.

(6) I. Ioh, IV. 8.

(7) Ioh. III. 16. coll. Rom. V. 8.

VII.

Quibus uti decebat explanatis, arduum non erit, *internas dotes proprietatesque* voluntatis primae et praecedentis compendio quodam recensere. Ea nimirum est *vera sinceraque voluntas, Deo intima, ex ipsa divina bonitate sua sponte efflorescens, plena benignitatis et cupidi amoris, proindeque efficax et ad benefaciendum profusa.*

Cum his autem alia, eaque nobilissima conserta est proprietas, quae *ad voluntatis primae amplitudinem* cognoscendam pertinet, ostenditque nullum esse hominem, qui ab eius ambitu excludatur, quemque suo sinu gremioque non complectatur et foveat. De qua amplitudine, nullisque adstricta finibus extensione, testis est Chrysostomus inquiens: « *θελημα πρωτον, το μη ἀπολεσθαι ἡμαρτηκοτας, voluntas prima est, ne pereant qui peccarunt* ». Quinam ? aut quotnam ? infinite omnes , qui peccarunt.

Testis est, quum apostolicam phrasim, *κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου, secundum beneplacitum voluntatis suae,* interpretatur : *σφοδρα ἐφιεται, σφοδρα ἐπιθυμει της σωτηριας της ἡμετερας, vehementer cupit , vehementer salutem nostram exoptat.* Pronomen enim *nostram*, quod adhibet , infinitum est , ad omnes sese porrigit homines, nullusque ex iis est, qui non significetur.

Quod Oecumenius animadvertit , atque ad mentem adeo sententiamque Chrysostomi (1) scripsit: «*ταυτα δε παντα ἐποιησεν εἰς ἡμας, δι' ἀλλο μεν οὐδεν, πλην ὁτι ἠβουληθη και σφοδρα ἐπιθυμησε χαριτι σωσαι τους ἐπι γης, προς το ἐκ τουτου ἐπαινεισθαι και δοξαζεσθαι την ἁγιαν αὐτου δοξαν της χαριτος , haec autem omnia erga* nos *ob aliud nihil operatus est, nisi quia voluit vehementerque concupivit per gratiam* salvos facere *eos* qui sunt in terra , ut ex hoc laudaretur ac glorificaretur sancta gratiae ipsius gloria ». Iidem nimirum pronominibus *nos* et *nostram* exprimuntur , quos Oecumenius dicit *τους ἐπι γης, eos qui sunt in terra.* Sed huius ambitu phraseos quinam ex universo hominum genere non com-

(1) In comm. ad Ephes. I. 5.

prehenduntur? universalis est igitur prima ac princeps Dei voluntas.

Quod plane nescio an alio nomine evidentius, quam reserata illius *origine* persuaderi possit. Unde enim ea dimanat et extat? non aliunde, quam *ἀπο ἀγαθοτητος μονης*, *a sola bonitate*. Est autem Deus *ex sese* bonus non his aut illis, sed omnibus et singulis: quod et ratione intelligimus et auctoritate edocemur Scripturarum, in quibus (1) legimus: טוב יהוה לכל, *χρηστος κυριος τοις συμπασι*, *bonus Dominus universis*. Ad quae verba percontatur (2) Chrysostomus, *τι ἐστι τοις συμπασι; quid sibi vult illud* universis? reponit vero: *και τοις ἁμαρτωλοις και τοις ἐν παρανομιαις ζωσιν, οὐχι τῳ Ἀβελ μονον, ἀλλα και τῳ Καιν· παντα γαρ ἀπο φιλανθρωπιας ἐργα, et peccatoribus et in iniquitate viventibus, non Abeli tantum sed et Caino; omnia enim illius opera ex amore proficiscuntur, quo in homines fertur*. Quare affirmare nullatenus dubitavit, quod siquidem electio et salus *ἀπο ἀγαπης μονης*, *a sola* Dei *caritate* penderent, *ἐχρην ἁπαντας σωθηναι*, *necesse foret, ut omnes penitus salvarentur*.

VIII.

Insitae igitur dotes proprietatesque primae ac principis voluntatis hae sunt: I. ut ea ambitu ac amplitudine sit universalis: indole vero ac natura II. sit interior, sincera, fecunda, efficax, sicuti efficax est amor (3), e quo sponte di-

(1) Ps. CXLIV. 9.

(2) In comm. ad Ps. CXLIV. 9.

(3) Benevolus Dei in homines affectus, benignaque voluntas plus semel *amoris* nomine in divinis litteris significatur, quemadmodum videre licet Ioh. III. 16, Rom. V. 8. Ephes. II 4-5. Hic autem ipsemet amor, cuius immensam vim adumbrat Paulus, quum Ephesiis auctor est cap. III. 13. ut suspicere eiusdem velint *το πλατος, και μηκος, και βαθος, και ὑψος*, pro multiplici qua spectari ratione potest, variis diversisque appellationibus insignitur. Appellatur Ephes. I. 6. *χαρις*, *gratia*, quod in homines fertur, quibus nullum inest meritum, nullaque amoris dignitas; atque hinc formula, qua Ephes. II. 7. impense commendatur *ὑπερβαλλων πλουτος της χαριτος*, ac illa rursum, qua Rom. IV. 4-5, XI. 6. *gratia* et *debitum* opponuntur. Appellatur Ephes. II. 7. coll. Tit. III. 5. *χρηστοτης*, *benignitas*, quod

manat, et efficax divina *φιλανθρωπια,* quam Paulus (1) extollit, quaque Deus optimus maximus universum hominum genus prosequitur.

Quibus perspectis non minus discrimen primae voluntatis a secunda, quam hujus dotes, proprietatesque nullo negotio deducuntur. Habitus enim, qui inter utramque voluntatem existit, luculenter demonstrat: I. *το θελημα δευτερον, voluntatem secundam,* sive ea sit, qua praemium elargitur Deus, sive, qua poenas irrogat, extensione ac amplitudine particularem esse, et vel ad eos circumscriptam, qui divini foederis conditionibus satisfecerint, vel illas ad impoenitentiam usque violarint: indole vero ac natura II. non insitam Deo esse, ex eoque sponte obortam, sed propemodum adscitam ac hominum vel flagitiis nequitiaque, vel meritis bonisque operibus provocatam. Quapropter hoc inter utramque voluntatem interesse discriminis intelligimus, quod *a*) *θελημα πρωτον, prima voluntas* sit dicaturque *ἀπο ἀγαθοτητος μονης, a sola bonitate* profecta, nullamque ab hominibus meriti, dignitatisque conditionem postulet; *secunda* autem *voluntas, θελημα δευτερον,* sit dicaturque *voluntas iustitiae,* ac ad eos seorsum referatur, qui aut (2) *την ἀληθειαν ἐν ἀδικια, veritatem in iniustitia* detinentes semetipsos reddunt *ἀναπολογητους, inexcusabiles,* aut fide sancte (3) servata digni sunt, quibus corona gloriae rependatur: quod *b*) *θελημα πρωτον, voluntas prima,* utpote solius bonitatis germen et fructus, sit universalis et ad omnes quotquot sunt homines porrigatur; at *θελημα δευτερον,, voluntas secunda,* ut quae iustitia imperetur,

homines beneficiis cumulet. Appellatur ad Tit. III. 4. *φιλανθρωπια, humanitas,* quod eximio studio hominibus impertiat, quae utilia illis grataque sunt. Appellatur Rom. II. 4. coll. II. Petr. III. 15. *ἀνοχη και μακροθυμια, patientia et longanimitas,* quod homines improbos sustentet, poenasque differat. Appellatur denique *ἐλεος, misericordia,* quod homines immensa quadam miseriarum mole obrutos recreet ac foveat; unde et Deus, Ephes. II. 4. *πλουσιος ἐν ἐλεει, dives in misericordia* audit, et Luc. I. 78. *τα σπλαγχνα ἐλεους θεου, viscera misericordiae Dei* celebrantur.

(1) Tit. III. 4.

(2) Rom. I. 18-20.

(3) II. Tim. IV. 8.

sit particularis, illosque pro suo quemque merito respiciat, qui vel dona voluntatis primae contempserint, vel eisdem obsecundarint: quod *c*) *θελημα πρωτον*, *voluntas prima* sit *sui similis*, *unicolor* et ad benefaciendum unice intenta; at *θελημα δευτερον*, *voluntas secunda* sit *varia*, bifariam pateat, neque minus praemia eroget, quam poenas infligat: quod postremo *d*) *θελημα πρωτον voluntas prima* eo spectet, ut spem hominum alat, animosque reficiat; at *θελημα δευτερον*, *voluntas secunda* eo pertineat (1), ut *μετα φοβου και τρομου*, *cum metu et tremore*, suam quisque, praeeunte Deo, salutem operetur.

IX.

Quae doctrinae capita, quibus et duplex Dei voluntas secernitur, ac utriusque vis et ratio aperitur, alibi quoque sin minus enucleatius, non minori certe perspicuitate tradit, confirmatque Chrysostomus. Enarrans enim quae (2) in Psalmis habentur, quaeque a Paulo (3) referuntur verba, *sacrificium et oblationem noluisti*, *si voluisses sacrificium*, *dedissem utique*, infert (4): *ἀρα οὐν οὐχ αἱ θυσιαι το θελημα του θεου, ἀλλ' ἡ των θυσιων ἀναιρεσις*, *non sunt igitur sacrificia voluntas Dei*, *sed sacrificiorum abrogatio*; illationemque communit his verbis, *quis enim haec* (sacrificia) *requisivit e manibus vestris?* tum sibi opponit: *πως οὐν αὐτος ἐπεταξε; quomodo ergo* illa *ipsemet praecepit?* respondetque: « *συγκαταβαινων*, *ὡσπερ ὁ Παυλος φαινεται λεγων*, *θελω παντας ἀνθρωπους εἰναι ὡς και ἐμαυτον ἐν ἐγκρατεια*. *και παλιν παραινων ἀλλαχου φησι*, *βουλομαι νεωτερας γαμειν*, *τεκνογονειν*. *δυο θεληματα τιθησιν, ἀλλ' οὐ τα δυο αὐτου ἐστιν, εἰ και ἐπιταττει· ἀλλα τουτο μεν αὐτου*, *διο και χωρις αἰτιας τιθησιν*, *ἐκεινο δε οὐκ αὐτου*, *εἰ και βουλεται*, *διο και μετα αἰτιας προσκειται*. *προτερον γαρ κατηγορησας αὐτων*, *ὁτι κατεστρηνιασαν του Χριστου*, *τοτε φησι*, *βουλομαι νεωτερας γαμειν*, *τεκνογονειν*. *οὑτω*

(1) Philipp. II. 12.
(2) Ps. XXXIX. coll. Ps. L. 17.
(3) Hebr. X. 5. seqq.
(4) In epist. ad Hebr. Hom. XVIII. n. 1.

δὴ καὶ ἐνταῦθα συγκαταβαίνων οἰκονομεῖ. οὐκ αὐτοῦ θέλημα ἦν προηγούμενον τὸ τὰς θυσίας γίνεσθαι. οὕτω καὶ περὶ τοῦ θανάτου λέγων, οὐ βούλομαι τὸν θάνατον τοῦ ἁμαρτωλοῦ, ὡς τὸ ἐπιστρέψαι αὐτὸν καὶ ζῆν αὐτόν. καὶ ἀλλαχοῦ λέγει, ὅτι οὐ μόνον ἠβουλήθη, ἀλλὰ καὶ ἐπεθύμησε τοῦτο. καίτοιγε ἐναντία ταῦτα ἀλλήλοις. ἐπιθυμία γὰρ ἐπιτεταμένη ἡ βούλησίς ἐστι. πῶς οὖν οὐ θέλων, ἀλλαχοῦ ἐπιθυμεῖς, ὅ τοῦ σφόδρα θέλειν ἐστὶ σημεῖον; τοῦτο δὴ καὶ ἐνταῦθα ἐστιν εἰπεῖν, illis indulgens et ad eorum se rationes demittens. *Sicut dicit* (1) *Paulus*, volo omnes homines sicut me ipsum esse continentes. *Et rursus* (2) *dicit*, volo iuniores nubere, filios procreare. *Duas ponit voluntates, sed non ambae sunt ejus, etiamsi iubeat: sed illa quidem est eius, et ideo eam ponit nulla adducta caussa; haec autem non est eius, etiamsi velit, et ideo non sine adiecta caussa proposita est. Quum enim prius illas accusasset, quod contra Christum essent luxuriatae*, tum subiecit, *volo iuniores nubere, filios procreare. Non aliter heic obsequens et indulgens rem (Deus) dispensat. Haud erat eius princeps* (3) *voluntas, quod sacrificia fierent. Sic et de morte* (4) *dicit*, nolo mortem peccatoris, uti volo ipsum resipiscere ac vivere. *Et alio loco* (5) *dicit, non id modo se voluisse, verum etiam desiderasse, quamvis haec sibi infensa mutuo videantur. Est enim desiderium intensa voluntas. Quomodo ergo quod non vis, alibi desideras, quod argumentum est vehementis voluntatis? istud autem est, quod heic etiam repeti debet* ». Nimirum non ea Deum voluntate sacrificia vo-

(1) I. Cor. VII. 7.

(2) I. Tim. V. 14.

(3) Mutianus vetus interpres verba Chrysostomi, οὐκ αὐτοῦ θέλημα ἦν προηγούμενον, latine reddit, *non erat eius voluntas praecedens.*

(4) Ezech. XXXIII. 11, minime vero, ut est apud Montfauconium, Ezech. XXVIII. 23. Qui dum Chrysostomi verba sic interpretatur: *sicut etiam dicit se nolle mortem peccatoris, sed ut ipse convertatur et vivat. Dicit autem alibi non solum voluisse, sed etiam desiderasse: Etsi haec sunt contraria: desiderium enim est intensa voluntas. Quomodo ergo non volens, alibi desideras, quod quidem signum est, quod valde velis? ita hic quoque*: neque perspicuitati consulit, neque, uti par foret, vim sententiarum custodit.

(5) Censet Montfauconius ad ea respici quae leguntur Ezech. XVIII.

fuisse, quam Christus (1) significavit dicens, ἰδου ἡκω του ποιησαι, ὁ θεος, το θελημα σου, *ecce venio ut faciam o Deus voluntatem tuam.*

X.

In quo Chrysostomi egregio plane testimonio, et ad eam quam versamus quaestionem expoliendam accommodatissimo, duo triave occurrunt prae ceteris digna, quae considerentur. Ac istud *inprimis*, duplicem Dei voluntatem apte secerni, propriisque nominibus ita insigniri, ut altera dicatur ἁπλως, *simpliciter*, θελημα αὐτου, *voluntas eius*, θελημα προηγουμενον, *voluntas princeps ac praecedens*, et θελημα χωρις αἰτιας, *voluntas quae suam extrinsecus neque caussam neque occasionem desumit;* altera autem vocetur voluntas κατα τι, *quadamtenus*, et ideo θελημα οὐκ αὐτου, *voluntas quae eius non est*, θελημα κατα συγκαταβασιν, *voluntas ex condescensione* (2) ac demissione profecta, et θελημα μετα αἰτιας, *voluntas cum caussa*, quamque Deus non habet nisi occasione eorum, quae homines faciunt.

Istud *deinde*, inter utramque voluntatem eum habitum, eamque existere σχεσιν, quae extitit inter voluntatem Dei cruenta animalium sacrificia Israelitis (3) praecipientis, et voluntatem Pauli cohortantis, ut iuniores nubant, ac vo-

(1) Hebr. X. 9.

(2) Vocabulum συγκαταβασις frequentissimum est apud ecclesiasticos scriptores, ac proprie significat, interprete Theodoro Gaza, *condescensionem, demissionem, qua superior et sublimior, fortior atque robustior sese accommodat atque attemperat ad mores, sensum et captum inferiorum atque infirmiorum.* Non sine utilitate legas, quae eadem de re monent Rittershusius ad epist. LXVIII. lib. IV. Isidori Pelusiotae, et Suicerus in Thesauro ad vv. συγκαταβαινω, συγκαταβασις.

(3) Cuiusmodi fuerit voluntas, qua Deus cruenta sacrificia Israelitis imperavit, haud paullo uberius explanat Chrysostomus in prima contra Judaeos homilia, homilia decima-octava in Genesim, et in Ps. XLIX. inquiens: θεος και της των ἀλογων ἀποστηναι σφαγης τους Ἰουδαιους κατα μικρον ἐθελων, ἐχρησατο τη συγκαταβασει ταυτη, και συνεχωρησε θυσιαις, ἱνα ἀνελη θυσιας, *quum Deus Judaeos paulatim a mactandis brutis avocare vellet, hac usus est condescensione, permisitque sacrificia, ut sacrificia tolleret.*

luntatem eiusdem Dei, qua voluit sacrificium agni immaculati Christi Jesu, et voluntatem eiusdem Pauli, quam significavit inquiens: *volo omnes homines sicut meipsum esse continentes.*

Istud *postremo*, ad voluntatem, quae talis *quadamtenus* dicitur, quae est voluntas κατα συγκαταβασιν, *ex condescensione*, voluntas μετα αἰτιας, *cum caussa*. spectare propositum, quo Deus decrevit τον θανατον του ἁμαρτωλου, *mortem peccatoris*; atque adeo quod consequens est, ad voluntatem, quae θελημα αὐτου, voluntas ipsius κατ' ἐξοχην audit, quae est θελημα προηγουμενον, *voluntas praecedens*, θελημα χωρις αἰτιας, *voluntas sine caussa*, eam pertinere εὐδοκιαν, *benevolentiam* insitamque benignitatem, qua vult peccatorem ad meliorem frugem redire et vitam vivere.

XI.

Haec autem et superioribus (1) praeclare, et iis belle consentiunt, quae ad verba (2) Psalmi, μεγαλα τα ἐργα κυριου, ἐξεζητημενα εἰς παντα τα Θεληματα αὐτου, *magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius*, Chrysostomus (3) adnotat, scribens: « Quid est autem, ἐξεζητημενα εἰς παντα τα θεληματα αὐτου, *exquisita in omnes voluntates eius?* ἠκριβωμενα φησι, καθαπερ και ἑτερος ἑρμηνευτης εἰπε, παρασκευασμενα, ἀπηρτισμενα, γεγενημενα, πεπληρωμενα, ἀρκουντα τα θεληματα αὐτου ποιειν, ἱκανα μαρτυρειν την δυναμιν αὐτου, οὐ χωλευοντα, οὐδε ἐνδεως ἐχοντα εἰς το ἀνυσαι αὐτου τα ἐπιταγματα, *accurata* inquit, *sicut etiam alius dicit* (4) *interpres, praeparata, perfecta, absoluta, paria ad eius faciendam voluntatem, quae sufficiunt ad eius testandam potentiam, quae nec claudicant nec manca sunt ad iussa eius peragenda.* »

Et paucis interiectis: « *Exquisita in omnes voluntates*

(1) §§ 2. seqq.
(2) Ps. CX. 2.
(3) Exposit. in Ps. CX. n. 2.
(4) Cf. Nobilii scholia.

eius. εἰς τα προσταγματα αὐτου, φησιν, εἰς τα ἐπιταγματα αὐτου, οὐ μονον δε εἰς τα ἐπιταγματα αὐτου, ἀλλα και εἰς το γινωσκεσθαι αὐτον παρα των ἀνθρωπων, ὅπερ και προηγουμενον αὐτου θελημα, και διο μαλιστα ταυτα ἐποιησεν, *ad praecepta eius, inquit, ad mandata eius: non solum (exquisita sunt) ad praecepta eius, sed ut ipse etiam cognoscatur* (1) *ab hominibus, quae quidem est principalis eius voluntas, et propter quam haec maxime fecit.* Quod itaque dicit propheta, est eiusmodi: adeo perfecta sunt opera Dei, ut iis qui attendunt et sapiunt, ἀκριβεστατην και σαφη και τρανωτατην την περι αὐτου γνωσιν ἐντιθεναι τῃ διανοιᾳ των ἀνθρωπων, *accuratissimam et apertissimam et evidentissimam ipsius cognitionem menti hominum afferant.* και γαρ και προς τουτο μαλιστα το θελημα αὐτου ἐξ ἀρχης αὐτα κατεσκευασε, *propter hanc enim maxime voluntatem suam ea ab initio* (2) *constituit,* ut magnitudine, pulchritudine, ... , aliisque omnibus animum spectatoris commoveret, mentemque et intelligentiam excitaret ad opificem et praestantissimum artificem Deum inquirendum, eumque adorandum qui illa fecerit, και ἀντι βιβλιων και γραμματων γενεσθαι ἅπαν το σωμα της κτισεως, *et ut creaturarum universitas esset ei* (3) *librorum, litterarumque loco* ».

Inest igitur Deo duplex erga hominum genus voluntas, θελημα προηγουμενον και θελημα δευτερον, *voluntas praecedens ac voluntas secunda* et consequens, quarum primam disertis memorat verbis Chrysostomus, alteram solum *adsignificat.* Porro θεληματος προηγουμενου, *voluntatis praecedentis*, quatuor prae ceteris dotes proprietatesque et reputari animo, et expendi diligenter debent.

(1) Unde illud Pauli Rom I. 19: διοτι το γνωστον του θεου, φανερον ἐστιν ἐν αὐτοις· ὁ γαρ θεος αὐτοις ἐφανερωσε.

(2) Quod ἐξ ἀρχης scribit Chrysostomus, instar commentarii haberi potest horum Pauli verborum Rom. I. 20. ἀπο κτισεως κοσμου, *ab ipsa mundi creatione*

(3) His gemina sunt quae scribit in I. ad Corinth. Hom. V: ἐδωκεν ἀντι βιβλου τον κοσμον, *dedit (Deus hominibus) mundum pro libro.* Eodemque pertinent quae uterque Gregorius nyssenus et nazianzenus docent, ille quum Orat. II. in verba, *faciamus hominem*, mundum dicit βιβλιον ἐγγραφον, hic quum Orat. XLIII: eumdem vocat *magnum admirabilemque* της μεγαλειοτητος του θεου, *maiestatis divinae praeconem.*

Auctore namque Chrysostomo, *θελημα προηγουμενον*, *voluntas praecedens* est I. amplitudine universalis, omnesque homines complectitur. *Propter hanc* enim *μαλιστα*, *maxime voluntatem ἁπαν το σωμα της κτισεως*, *universum creaturarum systema* digessit, non ut unus alterve, sed ut omnes, qui sensibus quique ratione pollent, *ad opificem et praestantissimum artificem Deum inquirendum et adorandum* excitarentur.

Est II. tempore hominibus ipsis aequalis, adeo ut iis etiam temporibus, quae Scriptura (1) vocat *τους χρονους της ἀγνοιας*, *tempora ignorantiae*, neque tulerit Deus (2), se esse *ἀμαρτυρον*, *expertem testimonii*, neque sollicitam hominum curam, qua se Optimum Maximum ostenderet, ullatenus neglexerit. Siquidem *προς τουτο μαλιστα το θελημα αὐτου ἐξ ἀρχης αὐτα κατεσκευασε*, *propter hanc maxime voluntatem ab initio ea constituerit*, quae ad illum homines perducerent.

Est III. actuosa ac operum donorumque fecunda, quum hac excitus voluntate Deus, *ἁπαν το σωμα της κτισεως*, *universitatem rernm* ita digesserit, ut *ἀντι βιβλιων και γραμματων*, *pro libris litterisque* hominibus esset.

Talis denique est IV. quae suis donis muneribusque homines quidem provocat, iuvat et ad Deum ipsum convertit, verum non ita, ut vim illis facultatemque adimat, qua et

(1) Actt. XVII. 30. coll. Sap. XIV. 22. ubi *ἀγνοια* ponitur *ἐν τῳ πλανασθαι περι την του θεου γνωσιν*.

(2) Vox haec est in N. T. *ἁπαξ λεγομενη*, *semel usurpata*, habeturque Actt. XIV. 17. Iamvero eodem quo Chrysostomus pacto ceteri loquuntur patres, ac ii etiam, qui pro doctrina catholica adversus pelagianos semipelagianosque decertarunt. Insignia sunt hac de re, deque auxilio per universitatem rerum omnibus praeparato, Augustini testimonia in lib. X. Confession. cap. VI. et apud Bedam in comm. ad Rom. I., itemque Prosperi in lib. con. Collatorem cap. XIV., et Auctoris librorum de Vocat. omnium gentium lib. II. capp. IV-V-XXV. Movere autem neminem debet, quod ejusmodi auxilium nonnisi *externum* videatur. Patribus enim persuasum semper fuit, non minus cum externa et supernaturali praedicati Evangelii revelatione, quam cum externa et naturali revelatione, quae in libro creaturarum resplendet, interna Dei vocantis trahentisque auxilia cohaerere. Veritatem huius theorematis pluribus demonstrat Iosephus Tricassinus in opere quantivis pretii, *De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data* Part. II. Sect. II. §. III.

benevolentiam Creatoris et Salvatoris benignitatem aspernari possint. Nimirum non ab omni soluta est *conditione*, sed hanc complectitur, ut vitam quidem salutemque hominibus conciliet, dummodo tamen neque ipsi sibi homines desint, neque suarum cogitationum (1) vanitate in transversum abrepti, aut officia negligant illi deferenda Deo, quem cognoverunt, aut *την δοξαν του ἀφθαρτου θεου, gloriam incorruptibilis Dei, ἐν ὁμοιωματι εἰκονος φθαρτου ἀνθρωπου, in similitudinem* mutent *imaginis corruptibilis hominis.*

XII.

Quod postremum doctrinae caput ad tenendam, uti opus est, germanam sinceramque praecedentis voluntatis rationem apprime necessarium, nusquam alibi praeclarius evidentiusque explanat Chrysostomus, quam cum ad ista (2) Johannis verba, *ἦν το φως το ἀληθινον, ὁ φωτιζει παντα ἀνθρωπον ἐρχομενον εἰς τον κοσμον, erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* scribit (3): « Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *πως ἀφωτιστοι μεμενηκασι τοσουτοι, quomodo tot homines haud illuminati manent?* non enim omnes Christi religionem agnoscunt, *πως οὐν φωτιζει παντα ἀνθρωπον, quomodo igitur illuminat omnem hominem? το γε εἰς αὐτον ἡκον, quantum in ipso est.* Si qui vero sponte sua mentis oculos claudentes, huius lucis radios percipere nolint, *οὐ παρα την του φωτος φυσιν ἡ σκοτωσις ἐκεινοις, ἀλλα παρα την κακουργιαν των ἑκοντι ἀποστερουντων ἑαυτους της δωρεας, non ex natura lucis evenit, quod in tenebris maneant, sed ex nequitia eorum, qui sponte se hoc munere fraudant.* Gratia quippe *εἰς παντας, in omnes* effusa est; non iudaeum, non graecum, non barbarum, non scytham, non liberum, non servum, non virum, non mulierem, non iuvenem aversatur; *παντας δε ὁμοιως προσιεμενη και μετα της ἰσης καλουσα τιμης, sed omnes similiter admittit, parique vocat ho-*

(1) Rom. I. 21-24.
(2) Ioh. I. 9.
(3) In Ioh. Hom. VIII. al. VII. n. 1.

nore. Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis caecitatem adscribant oportet. Quum enim aditu omnibus patente et a nemine intercluso, *ἐθελοκακουντες τινες ἐξω μενωσι, παρ' οὐδενα ἑτερον, ἀλλ' ἡ παρα την οἰκειαν πονηριαν ἀπολλυνται μονον, quidam ex voluntaria nequitia extra manent, ii non aliunde sed suo tantum vitio pereunt* ».

XIII.

Ne qui vero suspicentur dici ista ambitiosius, neque tantam reipsa a Chrysostomo existimari divinae *φιλανθρωπιας*, *in homines benignitatis* amplitudinem, ut ad omnes ac singulos protendatur; hi principio eumdem (1) audiant de perditissimo iudaeorum populo ita loquentem : » Quum dicit (2) Paulus, *quorum adoptio et gloria et legislatio et cultus et promissiones*, *οὐδεν ἀλλο φησιν, ἡ ὁτι ὁ θεος μεν αὐτους ἐβουλετο σωθηναι*, *nihil aliud dicit*, *quam quod servare illos Deus vellet*, idque declaraverit per ea, quae antea fecerat, ex eo quod Christus ex illis ortus sit, et per ea, quae patribus promisit: *αὐτοι δε ἐξ οἰκειας ἀγνωμοσυνης ἀπεκρουσαντο την εὐεργεσιαν*, *illi autem ex ingrato animo suo beneficium repulerunt.* Ideo Paulus ea solum recenset, quae donorum Dei sunt argumenta, non illorum encomia. Nam adoptio ex illius gratia profecta est, sicuti et gloria, promissiones et lex, *ἁπερ ἁπαντα ἐννοησας, και λογισαμενος, ποσην ὁ θεος μετα του παιδος ἐποιησατο την σπουδην σωσαι αὐτους, ἀνεβοησε μεγα, και εἰπεν, ὁς ἐστιν εὐλογητος εἰς τους αἰωνας, ἀμην, quae omnia mente complexus Paulus, et secum reputans, quantam Deus cum Filio curam habuerit illos servandi*, *voce magna clamavit et dixit :* qui est benedictus *in secula*, *amen.* Pro omnibus is gratiam referens Unigenito Dei. Quid enim, inquit, si alii blasphemant ? at nos, qui arcana eius vidimus, sapientiam ineffabilem, *και την προνοιαν την πολλην*, magnamque providentiam; clare intelligimus dignum esse non qui blasphemetur, sed qui glorificetur ».

(1) In epist. ad Rom. Hom. XVI. n. 3.
(2) Rom. IX. 4.

Eumdem deinde audiant (1) de Pharaone ita disserentem: « Vas irae erat Pharao, *τουτηστιν, ὁ ἀνθρωπος του θεου την ὀργην ἀναπτων δια της οἰκειας σκληροτητος*, *idest, homo, qui sua duritia divinam iram incendit.* Longam enim eius patientiam expertus, *οὐκ ἐγενετο βελτιων, ἀλλ' ἀδιορθωτος ἐμεινε*, *non melior* (2) *effectus est, sed incorrigibilis mansit.* Ideo non modo *σκευος ὀργης*, *vas irae* ipsum vocavit, *ἀλλα κατηρτισμενον εἰς ἀπωλειαν· τουτεστι, τον ἀπηρτισμενον, οἰκοθεν μεντοι και παρ' ἑαυτου*, *sed praeparatum ad perditionem; idest, apparatum, per se nempe atque opera sua.* *οὐτε γαρ ὁ θεος ἐνελιπε τι των εἰς την διορθωσιν εἰκοντων την ἐκεινου, οὐτε αὐτος ἐνελιπε τι των ἀπολλυντων αὐτον, και πασης ἀποστερουντων συγγνωμης*, *neque enim Deus quidpiam praetermisit eorum, quae ad eius emendationem facerent, neque ille quidpiam praetermisit eorum, quae ipsum perderent, omnique venia privarent.* Attamen haec quum sciret Deus, *ἠνεγκεν πολλῃ μακροθυμιᾳ, βουλομενος αὐτον εἰς μετανοιαν ἀγαγειν*, *multa patientia eum tulit, cupiens illum ad poenitentiam adducere.* Nisi enim hoc (3) voluisset, diuturna adeo patientia usus non esset. Quia vero ille noluit divina patientia ad poenitentiam uti, *ἀλλ' ἀπηρτισεν ἑαυτον εἰς ὀργην, ἐχρησατο αὐτῳ εἰς την ἑτερων διορθωσιν δια της εἰς ἐκεινον κολασεως ἑτερους σπουδαιοτερους ποιων, και την δυναμιν αὐτου ταυτῃ δεικνυς*, *sed praeparavit se ad iram, usus est illo Deus ad aliorum emendationem, per illius supplicium alios studiosiores reddens et sic potentiam suam ostendens.* Quod enim nolit Deus *οὑτως*, *sic*

(1) Hom. cit. n. 8.

(2) Ad ea respicit Chrysostomus quae habet Paulus Rom. II. 4-5.

(3) Hanc interpretandi rationem communem fuisse graecis patribus, itemque latinis, qui ante Augustinum inclaruere, pluribus ostendit Carolus du Plessis d'Argentre in Comm. historico de praedest. ad gloriam et de reprobatione, capp. I-II. Ac illam sane, ut unum alterumve commemorem, placuisse Origeni, et post Origenem Basilio et Gregorio nazianzeno, manifestum est ex capite XXI. Philocaliae, quod inscriptum sic est, *περι αὐτεξουσιου και των δοκουντων ἀναιρειν τουτο γραφικων ῥητων λυσις και ἑρμηνεια*, *de libertate arbitrii, et dictorum Scripturae, quae tollere illud videntur, solutio et interpretatio*, et quo Basilius ac Gregorius, ut ex huius epistola LXXXVIII. ad Theodorum tyaneum episcopum videre licet, collegere, quae *studiosis maxime utilia* viderentur.

et per inflictas poenas potentiam suam notam facere, *ἀλλ' ἑτερως δι' ὧν εὐεργετει, δι' ὧν εὐ ποιει, sed alio modo per beneficia, per liberalitatem*, id iam Paulus supra modis omnibus declaravit. Nam si ipsemet *οὐχ οὑτω, non ita* et per poenas vult potens videri: *non enim ut nos probati videamur*, inquit (1), *sed ut vos bonum faciatis; πολλῳ μαλλον ὁ θεος, multo magis Deus*. Sed quia longanimis fuit ut Pharaonem ad poenitentiam adduceret, is vero poenitentiam non egit, *ἠνεγκεν αὐτον ἐπι πολυν χρονον, ὁμου μεν την αὐτου χρηστοτητα ἐπιδεικνυμενος, ὁμου δε και την δυναμιν, εἰ μη βουληθειη τι κερδαναι ἐκεινος ἀπο της πολλης ταυτης μακροθυμιας. ὡσπερ οὐν τουτον ἀδιορθωτον μειναντα κολασας ἐδειξεν αὐτου την δυναμιν· οὑτω τους πολλα ἁμαρτησαντας και μετανοησαντας ἐλεησας, ἐδηλωσεν αὐτου την φιλανθρωπιαν, illum diuturno tempore tulit, benignitatem simul suam, potentiamque demonstrans, siquidem ille lucri aliquid e tanta patientia referre vellet. Similiter quum illum in sua perversitate obfirmatum punierit, suam ostendit potentiam; eodemque modo eorum, qui multum quidem peccassent, sed poenitentiam egissent miseratus, suam in homines benignitatem patefecit* ».

Tum, nisi satis ista sint, audiant, quid Chrysostomus reponat (2) obiicienti: « *εἰ οὐν παντες ἡμαρτον, πως οἱ μεν ἐσωθηντο, οἱ δε ἀπωλοντο, si igitur omnes peccaverunt, cur alii salvi fiunt, alii pereunt* » ? reponit nimirum: « *ὁτι μη παντες προσελθειν ἠβουληθησαν. ὡς τογε αὐτου μερος, διεσωθηντο ἁπαντες· και γαρ ἐκληθησαν ἁπαντες, quia non omnes accedere voluerunt. Nam ad illum (Deum) quod spectat, omnes salvi facti sunt, quum omnes sint vocati* ».

Audiant postremo, quae sit, auctore Chrysostomo, caussa, quae origo tam effusae benignitatis. Praemiserat, (3) non antea Deum eo adduci, ut potentiam suam puniendo demonstret, quam illam miserando, officiisque omnibus *της φιλανθρωπιας* exhibitis illustrem effecerit. Verum his non contentus e vestigio (4) subiecit: « *ἀλλ' οὐκ εἰπε την φιλανθρωπιαν,*

(1) II. Cor. XIII. 7.
(2) Hom. cit. n. 5.
(3) Ibid. n. 8.
(4) Ibid. n. 9.

ἀλλα την δοξαν, δεικνυς ὁτι τουτο μαλιστα δοξα θεου, και τουτο προ των ἀλλων ἁπαντων ἐσπουδακεν, sed non dixit (1) *Paulus benignitatem, sed gloriam, ut ostenderet illud* (misereri) *maxime gloriam Dei esse, et prae ceteris omnibus a Deo curari* ». Unde (2) Apostoli verba, *σκευη ἐλεους, ἁ προητοιμασεν εἰς δοξαν, vasa misericordiae, quae praeparavit ad gloriam*, hoc commentario explanavit: « *οὐ του θεου το παν εἰναι φησιν. ἐπει εἰ τουτο ἠν, οὐδεν ἐκωλυσεν ἁπαντας σωζεσθαι, non totum* (quod consequutione gloriae significatur) *Dei esse dicit. Si enim hoc esset* (et Deus non modo princeps, sed unica quoque foret gloriae caussa), *nihil impediret, quominus omnes salvarentur* ».

XIV.

Tanta est igitur amplitudo divinae voluntatis salutiferae, ut nullis circumscripta finibus ad omnes omnino homines semet porrigat, neminem reiiciat, neminem quamquam perditissimum aversetur, suisque beneficiis neminem plane vacuum praetereat. Quapropter iis, quae e Chrysostomi operibus hucusque decerpsimus, mutuo collatis, quaeque ad *ὀνοματολογιαν*, rationemque loquendi pertinent, ab iis accurate secretis, quae ad *πραγματολογιαν*, remque ipsam referuntur; expeditum est, universam eiusdem doctrinam brevi gyro comprehensam oculis subiicere.

Et sane ad *ὀνοματολογιαν* quod spectat, duplicem Chrysostomus divinam voluntatem principio (3) distinguit, *θελημα πρωτον, voluntatem primam* et *θελημα δευτερον, voluntutem secundam.* Illam vero non uno semper eodemque modo, sed pluribus iisque diversis dicendi formulis effert ac significat. Potiores recensebo, inter quas illae eminent quibus eam vocat *θελημα προηγουμενον, voluntatem principem* ac *praecedentem, εὐδοκιαν, beneplacitum, την ἐπιθυμιαν αὐτου, ipsum Dei deside-*

(1) Rom. IX. 13.
(2) Hom. cit. n. 9.
(3) nn. 3. seqq.

rium, το σφοδρον θελημα, *intensam vehementemque voluntatem*, το μετ' ἐπιθυμιας θελημα, *voluntatem cupidam* et cum desiderio benemerendi consertam, το πεισμα, *firmissimam animi inductionem*, θελημα αὐτου, *voluntatem*, *quae proprie eius est*, *quae illi est nativa et ab eo sponte dimanat* , θελημα ἀπο ἀγαθοτητος μονης, *voluntatem a sola* Dei *bonitate profectam*, atque adeo θελημα χωρις αἰτιας, *voluntatem* quae ad sua munera profundenda *nullam* ab hominibus *caussam*, nullamque conditionem postulat.

His autem ἀναλογως formulae appellationesque respondent , quibus *voluntatem secundam* Chrysostomus exprimit. Eiusmodi sunt, θελημα οὐκ αὐτου, *voluntas quae non est eius* simpliciter, sed solum quadamtenus, utpote quae non ex ipsa Dei natura sponte dimanet, sed ἔξωθεν, *extrinsecus* provocetur : θελημα κατα συγκαταβασιν, *voluntas ex condescensione*, et ad quam, occasione ex hominibus desumpta , semet demittit ac prope deiicit Deus : unde θελημα μετα αἰτιας, *voluntas cum caussa*, eaque *extrinseca*, quamque homines vel suis maleficiis vel recte factis praebent.

XV.

Sequitur πραγματολογια, resque ipsa quae hac distinctione, formularumque varietate continetur. Et *initio* quidem continetur, utramque voluntatem, *primam* et *secundam* Deo ἀληθως , *vere* inesse , neque nomen solum ac speciem , sed vim ipsam rationemque intimae voluntatis complecti. Quod quum *de voluntate secunda* omnes profiteantur , non minus *de voluntate prima* profitebuntur, dummodo secum phrases , circumloquutionesque reputent, quibus ad illam declarandam explicandamque Chrysostomus utitur.

Continetur *deinde*, fontem voluntatis secundae alium esse et ab eo plane diversum, e quo voluntas prima defluit. Haec enim ἀπο ἀγαθοτητος μονης, *ex una* Dei *bonitate* permanat, ac voluntas est diciturque χωρις αἰτιας , *sine causa* quae ex hominibus repetatur, at vero illa est diciturque voluntas *iustitiae* , θελημα κατα συγκαταβασιν , voluntas , ad quam

Deus provocatus descendit, atque idcirco *θελημα μετα αἰτιας*, *voluntas non seiuncta a caussa*, quam homines praebuerint.

Continetur *tertio*, *natura* ac *indole* voluntatem primam a secunda differre : illa enim nativa Deo est , ipsum Deum sponte occupat, ab eius *φιλανθρωπια*, *eximia in homines benignitate* non secernitur , unde *ἁπλως* , *simpliciter θελημα αὐτου*, *voluntas eius* nuncupatur : haec autem ad Deum veluti accedit, voluntas est *μετα αἰτιας*, *cum caussa* cohaerens, cuius ipsi homines sunt auctores , ac propterea *θελημα οὐκ αὐτου* , *voluntas* quae *eius* nonnisi *quadamtenus* dici censerique potest.

Continetur *quarto* , *aliter* circa homines voluntatem primam, ac *aliter* voluntatem secundam versari. Huius enim partes, ut ipsum quoque illius *nomen* demonstrat, *secundae* sunt; *primas* ac *principes* suo illa sibi iure vindicat. Neque enim praegreditur *iustitia* ac pone sequitur *amor* , sed iste antevertit, illa succedit : neque *prius* suam Deus iustitiam , ac suam *deinde* bonitatem demonstrat; sed *non* ante *μετα αἰτιας*, *propter extrinsecam caussam* se iustum ostendit, quam *χωρις αἰτιας*, *sine extrinseca caussa*, et *ἀπο ἀγαθοτητος μονης*, *sola bonitate* excitus amorem suum patefecerit : neque *prius* Deus agit ea voluntate , quae solum *quadamtenus* illius voluntas dicitur, *quam* semet ea voluntate manifestaverit, quae *simpliciter eius voluntas*, eiusque desiderium, *και πεισμα* , *et firmissima animi inductio* nuncupatur : neque *prius* ea capessit, quae *propria* sunt voluntatis *κατα συγκαταβασιν* , *semet demittentis*, quam ea perfecerit, quae *το θελημα σφοδρον*, sua *intensa voluntas*, *το μετ' ἐπιθυμιας θελημα*, sua *cupida voluntas*, suumque insitum desiderium postulant ac exigunt: neque suae prius gloriae studet *iustitiae operibus*, quam illam *effusis suae bonitatis donis* quaesierit.

Continetur *quinto*, *voluntatem praecedentem* quum *tempore* esse *iugem* , tum *amplitudine universalem* ; et esse quidem tempore iugem, quod *ἐξ ἀρχης*, *ab ipsis humani generis primordiis* incoeperit, humanumque genus semper comitata sit, ac porro comitetur; esse autem amplitudine universalem, quod neminem umquam excluserit, ac illos etiam suae benevolen-

tiae muneribus ditarit, qui *vasa irae* κατηρτισμενα εἰς ἀπωλειαν, *praeparata in interitum* nuncupantur.

Continetur *sexto*, eamdem praecedentem voluntatem non segnem esse ac sterilem, sed actuosam, efficacem, et in procuranda hominum salute intentam atque sollicitam.

Continetur *septimo*, nihil Deum το γε εἰς αὐτον ἡκον, *quantum in ipso est*, et ὡς το γε αὐτου μερος, *ad ipsum quod spectat*, eorum praetermittere, quae utilia hominibus esse salutariaque possint; adeoque nonnisi παρα την κακουργιαν, *ex* ipsorum *nequitia* et παρα την οἰκειαν πονηριαν, *voluntaria iniquitate*, ingratoque animo fieri, ne salute ac sempiterna felicitate omnes potiantur.

Quibus rite intelligendis non minimum conducet, voluntatem salutiferam, *et multiplicem providentiam*, cum ea cohaerentem ab ipsa salutis beatitatisque collatione distinguere. Haec enim non eo usque *donum* Dei est, ut non simul sit *merces*, *praemium*, *et corona iustitiae*. Quemadmodum enim (1) scriptum est, το δε χαρισμα του θεου ζωη αἰωνιος ἐν Χριστῳ Ἰησου τῳ κυριῳ ἡμων, *gratia autem Dei vita aeterna in Christo Jesu Domino nostro;* ita pariter scriptum (2) legimus, ἀποκειται μοι ὁ της δικαιοσυνης στεφανος, ὁν ἀποδωσει μοι ὁ κυριος ἐν ἐκεινῃ τῃ ἡμερᾳ ὁ δικαιος κριτης, *reposita est mihi corona iustitiae*, *quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*. Quare ad obtinendam consequendamque sempiternam felicitatem, quemadmodum adesse debet Deus, qui tamqnam *caussa princeps* suae misericordiae donis homines *praeveniat* et *praeparet;* ita adesse debent homines, qui tamquam *caussae subiuges* cum Deo praeveniente ac praeparante libere cooperentur. Quod si ex praestituto divinae providentiae ordine necessarium non foret, et beatitatis adeptio ab uno Deo exspectanda esset; οὐδεν ἐκωλυσεν, ἀπαντας σωζεσθαι, *nihil impediret*, inquit (3) Chrysostomus, *quominus omnes salvarentur*, immo si *a sola* divina *caritate* tantum bonum penderet, ἐχρην ἀπαντας σωθηναι, *omnes salvos esse*

(1) Rom. VI. 23.

(2) II. Tim. IV. 8.

(3) NN. 2, 14.

oporteret. At vero salutifera voluntas *et multiplex* erga homines *providentia*, cuius illa fons est ac principium, quum *a sola* Dei *benignitate* dependeant, et fructus sint illius *benevolentiae*, qua Deus hominum saluti impensissime studet; non universales dumtaxat sunt ac neminem prorsus excipiunt, sed nullum praeterea ab ipsis hominibus incitamentum, nullamque benemerendi conditionem efflagitant. Quod receptis usu Scholae formulis multo efferri brevius hoc modo potest: voluntatis salutiferae *providentiaeque multiplicis* ex ea dimanantis Deum esse *caussam non solum principem, sed unicam etiam et adaequatam;* ipsius autem salutis esse quidem Deum *caussam principem, sed non unicam item ac adaequatam: οὐ γαρ του θεου παν, neque enim* scribit Chrysostomus, *totum est Dei.*

Unde *tandem* et illud Chrysostomi doctrina contineri manifestum est, quod ad praesentem illustrandam quaestionem inprimis confert: falli eos vehementer, qui *vel* ex amplitudine eorum qui salute potiuntur amplitudinem voluntatis salutiferae aestimant ac definiunt, *vel* non aliam recipi, probarique posse docent veram sinceramque Dei de salute hominum voluntatem, nisi quae cum ipso obtentae salutis effectu coniungatur. Multo est enim amplior voluntas salutifera, quam eorum, qui salvantur numerus; quum illa tantum pateat, quantum Dei *amor*, *benignitas*, *eximiaque in homines benevolentia* semet porrigunt, hic ad eos extendatur solum, qui Deo morem gerunt, divinaque munera non aspernantur. Ac propterea multo quoque est amplior voluntas *sincera*, ac eorum, quae ad salutem comparandam exiguntur *fecunda*, quam *voluntas, qua* ispamet salus confertur: illa enim voluntas est *misericordiae* et *bonitatis*; haec autem non ita ad bonitatem spectat, qua Deus coronat *dona sua*, ut non etiam *ad iustitiam* spectet, qua coronat *merita nostra.*

XVI.

Jamvero si qui in historiae monimentis non hospites, uti par est, noverint, et quam tenax Chrysostomus fuerit

priscae sinceraeque doctrinae, et quot laudum encomiis illius ὀρθοδοξίαν, *rectam de religione sententiam*, eximiam Scripturarum peritiam, incredibilemque facundiam Isidorus (1) pelusiota, Sozomenus (2), Palladius et (3) Theodorus, Georgius (4) praesul alexandrinus, Photius (5), Leo (6) cognomine Sapiens, Suidas (7) et (8) Philotheus constantinopolitanus patriarcha celebrarint; hi, nullus dubito, in hanc mecum sententiam descendent unanimes, fieri nullatenus potuisse, ut qui ante vel post Chrysostomum floruerunt ecclesiastici scriptores, secus ac ipse censuit, repetiit, inculcavit, de partitione divinae voluntatis in primam atque secundam, deque illius natura, praeclarisque dotibus existimarint. Quod ne sola animi praesensione, sed experimento quoque ipso firmissime teneatur, dabo operam, ut insigniora veterum testimonia in medium proferam, eaque *primum*, quibus Chrysostomi doctrina *certis adstricta formulis* confirmatur, ac ea *deinde*, quibus *etsi laxius*, non minus tamen luculenter eadem proponitur.

XVII.

Ex iis autem, qui certis ratisque formulis usi sunt, omnium primus animo succurrit Iohannes Damascenus inter graecos theologos nobilissimus, quique seculo VIII diffusam antea ac per innumeros prope libros dissipatam christianam sapientiam, in unum systema concinnumque corpus (9) ea dexteritate digessit, ut consequutis doctoribus viam rationemque ordinatae tractationis praemonstrarit.

Is igitur in opere, cui titulum fecit, ἔκδοσις ἀκριβὴς τῆς

(1) Lib. II. epist. XLII.
(2) H. E. lib. VIII. cap. II.
(3) Dialog. de vita Iohannis Chrysostomi.
(4) Vita Chrysostomi, apud Savilium. T. VIII.
(5) Cod. CLXXII.
(6) Orat. Panegyric. in Chrysost. apud Savilium T. VIII.
(7) Ad v. Ἰωάννης.
(8) Orat. in ss. Basil. Gregor. et Chrysostomum.
(9) Cf. Michaelis Lequien praefationem ad opera Damasceni.

ὀρθοδόξου πίστεως, *expositio* (1) *accurata fidei orthodoxae*, ad disputationem (2) progressus περὶ προνοίας, *de providentia*, postquam duce (3) Nemesio animadvertit, universa providentiae opera sic apte dispesci, ut alia κατ' εὐδοκίαν, *secundum beneplacitum*, alia κατὰ συγχώρησιν, *secundum permissionem* administrari censeantur, et ad primum quidem genus pertinere, quae ἀναντιῤῥήτως εἰσὶν ἀγαθὰ, *citra controversiam sunt bona*, τῆς δὲ συγχωρήσεως, *permissionis autem* πολλὰ εἴδη, *multos* esse *modos*, multasque species, pergit: « Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὡς ὁ θεὸς προηγουμένως θέλει πάντας σωθῆναι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ τυχεῖν· οὐ γὰρ ἐπὶ τὸ κολάσαι ἔπλασεν ἡμᾶς, ἀλλὰ πρὸς τὸ μετασχεῖν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, ὡς ἀγαθός· ἁμαρτάνοντας δὲ θέλει κολάζεσθαι, ὡς δίκαιος, λέγεται οὖν, τὸ μὲν πρῶτον, προηγούμενον θέλημα, καὶ εὐδοκία, ἐξ αὐτοῦ ὄν· τὸ δὲ δεύτερον, ἑπόμενον θέλημα, καὶ παραχώρησις, ἐξ ἡμετέρας αἰτίας, καὶ αὕτη διττή, ἡ μὲν οἰκονομικὴ, καὶ παιδευτικὴ πρὸς σωτηρίαν, ἡ δὲ ἀπογνωστικὴ πρὸς τελείαν κόλασιν, ὡς εἰρήκαμεν, ταῦτα δὲ ἐπὶ τῶν οὐκ ἐφ' ἡμῖν, τῶν δὲ ἐφ' ἡμῖν, τὰ μὲν ἀγαθὰ, προηγουμένως θέλει, καὶ εὐδοκεῖ, τὰ δὲ πονηρὰ, καὶ ὄντως κακὰ, οὔτε προηγουμένως, οὔτε ἑπομένως θέλει, παραχωρεῖ δὲ τῷ αὐτεξουσίῳ, τὸ γὰρ κατὰ βίαν γινόμενον, οὐ λογικὸν, οὐδὲ ἀρετή, προνοεῖ ὁ θεὸς πάσης τῆς κτίσεως, καὶ διὰ πάσης τῆς κτίσεως εὐεργετῶν, καὶ παιδεύων, καὶ δι' αὐτῶν πολλάκις τῶν δαιμόνων, ὡς ἐπὶ τοῦ Ἰὼβ, καὶ τῶν χοίρων: *hoc itidem nosse oportet, Deum* primo et antecedenter *velle omnes salvos esse, regnique sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret, condidit; sed* quia bonus *est, ut bonitatis suae participes essemus. Peccantes autem puniri vult*, quia iustus est. *Igitur* (4) prima *illa*

(1) Haec Damasceni expositio non sine eximia utilitate confertur cum ea *divinorum dogmatum epitome*, quam seculo V. Theodoritus ediderat, et cuius retinendum, exprimendumque *ordinem* sibi ille proposuisse videtur.

(2) De fide orthod. lib. II. cap. XXIX.

(3) De opific. hominis, cap. XLIV.

(4) « Damasceni sensum, scribit in adiecta adnotatione Lequienius, adprobat s. Thomas I. p. q. XIX. a. VI, ac neuter *innocentiae dumtaxat statum* ad voluntatem antecedentem spectare innuit vel cogitavit,

voluntas, antecedens *dicitur* et beneplacitum, *cuius* ipse Deus caussa est: *secunda autem* consequens et permissio et cuius nos sumus caussa. *Est autem ista duplex, altera quae dispensatione continetur et ad salutem evadit, altera quae a reprobatione* (1) *proficiscitur, et ad ultimam, ut diximus, poenam spectat. Atque haec circa illa versantur, quae in nostra potestate non sunt. Eorum vero, quae in nobis sita sunt, bona*

uti nec alii graeci. Iamvero plerique patrum, ac praesertim orientales uno consensu docent, Deum, quippe qui summe bonus est et φιλοψυχος, *amans animas,* propenso affectu velle, ut omnes prorsus homines salvi sint. Vide Cyrillum alexandrinum lib. I. de adoratione in spiritu. Quo circa ne augustinianae de divina gratia doctrinae systema hoc capite mancum quibusdam videretur, sanctus Prosper et auctor libri *de vocatione gentium,* bonam hanc Dei voluntatem defendendam susceperunt ». Atqui I. illam pariter Augustinus defenderat, neque solum ante susceptum episcopatum, sed et quum iam esset episcopus, et pro re catholica adversus pelagianos et massilienses decertaret ac triumphos referret. Illud vero II. quod de concentu Damascenum inter et Thomam Lequienius affirmat, quo accipi sensu et possit et debeat, suo inferius loco patebit.

(1) Ita quidem Lequienius reddit adiectivum ἀπογνωστικη, sed haud paullo fortasse commodius Billius, qui illud vertit *a desperatione.* Etenim proprie ἀπογνοια et ἀπογνωσις sunt *desperatio,* ἀπογνωστης, *qui desperat*; unde ἀπογνωστικον, *ex desperatione profectum.* Quod et cum his quae antecedunt, probe consentit: « Της δε ἐγκαταλειψεως εἰσιν εἰδη δυο · ἐστι γαρ ἐγκαταλειψις οἰκονομικη και παιδευτικη, και ἐστιν ἐγκαταλειψις τελεια ἀπογνωστικη · οἰκονομικη μεν και παιδευτικη, ἡ προς διορθωσιν και σωτηριαν και δοξαν του πασχοντος γινομενη, ἡ και προς ἀλλων ζηλον, και μιμησιν, ἡ και προς δοξαν θεου, ἡ δε τελεια ἐγκαταλειψις, ὁτε του θεου παντα τα προς σωτηριαν πεποιηκοτος, ἀνεπαισθητος και ἀνιατρευτος, μαλλον δε ἀνιατος, ἐξ οἰκειας προσθεσεως διαμεινῃ ὁ ἀνθρωπος · τοτε παραδιδοται εἰς τελειαν ἀπωλειαν, ὡς ὁ Ἰουδας : *desertionis porro duplex est genus. Est enim quaedam desertio, quae certo consilio ac dispensatione et ad eruditionem nostram contingit. Est rursus quaedam ab omnimoda desperatione proficiscens. Quae certo consilio contingit, ea est quae ad eius qui patitur emendationem et salutem et gloriam, aut etiam ad alios aemulationis studio inflammandos, aut denique ad Dei gloriam existit. Omnimoda autem desertio tum demum locum habet, quum nullo saluliferi remedii genere a Deo praetermisso, stupidus tamen et incuratus, vel ut rectius loquar, incurabilis, propria animi destinatione homo remanet: ac tum in extremum exitium traditur, ut Iudas* ».

quidem primaria Deus vult ac ex beneplacito ; mala autem quae talia vere sunt, neque primario neque consequenter vult, sed libero arbitrio permittit. Nam quod vi exprimitur, nec rationi consonum est, nec virtutis nomen meretur. Deus creaturis omnibus providet , et per universam creaturam benefacit ac erudit, per ipsos quoque daemones frequenter , ut in Iobo et porcis videre licet ».

XVIII.

Ab his autem ea minime distrahi velim, quibus in dialogo *κατα μανιχαιων*, *contra manichaeos* post (1) Basilium dirimit insignem quaestionem, utrum Deus poenarum auctor videri debeat. Scribit (2) enim: « Ἀλλ᾽ *οὐδε αἱ τιμωριαι ἡμων του θεου ἐχουσιν αἰτιον , οὐ γαρ ὁ κριτης ἐστι της τιμωριας του πονηρου αἰτιος, εἰ και αὐτος θελων κρινει · ἀλλ᾽ αἰτιος μεν ἐστιν ὁ πταισας της ἑαυτου τιμωριας, ὁ δε κριτης, της δικαιοσυνης αἰτιος · ἀγαθον δε ἡ δικαιοσυνη · εἰ γαρ θελων κρινει , ἀλλ᾽ οὐ κατα προηγουμενον θελημα , ἀλλα κατα το ἑπομενον · προηγουμενον μεν ἐστι θελημα , ὁπερ τις ἀφ᾽ ἑαυτου θελει, ἑπομενον δε, ὁπερ ἐκ της των γινομενων αἰτιας · προηγουμενως γαρ ἐξ ἑαυτου θελει ὁ θεος παντας ἀνθρωπους σωθηναι , και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν · ἁμαρτανοντων δε ἡμων , θελει παιδευεσθαι ἡμας προς το συμφερον · και το μεν προηγουμενον θελημα του θεου, της ἀγαθοτητος ἐστι, το δε ἑπομενον, της δικαιοσυνης αὐτου: Sed ne nostrae quidem poenae Deum habent auctorem. Neque enim ut improbus poenas luat , auctor est iudex, etiamsi ipse volens sententiam ferat; verum is, qui facinus admisit, poenam sibi accersivit; iustitiae autem, quae bona res est, caussa est iudex. Quantumvis enim volens iudicet,* non tamen antecedente voluntate, sed consequente id facit. *Itaque voluntas antecedens de eo est , quod quis a seipso vult : consequens vero de eo, quod nonnisi eorum, quae facta sunt, caussa vult. Antecedenter* enim Deus (3) *ex seipso vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Nobis*

(1) Homil. *quod Deus non sit caussa malorum.*

(2) Dialog. con. manichaeos, §. LXXIX.

(3) I. Tim. II. 4.

autem peccantibus, utilitatis nostrae gratia vult nos castigari. Siquidem antecedens Dei voluntas, bonitatis ipsius est; consequens vero, iustitiae ».

XIX.

Quae quidem comparata sic sunt, ut *verbis* iuxta ac *sententiis* cum iis praeclarissime conspirent, quae e Chrysostomi operibus (1) retulimus. Ac *verbis* primum conspirant: quemadmodum enim Chrysostomus divinam voluntatem diribet *in primam* et *secundam*; ita Damascenus eamdem tribuit in *voluntatem primam et praecedentem*, ac *θελημα δευτερον και ἑπομενον, voluntatem secundam et consequentem.*

Quemadmodum Chrysostomus voluntatem primam dicit *εὐδοκιαν, beneplacitum*; ita eamdem voluntatem Damascenus *εὐδοκιαν, beneplacitum* insitamque Deo benignitatem appellat.

Quemadmodum ille voluntatem primam non alio insignit nomine, quam voluntatis, *quae Dei propria voluntas* sit, ipsique *nativa*; ita Damascenus *praecedentem voluntatem* definit *ἐξ αὐτου ὀν*, *quae ex ipso* Deo *est*, ac ex eo sponte dimanat.

Quemadmodum auctore Chrysostomo voluntas prima est *χωρις αἰτιας, nullamque habet extrinsecam caussam*; ita Damasceno auctore *praecedens voluntas* definitur: *ὁπερ τις ἀφ' ἑαυτου θελει*, *quod* Deus *ex seipso vult*, et ad quod volendum intrinsecus movetur.

Quemadmodum Chrysostomus voluntatem primam docet *ἀπ' ἀγαπης μονης, a sola Dei caritate permanare*; ita Damascenus illam esse tradit *θελημα της ἀγαθοτητος, voluntatem* insitae congenitaeque *bonitatis.*

Quemadmodum Chrysostomus voluntatem secundam dicit *θελημα κατα συγκαταβασιν, voluntatem ex condescensione*, et *θελημα μετα αἰτιας, voluntatem quae a nobis caussam mutuatur;* sic illam Damascenus vocat *θελημα ἐξ ἡμετερας αἰτιας, voluntatem, cuius nos caussa sumus, θελημα κατα παραχωρησιν, voluntatem ex permissione*, et *θελημα, ὁπερ ἐκ της των γινο-*

(1) XX. 3. seqq.

μενων αἰτιας, *voluntatem ex iis, quae a nobis fiunt, repetendam.*

Quemadmodum denique Chrysostomo voluntas secunda *ordine* secunda est, neque eam *prius* induit Deus, *quam* munera praecedentis voluntatis contempsisse homines intelligantur; ita Damasceno *voluntas secunda* est θελημα ἑπομενον, *voluntas consequens*, et absolute θελημα της δικαιοσυνης, *voluntas iustitiae* nominatur.

XX.

Hanc vero *formularum loquutionumque* consensionem conspiratio excipit *rerum sententiarumque* neque luculenta minus neque minus ad fidem gignendam accommodata. Ecquae enim Chrysostomo (1) origo est, qui fons voluntatis praecedentis? divina nimirnm φιλανθρωπια και ἀγαθοτης, *in homines benevolentia et bonitas.* Atqui vicissim inde principium Damascenus (2) repetit voluntatis primae, quod Deus sit *bonus. Sicut enim,* inquit (3), το φως ἐκ του ἡλιου ὁριζεται, οὑτω και το ἀγαθον ἐκ του θεου, *lumen a sole oboritur, ita bonum ex Deo.* Et (4) ὁ θεος οὐ δυναται μη παρεχειν τα ἀγαθα, ἀγαθος ὠν, *Deus quippe bonus non potest non bona largiri.*

Praeterea si Chrysostomum audimus, quemadmodum universalis est divinae *in homines benignitatis* amplitudo; ita *beneplacitum* praecedentis voluntatis neminem reiicit, omnesque complectitur. Neque aliter Damascenus qui idipsum inculcat et repetit, sive quum *negat*, homines a Deo creari *ut poenis in illos animadvertat*, sive quum *affirmat*, antecedentem Dei voluntatem eo pertinere, ut *omnes prorsus homines* salventur. Quod si non omnes salvantur, non id propterea fit, auctore Chrysostomo, *vel* quod aliquibus Dei benignitas desit, quae omnibus affatim suppetit, *vel* quod Deus, quantum

(1) NN. 5. seqq.
(2) N. 18.
(3) Con. Manichaeos dialog. §. XXXVIII.
(4) Ibid. §. LXX.

ex sese est, non ea omnia sollicitus impertiat, quae consequendae saluti necessaria sunt, suas enim divitias abunde in omnes erogat; sed quod hanc tulerit legem atque hunc ordinem praestituerit, ut *ii omnes ac soli* salventur, qui divinae benignitati praevenienti ac praeparanti morem gesserint. A quibus ne lato quidem ungue Damascenus recedit, cuius haec est (1) certa explorataque sententia: Deum, *ὅπερ αὐτου ἐστι, quantum ex ipso est*, omnes suis beneficiis locupletare, proindeque *ὅπερ μονου θεου ἐστι, quantum ab eo dumtaxat pendet, και θελοντων και μη θελοντων ἡμων αὐτος διδωσιν, ὡς ἀγαθος, ἱνα καν ποσως ᾐ ἐν ἡμιν το ἀγαθον, nobis sive volentibus sive nolentibus ipsum, utpote bonum,* sua munera *tribuere, quo bonum aliqua saltem parte nobis insit*; propterea hac una de caussa non omnes ad salutem pervenire, quod *nolit* Deus *κατα βιαν, necessitate* homines servari, sed contra *velit* (2), *το ἀγαθον εἰναι ἐκ θεου και ἐξ ἡμων, tum ipsius, quum nostrum esse oportere, ut boni simus:* vel ut idem alibi (3) explicat, quod *velit οὐ του θεου μονου, ἀλλα και αὐτου, non unius esse Dei, verum ipsius quoque* hominis, ut *το καλον*, quod *bonum* praeclarumque est consequatur: *το γαρ βιᾳ γινομενον, οὐ καλον, οὐδε ἀρετη, quod enim vi exprimitur, neque boni, neque virtutis* nomen dignitatemque meretur.

XXI.

Tertius sequitur testis, ac eiusdem doctrinae assertor et vindex, recentior ille quidem, ut qui non ante (4) seculum XI. claruerit, eruditus tamen, et quod caput est, theologiae in graeca, orientalique ecclesia receptae callentissimus. Is autem est Theophylactus, qui plures simul contendens textus, qui de legalibus sacrificiis in Bibliis leguntur, haec

(1) Con. Manich. Dialog. §. LXX.

(2) Ibid.

(3) Ibid. §. XXXII.

(4) Fuerunt qui Theophylactum seculo IX. claruisse scriberent; sed hos praeclare refellit Bernardus De Rubeis in dissertatione praevia ad opera Theophylacti, §§. I—III, ostenditque seculo XI. labente et XII ineunte vitam illum egisse.

inter cetera (1) scribit: « Ambigere autem possis ac percontari , τι οὐν; αἱ κατα νομον θυσιαι οὐκ ἠσαν θελημα του θεου; θελημα μεν ἀλλ' ἡ του θεληματος σημασια διττη, θελει γαρ τις τοδε τι προηγουμενως, ὡς ὁ Παυλος, θελω παντας ἀνθρωπους εἰναι ὡς ἐμαυτον, τουτεστιν, ἀγαμους. θελει τις και συγκαταβατικως, ὡς ὁ αὐτος Παυλος. βουλομαι νεωτερας χηρας γαμειν· τουτο συγκαταβατικον θελημα, ἱνα γαρ μη καταστρηνιασωσι του Χριστου, δια τουτο συγκατεβη· οὑτω και ὁ θεος προηγουμενως μεν οὐκ ἠθελε κνισσας και αἱματα. ἐπειδη δε ἑωρα, ὡς οἱ Ἑβραιοι θυοντες δαιμοσι, σφοδρα αὐτων δη των θυσιων περιεχονται, συγκατεβη αὐτοις, ἱνα εἰς τιμην αὐτῳ την θυσιαν προσαγωσι, *quid igitur? sacrificia secundum legem nonne fuerunt voluntas Dei? voluntas quidem fuerunt; ceterum duplex* est *voluntatis significatio. Vult enim quis aliquid primum* ac *potissimum , ut* (2) *Paulus : volo omnes homines esse, ut meipsum,* hoc est coelibes. *Vult etiam quispiam quiddam condescensione , ut quum Paulus* (3) *ait , volo iuniores viduas nubere. Haec est voluntas ex condescensione profecta. Ne enim luxurientur contra Christum, illis propterea indulget. Simili modo Deus primum* ac *potissimum non voluit nidores et sanguinem; quod autem videret Hebraeos sacrificia daemonibus offerre, iisque sacrificiis vehementer occupari, illis indulsit, ut in suum honorem sacrificia litarent* ».

En habes *partitionem* divinae voluntatis, ac utriusque *originem naturamque* probe explicatam. Habes *partitionem,* quum voluntatem diribeat Theophylactus in eam, quam dicit θελημα προηγουμενον, *voluntatem primam* ac potissimam, et in eam, quam vocat θελημα συγκαταβατικον, *voluntatem ex condescensione.*

Habes utriusque *originem ,* illa namque ex ipsomet Deo *sponte* oboritur, et *extrinseca* caret *caussa;* sed haec ad Deum ἐξωθεν, *extrinsecus* accedit , *suamque* ab homnibus *caussam* ducit.

Habes et *naturam,* siquidem θελημα προηγουμενον, *voluntas*

(1) In epist. ad Hebr. X. 8.

(2) I. Cor. VII. 7.

(3) II. Tim. V.

prima ordine antecedit ac *praevertit*, quum θελημα συγκαταβατικον, *voluntas ex condescensione ordine sequatur ac succedat.*

XXII.

Atque haec haud paullo enarrat praeclarius, quum (1) ad Pauli verba, κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου, εἰς ἐπαινον δοξης της χαριτος αὐτου, *secundum beneplacitum voluntatis suae, ad laudem gloriae et* (2) *gratiae suae*, ita (3) scribit: « Ad filiorum adoptionem nos praedestinavit, θελων και σφοδρα βουλομενος και ἐπιθυμων, *volens, vehementerque volens ac desiderans*, τουτο γαρ ἡ εὐδοκια, *hoc enim est beneplacitum*.... Εὐδοκια οὐν ἐστι το προηγουμενον θελημα του θεου · οἱον · θελημα πρωτον του θεου, το μηδενα ἀπολεσθαι · θελημα δευτερον, το γενομενους κακους ἀπολεσθαι · οὐ γαρ ἀναγκη κολαζει, ἀλλα θελων, ἡ τοινυν εὐδοκια, το προηγουμενον ἐστι θελημα του θεου, *beneplacitum igitur est voluntas Dei antecedens. Exempli gratia, prima voluntas Dei est, ne quis pereat: secunda voluntas est, ut qui mali sunt, iidem pereant. Neque enim necessitate, sed voluntate punit Deus. Quare beneplacitum est praecedens voluntas Dei* ».

Duplex nimirum secerni debet Dei voluntas, θελημα πρωτον και προηγουμενον, *voluntas prima et antecedens*, ac θελημα δευτερον, *voluntas secunda*.

Porro θελημα πρωτον και προηγουμενον, *voluntas prima et antecedens* est *voluntas proprie dicta*, εὐδοκια, *beneplacitum*, θελημα σφοδρον, *voluntas impensa ac vehemens*, ἐπιθυμια, *desiderium*: voluntas autem secunda est θελημα συγκαταβατικον, *voluntas condescendens, voluntas quae Deo accidit*, ut totidem verbis (4) Theophylactus affirmat de Christo scribens:

(1) Ephes. I. 6.

(2) Sicuti εἰς ἐπαινον adhibetur pro εἰς το ἐπαινεισθαι, ita δοξα της χαριτος est χαρις ἐνδοξος: ex ea apud Hebraeos recepta loquendi consuetudine, qua nomina *gloriae, splendoris*, nominibus *virtutum* coniunguntur, ut horum *magnitudo praestantiaque* significetur. Cf. Is. II. 10, Ps. CXLV. 12, Esth I. 4, et II. Thess. I. 9.

(3) In epist. ad Ephes. I. 6.

(4) Ad Ioh. III. 17. οὐ γαρ ἀπεστειλεν ὁ θεος τον υἱον αὐτου εἰς τον κοσ-

προηγουμενως ἐπι το σωσαι τον κοσμον ἠλθε· και τουτο σκοπος ἠν αὐτῳ· κατα συμβεβηκος δε κρινει τους μη πιστευσαντας, *primum* ac maxime *venit, ut mundum servaret, atque hoc fuit eius consilium: ex accidenti autem illos iudicat, qui non crediderunt.*

Neque obscurum est, cur *appellationibus tam diversis* utraque voluntas significetur: voluntas namque prima et antecedens idcirco εὐδοκια, θελημα σφοδρον, ἐπιθυμια, *beneplacitum, intensa voluntas desideriumque* audit, quod *suam ex Dei benignitate originem* repetit: voluntas autem secunda et consequens propterea voluntas κατα συγκαταβασιν, *ex condescensione* et κατα συμβεβηκος, *ex accidenti* nominatur, quod *nonnisi obfirmatis in sua impietate hominibus* a Deo suscipitur.

Cui diversitati ex origine profectae altera succedit, quae *ad obiectum amplitudinemque* utriusque voluntatis refertur. Obiectum enim voluntatis *ex accidenti ipsae* sunt *poenae*, quibus Deus in perversos scelestosque homines animadvertit. At obiectum voluntatis antecedentis *ipsa* est *hominum salus*, quod non maiori brevitate quam evidentia Theophylactus (1) edicit, scribens: θελημα θεου ἡ των ἀνθρωπων σωτηρια, *voluntas Dei* est *hominum salus.*

Quod vero *ad amplitudinem* pertinet, voluntas *ex accidenti* eos respicit *solum*, qui nullum peccatis modum ponunt, et ad extremum usque in impietate perseverant. Sed prima ac princeps voluntas effusis beneficiis *omnes* praevenit, *omnes* ad summum bonum attrahit, ac ut illius fiant participes, singulari benignitate contendit. Quam amplitudinem *negando affirmandoque* Theophylactus proponit ac statuit: *negando* primum, quum scribit, eo voluntate principe spectare Deum, το μηδενα ἀπολεσθαι, *ne quis pereat*: deinde *affirmando*, quum occasione (2) verborum Christi, πολλοι γαρ εἰσι κλητοι, ὀλιγοι

μον, ἱνα κρινῃ τον κοσμον, ἀλλ' ἱνα σωθῃ (Chrysost. σωσῃ τον κοσμον) ὁ κοσμος δι' αὐτου, *non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut salvetur mundus* (al. *salvet mundum*) *per eum.*

(1) Ad Ioh. IV. 34. ἐμον βρωμα ἐστιν, ἱνα ποιω (al. ποιησω) το θελημα του πεμψαντος με και τελειωσω αὐτου το ἐργον, *meus cibus est, ut faciam voluntatem eius, qui me misit, perficiamque opus eius.*

(2) Matth. XXII. 14.

δε ἐκλεκτοι, *multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, inquit (1): χαριτι γαρ μονῃ παντες ἐκληθημεν ἀγαθοι τε και πονηροι, *gratia namque sola omnes vocati sumus tam boni quam mali.* Et (2) rursum : πολλους γαρ καλει ὁ Θεος, μαλλον δε παντας· ὀλιγοι δε ἐκλεκτοι, ὀλιγοι και οἱ σωζομενοι και ἀξιοι του ἐκλεγηναι παρα Θεου· ὡστε του μεν Θεου το καλειν, το δε ἐκλεκτους γενεσθαι ἠ μη, ἡμετερον ἐστι, *multos enim, immo satius omnes vocat Deus; pauci vero sunt electi. Pauci enim qui salvantur, et qui digni* (3) *ut eligantur a Deo; ita ut Dei quidem sit vocare, electos autem fieri vel non, nostrum est.*

XXIII.

Quibus ratio continetur expediendae quaestionis, qui fiat, ut tam multi ab assequutione salutis excidant, quum praecedens Dei salutifera voluntas *ad omnes* semet porrigat, *omnesque* internis externisque beneficiis praeoccupet. Videlicet solvi nodus non potest, nisi divina beneficia, quibus homines donantur, in *duas* accurate *classes* dispescantur, quarum prior iis constet, quae χαριτι μονῃ, *uni gratiae* debentur, ἀπο ἀγαθοτητος μονης, *a sola benignitate* dimanant, et quorum Deus est *caussa* non modo *princeps*, verum etiam *unica* et *adaequata* : ad alteram vero ea revocentur, quorum Deus est quidem *caussa princeps*, sed non caussa item *unica* et *adaequata*, quum ipsos quoque homines, tamquam *caussas subiuges* accedere necesse sit. Quemadmodum enim ad priorem classem spectant quum *salutifera universalis voluntas*, tum *interna externaque dona*, quae in universum hominum genus largissime profunduntur; ita ad alteram pertinet *ipsa*

(1) Comm. ad l. c.

(2) Ibidem.

(3) Ne ista verba praepostere sumantur, proderit eas contulisse *regulas*, quas viri doctissimi, Sixtus Senensis in Biblioth. Sancta lib. VI. adnot. CCLI, Dionysius Petavius de Praedest. lib. IX. capp. III-IV-V, Ludovicus Thommasinus lib. IX. de Deo Deique proprietatibus, et Bernardus De Rubeis in dissert. praemissa ad opera Theophylacti, §. XXII, proposuerunt, ut graecorum patrum loquutiones *De gratia deque praedestinatione*, uti par est, intelligantur.

salutis aeternaeque beatitatis adeptio, quae iis dumtaxat confertur, qui *post Deum* et *cum Deo* semetipsos tam eximio bono *non indignos* reddiderint.

Atque huc redit, quod postremis verbis (1) Theophylactus docuit: huc, quod expendens Iohannis (2) verba, ἦν το φως το ἀληθινον, ὁ φωτιζει παντα ἀνθρωπον ἐρχομενον εἰς τον κοσμον, *erat illa lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum*, scribit (3): « Και πως, φησι, φωτιζει παντα ἀνθρωπον, ὁπου γε βλεπομεν τινας ἐσκοτισμενους; ὁσον το ἐφ' ἑαυτῳ παντας φωτιζει· εἰπε γαρ μοι, οὐ παντες λογικοι; οὐ παντες φυσει γινωσκοντες το καλον και τουναντιον; οὐκ ἐχοντες δυναμιν ἐννοησαι ἀπο των κτισματων τον κτιστην, ὡστε ὁ λογος ὁ δοθεις ἡμιν, και παιδαγωγων ἡμας φυσει, ὁς και φυσικος νομος καλειται, οὑτος ἀν κληθειη φως, το δοθεν ἡμιν παρα θεου· εἰ δε τινες κακως τῳ λογῳ ἐχρησαντο, ἑαυτους ἐσκοτισαν, *et quomodo*, inquit, *illuminat omnem hominem, quum videamus tam multos obtenebratos? quantum ad ipsum attinet, illuminat omnes. Dic enim, obsecro, nonne omnes rationales sunt? nonne omnes natura sciunt bonum et malum? nonne omnibus adest virtus ex creaturis cognoscendi creatoris? sic itaque ratio data nobis et natura* (4) nos *instruens*, *quae et lex na-*

(1) N. 22.
(2) Joh. I. 9.
(3) In comm. ad Ioh. I. 9.
(4) Cum quibus commode satis ea conferas, quae habet martyr Iustinus, sive quum Apolog. II. n. 8. memorat το ἐμφυτον παντι γενει ἀνθρωπων σπερμα του λογου, *insitum universo hominum generi verbi semen*: sive quum ibidem laudat, modo quidem κατα λογον βιουν σπουδαζοντας, *eos qui dant operam, ut vitam ad Verbi normam exigant*; modo autem τους οὐ κατα σπερματικου λογου μερος (βιουν σπουδαζοντας), ἀλλα κατα την του παντος λογου, ὁ ἐστι Χριστου, γνωσιν και θεωριαν, *eos qui non ad partem aliquam Verbi disseminati vitam instituere student, sed ad totius Verbi, idest Christi, cognitionem et contemplationem*: sive quum n. 10. scribit, ὁσα καλως ἀει ἐφθεγξαντο και εὑρον οἱ φιλοσοφησαντες ἠ νομοθετησαντες, κατα λογου μερος εὑρεσεως και θεωριας ἐστι πονηθεντα αὐτοις, *quaecumque praeclare umquam dixere aut excogitavere philosophi vel legumlatores, haec invento consideratoque aliqua ex parte Verbo elaborarunt*: sive quum de Socrate subdit, illi ἀπο μερους, *aliqua ex parte cognitum fuisse Christum*, λογος γαρ ἠν και ἐστιν ὁ ἐν παντι ὠν, και δια των

turalis vocatur, haec dicta est lux a Deo nobis concessa. Quod si qui praepostere ratione usi sunt, hi seipsos obtenebrarunt ».

Omnes igitur lux divina praevenit, omnes iuvat, omnes ad consortium summae veritatis invitat, sed ii solum, excussis depulsisque tenebris, in luce ambulant ac veritatis suavitate fruuntur, qui neque Deum *praeeuntem* deserunt, neque oblata beneficia, non minus sibi ipsis infensi quam Deo, ingrati repudiant. Quod ii ob oculos habuisse videntur, qui eodem Theophylacto (1) referente, *την ἐνστασιν ταυτην*, *propositam dubitationem* diluere ita solebant : « *φωτιζει, φησιν, ὁ κυριος παντα ἀνθρωπον τον ἐρχομενον εἰς τον κοσμον, ἠτοι εἰς ταξιν βελτιονα, και σπουδαζοντα κοσμησαι την οἰκειαν ψυχην, και μη ἐασαι ἀκοσμον τε, και ἀκαλλη, illuminat, inquiunt, Dominus omnem hominem venientem in mundum, hoc est, eos qui ad meliorem statum* (2) *adspirant, operamque impendunt, ut suam exornent animam , neque inornatam illam turpemque esse patiuntur* ».

προφητων προειπων τα μελλοντα γινεσθαι, και δι' ἑαυτου ὁμοιοπαθους γενομενου και διδαξαντος ταυτα , erat enim et est Verbum illud omnia pervadens , quod et per prophetas futura praedixit , et per seipsum, quum natura nostra suscepta haec doceret : sive quum n. 13. statuit, *ἑκαστος τις ἀπο μερους του σπερματικου θειου λογου το συγγενες ὁρων καλως ἐφθεγξατο, ut quisquis disseminati divini Verbi partem aliquam sibi cognatam contemplabatur, praeclare loquutus est*: sive quum infert, *ὁσα οὐν παρα πασι καλως εἰρηται , ἡμων των Χριστιανων ἐστι, quaecumque igitur apud alios omnes sunt dicta praeclare, ea ad nos Christianos pertinent*: sive quum Apolog. I. n. 46. hanc edit suae fidei professionem, *τον Χριστον πρωτοτοκον του θεου εἰναι ἐδιδαχθημεν, και προεμηνυσαμεν λογον ὀντα, οὑ παν γενος ἀνθρωπων μετεσχε· και οἱ μετα λογου βιωσαντες , Χριστιανοι εἰσι , κἀν ἀθεοι ἐνομισθησαν , Christum primogenitum Dei esse, illudque Verbum , cujus omne hominum genus particeps est, didicimus et superius* (nn. 5-10-12-23-32) *declaravimus*; *adeo ut qui ad normam Verbi vixerint, hi Christiani sint, quamvis athei fuerint existimati*. Quam insignem prorsus doctrinam non paucis confirmant alexandrinus Clemens in *primo* et *sexto* Stromatum, in Sermone Protreptico, et in Apologet. capp. XXIII-XLV. Tertullianus.

(1) In comm. ad Ioh. I. 9.

(2) De loquendi formulis huic geminis, quae apud graecos patres, scriptoresque occurrunt non infrequentes, disserit praeclare Isaacus Habert in *altero* libro Theologiae graecorum patrum de gratia.

XXIV.

His autem simillima est quum *partitio* divinae voluntatis, tum eiusdem *explicatio* quam tradit Oecumenius, qui (1) propter subtiles articulatosque commentarios *Scholiastes novi Testamenti* appellari consuevit. Expendens enim Christi apud Paulum (2) verba, *του ποιησαι ὁ θεος το θελημα σου, ut faciam Deus voluntatem tuam*, scribit : *τι οὐν ; αἱ κατα νομον θυσιαι οὐκ ἠσαν θεληματι θεου ; ἠσαν μεν, ἀλλ' ἀναγκαστως. Quid ergo ? Sacrificia iuxta legem non erant ex Dei voluntate ? erant quidem , sed necessitate quadam ac propemodum coacte.* Simpliciter enim iudaeis dixit Dominus : mihi in universum cruentae victimae suo sanguine exosae sunt ; sed quando vobis immolandi cupiditas est, mihi sane et non idolis immolate, *ὁπερ οὐκ ἠν καθαρου και πρωτοτυπου θεληματος, quod non erat purae ac principis voluntatis* ».

Igitur quae aliis graecis scriptoribus est *voluntas secunda, voluntas consequens, voluntas ex condescensione et permissione, voluntas a nobis provocata*, eadem Oecumenio *voluntas* est *necessitate veluti expressa* , non ex Deo *sua sponte* oborta , voluntas est *mixta* non *simplex* ac *pura*. Sed quae illis est *voluntas prima, princeps, spontanea, voluntas benignitatis et amoris*, eadem Oecumenio est *voluntas pura*, ab iis nimirum secreta omnibus, quorum *caussa* homines existunt, *voluntas arehetypa* , in qua divinae caritatis numquam languescentis industria unice refulget.

Quam *puram archetypamque* voluntatem *salutiferam* esse, *amplitudine universalem*, omnesque suo sinu fovere, ibi Oecumenius (3) declarat, ubi Pauli (4) verbis , *ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, qui* (Deus) *vult omnes homines salvos*

(1) Non defuerunt qui Oecumenium crediderint Theophylacto aetate recentiorem, quod falsum esse Montfauconius in Biblioth. Coisliniana , pagg. 82—277 demonstravit. Sed quae ad eum spectant , diligenter recensent Guilielmus Cave in Hist. Literaria ad an. 990, et Albertus Fabricius Biblioth. Graec. Vol. XIII. pag. 845.

(2) Hebr. X. 7.

(3) In I. epist. ad Timoth. cap. IV.

(4) I. Tim. II. 4.

fieri, hunc subiicit commentarium: εἰ αυτος, φησι, θελει παντας σωθηναι ὁ και σωζων κυριος, τις χρεια ἐμων εὐχων; ναι· αὐτους τε γαρ ἐκεινους εἰς ἀγαπην ἑλκεις, και το φιλοστοργον δεικνυεις, μιμου, φησι, τον σκοπον του θεου · αὐτος γαρ παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, και συ ὑπερ παντων εὐχου ἀνθρωπων, *si ipse, oppones, qui Dominus est salvos faciens, vult omnes salvos fieri: quorsum pertinent orationes nostrae? utique opportunae sunt, nam et eos ipsos in caritatem attrahis*, et *benevolentiam demonstras. Imitare, inquit* Paulus, *Dei propositum; quum enim ipse velit omnes homines servari, et tu vicissim pro universis hominibus deprecare.* Tum addit: εἰ οὖν θελει ὁ θεος, *si igitur Deus vult, quare non fit quod vult? non fit*, ὁτι ἐκεινοι οὐ θελουσιν, οὐδεν γαρ προς ἀναγκην ποιει ὁ θεος, *quia illi nolunt. Nihil enim a nobis Deus necessitate iniecta extorquet.*

Omnes itaque homines *ad obiectum* pertinent *caritatis*, sive *illius* qua nos complecti mutuo debemus, sive *illius* qua Deus universos homines prosequitur. Quod si plures a salute excidunt, ac in sempiternam perniciem offendunt, adscribi id nequit divinae caritati, quae suas non expleat partes, sed vitio vertendum illis est, qui divinae caritati pertinaces repugnant.

XXV.

Partitiones explicationesque divinae voluntatis, quas graecis patribus scriptoribusque usitatas receptasque novimus, apud ipsos quoque latinos Ecclesiae doctores occurrunt, etsi paullo inflexae secus, et pro cuiusque ingenio et facultate vel nitidius propositae, vel obscurius declaratae. Graecorum namque felicitas percipiendi *distincte*, efferendique *enucleate*, quae in quaestionem adducerentur, *plus semel* in latinis mediae aetatis scriptoribus *non minimum* desideratur.

Itaque beatus Anselmus cantuariensis praesul, qui in veteri epitaphio (1) dicitur, *ingenio clarus, Scripturae cognitor altus*, eo in libello, cui titulum fecit *de voluntate*, ad

(1) Refertur a Gerberonio ante opera Anselmi, quae ipsemet accuratius edidit.

eas veniens voluntatis distributiones, quas in opere *de concordia praescientiae*, *praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio* se enarraturum (1) promiserat, haec inter cetera (2) scribit: « Dici potest voluntas alia *efficiens*, alia *approbans*, alia *permittens*; efficientem dico, quae efficit quod vult, et quae efficeret si posset; approbantem vero quae approbat quod est, et quae approbaret si esset; permittentem vero quae permittit esse quod velle dicitur si est, et quae permitteret si esset: *efficiens* quidem est *etiam approbans et permittens*: *approbans* autem est *et permittens*. *permittens* vero tantum *nec efficiens nec approbans* recte dici potest. Secundum *efficientem* dictum (3) est, *omnia quaecumque voluit Dominus fecit*: secundum *approbantem* vero (4) dicitur, *quia Deus vult omnem hominem salvum fieri*. Approbat enim Deus, et placet illi de omnibus iustis, quia iusti sunt, ut salvi fiant; et nihilominus placeret ei de iniustis, si iusti essent, ut salvi fierent. Tale est enim quod dictum est, ac si dicatur: Deus nullum facit iniustum, sed unusquisque a se habet iniustitiam ut damnetur; et ideo non potest dici displicere Deo, si iustus sit et salvetur, nec potest dici Deum repugnare saluti alicuius, sed approbare, si sit, qui salvetur. Secundum *permittentem* vero voluntatem dicitur (5), *quia quem vult, indurat*, quoniam permittit indurari; quod enim (6) praemissum est, *cui vult*, *miseretur*, secundum *efficientem* voluntatem dictum est ».

Quae subtilior Anselmi disputatio cum iis rite collata, quae e graecis scriptoribus retulimus, non obscure demonstrat, voluntati, quam *hi* dicunt *voluntatem secundam*, *consequentem*, *ex condescensione*, *ex accidenti*, *mixtam ac ferme coactam*, respondere *apud Anselmum* voluntatem *efficientem* et *permittentem*; voluntati autem, quam *iidem* nominant *bene-*

(1) De concord. q. III. cap. XI. al XXI.

(2) De volunt. pag. 116. edit. Paris. 1721.

(3) Ps. CXIII. 3.

(4) I. Tim. II. 4.

(5) Rom. IX. 18.

(6) Ibid.

placitum, primam, archetypam, puram, antecedentem, respondere *apud Anselmum* voluntatem *approbantem.*

Cuius *approbantis voluntatis* has ipsemet memorat dotes, ornamentaque recenset: I. ut sit vera, Deoque proprie inhaerens voluntas: II. ut sit amplitudine universalis, neque minus eos complectatur, qui, quum impii perseverent, damnantur, quam eos, qui, iusti quum sint, beatitate donantur: III. ut sit voluntas efficax et actuosa, quippe quae *nullius repugnet saluti,* omnesque eximat a necessitate pereundi. Subessent autem homines huic miserrimae necessitati, *nisi* approbantis divinae voluntatis beneficiis praepararentur, erigerentur, iique fierent, qui ad libertatem filiorum Dei adspirare possent.

XXVI.

Quibus consona sunt, quae in libro *de voluntate Dei* Anselmus scribit, ubi postquam (1) monuit, *voluntatem Dei multipliciter accipi,* continuo (2) pergit: « Voluntas itaque Dei accipitur aliquando in Scripturis aequipollens *omnipotenti suae praescientiae, et ordinationi sagaciter omnia disponenti.* Unde (3) dicitur, *omnia quaecumque voluit Dominus fecit*, hoc est, quidquid Deus ab aeterno facturum se ordinavit, nihil inexpletum reliquit. Accipitur etiam Dei voluntas *secundum quemdam affectum misericordiae Dei,* ut (4) ibi: *vult Deus omnes salvos fieri*, quod est dicere, facit (5) sanctos velle, ut omnes salvi fiant, *quod ipse tamen vult*, hoc est, ipse disposuit; sed sanctos facit velle, Dei et proximi inspirando dilectionem, qua dilectione non inconvenienter fiunt

(1) De volunt. Dei, cap. II. p. 151.

(2) Ibidem.

(3) Ps. CXIII. 3.

(4) I. Tim. II. 4.

(5) Etiamsi ab usu loquendi non sit alienum; ut verba actionem significantia de iis etiam usurpentur, qui *aut agendi virtutem conferunt*, *aut actionem ipsam mandant et procurant*, quemadmodum pluribus ostendit Glassius, Philolog. sacrae lib. I. tract. III. can. XXII; nihilominus nulla veri specie commendatur, in hoc Pauli loco idem esse *velle Deum* ac *efficere Deum ut sancti velint.*

in Ecclesia orationes a sanctis, pro schismaticis et haereticis, iudaeis quoque et gentilibus. *Institutio divina*, Dei voluntas non improprie appellatur. Dei autem institutio *in duo* dividi potest, *in praecepta divinarum Scripturarum*, et *in legem naturalem:* quaecumque homini insita est naturalis, quae (1) est, *quod tibi fieri nolueris*, *alteri ne* feceris. Cui quicumque obviat, Dei voluntatem non servat. Praecepta etiam divinarum Scripturarum, et rectae observationes Ecclesiarum, voluntas Dei non immerito appellantur; quibus quicumque observanter non acquiescit, a Dei voluntate deviare penitus dicitur; quum tamen ab ordine praescientiae eius nullatenus valeat exorbitare ».

Unde (2) colligit: « Ecce voluntas Dei *quatuor modis* accipitur a doctoribus magistris, scilicet, *pro scientia Dei*, *pro voluntate sanctorum*, qui volunt et iniustos charitative salvari, *pro ratione humana*, quarto *pro praeceptis divinis* ».

Tum ad ea, quae praemiserat, confirmanda, hisce Augustini verbis (3) descriptis, *propterea magna voluntas eiusdem Domini exquisita in omnes voluntates ejus*, *ut miro et ineffabili modo non fiat praeter voluntatem eius*, *quod etiam contra eius voluntatem fit*, *quod non fieret*, *si non sineret*, *nec utique nolens sinit*, *sed volens*; *nec sineret bonum fieri male*, *nisi omnipotens et de malo posset facere bene*; illico (4) subdit: « Est et alia huius voluntatis *divisio*. Alia enim potest dici *efficiens*, alia *approbans*, alia *concedens*, alia *permittens*. Efficiens voluntas in Deo facit quidquid vult; efficiens in homine, quod *potest* homo et vult *ipso actu*. Approbans est, quae approbat aliquid, et haec ad hominem pertinet et ad Deum. Approbans in Deo est, *quae vult omnes salvos fieri*, quoniam nullum prohibet, *quantum ad se*, *salvum fieri*: immo si quis ad hoc laborat, approbat. Patens est quidem, quid sit approbans in homine. Concedens est, quae concedit, ut fiat aliquid. Concedente autem voluntate vult Deus, ut ho-

(1) Tob. IV.
(2) De voluntate Dei, cap. III. p. 151.
(3) Enchiridii cap. C.
(4) De volunt. Dei, cap. V. p. 152.

mo, qui melius non proposuit, uxorem ducat. Permittens voluntas est, quae permittit aliquid fieri, etsi displiceat quandoque. Et hoc modo dicitur Deus velle mala, quae permittit fieri. Unde (1) dicitur, *quem vult indurat, et cui vult miseretur* ».

XXVII.

Quare iis sepositis, quae ad praesentem tractationem minus pertinent, evidens est quam quod maxime, non secus ab Anselmo *et originem voluntatis approbantis*, *et eius vim amplitudinemque* proponi, quam graeci doctores *originem, vim ambitumque voluntatis praecedentis aperuerint.*

Ecquae enim I. his est *origo* voluntatis primae et antecedentis? non alia quam Dei *bonitas, misericordia effusaque in homines benignitas.* Sed hanc ipsam Anselmus esse docet *originem* voluntatis approbantis, quam Deo inesse scribit *secundum quemdam affectum misericordiae.* Est autem (2) misericors Deus, *quia miseros salvat, et peccatoribus parcit; et misericors non est, quia nulla miseriae compassione afficitur.* Est (3) *misericors, quia totus et summe bonus est.* Unde nihil est reliquum quam (4) exclamare: « O altitudo bonitatis tuae, Deus, et videtur, unde sis misericors, et non pervidetur! cernitur, unde flumen manat, et non perspicitur fons, unde nascatur. Nam et *de plenitudine bonitatis* est, quia peccatoribus tuis pius es; et *in altitudine bonitatis tuae* latet, qua ratione hoc est. Etenim licet bonis bona, et malis mala ex bonitate retribuas; ratio tamen iustitiae hoc postulare videtur. Quum vero malis bona tribuis, et scitur, quia summe bonus hoc facere voluit, et mirum est, cur summe iustus hoc velle potuit. O misericordia, de quam opulenta dulcedine, et dulci opulentia nobis profluis » ?

Ad haec II. quam esse graeci statuunt *vim* praecedentis voluntatis? nimirum benevolentia plenam, quaeque lumine

(1) Rom. IX. 18.
(2) Prosologii cap. VIII. p. 31.
(3) Ibid. cap. IX. p. 31.
(4) Ibid. et Meditat. VI. p. 212-213.

suo et hominum tenebras depellat, et frigescentia illorum pectora suo calore inflammet ac urat. Sed non aliter Anselmus *vim efficaciamque* approbantis voluntatis repraesentat, qua Deus *nullum prohibet, quantum ad se, salvum fieri, immo si quis ad hoc laborat, approbat* : qua *et ipse vult* omnes homines servari, et *sanctis inspirat*, ut *caritative* pro omnibus deprecentur : et propter quam hominum quisque suum adversus Deum animum gratum his aut similibus efferre verbis (1) debet : « O immensitas bonitatis Dei, quo affectu amanda es peccatoribus? iustos enim salvas, iustitia comitante; istos vero liberas, iustitia dominante. Illos, meritis adiuvantibus; istos, meritis repugnantibus. Illos, bona quae dedisti cognoscendo; istos, mala quae odisti ignoscendo. O immensa bonitas, quae sic omnem intellectum excedis, veniat super me misericordia illa, quae de tanta opulentia tui procedit. Influat in me, quae profluit de te. Parce per clementiam, ne ulciscaris per iustitiam ».

Denique III. una est graecorum vox, una atque consors sententia, *universalem* esse primae ac precedentis voluntatis salutiferae *amplitudinem*, delectumque divinitus *reparationis ordinem* non esse *particularem*, sed *universalem*, *tantumque* patere, *quantum* ipsum patet hominum genus. Quid vero Anselmus? *negat* primum, *vel unum prohibere Deum, quantum ad se, salvum fieri* : *affirmat* deinde, *velle Deum, ut omnes homines salvi fiant.* Scilicet et negando et affirmando testatur, nullos esse fines, qui amplitudinem salutiferae voluntatis circumscribant.

XXVIII.

Consentit alter Anselmus, ecclesiae laudunensis scholasticus (2) et decanus, si tamen auctor ipse sit eorum in

(1) Prosologii cap. IX. p. 32.

(2) Qui licet plurimi ab omnibus fieret, et oraculi instar seculo XII haberetur; obtinere tamen non potuit, quin ab Abailardo impudentis ingenii homine, quique inter eius fuerat discipulos, male traduceretur his verbis in historia calamitatum suarum cap. III : « Accessi ad hunc senem, cui magis longaevus usus, quam ingenium vel memoria nomen comparaverat. Ad quem si quis de aliqua quaestione pulsandum accede-

Matthaeum (1) commentariorum, quos diu cantuariensi Anselmo tribuere mos fuit. Etenim de verbis disserens dominicae (2) orationis, *fiat voluntas tua*, haec habet (3) in rem praesentem opportunissima : « Duae sunt *voluntates* in Deo: una *misericordiae* , quae non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua (4) *omnes homines vult salvos fieri*, quod tamen in libera voluntate illorum positum est. Est alia, quae est *de effectibus rerum*, de qua (5) dicitur, *omnia quaecumque voluit* fecit; huic nemo potest resistere, de qua (6) dicitur, *voluntati eius quis resistet*? haec providentiae concordat *semper*; alia vero *non semper*. Si enim *velit* per misericordiam de aliquo pravo, quod sit iustus, *et conferat ei gratiam suam*, et tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiae Dei consentiat; haec voluntas Dei non concordat providentiae, quia quamvis *per dulcedinem* gratiam conferat, tamen scit non consensurum. Quae autem *de effectibus* est , alia est *permittens*, alia *approbans*. Permittens est, quod efficiat malum, quandocumque vult. Approbans autem est, quod faciat bonum, quandocumque vult, et utraque est *ex iustitia*. Itaque homines resistunt *voluntati misericordiae*, et non resistunt *voluntati iustitiae* ».

E quibus tum divinae voluntatis *distributio*, quum *sincera uniuscuiusque indoles ac ratio* praeclare innotescunt. Ac innotescit *primum* distributio, quum alia sit dicaturque *voluntas misericordiae et dulcedinis*, alia *efficiens* ac *iustitiae*. Innote-

ret incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quaestionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem et ratione vacuum. Quum ignem accenderet , domum suam fumo implebat , non luce illustrabat. Arbor eius tota in foliis aspicientibus a longe conspicua videbatur ; sed propinquantibus et diligentius intuentibus infructuosa reperiebatur ».

(1) Censet enim Raynaudus opp. T. XII. pag. 90 verum horum commentariorum auctorem esse Petrum Babionem anglum.

(2) Matth. VI. 10.

(3) In Comm. ad Matth. VI. 10.

(4) I. Tim. II. 4.

(5) Ps. CXIII. 3.

(6) Rom. IX. 19.

scit *deinde* sincera utriusque ratio, quum quae sit illarum *origo*, qui *mutuus habitus*, qui *respectus ad hominum libertatem*, quae *amplitudo* luculenter explanetur.

Efficientis namque voluntatis *origo* est *iustitia*, alterius vero *misericordia*, *dulcissima Dei natura* et quae ipsi insita est benemerendi propensio.

Ita vero se *ad invicem* habent, ut misericordiae voluntas *antevertat*, *consequatur* voluntas iustitiae: illa suas *primum* partes expleat, haec suo *deinde* munere fungatur.

Quare voluntate iustitiae *in hominibus* exequitur ac *de hominibus* agit Deus, quod se in illis et de illis effecturum *praescivit*, *sive ipsi velint*, *sive nolint*. Voluntate autem misericordiae neminem quidem praeterit quem beneficiis non occupet, quem gratiis suae dulcedinis non perfundat; sed integrum singulis facit, ut *vel* amorem divino praevenienti amori rependant, *vel* hunc ingrati superbique contemnant. Hinc qui *resistere* voluntati iustitiae *non possunt*, summo scelere, maximoque suo damno voluntati misericordiae saepissime refragantur. Egregie (1) Arnoldus carnotensis, abbas bonae - vallis: « In originalibus corruptio naturae abiici et exterminari meruerat; sed *quia* non erat voluntas in culpa, providit Deus generali damnationi remedium, et suae sententiam iustitiae temperavit, haereditarium onus a sobole removens, et *misericorditer* ablutione et unctione medicinali corruptionis primitivae fermentum expurgans. Sed in eos, qui *post* indulgentiae huius gratiam voluntarii per peccata evagati sunt, qui proprio abutuntur arbitrio, et voluntate non necessitate ducuntur, indignatio et ira non immerito redit: nec in morte Christi aliquis eis superest quaestus, *sed iustissime eos beneficia contemta condemnant.* Nunc *contemtum suum* non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiae suae ostia meatusque multiplices; sed obviat fugientibus, et cogit regredi desperatos, ostendens eis poenitentiae viam, *qua nulla latior invenitur*: et reversis dat ut iterum eis

(1) Serm. *de ablutione pedum*, p. 79. edit. Felli 1700

possint sacramenta iniuriata prodesse, quorum si poenitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.»

Primas nimirum partes *misericordiae* detulit Deus, perditisque hominibus eo instituto reparationis ordine consuluit, ut ii solum *iustitiae vindictam* experirentur, qui *misericordiae dona* ingrato obfirmatoque animo contempsissent.

XXIX.

Quae sane omnia in libro *de omnipotentia Dei* (1) Rupertus tuitiensis abbas et repetit et explanat, scribens: « Omnipotentia Dei non una tantum manu suos actus expendit, sed duabus, scilicet *misericordiae* et *iudicii* : ea nimirum lege, ut *prius* nitatur manu *misericordiae* operari, et ubi ista manu, superbia sibi obsistente, virtutem illam facere non potuerit, *tunc demum* manu altera, manu iudicii exserta, quos emollire non potuit, confringat tamquam vasa figuli ».

Igitur *duplici manu* regit homines Deus, illosque duplici voluntate prosequitur, voluntate *misericordiae* et voluntate *iudicii*: quae tamen duae voluntates non sunt secum ipsis coordinatae, sed sunt *sibi mutuo subordinatae.*

Praecedit enim misericordiae voluntas, qua homines omnino omnes complectitur Deus, omnesque suis beneficiis praevenit, donisque cohonestat; neque voluntas iudicii antea subsequitur, quam sua contumacia homines inanem reddiderint

(1) Cap. XI. De Ruperto haec habet Guilielmus Cave in Hist. literaria ad sec. XII : « Quaenam illius de Eucharistia sententia fuerit, ipse explicat Baronius ad an. MCXI. *In errorem*, inquit, *illum impegit incaute, quo asseruit in sacratissimo Eucharistiae Sacramento ita inesse vere ipsum integrum corpus et sanguinem Christi, ut tamen substantia ipsa panis et vini etiam integra remaneret. Qui error damnatus est in concilio lateranensi sub Innocentio Papa IV.* Seu, ut luculentius forsan Ruperti sententiam explicat Bellarminus de Script. Eccles. in Ruperto: *error Ruperti in eo situs est, quod existimavit non converti panem in corpus Christi, dum conficitur Eucharistia; sed assumi a Verbo divino, quemadmodum assumpta est humanitas* ». Verum Ruperti doctrinam multo expendit diligentius, et a quavis erroris nota erudite subtiliterque vindicavit Gabriel Gerberon in *Apologia pro Ruperto abbate tuitiensi* edita Parisiis an. MDCLXIX.

misericordiae industriam, optatisque fructibus indulgentiam miserantis Numinis fraudaverint. Quod multo praesenserat prius, disertisque verbis Augustinus (1) significaverat, inquiens: « Qui vocatus non venit, sicut non habuit meritum praemii, ut vocaretur, sic *inchoat* meritum supplicii, quum vocatus venire neglexerit. Ita erunt *duo* illa, *misericordiam et iudicium cantabo tibi*, Domine. Ad misericordiam pertinet vocatio, ad iudicium pertinet supplicium eorum qui venire neglexerint ».

XXX.

Neque vero de divina voluntate, de ordine modoque reparationis, deque ea providentia, qua hominum generi semper consuluit ac porro consulit Deus, aliter Bernardus statuit inter doctores (2) mellifluus, ac ultimus (3) inter patres. Commentario namque explanans Apostoli (4) verba, *benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi*, *pater misericordiarum et Deus totius consolationis*, principio (5) notat: « In eo quod *pater misericordiarum* dicitur Deus, quis non videat velut (6) proprio nomine Filium designari? et bene dicitur *pater misericordiarum*, cui proprium est misereri semper et parcere ». Tum (7) pergit: « Sed forte quis dicat: quomodo illi proprium est misereri, cuius (8) *iudicia abyssus* multa? neque enim (9) dicitur: *omnes viae eius* sola misericordia, sed *misericordia et veritas*. Non minus iu-

(1) De quaest. LXXXIII. q. LXIII.

(2) Cf. libellum singularem Theophili Raynaudi inscriptum: *Apis Gallicana*, quo titulus *Doctoris Melliflui* Bernardo asseritur.

(3) Qua de re disserentem lege Mabillonium in praefat. ad Bernardi opera, §. II. nn. 25. seqq.

(4) II. Cor. I. 3.

(5) In nativitate Domini. Serm. V. n. 2. p. 792. edit. Paris. 1719.

(6) Scite additur adverbium *velut*, nam et Pater misericordia est, et Filius misericordia, et Spiritus sanctus misericordia, *atque hi tres nonnisi una misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una divinitas, una maiestas.*

(7) Ibid. n. 3. p. 792—793.

(8) Ps. XXXV. 6.

(9) Ps. XXIV. 10.

stus, quam misericors est, cui (1) *misericordia et iudicium* decantatur ». Reponit autem : « Verum id quidem : *cui vult* (2) *miseretur, et quem vult* indurat; sed quod miseretur, *proprium* illi est. *Ex se* enim sumit *materiam, et velut quoddam seminarium miserendi.* Nam quod *iudicat* et *condemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio, quam animadversio procedere* videatur. Ipsum audi (3) dicentem : *numquid voluntatis meae est mors impii,* dicit Dominus, *et non magis, ut convertatur et vivat?* recte igitur non pater iudiciorum vel ultionum dicitur, sed *pater misericordiarum*, non modo quod pater videatur misereri potius, quam indignari; *sed eo magis, quod miserendi caussam et originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro* ».

Quae sane dum lego animoque mecum revolvo, videor mihi rursum audire (4) Chrysostomum, audire (5) Damascenum, aliosque audire (6) graecos latinosque, quorum hactenus testimonia sententiasque collegi. Ecquid enim Bernardus tradit de divina in homines voluntate? illam nimirum esse *duplicem*, alteram *misericordiae*, alteram *veritatis* ac *iudicii*. Sed nullo ne ab invicem discrimine seiunctas ac divisas? immo vario atque multiplici.

Si enim Bernardo fidem adiungimus, *principio* inter utramque *discrimen* existit *originis*, quum insita Deo sit ac ex eius corde sponte dimanans voluntas misericordiae; voluntas contra iudicii nobis *satius* peccantibus, quam ipsimet iudicanti Deo tribui debeat.

Existit *deinde discrimen ordinis*, quum illa incipiat, haec sequatur; primatum illa sibi vindicet, haec nonnisi altero loco succedat.

Existit *postremo discrimen amplitudinis*, quum illa tantum pateat, quantum protenditur misericordia eius, qui *pater mi-*

(1) Ps. C. 1.
(2) Rom. IX. 18.
(3) Ezech. XVIII. 23.
(4) NN. 2. seqq.
(5) NN. 17. seq.
(6) NN. 21. seq.

sericordiarum proprie nuncupatur; haec vero ad eos referatur solum, qui *Deum quodammodo cogunt*, ut in ipsos severitate iudicis animadvertat.

XXXI.

Quae doctrinae capita tam altas in Bernardi mente animoque radices egerant, ut in eiusdem operibus rursum ac tertio repetita inculcataque habeantur. Illa namque Bernardus (1) repetit, quum *de triplici Dei misericordia* verba faciens, inquit: « In medio templi *misericordia* est, non in angulo (2) aut diversorio, *quia* non est acceptio personarum apud Deum. *In communi* posita est, offertur *omnibus*, et *nemo* illius expers, *nisi qui renuit.* Derivantur aquae tuae foras, Domine Deus: nihilo minus tamen fons tuus tibi *proprius* est ». Ac illa iterum (3) repetit, quum similitudinem explanans in Cantico Canticorum (4) his verbis expressam, *similis est dilectus meus capreae hinnuloque cervorum*, ait: « Oportuit profecto cum hinnulo etiam de caprea similitudinem dari, quatenus et per illum *desiderium salvantis*, et per hanc *eligentis* exprimeretur *iudicium.* Christus nempe *iustus et misericors, salvator et iudex :* et *quia amat*, vult (5) omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; et *quia iudicat*, *novit* (6) qui sunt eius, et ipse *scit*, quos elegit a principio ».

Cuiusmodi est igitur *ordo*, quo hominum saluti divinitus prospicitur? *bipartitus* est, non secus ac *bipartita* sit *Dei voluntas*, qua institutus *primum* fuit ac *iugiter* administratur. Alter namque est *ordo misericordiae*, qui *misericordiae voluntati* respondet; ac alter *ordo iustitiae*, qui *ad iudicii voluntatem* refertur.

(1) In purificat. B. Mariae, Sermo I. n. 2. p. 966.
(2) Respicit ad verba Ps. XLVII. 10.
(3) In Cantica, Serm. LV. n. 1. p. 1459.
(4) Cant. II. 9.
(5) I. Tim. II. 4.
(6) Ioh. XIII. 18.

Sed *paralleli* ne sunt *hi ordines*, an alter alteri *obnoxius* est ac *subiugis*? *eo* se ad invicem *habitu* respiciunt, qui inter utramque voluntatem misericordiae iustitiaeque intercedit. Praegreditur autem voluntas misericordiae, neque nisi contempta locum facit voluntati iustitiae. Ordo igitur misericordiae est *antecedens*, illumque neglectum ac spretum ordo iustitiae *consequitur*.

Quare omnes quotquot sunt homines *ad ordinem per se*, ac *primum misericordiae* spectant, neque ab eo exclusi *in ordinem iustitiae* antea prolabuntur, quam *miserentis et amantis Dei salutiferam voluntatem* repulerint.

XXXII.

Ac en, quo partitio redeat, quam exponendam illustrandamque suscipimus: en, *quae summi momenti et gravissimi omnino ponderis veritates* eadem contineantur. Multiplex quidem est ratio, ac *diversae* sunt *formulae*, quibus utramque voluntatem graeci latinique scriptores efferunt ac depingunt; sed *res* est *una eademque*, quam omnes ob oculos habent, quam docent, quamque confirmant.

Diversae sunt formulae, eam siquidem Dei voluntatem, quam Chrysostomus, Damascenus, Oecumenius et Teophylactus dicunt *θελημα πρωτον, προηγουμενον, εὐδοκιαν, ἐπιθυμιαν, θελημα σφοδρον, πεισμα, θελημα χωρις αἰτιας, θελημα ἀπο ἀγαπης μονης, θελημα ἀγαθοτητος, θελημα ὁπερ θεος ἀφ᾽ ἑαυτου θελει, θελημα ἐκ θεου ὀν, θελημα καθαρον και πρωτοτυπον*, *voluntatem primam, principem, praecedentem, beneplacitum, desiderium, voluntatem intensam, firmam animi inductionem, voluntatem sine extrinseca caussa, voluntatem a sola caritate profectam, voluntatem benignitatis, voluntatem, quae suapte sponte ex Deo prodit ac erumpit, voluntatem puram et archetypam*; illam ipsam uterque Anselmus, cantuariensis et laudunensis, Rupertus et Bernardus appellant *voluntatem adprobantem, voluntatem misericordiae, voluntatem amoris, voluntatem Deo insitam, eiusque propriam, ac ex eius corde sponte manantem*.

Diversae sunt formulae, quum voluntas, quae graecis est

θελημα δευτερον, θελημα ἑπομενον, θελημα κατα συγκαταβασιν, θελημα μετ' αἰτιας, θελημα ἐξ ἡμετερας αἰτιας, θελημα κατα παραχωρησιν, θελημα κατα συμβεβηκος, θελημα κατ' ἀναγκην, *voluntas secunda*, *voluntas consequens*, *voluntas ex condescensione*, *voluntas non sine caussa*, *immo*, *quae ex nobis caussam repetit*, *voluntas permissionis*, *voluntas*, *quae Deo accidit*, *et ab eo necessitate* veluti exprimitur, latinis dicatur et sit *voluntas efficiens*, *voluntas permittens*, *voluntas iudicii et iustitiae*, *voluntas*, *quae altero sequitur loco*, *voluntas*, *quae caussam et originem sumit ex nobis*.

Qua tamen loquutionum formularumque diversitate *unum est doctrinae caput*, quod traditur, *una complexa veritas*, quae docetur. Cuius complexae veritatis *partes* ac prope dixerim *elementa* censentur: I. inesse Deo voluntatem salutiferam universalem, quae neminem excipit, suoque ambitu omnes prorsus homines comprehendit: II. hanc voluntatem plane gratuitam atque e fonte divinae misericordiae benignitatisque profectam, non esse sterilem et infecundam, sed efficacem et actuosam, eaque Deum internis, externisque praesidiis tam sollicite hominibus adesse, ut nihil illis desit, quod ad assequendam salutem necessarium opportunumve videatur: III. tantam esse huius salutiferae voluntatis benevolentiam, ut si ex ea *tantum* consequutio salutis penderet, omnes dubio procul homines servarentur: idcirco autem IV. non omnes servari, multosque perire, quod illa sit quidem *caussa prima et princeps*, sed non item *caussa unica et adaequata*: ad ipsam enim V. salutis consequutionem praeterea exigi, ne homines sibi desint, ne desint divinis beneficiis (1), quibus praeveniuntur, et ne conditionem negligant divinitus praestitutam, qua cautum est, ut ii inter homines sui iuris suique compotes *fine ordinis eudaemonici* dumtaxat fruantur, qui *praescriptum ordinis moralis* non contempserint: quod si qui VI. contempserint, in illos Deum voluntate secunda et consequente poenas decernere, illosque decretis poenis mulctare: unde VII. divinam erga homines providentiam duplici

(1) Huc spectant quae scribit Augustinus *de dono* (al. *bono*) *perseverantiae*, cap. XIV.

ordine ac duplici ferme manu administrari, administrari ordine manuque misericordiae et caritatis, administrari ordine manuque severitatis et iustitiae. Neque tamen eodem modo, sed ordine *primum* misericordiae et caritatis, *qui praecedit*, ac ordine *deinde* severitatis et iustitiae, *qui subsequitur*, illosque unice respicit, qui a priori ordine sponte devii (1) *divitias contemnunt* της χρηστοτητος αὐτου, και της ἀνοχης, και της μακροθυμιας, *bonitatis eius, et patientiae, et longanimitatis*, ac pro (2) *duritia sua*, obfirmatoque animo *thesaurizant sibi* ὀργην ἐν ἡμερᾳ ὀργης, και ἀποκαλυψεως και δικαιοκρισιας του Θεου, *iram in die irae, et revelationis, et iusti iudicii Dei*, seque ipsos (3) reddunt σκευη ὀργης, κατηρτισμενα εἰς απωλειαν, *vasa irae apta in interitum*.

XXXIII.

Atque heic ego habere quaestionem debeo, quae sua se sponte offert, et cum iis intime nectitur, quae hucusque disserui: quidnam de praesenti doctrinae capite existimari debeat, et quo illud in numero habendum sit; earum ne doctrinarum, quae *probabiles dumtaxat* sunt, an earum potius, quae *certo firmiterque* tenentur: earum ne, quae *aliquot solum ecclesiasticis scriptoribus* placuerint, an earum potius, quae fuerint *communi suffragio* receptae: earum ne, quae *ad depositum revelationis* spectent, an earum potius, quae *extra fines revelationis* vagantur. Ubi facile quisque sentit, et interrogationem esse gravissimam, curamque nullam etsi sollicitam impendi posse, quae non summo adhibita iure videatur.

Itaque *principio* ab ipsa doctrina formulas secerno, quibus ea effertur, et vestem habitumque ab ipso corpore di-

(1) Rom. II. 4.

(2) Ibid. V. 5.

(3) Rom. IX. 22. ubi Theodoritus ait: σκευη δε ὀργης κατηρτισμενα εἰς ἀπωλειαν καλει τους αὐθαιρετῳ γνωμῃ τουτο γεγενημενους, *vasa autem irae ad interitum comparata appellat eos, qui sua sponte tales facti sunt.* Quem commentarium iis illustrat, quae habentur II. Tim. II. 20, et I. Cor. III. 12.

stinguo: *tum* moneo aliter plane de formulis deque veste, ac aliter de re ipsa deque corpore statui censerique oportere.

Et *ad formulas* quod pertinet, spectari illae *tripliciter* possunt, *grammatice*, *logice* ac *theologice*. Et *grammatice* quidem, neque *incommodae* sunt neque *insolentes*: *logice*, *distinguendis enucleandisque notionibus* apprime conducunt: *theologice* vero, *non minimum pretii dignitatisque* ab iis mutuantur ecclesiasticis scriptoribus, qui illas frequentarunt.

De *re* autem *ipsa* deque *doctrinae summa*, quae huc redit: *hominum genus sic regi administrarique divinitus, ut non antea iustitiae severitatem experiatur, quam misericordiae bonitatisque beneficia perceperit, illaque contumax repulerit*, duo ex ordine affirmo, atque istud inprimis: *videri illam omnino probabilem, etiamsi ea solum, quae hactenus retulimus, considerentur.* Verissime namque Melchior Canus (1) scripsit: « Unius aut duorum sanctorum auctoritas, etiam in his, quae ad sacras litteras et doctrinam fidei pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum vero non potest. Ita despicere et pro nihilo habere, *impudentis* erit; suscipere et habere pro certo, erit omnino imprudentis ». Neque minus vere Dionysius Petavius, discrimine facto inter duplex argumentorum genus, quorum alterum *necessarium* est et *ἀποδεικτικόν*, certamque habet et ad assensum cogentem concludendi firmitatem, alterum nonnisi *probabile* est, animadvertit (2), hoc posterius genus *ex auctoritate* maxime colligi *patrum ecclesiaeque magistrorum extra synodales conventus de divinis rebus singulatim disputantium. Qui quo plures et excellentiores in eamdem conspirant sententiam, eo maius ad eam robur ac pondus adiungunt.* Atqui non unus alterve, sed *octo* ac *decem*, *iique insignes et praeclari*, ac *nemine penitus refragante*, eam profitentur doctrinam, quam compendio retulimus. Impudentis igitur foret, illam contemnere, ac ex eorum numero expungere quae *probabilia* censentur.

Tum affirmo, hanc ipsam doctrinam esse indubitatam, et

(1) Locorum Theolog. lib. VII. cap. III.

(2) Dogmat. Theologic. Proleg. cap. II. §. II.

certo necessarioque argumento comprobari. *Quidquid* enim, subdit (1) Petavius, *est eiusmodi, de quo omnes inter se patres et ecclesiae magistri congruunt; id vel catholici decreti firmitatem obtinet , vel eo certe quam proxime pertingit : quod illorum tanta consensio argumentum continet priscae et ex alto repetitae traditionis, quam unam ex fidei regulis catholica pietas agnoscit.* At vero ausim dicere, vix aliud afferri in medium posse doctrinae caput, quod Patres pleniori consensione tradiderint. Semper (2) enim, et ubivis, et ab omnibus traditum legimus, non prius ad iustitiae ordinem se Deum recipere, quam misericordiae officia in homines expleverit; neque prius inflictis sempiternis poenis se iratum ostendere, quam impertitis beneficiis se bonum misericordemque patefecerit.

XXXIV.

Sane ut a recensendis testibus allegandisque testimoniis . sin minus omnibus, iis saltem, quae ad manus habeo, incipiam: Atto vercellensis antistes , qui seculo X. claruit, et

(1) Ibidem. Quo spectant verba Leontii byzantini in priore libro contra Nestorium et Eutychem: « Post apostolos et prophetas posuit *doctores* in ecclesia Deus, secundum providentiam Spiritus sancti incomprehensam , in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi. Quare qui patres illos non recipit, qui in ecclesia clari et celebres sunt, *plane ordinationi et constitutioni Dei resistit* ».

(2) Canonem prae oculis habeo, quem Vincentius lirinensis in Comm. §. III. his effert verbis: « In ipsa catholica ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod *ubique*, quod *semper*, quod *ab omnibus* creditum est. Hoc est etenim vere proprieque *catholicum* , quae ipsa vis nominis ratioque declarat , quod omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur *universitatem* , *antiquitatem, consensionem*. Sequemur autem *universitatem* hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia : *antiquitatem* vero ita , si ab his sensibus nullatenus recedamus , quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est: *consensionem* quoque itidem, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium Sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur ».

cuius opera eruditis doctisque theologis (1) summo semper fuerunt in pretio, ad verba (2) Pauli, *qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*, scribit (3): « Si Deus utique, qui *omnipotens* dicitur, omnes homines salvos vult fieri, cur non impletur eius voluntas? sed in omni loquutione sensus et conditio latet. Unde dicit (4) Petrus apostolus: *omnis Scriptura indiget interpretatione*. Vult enim Deus *omnes* salvos fieri, sed *si* accedant ad eum. Non enim *sic* vult, ut nolentes salventur: sed vult illos salvari, *si et ipsi velint*. Nam utique qui legem *omnibus* dedit, *nullum* excepit a salute. Numquid non medicus idcirco proponit in publico, ut omnes se ostendat velle salvare, si tamen ab aegris requiratur? non est enim *vera salus*, si nolenti tribuatur: nec *gaudere* potest in percepta salute, qui invitus, si tamen potest fieri, accipit medicinam: ut non dicam, quia medicinae effectum habere non potest, nisi ad illam aeger animum commodaverit. Quia haec medicina non est corporalis, sed spiritalis, quae neque dubiis proficit, neque invidis. Fides enim est, quae dat salutem, quam nisi mens tota susceperit voluntate, non solum nihil proderit, sed et oberit. Fidei etenim gratia hanc habet potestatem, ut devotis sibi divinam infundat medelam: indevotis vero conferat morbum, per quem vetus homo intereat ».

Ea vero, quae mox (5) consequuntur, *unus enim Deus, unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, hoc explanat (6) commentario: « Dei et Christi *unam* significat esse *voluntatem in salvandis hominibus*: unde Deum Patrem, quia ab ipso est *omnis* (7) *auctoritas*, unum esse fatetur, et

(1) Cf. praefat. Caroli Burontii ad opera Attonis, Vercellis edita an. 1768.

(2) I. Tim. II. 4.

(3) In comm. ad h. l. p. 137.

(4) II. Petr. I. 20. ubi Vulgatus legit: *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*.

(5) I. Tim. II. 5.

(6) In comm. ad h. l. p. 137.

(7) Nomen *auctoritatis* de Patre prae Filio usurpant quoque Hilarius in nono libro de Trinitate, et auctor quaestionum utriusque Testamenti,

unum mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum. Missus enim a Patre factus arbiter, reconciliavit Deum et homines, reformando eos ad agnitionem eius. Quia enim unus est Pater et Filius, non persona, sed indifferenti natura, ut arbiter esset Dei et hominum Filius Dei, assumpta carne, homo natus est, ut mediator Dei et hominum homo esset Christus Iesus, idest, non sine divinitate, quia in Deo homo erat, et Deus in homine : et ut ex utroque esset mediator, et utrumque reconciliaret, in se primum hoc fecit. Non enim poterat unitatem Dei custodiens, mediator Dei et hominum vocari, quasi alius esset Deus, qui dissidentem hominem a Deo in gratiam revocaret : sed homo qui legem datam non praeteriret, factus est arbiter inter eum, qui peccavit, et inter illum, qui peccare ignorat; ut hic ignosceret, et homo de caetero in Dei fide maneret ».

Una est igitur Dei Patris et Christi eius salutifera voluntas, *una unitate ontologica*, quia Pater et Christus *unus* est Deus; *una unitate morali*, quia Christus ita est Deus, ut simul sit homo, qui humanam voluntatem paternae conformem numquam non praetulit.

Haec autem unica Patris et Christi salutifera voluntas, *omnes complectitur homines* ac *nullum* excludit. Est nimirum voluntas *universalis*, et apprime quoque *efficax* ac *actuosa*. Cuius *efficacitatis* indicia sunt et argumenta quum *leges omnibus latae*, *universaque Mediatoris oeconomia*, tum *potestas omnibus facta* comparandae salutis, *si velint*.

Qua sentiendi loquendique ratione edocemur, voluntatem salutiferam *neque simpliciter absolutam*, *neque simpliciter conditione affectam*, sed *partim absolutam*, *partim hypotheticam* esse dicique oportere. Absolutam quidem et a conditione immunem *origine sua*, quum nativa Deo sit, et ab eius in-

quae tribui Augustino solebant, quaest. CXXII. Hoc autem *auctoritatis* nomine significabant latini, quod inter graecos expressit Basilius lib. III. adversus Eunomium, inquiens : *ὁ υἱος ταξει μεν δευτερος του πατρος, ὁτι απ᾽ ἐκεινου και ἀξιωματι, ὁτι ἀρχη και αἰτια του εἰναι αὐτου ὁ πατηρ*, *filius ordine quidem secundus est a Patre, quoniam est ab illo; et dignitate, quoniam principium et caussa, ut sit ipse, Pater est*. Cf. Georgii Bulli Defens. Fidei nicaenae, sect. IV. cap. II.

sita bonitate dimanet; absolutam rursum et a conditione immunem *prae iis beneficiis*, quae *pura* sunt *dona*, et quorum Deus caussa est *unica* et *adaequata*; sed hypotheticam vicissim et conditione affectam *ad ea quod attinet beneficia*, quae ita sunt dona, ut *simul* sint *merces* et *praemium*, et quorum propterea Deus caussa est non unica et adaequata, sed *princeps* ac *suprema*.

Quae quidem salutiferae voluntatis oeconomia talis est, ut *Deum unice deceat, rebus unice respondeat*, ac *unice in homines quadret*.

Deum unice decet, quum eius ad vivum referat infinitam *φιλανθρωπιαν*, ac *primatum* illi in ordine salutis adscribat et vindicet.

Rebus unice consonat, neque enim possent homines e tenebris emergere, pristinam imbecillitatem exuere, et ad eam, quae Deus est, beatitatem toto animo contendere, *nisi Deus auspicaretur, illos praepararet, praeparatosque ad novam quamdam vitam proveheret.*

In homines unice quadrat, quorum non magis *spem* erigit, quam inflammet *industriam*, neque magis *desiderium felicitatis* acuit, quam *necessitatem custodiendi officia* persuadeat. Hac enim salutiferae voluntatis oeconomia efficitur, ut *uterque ordo moralis et eudaemonicus* ad harmoniam revocentur, ac huius *σκοπος supremusque finis*, illius *praemium* et *corona* demonstretur.

XXXV.

Sed multo de his egit uberius Hincmarus remensis antistes in ea, quam suscepit (1), defensione tertii inter carisiacensia (2) capituli, quod his verbis continebatur: *Deus omni-*

(1) Duplex fuit Hincmari adversus praedestinatianos lucubratio. Una tres libros continens pro defensione carisiacensium capitulorum contra Gothescalcum, quam lugdunenses scriptis suis impugnarant. Altera non libris distincta, sed capitibus octo et triginta, quum lugdunenses iterum adversus Hincmarum insurgerent. Haec adhuc reliqua est, sed prioris sola restat apud Flodoardum epistola sive praefatio ad Carolum regem.

(2) De hisce capitulis lege disserentem Petavium de Incarnat. lib. XIII. cap. VIII.

potens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum, quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.

Hoc enim praestituto (1) lemmate, exigi illud oportere *ad scripta orthodoxorum*, et ad fidem imprimis *sanctae, catholicae et apostolicae romanae ecclesiae, quae prima est in toto orbe omnium ecclesiarum mater*, ut consensione vel dissensione comparata probetur aut improbetur, continuo (2) ad Decretalem provocat Caelestini datam *Venerio et ceteris gallicanis episcopis*, ac ex ea repetendum esse docet, *quid credere, tenere et praedicare catholice debeamus*. Iamvero, subdit, haec in illa legimus: *obsecrationum sacerdotalium sacramenta respiciamus, quae ab apostolis tradita, in toto mundo atque in omni catholica ecclesia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi*. Tum pergit: « Quae sit autem lex supplicandi, et ipse in eodem capitulo explicat, et ecclesia quasi specialiter in die crucifixionis Domini nostri Iesu Christi ostendens, *pro quibus* sit crucifixus, *quosque* vult salvos fieri, supplicando et congemiscendo demonstrat, orans *pro omnibus hominibus*, et singillatim atque distincte pro omnibus ordinibus, pro omnibus gradibus, pro omnibus dignitatibus, pro schismaticis et haereticis, pro iudaeis atque paganis, ut *nemo* credatur *exceptus*, agens apud divinam clementiam *totius humani generis* causam. Unde et ad locum dicit: *Deus qui salvas omnes, et neminem vis perire*, licet quidam iniquitate et obduratione propria pereant: Veritas est enim quae (3) dixit: *vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut revertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini a viis vestris pessimis, et quare moriemini domus Israel. Numquid volens cupio mortem iniqui? dicit Dominus Deus*. Dominus iurat, ne quis criminum mole desperet, quia non vult mortem impii, sed ut revertatur a via

(1) De Praedestinat. cap. XXIV. p. 150. edit. Paris. 1645.
(2) Ibid. pag. 152.
(3) Ezech. XXXIII. 11.

sua et vivat: et praedestinatiani (1) periurant quia qui non salvantur, penitus non esse voluntatis Domini ut salventur. Et item Dominus in evangelio (2) dicit: *dico vobis, gaudium est coram angelis Dei in caelo super uno peccatore poenitentiam agente*. Et si super uno poenitente gaudent angeli; non multo magis, si omnes poenitentiam egerint, et crediderint, angeli sancti gaudebunt, qui in illo vident unde gaudeant? de illius scilicet gaudio, a quo sempiternum gaudium acceperunt.

Legem ergo credendi, ut sanctus Caelestinus iubet, lex nobis statuat supplicandi: ut quoniam ab omni ecclesia catholica Deo supplicatur *pro omnibus*, credamus Deum *omnes homines* velle salvos fieri, licet non omnes salventur, et quod quidam salvantur, salvantis sit donum, quod autem quidam pereunt, sit pereuntium meritum ».

Cui consequutioni ne qui diffiderent, continenti oratione (3) addit: « Piis, devotis atque catholicis hoc *potest* et hoc *debet sufficere*, quod omnium ecclesiarum mater sancta, catholica atque apostolica docet *romana* ecclesia. Ipsa enim et mater nos Christo genuit, nos religione nutrivit, nos doctrina

(1) De his lege Sirmondi dissertationem.

(2) Luc. XV. 7.

(3) De Praedest. cap. XXIV. pagg. 152—153. Ubi e re fuerit praeclaram consensionem adnotasse, quae inter duos Galliae nobilissimos antistites, Irenaeum lugdunensem et Hincmarum remensem existit. Quod enim Irenaeus con. haeres. lib. III. cap. III. n. 3. in caussa prorsus gemina de romana ecclesia scribit: *hac ordinatione et successione, ea quae est ab apostolis in ecclesia traditio, et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate;* idipsum Hincmarus p. 152. exprimit, inquiens: *piis, devotis atque catholicis hoc potest et hoc debet sufficere.* Et quod Irenaeo est n. 2., *ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles*; id Hincmarus p. 151. effert his verbis: *non ab homine, neque per hominem, sed per Dominum Iesum Christum, sicut Petrus et Paulus apostolatum, ita et haec sancta sedes omnium civitatum meruit principatum;* et p. 153, *ipsa enim ut mater nos Christo genuit, nos religione nutrivit,* cetera.

instruxit: nos sicut in sancto Petro a Christo firma petra accepit, doctores instituit, et catholico lacte nutritos, et ad virum perfectum perductos, ad docendum alios informavit, per Paulum (1) dicens, quia *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere* ».

XXXVI.

Ne quid tamen deesset sin minus *ad fidem, ad fidei* certe quod attinet *intelligentiam*, ac ne morosiores quidem haberent quod obtenderent, quove se reciperent; quum difficultatem explanat, qua vehementius praedestinatiani commoveri videbantur, tum catholici nominis consensionem cum romana fide, adductis nominatim testibus demonstrat.

Et difficultati quidem occurrit, quum (2) percontanti, *cur non omnes salventur, si Deus*, uti Paulus (3) loquitur, *vult omnes homines salvos fieri*, et *si*, ut Petrus (4) scribit, *neminem vult perire, sed omnes ad poenitentiam converti*; respondet, *ipsam Veritatem per Ioannem evangelistam* omnem e medio dubitationem sustulisse. « *Hoc est autem*, inquit (5), *iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem; erant enim eorum mala opera.* Unde sanctus Augustinus (6) dicit: *quomodo quidam bonum opus fecerunt, ut venirent ad lucem, idest, ad Christum, et quomodo quidam dilexerunt tenebras? si omnes peccatores invenit, et omnes a peccato sanat, et serpens ille, in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant, et propter morsus serpentis erectus est serpens, idest, mors Domini propter mortales homines quos invenit iniustos, quomodo intelligitur*, hoc est iudicium, quoniam lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem; erant enim mala opera eorum? *quid est hoc? quorum enim erant*

(1) I. Tim. I. 15.
(2) De Praedest cap. XXIV. p. 153.
(3) I. Tim. II. 4.
(4) II. Petr. III. 9.
(5) Ioh. III. 19.
(6) In Iohan. Tract. XII.

mala opera? nonne venisti, ut iustifices impios? Sed dilexerunt, *inquit*, magis tenebras, quam lucem. *Ibi posuit vim. Multi enim dilexerunt peccata sua; quia qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, iam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua; si et tu accusas, coniungeris Deo. Quasi duae res sunt, homo et peccator: quod audis homo, Deus fecit: quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit* ».

Difficultate complanata, ad testes progreditur, descriptisque ipsorum verbis demonstrat, ne tantillum quidem a fide romanae ecclesiae *de voluntate Dei salutifera, deque universali reparationis ordine* doctrinam professionemque catholici nominis discrepasse. Hos vero prae ceteris (1) testes laudat: *Dionysium, quem beatus Gregorius dicit Areopagitam, antiquum et venerabilem patrem: Cyprianum, doctorem mirificum, et martyrem magnificum: beatum Hilarium, doctorem catholicum, qui propter excellentem doctrinam romanorum lucifer appellatur: sanctum Athanasium alexandrinum: sanctum Ambrosium, cuius sententiae fidei et ecclesiae atque omnium virtutum firmissimae sunt columnae: sanctum Ioannem, constantinopolitanum episcopum, qui propter dulcedinem salubris ac saporivae elocutionis a graecis Chrysostomos, idest os aureum, dignissime est appellatus: sanctum Theophilum, alexandrinum episcopum: sanctum Hieronymum, hebraicae, grecae et latinae linguae peritissimum, qui, ut dicitur, nucem iuxta nucleum frangens, medullas et ipsa viscera Scripturae sanctae investigando, Domino inspirante penetrare promeruit: sanctum Cyrillum alexandrinum: sanctum Augustinum, virum sagacissimum atque eruditissimum: Prosperum, virum eruditissimum atque religiosissimum: sanctum Caelestinum, sanctum Leonem, virum religiosissimum atque doctissimum, et facundia honestissimae eloquentiae valde profusum: sanctum Felicem Papam: sanctum Gregorium, venerabilem presbyterum Bedam*, ac postremo *Cassiodorum*.

E quo amplissimo testium numero placet unius Ambrosii verba referre, quibus et ipse usus est Hincmarus et quibus

(1) De Praedest. cap. XXV. pag. 161—204.

ceterorum mens ac doctrina facillime intelligatur. Ambrosius itaque ad haec (1) Psalmistae verba, *bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum*, scripsit: « Quam bonus Israel Deus rectis corde! ergo bonus *omnibus*, quia *omnes* recto vult esse corde. Qui autem cor declinaverit, ipse a se gratiam divinae bonitatis avertit. Semper Deus bonus est, ideoque Paulus (2) ait, *vide ergo bonitatem et severitatem Dei.* Bonitas enim *in omnes* est, severitas *in paucos.* Denique subdidit idem Apostolus, *in eos quidem qui ceciderunt, severitatem, in te autem, bonitatem.* Si enim non cecidissent, utique uterentur et ipsi Dei bonitate. Nam et tibi ideo bonus est, quia permanes. Quod si non permanseris in bonitate, et tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus esse desistet, quia tu lapsus es, et indiges severitate; siquidem ut severitas Dei in bonitatem recurrat, unusquisque castigatus pedem referat a peccatis, et ad virtutum tramitem bonamque conversationem recurrat. Denique docet de illis, qui ceciderunt, Apostolus, quia si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens est enim Deus iterum inserere illos, ut quemadmodum deserta virgulta, ita et homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti, bonorum fructus possint referre meritorum ».

Neque minus communem expressit doctrinam, quum hisce (3) eiusdem hymni verbis, *adpropinquaverunt persequentes me iniquitati*, subiecit: » Penetrat ergo animam (Deus), et quasi candor aeternae lucis inlustrat. Sed quamvis diffuse per omnes, et in omnibus, et supra omnes potestate sit, quia omnibus ortus ex Virgine est, et bonis et malis, sicut et solem suum oriri iubet super bonos et malos; illum tamen fovet, qui adpropinquat sibi. Sicut enim a se fulgorem solis excludit, qui fenestras domus suae clauserit, locumque tenebrosum, in quo diversetur, elegerit; ita qui se averterit a sole iustitiae, non potest splendorem eius aspicere, quia in tenebris ambulat, et in omnium luce ipse sibi causa

(1) Ps. CXVIII. 69.
(2) Rom. XI. 22.
(3) Ps. CXVIII. 150.

est caecitatis. Aperi igitur fenestras tuas, ut tota domus tua veri fulgore solis inluceat. Aperi oculos tuos, ut videas orientem tibi solem iustitiae. Pulsat ianuam tuam Dei Verbum, *si quis mihi aperuerit,* inquit (1), *intrabo.* Si quis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis, et non magis non aperientis est culpa ? . . . . sane fugientes non retinet, non cogit invitos, sed neque fastidit adpropinquantes. Et illius quidem virtus, illius Verbum, Deus, omnibus prope est ....; sed plerosque ab eo peccata secernunt, de quibus (2) dictum est, *ecce qui elongant se a te, peribunt* . . . . Vitalem etenim gratiam omnibus subministrans, omnibus praesto est bonitatis suae munere; sed propior est illis, qui contrito sunt corde ».

XXXVII.

Quum itaque divina in homines providentia *duplici munere* exerceatur, *bonitatis* et *iustitiae, misericordiae* ac *irae; diversa* tamen est, neque *uno nomine,* utriusque *ratio.*

Diversa est *origine,* quum misericordiae bonitatisque partes *sua* Deus *sponte* expleat; ad partes vero *irae iustitiaeque* nonnisi provocatus accedat. Hinc illud (3) Petri Damiani, *esse homines faciles ad iram, difficiles ad misericordiam; Deum autem et ad irascendum esse difficilem, et facilem ad miserandum.* Qui mox subdit: *et illud considerandum esse in misericordia miserantis, quia saeculi homines semel aut bis, aut multum septies vel decies dimittunt; Deus autem millies in die, si fieri posset, quae committimus dimittit, et hoc quamdiu vivimus, quamdiu peregrinamur ab ipso.*

Diversa est *tempore,* quum non prius irascatur et puniat, quam beneficiis praevenerit, donisque homines cumularit. Scite (4) Petrus Damiani: » Ecce videt, et tacet, videt, nec manifestat; videt, nec iudicat; videt, nec vindicat; videt,

(1) Apoc. III. 20.

(2) Ps. LXXII. 27.

(3) Serm. LVI. de s. Martino episcopo et confessore, pag. 143. edit. Paris. 1743.

(4) Ibid. pag. 142.

et videre dissimulat; vocat, et non audis; promittit, et contemnis; minatur, nec metuis, et thesaurizas iram tibi in die irae. Cum ergo sit iudex iustus et fortis, multum est patiens, nec irascitur per singulos dies. Ecce continet iram, reprimit furorem, avertit oculos, peccantibus parcit; et illi omnia haec in suum iudicium congregant omnium rei. Numquid qui ita tacuit et siluit, semper ita tacebit? an non legisti, quia ad iudicium veniet, patientiam abiiciens, humilitatem nesciens, ignorans misericordiam »?

Diversa est *amplitudine*, quum *omnes* Deus sua bonitate complectatur, ac *in illos* solum iustitiae severitate animadvertat, qui bonitati restiterint. Cuius tanta est vis, ac tam insignis ubertas, ut illam Chrysostomus (1) hac imagine sane vehementissima repraesentaverit: *φιλανθρωπος γαρ ἐστι, και καθαπερ ἡ ὠδινουσα ἐπιθυμει τεκειν, οὑτω και αὐτος ἐπιθυμει τον ἐλεον τον αὐτου ἐκχειν*, *benignus est enim* Deus, *ac uti mulier, doloribus correpta partus, parere desiderat, sic et ipse discupit misericordiam suam profundere.*

Ex his autem dimanat: I. voluntatis salutiferae *principium* Deo esse *natura* insitum; sed voluntatis, qua poenas infligit, *caussam* et *incitamentum extrinsecus* ad ipsum accedere: II. voluntatem salutiferam esse *primam, antecedentem, universalem*, sed voluntatem puniendi esse *secundam, consequentem* et *particularem*: III. divinam adversus homines providentiam *ita misericordia iustitiaque* administrari, ut *misericordia praecedat*, *ordo* autem *iustitiae severitatisque subsequatur:* propterea vero IV. misericordiae fructibus *non omnes* potiri, *neque omnes* ad salutem pervenire, quod hanc legem tulerit Deus, ut ipsi quoque homines ad tantum bonum assequendum operam suam *post gratiam*, *qua praeveniuntur*, et *cum gratia, qua iuvantur*, sollicite (2) conferant. Quod egregie explanavit (3) Anonymus ad haec Scriptu-

(1) Oratio in illud, *negligenter ad sacram mensam accedere vindictam infert gravissimam*, n. III. pag. 143. apud Gallandium, Tom. XIV. in appendice.

(2) I. Petr. I. 10.

(3) Inter Opp. Chrys. Tom. V, p. 587. De qua homilia, deque praecedente sic habet Montfauconius in praefixa animadversione pag. 570:

rae (1) verba, *amplius lava me ab iniquitate mea*, inquiens: « Animum, quaeso, diligenter ad ea, quae dicam, adverte, atque mentis nervos contende. Ὁ ἐλεος του θεου ἀφατος, ἀνερμηνευτος, καταληφθηναι μη δυναμενος, ὑπερβαινων νουν, νικων λογισμον. ἀλλ' εἰ και τοιουτος ἐστιν ὁ ἐλεος του θεου, ἱνα μη οἱ ἀνθρωποι ἀχρηστοι γενωνται ἐλεουμενοι, χρειαν ἐχει και των παῤ ἡμων. προσχες ὁ λεγω. ὁ θεος ἐλεει, ἀλλ' οὐχ ἁπλως ἐλεει, ἀλλα λεγει· δος και συ. τι ποτε; οἱον τι λεγει. μυρια ἐχεις ἁμαρτηματα φορτια, ἐχεις πλημμεληματα πολλα· θελω αὐτα κουφισαι. δος και συ χειρα· οὐκ ἐπειδη ἐγω σου χρειαν ἐχω, ἀλλ' ἐπειδη βουλομαι και σε τι συνεισενεγκασθαι εἰς την σαυτου σωτηριαν, *Dei quidem misericordia tanta est, ut nulla oratione explicari, nulla cogitatione comprehendi possit, mentemque excedat ac rationem superet. Verum etiamsi ea talis sit, partes tamen etiam nostras desiderat, ne homines misericordiam consequuti, fiant inutiles. Attende quid dicam: Deus misericordiam impertit, at non id simpliciter, verum ait: da tu quoque aliquid. Quidnam? verbi gratia, infinitis peccatorum sarcinis premeris, delicta multa habes, ea lavare volo, manum tu quoque porrige; non quod ego te opus habeam, sed te etiam ad tuam salutem aliquid erogare volo* ».

Unde patet V. illos summopere falli, qui ambitum amplitudinemque divinae voluntatis salutiferae, *ex eorum, qui salvantur numero*, aestimant ac definiunt. Hic enim *non alios* complectitur, *quam qui* Deo morigeram praebent voluntatem, vocanti obtemperant, praeeuntem sequuntur; sed illa eosdem habet fines, quos Dei bonitas et misericordia, quae *infinita* omnino est ac prorsus *universalis*.

« Jamdiu quaestio fuit inter doctos, an duae sequentes homiliae vera germanaque sint Chrysostomi opera, nec ne. Savilius περι γνησιοτητος earum dubitat, ut in catalogo in fronte tomi primi posito significat. In notis vero tom. VIII. p. 113. satis innuit, se clarorum hominum auctoritate abductum fuisse, ne νοθειας calculum in illas ferret. Fronto autem Ducaeus extra numerum genuinarum homiliarum ipsas edidit, nulla allata illas Chrysostomo abiudicandi causa. Sed consulto fecisse Ducaeum omnino certum existimo. Nam hasce duas homilias haud dubie spurias esse censeo ».

(1) Ps. L. 4.

XXXVIII.

Eodem quo Hincmarus seculo fama eruditionis exquisitaeque sapientiae claruit (1) Paschasius Ratbertus, quum aliorum operum (2) auctor, tum prolixi in Matthaeum commentarii, in quo ad verba (3) Salvatoris, *fiat voluntas tua*, sic (4) habet: « Non enim quisquam est, qui Deo, ne fiat eius voluntas, obsistere vel contradicere possit. Praesertim quum (5) scriptum sit, *omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra*. Sed hoc oramus, ut libertatem arbitrii nostri eius per gratiam *sociemus* ipsius voluntati, ut qui vivit iam non sibi vivat, sed voluntas Dei libere in omnibus impleatur. De qua nimirum voluntate sanctus Apostolus testatur (6) dicens, *voluntas Dei est sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a carnalibus desideriis.* Et alibi (7) Dominus, *haec est*, inquit, *voluntas Patris mei*, *ut omnis*, *qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam* ... Quum ergo dicimus, *fiat voluntas tua*, cogitandum est, qua fide dicamus, quave caritate, *quia nemo haesitans de Patris voluntate* umquam recte orat. Idcirco magna fides, magna devotio, *magna securitas* de incommutabili Domini bonitate scire, quod nihil mali velit, immo secundum (8) Apostolum, *omnes homines vult salvos fieri*, *et ad agnitionem veritatis venire.* Nullus igitur ista *ex affectu* potest dicere, *nisi qui pro certo credidit*, omnia quae videntur, vel quae non videntur, prospera vel adversa, Deum pro nostris utilitatibus dispensare. *Oportet enim fide devota credere*, magis eum pro

(1) Vide Engelmodi episcopi versus ad Radbertum abbatem praefixos huius operibus editis Paris. 1618.

(2) Inter quae illud eminet, cui titulum fecit, *de sacramento corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, et quo, auctore Sirmondo, *genuinum ecclesiae catholicae sensum ita primus explicuit*, *ut viam ceteris aperuerit, qui de eodem argumento multa postea scripsere.*

(3) Matth. VI. 10.

(4) In Matth. lib. IV. col. 325-326.

(5) Ps. CXXXIV. 6.

(6) I. Thess. IV.

(7) Ioh. VI. 40.

(8) I. Tim. II. 4.

nostra salute sine ulla intermissione esse providum, ac dispensative sollicitum, quam nos ipsos pro nobis. Unde si quis ista deliberato vel fixo tenet animo, semper ad eius pendet voluntatem, nihil de se praesumens, diebus ac noctibus iugiter implorat, ut illius in nobis fiat voluntas, quae numquam falli potest, numquam immutari, numquam ullis affectibus depravari. *Nam eius voluntas salus est omnium* ».

Nimirum I. inest Deo voluntas *salutifera*, eaque *universalis*, *efficax*, *sine ulla intermissione provida* ac *dispensative sollicita*, qua ipsemet motus *omnia* sic moderatur et temperat, ut hominum utilitati felicitatique conducant. Quod Gildas cognomento *sapiens* pluribus (1) explicat, ac tandem (2) concludit: « Magnificavit misericordiam suam Deus (3) nobiscum, *volens omnes homines salvos fieri*, et (4) *vocans* non minus *peccatores*, quam eos, qui putant se *esse iustos*; qui gratuito munere supra dicto, ut cognoscimus, persequutionis tempore, ne crassa atrae noctis caligine Britannia obfuscaretur, clarissimas lampades sanctorum martyrum nobis accendit, quorum nunc corporum sepulturae, et passionum loca, si non lugubri divortione barbarorum, quam plurima ob scelera nostra civibus adimerentur, non minimum intuentium mentibus ardorem divinae caritatis incuterent ».

Summi vero momenti est II. *omni penitus haesitatione depulsa, magna fide, magna devotione, magna securitate* in hac Dei salutifera voluntate conquiescere, sibique omnia de Dei bonitate polliceri. Si qui enim ancipiti animo de divina benignitate diffidant, hi quidem dicere ore verbisque poterunt, *fiat voluntas tua*, sed corde et affectu non poterunt. Fixum igitur sit omnibus oportet, quod Ratherius veronensis (5) inculcat, *non antea Deum hominum animas iusto iudicio deserere, quam ipsae eum deseruerint; quamvis et innumeras*

(1) De excidio Britanniae, liber querulus, pars. I. §§. III—VII. apud Gallandium T. XII. p. 194.

(2) Ibid. §. VIII.

(3) *Deus nobiscum*, idest, Emmanuel, quod Matth. I. 23. est interpretatum *nobiscum Deus*.

(4) Matth. IX. 13. coll. Marc. II. 17. Luc. V. 32.

(5) Serm. I. al. II. de Quadragesima, n. 2. col. 579. edit. Veronae 1765.

se deserentes ipse minime deseruerit, sed hoc magis ex misericordia, quam ex iustitia.

Sed unde fit III. ut Dei salutifera voluntas suo tam saepe fraudetur effectu, quum nemo illi *obsistere*, nemo *contradicere* possit, *praesertim quum scriptum sit, omnia quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra?* inde ne fit, quod sit *sterilis?* immo *devota fide credi debet, magis Deum pro nostra salute sine ulla intermissione esse providum, ac dispensative sollicitum, quam nosipsos pro nobis.* An inde fit, quod non sit *universalis?* immo *Dei voluntas salus est omnium.* Inde ergo *unice* fit, quod *hac conditione* velit Deus homines salute potiri, *si et ipsi libertatem arbitrii divina gratia praeparatam socient ipsius voluntati, ut qui vivit, iam non sibi vivat, sed voluntas Dei libere in omnibus impleatur.*

Quare nisi sua homines voluntate obniterentur, de qua, referente (1) Dorotheo, *ὁ ἀββας ποιμην ἐλεγεν, ὅτι το θελημα τειχος ἐστι χαλκουν ἀναμεσον ἀνθρωπου και του θεου, abbas Pastor solitus erat dicere, voluntatem parietem esse aeneum inter Deum et hominem*, ne unus quidem foret, qui non aeternum bearetur.

XXXIX.

A qua sententia nullatenus dissident quae Paulinus aquileiensis praesul, et inter scriptores seculi octavi labentis et noni ineuntis nobilissimus (2) tum tradit, quum *beneficentiam in omnes exemplo Dei et Christi Jesu* commendans (3), inquit: « Misericors est Dominus, et misericordiam in se

(1) Floruit Dorotheus archimandrita sub finem seculi VI., quemadmodum probant Bollandiani in Act. SS. Jun. T. I. p. 592, Fabricius Biblioth. Graec. T. VI. p. 145, et T. X. p. 160, et Gallandius T. XII. Proleg. cap. XVIII. §. I. Retulit autem praeclarum Pastoris effatum in opere, *Διδασκαλιαι ψυχωφελεις διαφοροι, doctrinae diversae animabus perutiles,* doctrina V. §. II. apud Gallandium, T. XII. p. 398.

(2) Confer de Paulino patriarcha aquileiensi quae scribit in praefatione generali ad illius opera edita Venetiis an. 1737. Franciscus Madrisius, vir clarissimus.

(3) Liber exhortat. ad Henricum ducem foroiuliensem, cap. XLVI. pag. 48.

sperantibus praestat. Non illi misericordia opus erat, qui nullum habuit peccatum, qui angelos fecit, et archangelos praeposuit; sed ut nos ab illo misericordiam consequamur, eleemosynam (1) dedit. Non illi eleemosyna necessaria fuit, cuius sunt omnia regna caelorum, qui constituit Dominationes, Principatus, Virtutes, Potestates; sed ut nos eleemosynis nostris participes regni caelorum efficeret. Patiens et pacificus est Dominus, ut *patientia* et *pace sua mundum totum*, qui in maligno positus erat, reconciliaret Deo. Et nos patientes et pacifici sine ira et disceptatione simus, si ad Deum volumus pervenire. Et *ad omnes homines* faciamus bonum, *ad omnes* dico, *non per partes,* non ad unum, vel ad duos, aut ad tres, *sed ad omnes homines.* Christus enim non pro sanctis *tantum* passus est, sed pro peccatoribus et impiis et sceleratis adscendit crucem, et passione sua *nos omnes* revocavit ad vitam. Non sanctis *tantum* dedit Deus solem et lunam et pluviam et omnia nascentia terrae et omnes fructus, qui oriuntur in terris; sed (2) *in commune omnibus hominibus* dedit illa, qui (3) *solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos.* Ideo omnibus hominibus dedit illa in commune, ut bonum nostrum, et eleemosynae nostrae, et caritas nostra, et patientia nostra, et humilitas nostra *in commune omnibus hominibus* distribuatur. Quamdiu fuerimus in hoc mundo, faciamus (4) *bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei,* et oremus pro inimicis nostris, et bonum pro malo restituamus ».

Hucusque Paulinus, cuius verbis haec potissimum doctrinae summa continetur: I. Misericordem Dei in homines voluntatem *exemplar* esse nostrae caritatis, atque *non minus* patere, *quam* nostra in eosdem homines caritas extendi debet. Caritas autem nostra, ne degeneret, suamque natu-

(1) Idest, explanante ambiguam phrasim Madrisio, *ut nos ab illo misericordiam consequamur, dedit eleemosynam,* videlicet iussit eleemosynam, ut nos eleemosynis nostris participes regni caelorum efficeret.

(2) Quo se pacto provisorem universalem ostendit.

(3) Matth. V. 96.

(4) Gal. VI. 10.

ram exuat, nullos patitur limites, et ad omnes se porrigit homines, *ad omnes dico, non per partes, ad unum, vel ad duos, aut tres, sed ad omnes homines.* Quisquis enim homo sit, continuo nobis est *proximus*, siquidem *proximi*, ut Augustinus (1) monet, *non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandi sunt, qua societate omnes homines comprehenduntur. Hinc et ille* (2) *comicus, quum ab uno sene alteri dictum componeret:* tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures, ea quae nihil ad te attinent? *responsum ab altero reddidit:* homo sum, humani nihil a me alienum puto. *Cui sententiae ferunt etiam theatra tota plena stultis indoctisque applausisse. Ita quippe omnium affectum naturaliter attigit societas humanorum amicorum, ut nullus ibi hominum, nisi cuiuslibet homini proximum se esse sentiret.* Nullus igitur hominum est, qui a divina misericordi voluntate alienus existimari aut debeat aut possit. Quare ea est *universalis.*

Neque II. *universalis* modo, verum etiam *efficax beneficiorumque fecunda.* Fecunda intra ambitum *naturalis ordinis*, cuius bona *in commune omnibus hominibus* impertit. «Non fervorem genitalem solis, exclamat (3) Arnobius, Deus, noctis et tempora, ventos, pluvias, fruges cunctis subministrat aequaliter, bonis, malis, iustis, iniustis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus»? quibus simillima scribunt Prudentius (4), Ambrosius (5), Eucherius (6) ac ipsemet (7) Seneca, inquiens: » si deos imitaris, da et ingratis beneficia. Nam et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria ». Fecunda intra fines *ordinis supernaturalis*, quandoquidem *patiens et pacificus Dominus* in id incubuit, *ut patientia et pace sua mundum totum, qui in maligno positus erat, reconciliaret Deo;* et *Christus non pro sanctis tantum passus est*,

(1) Epist. CLV. n. 14.

(2) Is est Terentius, cuius insigne effatum repetunt Stobaeus, Serm. XXXVII, et Aulus Gellius Noctium attic. lib. IX. cap. II.

(3) Adver. Gent. lib. III.

(4) Con. Symmachum lib. II.

(5) Lib. V. in Luc. VI.

(6) Paraenes. ad Valerianum.

(7) De beneficiis lib. IV. cap. XXVI.

sed pro peccatoribus et impiis et sceleratis adscendit crucem, et passione sua nos omnes revocavit ad vitam.

Ad quam fecunditatem III. revocari debet *divina patientia*; hinc praeclare (1) beatus Benedictus : « nobis propter emendationem malorum huius vitae dies ad inducias relaxantur, dicente (2) Apostolo : *an nescis, quia patientia Dei ad poenitentiam te adducit?* nam pius Dominus (3) dicit : *nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* ».

Quod si IV. non omnes peccatores convertuntur et vivunt, sed plures sempiterna morte moriuntur; inde fit, quod ut Caesarius arelatensis (4) advertit « tria sunt de quibus utiliter ac fideliter cogitare et possumus et debemus. Et ista tria in conversatione humana fieri etiam corporalibus oculis frequenter agnoscimus. Est enim *medicus*, *aegrotus* et *morbus*. Si se *iunxerit* aegrotus cum medico, duo sunt; vincitur morbus. Nam si medico consentiret, pereunte morbo aegrotus evaderet; quia duos contra se pugnantes vincere nullatenus posset. Quare *istam similitudinem* posuerim, diligenter adtendite. Medicus, Deus est : aegrotus, homo est : peccatum, morbus est. *Si se iungit peccator cum Deo*, qui est verus medicus, statim perit morbus. Si vero *infelix peccator diligit morbum suum*, ut magis se peccatis suis tamquam mortiferis morbis *velit* iungere, quam caelesti medico adhaerere; morbum, idest, peccatum suum non solum accusare non adquiescit, sed etiam fronte impudentissima defensare contendit. Dum se peccatis suis *vult* iungere, quasi videtur caelestem medicum vincere. Sed per istam infelicem victoriam tamquam per latam et spatiosam viam descendit in gehennam; *quia si medico consentire voluisset*, pereunte peccato, tamquam crudelissimo morbo, per arctam et angustam viam ascendere meruisset in caelum ».

(1) In prologo regulae, p. 298. apud Gallandium T. XI.
(2) Rom. II. 4.
(3) Ezech. XXXIII. 11.
(4) Hom. XIII. p. 20. apud Gallandium, T. XI.

XL.

Cui doctrinae pari evidentia suffragatur Venantius Fortunatus inter scriptores sexti seculi (1) non ultimus, quum in enarranda (2) dominica oratione quaerit, quo sensu petamus, ut *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, respondetque non idcirco peti, « quia aliquis potuit resistere Dei voluntati, ut non faceret aliquando, quod voluit omnipotens: nec ob id, quia illum potest aliquid impedire; sed ut in nobis impleatur eius voluntas et operetur, quoniam adversario resistente, nos voluntatem eius implere non possumus, nisi ipsius patrocinio muniamur. Si vero quaeritur, quae sit Dei voluntas, *habes decem praecepta*, quae per Mosem Dei sunt voluntate vulgata: *habes Dei Filium*, qui Patris voluntatem sciens, quae erant abscondita, reseravit, et quae obumbrabantur, in lucem transfudit. Itaque voluntas Dei est agnita; excusatio non erit succursura; nam qui de caelo descendit ad terras, *quid aliud suae voluntatis esse voluit credi, nisi salvare*? per redemptionem nos doceret caritatis et humilitatis ornamenta sequi: quoniam et ipse hoc dignatus est facere ea caritate, nimia humilitate sincere . . . . Ideoque orandum, ut si perire nolumus, ipsius voluntas operetur in nobis, iuxta Apostolum (3) dicentem: *qui in vobis operatur velle et perficere pro bona voluntate* ».

Voluntas igitur quae primum ac ex sese Deo competit, antecedens est *voluntas salvandi*, quod numquam apparuit splendidius, quam quum Dei Filius *de caelo descendit ad terras*.

Haec autem salutaris voluntas nec olim quidquam omisit, nec modo quidquam omittit eorum, quae ad conciliandam hominibus salutem necessaria opportunaque esse videantur. Illis *legem tulit*, *qua ab ignorantiae tenebris liberaren-*

(1) De praestantia, deque eruditione Venantii Fortunati egregia habet Michael Angelus Luchi in praefatione ad eiusdem opera edita Romae, anno 1786.

(2) Opp. Par. I. lib. X. cap. I. pagg. 333—334.

(3) Philipp. II. 13.

tur: abscondita Dei reseravit, ut caelestis luminis participes fierent et pro illis Unigenitus *templum sibi elegit in Virgine, misericordiam praebuit, culpas indulgentia laxavit*, ne qui de salute consequenda desperarent. Quare *potestatem omnibus* fecit, ut sempiternum exitium evitare possent, *si vellent*; quod si qui non evitent, sed in illud miserrime prolabantur, vitio ipsis hominibus verti debet, qui non sinunt, *ut divina in seipsis voluntas impleatur, ac in seipsis Deus operetur velle et perficere pro bona voluntate.*

XLI.

Quae quidem omnia et singula Salvianus, anonymus Praedestinati auctor, Isidorus hispalensis, Avitus, Arnobius iunior et Gennadius massiliensis sua quique auctoritate luculenter confirmant. Et Salvianus (1) imprimis gravissime illos exagitans, qui eorum, quae gesserat, curam removendam a Deo esse comminiscebantur, subdit: « Deus ergo si etiam minimis animantibus *hunc affectum proprii operis inseruit*, se tantummodo solum creaturarum suarum amore privavit; praesertim cum omnis in nos rerum bonarum amor ex illius bono amore descenderit? ipse est enim fons et origo cunctorum; et quia *in ipso*, ut (2) scriptum est, *et vivimus, et movemur, et sumus;* ab ipso utique affectum omnem quo prospera nostra amamus, accepimus. Totus namque mundus, et totum humanum genus pignus est creatoris sui. Et ideo ex hoc ipso affectu, quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit, *quantum ipse amaret pignora sua.* Sicut enim ut (3) legimus, *invisibilia eius per ea quae facta intellecta conspiciuntur*; ita amorem erga nos suum per eum, quem nobis erga nostros dedit amorem, voluit intelligi. Et sicut omnem, ut (4) scriptum est, *paternitatem* in caelo et in terra a seipso voluit nominari; *sic a nobis patris in se affe-*

(1) De gubernat. Dei, lib. IV. §. IX. p. 22. apud Gallandium, T. X.
(2) Actt. XVII. 28.
(3) Rom. I. 20.
(4) Ephes. III. 15.

ctum voluit agnosci. Et quid dicam *patris? immo potius plusquam patris.* Probat quippe hoc vox Salvatoris in evangelio (1) dicentis: *sic enim Deus dilexit hunc mundum, ut filium suum unicum daret pro mundi vita.* Sed et Apostolus (2) dicit: *Deus filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit* »?

Tum (3) pergit: « Hoc est ergo illud quod supra dixi, *quia plus nos amat Deus, quam filium pater.* Evidens quippe res est, *quod super affectum filiorum nos Deus diligit,* qui propter nos filio suo non pepercit. Et quid plus? addo, et hoc filio iusto, et hoc filio unigenito, et hoc filio Deo. Et quid dici amplius potest? et hoc pro nobis, idest, pro malis, pro iniquis, pro impiissimis. Quis aestimare hunc erga nos Dei amorem queat »?

E quo divino amore (4) consequitur, « ut quoties mala perferimus, etiam ad nos dici illud propheticum (5) possit: *ite in flammam ignis quam accendistis.* Ac per hoc, iuxta sententiam (6) sacram, *ipse sibi parat peccator quisque quod* patitur. Nihil est itaque quod calamitatibus nostris Deo imputare possimus. Nos calamitatum nostrarum *auctores* sumus. *Deus enim pius est ac misericors,* et qui, ut (7) scriptum est, neminem vult perire vel laedere. Nos ergo adversum nos omnia facimus. Nihil itaque, nihil est in nos crudelius nobis: *nos*, inquam, *nos etiam Deo nolente cruciamus* ».

Ad Deum enim quod spectat, inquit (8) Praedestinati auctor, verissima sunt (9) Apostoli verba: « *Idem Deus dives*

(1) Joh. III. 16.

(2) Rom. VIII. 32.

(3) Ibid. §. X. pagg. 22—23.

(4) De gubernat. Dei, lib. VIII. §. I. p. 49.

(5) Is. L. 11;

(6) Ps VII.

(7) II. Petr. III. 9.

(8) Con. haeresim Praedestinatorum, lib. III. p. 383. apud Gallandium, T. X.

(9) Rom. X. 12.

in omnibus vobis. Et (1) iterum : *apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos et docens, ut* (2) *sit omnis homo perfectus in Christo.* Et quia sciebat (Paulus) Filium Dei *pro omnibus* natum, *pro omnibus* passum, ideo (3) clamat dicens : *hoc placitum est coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Unde etiam quotidie nobis in evangeliis suis (4) ipse Dominus clamat dicens : *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego vos requiescere faciam.* Unde ut doceret, se *nullum hominem a sua largitate repellere, promptus, liberalis, abundans,* numquam minus faciens, loquitur in evangeliis suis (5) dicens : *omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperitur.* Nam et Scriptura veteris Testamenti omnes ad audiendum gentes (6) invitans, dicebat : *audite haec omnes qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper.* Et ideo idem Apostolus videns, *quia omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt,* futurum iudicium (7) memorans, clamat dicens : *omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bona, sive mala.* Unde et (8) apostolus Petrus, *gratia,* inquit, *Dei super omnes, et in omnibus vobis.* Prophetae omnes vocant, apostoli omnes vocant, Christus omnes vocat, in toto orbe terrarum sacerdotes Dei innumerabiles omnes vocant ad gratiam et ad misericordiam Dei et ad indulgentiam. Soli duo aut tres (9) homunciones, cae-

(1) Tit. II. 11.
(2) II. Tim. III. 17.
(3) I. Tim. II. 3—4.
(4) Matth. XI. 28.
(5) Matth. VII. 8.
(6) Ps. XLVIII. 3.
(7) II. Cor. V. 10.
(8) Haec ipsissima verba in Petri epistolis desiderantur.
(9) Confer Sirmondi historiam praedestinatianam, de qua Norisius ita statuendum censuit Hist. Pelag. lib. II. cap. IV: « Quae de haeresi praedestinatiana (disseruit Sirmondus, ea scripsit effeta aetate, octogenario maior. In quibus tam longe a veritate deflexit, ut eiusdem historia a Gilberto Maguino V. C. Galliarum regi a consiliis, et in sacra ac pro-

cum habentes cor, egrediuntur cum his libris apostaticis, quos viri catholici esse confingentes, totum vulnerant mundum: quibus novum genus blasphemiae inducentes dicunt, *quod Deus non omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire*: atque unius loci (1) obscuritatem passi, tanto lumini, tamque immenso splendori, tenebrarum suarum volunt inferre caliginem ».

Quod ne illis e voto cederet, ita scribebat (2) iunior Arnobius: « Dilexit maledictionem Adae, *quae per Christum aufertur*, et veniet ei: et *noluit* benedictionem, quae per Christum affertur, et utique elongabitur ab eo. Nota *ex arbitrio evenisse, ut nollet*, propter haeresim, quae dicit: *Deum alios praedestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem*. Sic enim *ex dilectione sua* maledictionem habere probatur, et *nolle suum* benedictionis praemium non habere ».

Et multo alibi (3) plenius: « Vigilanter age et non calumniose, et vides *gratiam Dei generalem super omne hominum effusam genus*. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffusa. Descendit de caelo Deus homine non volente, docuit exemplo et verbo homine non rogante, signa multa et virtutes ad se manifestandum exercuit homine ignorante: irrisus, crucifixus, inter homicidas mortuus, sepultus, resurrexit et in caelos adscendit. Haec omnia ad hominis salutem, ad hominis redemptionem, ad hominis gloriam exercuit Chri-

fana historia versatissimo, *fabula* ignominiae causa fuerit nuncupata. Hic autem scriptor adeo solide ac nervose tria priora capita historiae Sirmondianae de praedestinatianis confutat, ut Ludovicus Cellotius in historia Gotteschalcana, in qua Maguinum refellendum suscepit, lib. II. cap. II. ubi de praedestinatianis agit, ne verbum quidem pro suo Sirmondo eidem Maguino reponere potuerit ». Hactenus Norisius et in laudando *interdicto* Maguini opere nimius, et in deprimenda Sirmondi praedestinatiana historia acerbior; quod prae ceteris ostendit Raimundus Capisuccus in dissertatione de haereticis praedestinatianis, quam Innocentio XI. dedicavit.

(1) Quod consuetum iis esse, *qui sub alieno nomine haeresim concinnare machinantur*, egregie ostendit in Comm. §. XI. Vincentius lirinensis.

(2) Comm. in Ps. CVIII.

(3) Comm. in Ps. CXLVII. p. 400. apud Gallandium, T. X.

stus. Nota tibi, Praedestinate, quod loquor. Omnium generaliter bonam voluntatem Christi gratia . . . . . antecedit, si tamen pro omnibus natus, si tamen pro omnibus passus, si non negas pro omnibus mortuum, si cum Apostolo (1) asseris, quod *omnes homines vult salvos fieri*.

Age nunc, tolle te a generali gratia, ad specialem accede, et similiter cum Apostolo clama, non omnis generaliter homo salvus erit, sed (2) *omnis homo quicumque invocaverit nomen Domini, hic salvus erit*. Vade ergo ad officium medici, qui ultro venit ad civitatem, non utique nobis rogantibus: omnibus nobis medicus supervenit, officinam aperuit, et vocem emisit, qua ac si praeco exclamans (3) dixit: *venite ad me omnes*. Jam modo post hanc vocem antecedit voluntas gratiam. *Si enim* volueritis, inquit (4), *et audieritis me, quae bona sunt terrae edetis: si autem nolueritis, gladius vos comedet* ».

Et (5) rursum: « Nunc forte audiat me praedestinationem docens, et arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrii ita excludere, ut peccantes existimem *Dei abiectione* peccare. Quod peccamus, nostri arbitrii docebitur, *qui contemnimus gratiam*. Vide quanta libertas est arbitrii tui. Negatur a servo Dominus, ut dicat homo Deo: nolo tibi credere, et faciat sibi templum, ubi idolum colat, aut synagogam, ubi suum abneget Salvatorem. Quod ergo malum facimus, per libertatem incurrimus, *quia non dignatur Dominus iustus coacta servitia*. Si vero aliquid boni facimus, imputabitur largitori, qui bona omnia ad se confugientibus praestat, secundum illud, quod ipse dignatus est (6) repromittere: *omnis qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur*. Pulsemus ergo, et cum propheta in isto psalmo (7) cantemus: *aperite mihi portas iustitiae, et in-*

(1) I. Tim. II. 4.
(2) Rom. X. 13.
(3) Matth. XI. 28.
(4) Is. I. 19.
(5) Comm. in Ps. CXVIII. p. 400. apud Gallandium, T. X.
(6) Matth. VII. 8.
(7) Ps. CXVII. 19.

gressus eas confitebor Domino. Haec nos clamamus adminiculis auxiliisque divinis ».

Ab his autem ea nullatenus divellenda sunt, quae habet (1) Gennadius massiliensis his verbis : « Praedestinatiani sunt, qui dicunt, quod Deus *non omnes ad hoc creet, ut omnes salventur*, sed ut multitudine hominum ornetur mundus. Quod etsi *generali* praedicatione (2) dicat : *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*; non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem. Sed nec omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exsequendi in bono opere perseverantiam : sed post multos labores et iustitiae fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono : et e contrario illos, qui praedestinati sunt ad vitam aeternam, etiamsi in perfidia vel omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturos occasionem, qua et credant in Deum, et secundum Dei praeceptum vivant, ut possideant societatem sanctorum. Tali definitione id docere student, quod Deus personas hominum accipiat, quod alios etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona reiiciat et compellat in malum, quo pereant in aeternum ».

XLII.

Fac itaque I. in controversiam veniat, *cuiusmodi sit nativus habitus, cuiusmodi princeps et antecedens respectus*, qui Deum inter hominesque intercedit. Nisi fidem iis penitus detrahas quae adduximus, haec neque alia esse responsio poterit : *habitum esse ac respectum bonitatis paternaeque misericordiae, qua Deus affectu patris in Christo et per Christum homines complectitur.*

Quos vero II. homines? *prorsus omnes, ut quadruplici argumento signoque innotescit.* Innotescit enim argumento signoque *solliciti affectus*, quem Deus naturae creator et institutor *pa-*

(1) In lib. de haeresibus.
(2) Matth. XI. 28.

ventibus omnibus in sua pignora inseruit. Innotescit argumento signoque *universalis redemptionis*, quam per Filium explevit. Innotescit argumento signoque *universalis gratiae*, qua neminem privat, quamque *in omnes* ubertim refundit. Innotescit tandem argumento signoque *universalis voluntatis* (1) *revelatae*, qualis in Scripturis utriusque Testamenti, et in praedicatione totius ecclesiae, quae divino Spiritu edocetur, luculentissime apparet.

Neque quisquam III. existimare sibi integrum debet, hanc Dei in hominum genus universalem benevolentiam aut prorsus inficiari, aut in dubitationem adducere. Si qui enim tantos sibi animos sumpserint, eosdem novimus turpissimo haereseos stigmate fuisse notatos. *Praedestinatiani* namque *sunt qui dicunt, quod Deus non omnes ad hoc creet, ut omnes salventur.*

Huic autem IV. universali benevolentiae referri in acceptis debet: a) quod damnum Adae culpa inflictum Christi fuerit redemptione reparatum: b) quod eiusdem gratia arbitrium in peccati servitutem detrusum, in pristinam fuerit libertatem vindicatum: quodque c) spes facta sit omnibus obtinendae salutis, et occasio desperationis erepta. Quae non minus perspicua ex iis sunt, quae retulimus, quam manifesta ex iis sint, quae Avitus viennensis et Isidorus hispalensis testantur.

Ille enim ista expendens Salomonis verba, *sicut uva acerba dentibus noxia est*, scribit (2): « Huius uvae adhuc asperae viridisque non vinum, sed virus intra paradisum Adam in sui nostrique perniciem degustavit; et quia parentes comederant uvam acerbam, dentes filiorum obstupuerunt. Sed *praevidens Ezechiel originale debitum Christo solvente vacan-*

(1) Distinctio inter *revelatam arcanamque voluntatem* non obscure ex his colligitur Scripturarum testimoniis, Joh. VI. 40, Ephes. I. 13, Ps. XXXVI. 7, et Rom. XI. 33. Sed ferri nullatenus potest, quod Calvinus Institutt. lib. I. cap. XVII. §. II, lib. III. cap. XX. §. XLIII., Beza Part. II. resp. ad acta coll. p. 173 et passim calviniani tuentur, *voluntatem Dei revelatam in iis, quae ad hominum salutem* spectant, *non seiunctam modo esse, verum etiam non infrequenter a voluntate arcana diversam, illique oppositam.*

(2) Serm. pro feria III. in Rogationibus, p. 798. apud Gallandium, T. X.

dum, sic (1) ait: *vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra proverbium illud in Jerusalem: patres comederunt uvam acerbam; obstupescent dentes filiorum.* Jam tibi non nocet quidquid esset Adam, quod concupivit superbe, quod praesumsit illicite, quod desideravit incaute: tu tibi de tuo esu stuporem dentium metue, tu tactum appetitus ab inutili aviditate restringe ».

Isidorus vero (2) simul contendens et vulnera per Adamum inflicta, et medicinam per Christum factam, inquit: « Denique homini per Dei gratiam liberum *restauratur* arbitrium, quod primus homo (3) perdiderat. Nam ille habuit inchoandi boni liberum arbitrium, quod tamen Dei adiutorio perficeretur. Nos vero et inchoationem liberi arbitrii, et perfectionem de Dei sumimus gratia. Quia et incipere et perficere bonum de ipso habemus, a quo et gratiae donum datum, *et liberum arbitrium in nobis est restauratum* ». Et ad verba Geneseos, *vocavitque Deus Adam, ubi es?* ait: « Hic ostendit, quod si qui a fide vel bonis operibus ad mendacia sua desideriaque labuntur, non despicit illos Deus; sed adhuc ut redeant (4) ad poenitentiam, vocat: quia non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Ergo non est desperandum quibuslibet peccatoribus, dum et ipsi impii ad spem indulgentiae provocantur ».

Quod si nihilominus V. multi et desperant et pereunt, non inde repeti debet, quod aut non omnes salvos velit Deus, aut ordo misericordiae non omnes praeveniat; sed a) quod *non omnes velint Deum*, quod b) *ipsi in se homines sint crudeles*, quod c) neglecta misericordia in se furorem indignationis inflamment, quodque d) medicam Salvatoris manum repellant. Fallax enim esse nequit Dei per prophetam (5) sententia: *perditio ex te tua, Israel, tantum in me auxilium*

(1) Ezech. XVIII. 3.

(2) Differentiarum lib II. different. XXXII. n. 116. p. 101. T. V. opp. Romae an. 1802.

(3) Sumpta sunt haec ex Augustini enchiridio, cap. XXX.

(4) In Genes. cap. V. n. 3. pagg. 274-275. T. V.

(5) Osee. XIII. 9.

tuum. « Quasi diceret, subdit (1) Isidorus : *ut pereas*, *tuo merito*; *ut salveris*, *meo auxilio* ». Te tamen libere cooperante : « Dei enim (2) est bonum quod agimus, propter gratiam praevenientem et subsequentem : nostrum vero est propter obsequentem liberi arbitrii voluntatem. Nam si Dei non esset, cur illi gratias agimus ? et si nostrum non est, quare retributionem bonorum operum expectamus ? proinde ergo in eo, quod gratia praevenimur, Dei est; in eo vero, quod bene operando praevenientem gratiam sequimur, nostrum est ».

XLIII.

Ac omnes quotquot sumus homines Dei gratia praevenimur, neque iustitiae effectus *antea* experimur, *quam* divitias bonitatis misericordiaeque thesauros neglexerimus. Haec enim *ratio* est divinae gubernationis, ut *primas* sibi *partes* misericordia et bonitas vindicent, nonnisi *secundae* iustitiae severitatique deferantur.

Egregie Cassidorius, quum enarrans verba (3) Psalmi, *misericordiam et iudicium cantabo, tibi Domine psallam*, scribit (4) : « Potestas Domini semper *aut miseretur aut iudicat.* Sed neque *misericordia* ipsius sine *iudicio*, neque *iudicium* sine *misericordia* reperitur; utraque enim se *mutua societate* coniungunt; nec factum eius aliquod provenit, quod non plenum cunctis esse virtutibus sentiatur. Nam sicut heic dixit, *misericordiam et iudicium*, alibi dicit pro his duobus nominibus, *iustitia et pax*; et iterum, *misericordia et veritas*; vel, *iustitia et iudicium praeparatio sedis tuae*; ut ubique Deum *pium* demonstret et *iustum.* Quod genus loquutionis *inter propria* Scripturae divinae connumerari posse non dubium est. Nam et in illo adventus sui tempore glorioso, *primo loco misericordiam* facit, quando (5) dicit, *venite benedicti Patris mei*, et cetera : sed non sine aequitate,

(1) Sententiarum lib. II. cap. V. n. 4. p. 196. T. VI.
(2) Different. l. c. n. 117. p. 101. T. V.
(3) Ps. C. 1.
(4) Comm. ad. h. l. p. 332. edit. Rotomagi an. 1679.
(5) Matth. XXV. 34.

quia fidelibus suis promissa restituit. *Postea* vero *iudicium sequitur*, quum dixerit (1) impiis, *discedite a me maledicti in ignem aeternum ;* quod tamen non est sine pietate: quoniam *post multam patientiam noscitur proferre vindictam.* Vides ergo, *haec duo* et consentanea sibi esse, *et suis ordinibus collocata* radiare. Audiant itaque *misericordem Dominum* peccatores, qui de sua *nequiter* salute desperant : intelligant *superbi* iudicem, qui malum suum non aestimant esse puniendum. Ita hic totum compendiose plenissimeque cantatum est: quoniam *in his duobus sermonibus* et cuncta opera Domini, et totius ecclesiae aedificatio probatur esse narrata ».

Quod alibi (2) ad verba Psalmi, *diligit misericordiam et iudicium, misericordia Domini plena est terra,* confirmat, inquiens : « In hoc et sequentibus versibus per tertiam speciem definitionis, quae graece ποιοτης, latine *qualitativa* dicitur, Dominum declarat narrando quae fecerit, vel quae quotidie facit. Illas enim res dicimus *diligere*, quas saepius operamur. Ita heic Domino canitur, *diligit misericordiam et iudicium*, quasi non et prudentiam et temperantiam diligat. Sed quia istam nobis frequenter indulget, ipsam dicitur omnino diligere. *In hoc ergo mundo diligit misericordiam*, ubi eam longe lateque disseminat ; videlicet ubi sustinet peccatores, ubi blasphemos patienter expectat, ubi vitam praestat indignis, et his similia, quae pietati supernae constat omnimodis applicanda. *Diligit* quoque *iudicium*, cum pios sequestrat ab impiis, et merita eorum aequitatis qualitate discernit. Sequitur, *ubi* illam, quam superius dixerat, *misericordiam* largiatur, cum *misericordia Domini plena est terra.* Ista utique quae miseros continet, ubi diaboli oppugnatione laboramus, ubi a mandatis caelestibus carnis imbecillitate subtrahimur. Tunc enim quam misericordiam postulare possumus, cum iam nullis necessitatibus ingravamur ? *heic ergo misericordiam quaeramus, de qua universa terra completa est* ».

(1) Ibid. v. 41.
(2) Ps. XXXII. 5. p. 107.

XLIV.

Neque mirum accidere debet, talem esse in homines, quamdiu in hac mortalitate degunt, divinam oeconomiam: *est enim Deus generaliter bonus*: *universalem exhibet medelam*: *ac ita patris matrisque vices in nos explet, ut quod omnibus ac singulis protoparentes perdidere, abunde ipse resarciat*. Quae quidem omnia disertis testimoniis Cassiodorius confirmat.

Confirmat *primum*, quum ad verba (1) Psalmi, *non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis*, scribit: « sententia *generalis* est, quia *nemo* est, qui eius gratiam gratis non habeat, dum lex sub peccato cuncta concludat; sicut testatur (2) Apostolus, *omnia Deus conclusit in incredulitate, ut omnium misereretur*. Ille tamen *communiter* bonis malisque spiritum donat, salutem tribuit, indigentias adimit, *et generaliter bonus est* ».

Confirmat *alterum*, quum (3) enarrationem *in Psalmum quadragesimum-nonum* his verbis absolvit: « Quid adhuc iudaei desipitis? cur vestrum interitum non timetis? audite Synagogam de incarnatione Domini, et de futuro iudicio personantem. Visum iam credite, qui praedictus est advenire. Non sunt *longe remedia pietatis*, si ad poenitentiae beneficia festinetis. Quid vos *a generali medela* dividitis? ipsum et eos salvat, quod et nos liberat. *In commune* dicamus: *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*. Baptismum quaerite, *carnem quam crucifixistis assumite, sanguinem quem fudistis ebibite*. Pia confessio potest absolvere, quod vota constat impia commisisse ».

Confirmat et *tertium*, quum (4) verbis, *quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*, hunc subiicit commentarium: « *Patrem* suum *Adam* primum hominem dicit, *matrem* uxorem eius *Hevam* unde generatio

(1) In Ps. CII. 10. p. 344.
(2) Rom. XI. 32.
(3) Conclus. Psalmi XLIX. p. 168.
(4) In Ps. XXVII. 15. p. 90.

humana descendit. Isti ergo reliquerunt conditione mortali, nec enutrire valuerunt, quando de hac luce translati sunt. Sequitur, *Dominus autem assumpsit me*, in loco scilicet *veri parentis. Pater* est, quia condidit, *quia regit* : *mater quia fovet, quia infirmos et parvulos lactat* ».

XLV.

Quorum omnium neque alia origo, neque alia assignari causa potest, *quam inexpleta Dei misericordia* (1), *quae fluminis instar immensi in omnes ac omnibus temporibus refunditur, et ideo tam ubertim refunditur, quod propria Dei voluntas sit subvenire peccantibus, eidemque nativum sit omnium misereri.*

Et ad inexpletam quidem Dei misericordiam, docente (2) Cassiodorio, pertinent verba (3) Davidis, *miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam ; et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* His enim « petebat misericordiam, *quam definire non poterat* ; sed tamen peccatis suis eam grandiorem omnimodis sentiebat. Quanta enim sit, ut dixerunt sanctissimi (4) patres, *quis enarrare sufficiat* ; ut mundi creatorem de caelo deposuerit, et terreno corpore induerit conditorem, eumque qui aeternitate Patri manet aequalis, mortalitati coaequaverit, et pro nobis formam servi mundi Domino imposuerit ; ut ipse panis esuriret, fons vitae sitiret, virtus infirmaretur, omnipotens vi-

(1) Quo misericordiae nomine *omnia* exprimi *beneficia*, quae Deus in homines effundit ; docet Cassiodorius in Ps. LVIII. 18. p. 198.

(2) In Ps. L. p. 169.

(3) Ps. L. 1-2.

(4) Origenem fortasse intelligit, Cyprianum, Athanasium, Hilarium, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, Didymum, Cyrillum, Leonem, Facundum, Primasium, Sedulium, quos sibi in enarrandis psalmis deflorandos sequendosque proposuit. Unde venerabilis Beda de eo scripsit : « In expositione psalmorum, quam egregiam fecit Cassiodorius, diligenter intentus est, quid Ambrosius, quid Augustinus, quid Cyrillus, quid Joannes, quid ceteri patres dixerunt ». Cf. Joh. Garetii praefat. ad opp. Cassiodorii, p. VII.

ta moreretur? . . . haec erat illa *magna misericordia* Domini, quam sanctus vir explicare non poterat; sed facile per eam se credebat absolvi, *per quam humanum genus iam tunc cognoscebat posse* liberari ».

Bene enim misericordia Domini, ut occasione (1) verborum, *flumen Dei repletum est aquis*, idem (2) scribit, *plenissimo fluvio comparatur.* « Non enim aliqua siccitate potest imminui, qui potationibus crebris nescit expendi. Mundialis aqua aut imbribus accipit augmentum, aut siccitate defectum: Dei vero fluvius semper plenus, semper aequalis est; de quo (3) dictum est, *fluminis impetus laetificat civitatem Dei*; et ipse Dominus in evangelio (4) ait, *qui biberit ex aqua, quam ego do ei, non sitiet umquam; sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam* ».

E quo fonte numquam non eruperunt aquae salutares, quemadmodum Cassiodorius (5) declarat, quum relatis verbis, *misericordia autem Domini a saeculo est*, subdit: « Nunc insinuat spem, quae fideles debet consolari; quia licet per nos simus fragiles et caduci, per misericordiam Domini reddimur absolute perpetui; ut et quam fragiles simus, debeamus advertere, et quid per Domini gratiam consequamur, possimus audire. Et nota quod dixit: *a seculo*, idest, *quum administrari coeptus est mundus, et diversae creaturae auctoris sui munere proruperunt.* Unde et mihi videtur heic convenienter adverti, et Adam, sicut multi Patrum dixerunt, a Domini fuisse gratia revocatum, quando ipse primus in seculo fuit, sicut etiam Abel, Noe, Abraham, ceteri patres, qui tamen in seculo, sed non *a seculo* fuerunt ».

Voluntas enim propria Dei in id incumbit, ut peccantibus subveniat: *quia* (6) *secundum altitudinem caeli a terra, confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes eum.*

(1) Ps. LXIV. 12.
(2) In comm. ad. h. l. p. 212.
(3) Ps. XLV. 5.
(4) Joh. IV. 13.
(5) In Ps. CII. 315.
(6) Ps. CII. 11.

Nimirum, Cassiodorio (1) interprete, « Tanto maiorem dicit a meritis eorum misericordiam Domini, quam retribuit fidelibus suis, quantum potest a terra caeli summitas elevari. Qua comparatione illud quoque significatur, quia sicut caelum terras operit, et competentia beneficia temporibus suis homini tribuit: modo pluvias influendo: modo ipsum aerem ventis saluberrimis temperando; ita et misericordia Domini fragilitati nostrae noscitur diversa praestare: sustinet enim ut corrigat: flagellat ut erudiat: *et per diversas operas beneficiorum una voluntas est subvenire peccantibus* ».

Quae salutifera voluntas *insita* Deo est eidemque *nativa*; unde de ipso (2) legimus, *misericors et miserator Dominus*, *patiens et multum misericors*. « *Misericors* est, inquit (3) Cassiodorius, qui *natura sua* clementissimus approbatur. *Miserator*, quando misericordiae suae dona largitur. *Misericors* autem et *miserator naturaliter* praeter Dominum nullus poterit inveniri. Sed heic ideo *misericors* praemissum est, ut miseratorem Dominum non *ad tempus*, sed *iugiter* approbares . . . Sequitur, *et multum misericors*. Multum revera misericors, qui audiens omnino blasphemas voces, *solem suum* (4) *facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et impios*: vitalem spiritum magna pietate largitur: expectat errantes, ut debeant sua perperam commissa damnare ». Et (5) rursum: « Habemus Dominum et *per naturam* pium, et per misericordiarum dona largissimum. Quis dubitat ab illo postulare, qui, si non petatur, offenditur » ? alibi (6) vero de iisdem agens verbis, *misericors et miserator Dominus*, subdit: « Quod *misericors* dicitur, *naturae ipsius* virtus est; quod *miserator*, fragilitati nostrae *causa salutis* est. *Misericors* est enim quum creat, quia nullis beneficiis provocatur ut praestet, sed clementiae suae dispositione universa facit ad existentiam pervenire. *Miserator* quoque est, quum res

(1) In comm. ad h. l. p. 344.
(2) Ps. CII. 8.
(3) In comm. ad h. l. p. 344.
(4) Matth. V. 45.
(5) In conclus. ad Ps. CII. p. 346.
(6) In Ps. CXLIV. 8. p. 488.

cadentes sua pietate reconstruit; quatenus qui per culpam corruunt, per gratiam subleventur. Quis enim actibus suis meretur munera Domini Salvatoris, dum absolute (1) legatur, *omnes peccaverunt et egent gloria Dei* » ?

XLVI.

Tanta vero tamque effusa misericordia efficitur, *ut patiens sit Deus*, *omnes ad poenitentiam invitet* , *omniumque resipiscentiam expectet*, *impensiore benevolentia homines prosequatur quam ii semetipsos diligant; adeo ut*, *qui pereunt*, *contra Dei voluntatem perire existimandi sint.*

Quae quidem Fastidius (2) inter Britanniae episcopos, qui seculo quinto claruere , non ultimus praeclare statuit, quum in caussas (3) inquirens , propter quas Deus non illico peccatores punit, ait: » Miseri et ingrati, suae salutis improvidi, quia hoc etiam Deo imputant, quod eorum differatur interitus; ignorantes Dei providentia *duplici ratione* servari, ut et humano generi longa eius patientia consulatur, et ne ille iudicetur impatiens, si illico voluerit damnare peccantes. Nam si tam patiens non esset, iamdiu humani generis origo desiisset; nec iustos de peccatoribus haberemus, si confestim Deus vellet punire qui peccant. Nonnullos enim scimus et legimus, qui antea aut ignorantiae caecitate , aut caussa perfidiae , aut adolescentiae vanitate decepti, multiplici et vario peccatorum genere tenebantur obnoxii, et per sustentantis Dei clementissimam patientiam postmodum ab errore sunt conversi , maiores adhuc operas fecisse iustitiae , quam ante peccata commiserant. Deus enim non donat peccata, sed differt; nec perseverantem peccato-

(1) Rom. III. 23.

(2) Claruit Fastidius circa annum CCCCXXX , deque eo plura habent scitu non indigna Usserius Britann. eccles. antiqq. cap. XI , Possinus in monit. ad Fastidii edit. romanam, Norisius Hist. Pelag. lib. I. cap. XIX, Tillemontius T. XV. pagg. 16-18, et pag. 837, Pagius ad annum CCCCXX. §. XXIX, Ballerinii in observatt. ad opp. Norisii, T. IV. pagg. 884-923-926, et Gallandius, in Proleg. ad T. IX. cap. XV.

(3) De vita christiana, cap. II. pagg. 481-482 apud Gallandium T. IX.

rem a morte liberat, *sed ut vel sero convertatur et vivat, patienter expectat ;* sicut beatus Petrus apostolus (1) ait: *non tardat Dominus promissis, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam converti.* Ille enim te quasi pius, benignus et clemens illico idcirco non percutit, *ut tu* quanta illius erga te sit pietas, quanta clementia sit, recognoscas, qui te peccatorem et impium exspectare *mavult* et servare conversum, quam punire peccantem: sicut per prophetam (2) ipse Dominus loquitur, et quantum velit homini misericordiae pietatisque largiri, propriae vocis benignitate depromit, dicens: *et iniquus si convertat se ab omnibus iniquitatibus suis, quas fecit, et custodiat mandata mea, et faciat iudicium et iustitiam et misericordiam; vita vivet, et non morietur: omnia delicta eius quaecumque fecit, non erunt in memoria: in iustitia sua, quam fecit, vivet.* Et (3), *numquid voluntate volo mortem iniusti, dicit Adonai Dominus, quam ut avertat se a via sua mala, et vivere eum faciam?* et (4) alibi, *iniquitas iniqui non nocebit eum* (sic) *in quacumque die averterit se a sua iniquitate.* Et (5) iterum *convertimini filii convertentes, et ego sanabo contritionem vestram.*

Ecce quomodo te Deus, ut a peccatis tuis vel sero convertaris et salvus esse possis, monet et provocat. Ecce qualiter iam morti obnoxium ut vivat hortatur, quam leniter, quam clementer invitat, *ut etiam peccatoribus patris non neget pietatem*: et adhuc filios appellat, qui patrem Deum peccando perdiderunt: sicut, et ipse se perdidisse peccatores alio in loco (6) cum voce flebili et miserabili quadam lamentatione testatur, dicens: *sine filiis factus sum, perdidi populum meum propter peccata eorum.*

Ex hoc ergo cognosce, qualiter te Deus diligat, quem *mavult* vivere, quam perire. Et tu eum *contemnis et despicis, qui amplius quam tu ipse te diligit, qui te mori cupien-*

(1) II. Petr. III. 9.
(2) Ezech. XVIII. 21-22.
(3) Ibid. v. 23.
(4) Ezech. XXXIII. 12.
(5) Jerem. III. 22.
(6) Jerem. XV. 7.

tem vult vivere? nolo, inquit (1) Dominus, *mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant.* Tu ergo mori voluisti peccando: *ille te vivere vult convertendo.* O stulte, o irreverens et ingrate, *qui nec in hoc Deo, qui tibi vult misereri, consentis; qui te mavult sua pietate salvare, quam tuo perire peccato!* ».

De qua benevolentissima Dei caritate, et incredibili patientia qua impios scelestosque sustentat, non minus perspicue loquitur (2) Gaudentius brixiensis, quum de memorato in psalmis *calice salutis,* scribit: » Hunc vero calicem *bibent,* inquit (3), *et peccatores terrae.* Recte iuxta hunc intellectum (4) ait, *bibent* et *peccatores terrae;* quia peccatores caeli ex angelis, daemones facti, salutis poculum bibere non merentur; terrae autem peccatores contra venena daemonum morbosque vitiorum, *calicem* (5) *salutis accipient, et nomen Domini invocabunt. Omnis enim* (6) *quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Ideo vero calix iste peccatoribus bibendus tribuitur, quia (7) *non est opus sanis medico, sed male habentibus. Non veni,* inquit (8), *vocare iustos, sed peccatores*

(1) Ezech. XVIII. 32.

(2) In responsione ad Paulum diaconum de eo quod Dominus Jesus dixit apostolis, *quia Pater maior me est,* pagg. 365—367. edit. Brixiae 1738.

(3) Ps. LXXIV.

(4) *Alium intellectum* eorumdem verborum paullo ante dederat *pro libertate fidei,* proque ea regula, quam in tractatu de Villico, pag. 357. his verbis expresserat: « Venio nunc ad illud, quod tantopere a me exegisti, et quid super eo sentiam, qua potero brevitate, narrabo; *nulli praeiudicaturus, qualiter interpretari voluerit, modo ut explanatio eius traditionem fidei apostolicae non infringat* ». A qua regula enarrandae Scripturae ea minime dissidet, quam Augustinus de doctr. christ. lib. I. cap. XXXVI. tradit, scribens: » Quisquis Scripturas divinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ut eo intellectu non aedificet geminam caritatem Dei et proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit, ut huic aedificandae caritati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille quem legit, eo loco sensisse probatur; non perniciose fallitur, nec omnino mentitur.

(5) Ps. CXV.

(6) Rom. X.

(7) Matth IX.

(8) Ibid.

ad poenitentiam: tales enim sapientia Dei ad istum cratera salutiferae mixtionis invitat, cum sublimi voce hortatur ac (1) dicit: *quisquis est insipiens, divertat ad me. Et egentibus sensu ait: venite, edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis.* Ob hoc autem invitatur insipiens a sapientia Dei, ut fiat sapiens; et peccator, ut convertatur et vivat.

Ad *istud poculum divinae misericordiae universi generaliter* convocamur: *omnes enim peccaverunt*, ut ait (2) Apostolus, *et egent gloria Dei.* Quod *si omnes peccaverunt, et egent gloria Dei* (maiestatis quippe eius medela), quos tandem dicemus sanos, quibus medici officium necessarium non sit, nisi forte illos, qui ab ipso iam curati medicina ultra non indigent »?

Quam Dei Salvatoris universalem misericordiam insigniter commendat Marcus eremita (3) scribens: *και όντως έχθροι του θεου είσιν οί πονηροι λογισμοι, οί το θέλημα αύτου γενεσθαι διακωλυοντες · είπερ ό μεν θελει παντας άνθρωπους σωθηναι, και είς έπιγνωσιν άληθειας έλθειν· έκεινοι δε δια προσπαθειας ήμας πλανωσι, και της σωτηριας ήμας άπειργουσι, et revera cogitationes pravae sunt inimici Dei, prohibentes ne fiat voluntas eius. Siquidem ipse* vult (4) omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: *illae vero per affectionem seducunt nos, et excludunt a salute.*

Unde pronum est respondere sciscitanti, qui fiat, ut quum *omnium* Deus *ex sese* velit cupiatque salutem, tot nihilominus in sempiternum exitium prolabantur. Inde nimirum fit, quod consequutio salutis *ita donum est*, *ut simul sit merces et corona, atque adeo opus mixtum*: opus inprimis Dei praevenientis, excitantis, ac adiuvantis: opus deinde hominis, qui suam industriam contulerit, suamque consensionem libere

(1) Prov. IX.

(2) Rom. III. Hieronymus in Is. lib. VI. cap. XVI, et Augustinus de peccat. merit. lib. I. cap. XXVII. legunt: *omnes egent gratia Dei.*

(3) Opusc. IV., cui titulus est Ἀποκρισις προς τους άπορουντας περι του θειου βαπτισματος, *responsio ad eos qui de divino baptismate dubitabant*, pag. 43. apud Gallandium, T. VIII.

(4) I. Tim. II. 4.

adiunxerit. Atqui plurimi sunt, qui maximo suo damno libere nolunt quod possent, quodque deberent; et libere vicissim deligunt a quo deterrentur, quodque non deberent.

Audiatur Cassiodorius (1) in commentario ad ista psalmi verba (2), *Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius*, scribens: » Quid magnificentius, quam *suavem* esse *universis?* quid iterum magnificentius, quam *miserationes* supra omnes operas suas impendere, quae eo gloriantur auctore? *dicat aliquis*, cur ergo damnandi sunt peccatores, quos eius creaturam esse non dubium est? Sed respice, quia miserationes conferendas dicit supra operas Domini. Ipsum enim coronat, quod in nobis occulto iudicio *gratia praerogante* largitur; illud damnat quod diabolo machinante construitur. Vis enim posita verborum solvit absolutissime quaestionem. Opera enim Domini semper eliguntur : nostra vel diaboli sine dubitatione damnantur ».

XLVII.

Praesto autem omnibus esse Deum, ut in iis opera reperiat, quae eligat electaque coronet, neque antecedentia sinunt, ut dubitemus, neque auctor (3) egregii operis *de vocatione omnium gentium* patitur, ut in controversiam adducamus.

Opus enim suum his plane verbis (4) orditur: » Inter defensores liberi arbitrii et praedicatores gratiae Dei magna et difficilis dudum vertitur quaestio. Quaeritur enim, *utrum*

(1) In Ps. CXLIV. pag. 488.

(2) Ps. CXLIV. 9.

(3) De nomine huiusce auctoris dissertantes prae reliquis confer Quesnellum *diss. II. de auctore librorum de vocat. omnium gentium*, Antelmium in opere inscripto, *de variis operibus sanctorum patrum Leonis magni et Prosperi aquitani dissertationes criticae*, et Ballerinios fratres *in observationibus ad diss. II. Quesnelli*, pagg. 662. seqq. T. II. opp. s. Leonis, edit. Venet. 1756. Illud omnibus indubitatum est, auctorem fuisse dignissimum, qui a Gelasio Pontifice *in tractatu adversus pelagianos, pag. 374. T. V. Concil. edit. venetae*, ecclesiae magister salutaretur.

(4) De vocat. omnium gent. lib. I. cap. I. col. 167.

velit Deus omnes homines salvos fieri? et quia *negari hoc non potest*, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc secundum voluntatem hominum fieri dicitur, gratia videtur (1) excludi; quae si meritis redditur, constat eam non *donum* esse, sed *debitum*. Unde iterum quaeritur, cur hoc donum sine quo nemo *salvus est*, ab eo qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur? atque ita contrariarum disputationum nullus terminus reperitur, dum non discernitur, quid *manifestum*, quid sit *occultum* ».

Inter ea vero, *quae sunt manifesta* recenset, *Deum velle, omnes homines salvos fieri;* quum veritas ista sit, *quae negari non potest*. Unde post prolixam (2) *de natura deque gratia* disputationem, sic (3) pergit: » Remotis abdicatisque omnibus concertationibus, quas intemperantium disputationum gignit animositas, *tria* esse perspicuum est, quibus in hac quaestione, de qua secundum volumen incipimus, *debeat inhaereri. Unum, quo profitendum est, Deum velle omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Alterum*, quo dubitandum non est, ad ipsam agnitionem veritatis et perceptionem salutis, non suis quemque meritis, sed ope atque opere divinae gratiae pervenire. *Tertium*, quod confitendum est, altitudinem iudiciorum Dei humanae intelligentiae penetrabilem esse non posse; et cur non omnes homines salvet, qui omnes homines vult salvos fieri, non oportere disquiri: quoniam si quod cognosci non potest, non quaeratur, *inter primam et secundam definitionem non remanebit caussa certaminis, sed secura ac tranquilla fide utrumque praedicabitur, utrumque credetur.* Deus quippe apud (4) quem non est iniquitas, et cuius universae viae misericordia et veritas, omnium hominum bonus conditor, iustus est ordinator; neminem indebite damnans, neminem debite liberans, nostra plectens quum punit noxios, sua tribuens quum facit iustos: ut (5) obstruatur os loquentium iniqua, et iusti-

(1) Cf. Augustinum *de Spiritu et Littera*, cap. XXXIII.
(2) Quae habetur lib. I. capp. II. seqq.
(3) Lib. II. cap. I. col. 211.
(4) Rom. IX. 14. coll. II. Par. XIX. 27.
(5) Ps. LXII. 12. coll. Ps. L. 6.

ficetur Deus in sermonibus suis et vincat quum iudicatur. Nec damnati enim iusta querimonia, nec iustificati vera est arrogantia, si vel ille dicat non meruisse se poenam, vel iste asserat meruisse se gratiam ».

Spectat igitur ad christianam fidem christianamque praedicationem articulus, quo profitemur, *Deum velle omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire;* atque huic articulo nullatenus adversatur, quod extra controversiam sit, *vel ad ipsam agnitionem veritatis et perceptionem salutis, non suis quemquam meritis sed ope atque opere divinae gratiae pervenire: vel non omnes ab eo salvari, qui omnes homines vult salvos fieri.*

Aliud namque est probe novisse quod credas, ac aliud viam rationemque tenere, qua singula quae profiteris doctrinae capita mutuo componas et ad harmoniam revoces. Illud proprium est credentis, hoc vim facultatemque praetergreditur humanae intelligentiae, cui altitudo iudiciorum Dei penetrabilis esse non potest. Quae tamen caligo impedire non debet, quominus firmissime, quod certum est, credatur, habeaturque Deus *omnium hominum bonus conditor, iustusque ordinator: bonus conditor, quia vult omnes homines salvos fieri: iustus vero ordinator, quia neminem indebite damnat* (1), *et non minus nostra plectit quum punit noxios, quam sua tribuat quum facit iustos.*

XLVIII.

His autem stabiliendis vindicandisque multiplici argumento *Anonymus* utitur, eoque imprimis quod de Deo loquens praebet Apostolus (2) his verbis: *qui vult omnes homines salvos fieri.* De hoc enim testimonio principio (3) scribit: « Quam particulam verborum Apostoli ita nos integre pleneque suscipimus, ut nihil ei de praecedentibus sive subiectis, quae ad ipsam pertinent, subtrahamus. Quoniam, ut

(1) Eos siquidem unice damnat, quemadmodum lib. II. cap. VIII. scribit, *qui misericordiam benevolentiamque neglexerint.*

(2) I. Tim. II. 4.

(3) De vocat. omnium gentium, lib. I. cap. XII. coll. 185—186.

caetera divinorum eloquiorum testimonia sequestremus, *hic locus sufficit ad evacuandum quod calumniose obiiciunt, et ad defendendum quod impie diffitentur* ».

Tum integram refert orationis seriem, quae (1) talis est: *obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, postulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, et pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt: ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Quibus descriptis, continuo infert: « De hac ergo doctrinae apostolicae regula, qua *ecclesia universalis* imbuitur, *ne in diversum intellectum nostro evagemur* (2) *arbitrio, quid ipsa universalis ecclesia sentiat, requiramus*: quia nihil dubium esse poterit in praecepto, si obedientia concordet in studio. Praecepit itaque Apostolus, immo per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo, *fieri obsecrationes, et postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus ac pro his qui in sublimitate sunt.* Quam legem supplicationis ita omnium sacerdotum, et omnium fidelium devotio *concorditer* tenet, *ut nulla pars mundi sit*, in qua hujusmodi orationes non celebrentur a populis christianis. Supplicat ergo ubique ecclesia Deo non solum pro sanctis et in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro iudaeis, quorum caecitati lumen evangelii non refulget,

(1) I. Tim. II. 1—7.

(2) Eamdem regulam eodem consilio tradidere Irenaeus, Polycarpus, smyrnensis ecclesia, Clemens alexandrinus, Athanasius, Basilius, uterque Gregorius nyssenus et nazianzenus, Cyrillus hierosolymitanus et Epiphanius, quorum Thommasinus in prolegg. theolog. capp. XVIII—XIX. suffragia refert ac diligenter expendit. E quibus apparet, unde tridentini patres Sess. IV. suum deprompserint decretum, quo illis anathema dixere, qui *sacram Scripturam ad suos sensus contorquent, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia.*

pro haereticis et schismaticis, qui ab unitate fidei et caritatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant caritatem, et de ignorantiae tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? quod quia ipsi praestare sibi nequeunt, malae consuetudinis pondere oppressi, et diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhaeserunt, ut quantum amanda est veritas, tantum diligant falsitatem; misericors et iustus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari, ut quum videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum praestitisse, quod ut praestaret oratus est: et gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui needum illuminati (1) sunt, eodem divinae gratiae

(1) Iuverit discrimen animadvertere, quod Petavius subtiliter notat, de Deo Lib. X. cap. III. §. III., inter hasce dicendi formas existere: *Deum velle omnes homines salvos fieri*, et *iustificari omnes*, vel *omnes illuminari per Christum*. « Etenim haec ipsa, *iustificari* et *illuminari* atque his similia *non solus* per sese Deus efficit, nec *ex eius sola voluntate* pendent, ut quidem sese res habent, et ut ipse fieri decrevit, qui neminem, nisi sponte volentem et consentientem ad gratiam suam adducere statuit. Itaque quum *omnes iustificari* a Christo legimus, nonnisi volentes interpretari possumus. Idemque iudicium esset, si non *velle salvos fieri* omnes, sed *salvos facere* dixisset. Hoc enim non sine nobis exequi constituit. Liquet autem neque iustificari, neque salvos fieri omnes, non quod *ipsis Dei voluntas*, sed quod *divinae ipsi voluntati* desint. Quum ergo sic dicitur, *vult Deus omnes salvos fieri*, quatenus *velle* dicitur, id dicitur quod est *in eius unius voluntate* positum. Nam *ut velit*, non ex hominum voluntate sumit, sed *ex sola bonitate sua*.

Quocirca quum vult omnes salvos fieri, neminem excipit, quoniam excipiendi nulla extra ipsum caussa quaeritur. Vult enim quia sic illi placet. At quum iustificat, illuminat, salvum facit, συνεργους, idest, *cooperatores*, et συναιτιους adhibet: qui si reluctentur, non fit quod voluit Deus. Non enim falso dictum est, *quoties volui*, *et noluisti* ». Neque falso scripsit magnus Leo, Serm. XXXV. al. XXXIV. col. 130: «Consideremus itaque ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem, *cooperatores* simus gratiae Dei operantis in nobis. Non enim dormientibus provenit regnum caelorum, nec otio, desidiaque torpentibus beatitudo aeternitatis ingeritur; sed quia, sicut Apostolus ait, *si compatimur, et conglorificabimur,* illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est; qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, et sa-

opere eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei priusquam de hac vita exeant, transferendos ».

Cuius praeclarissimae disputationis ista est summa: Scripturarum enarratoribus, ne omni doctrinae vento (1) circumferantur, nihil esse potius, nihil antiquius oportere, quam de eo quod prae manibus habent testimonio, ecclesiae catholicae sententiam, fidemque exquirere, invenire, inventamque sectari. Regitur enim ecclesia eo ipso Spiritu, qui princeps est auctor Scripturarum; unde qui ecclesiam sequuntur, ipsum sequuntur Spiritum, quo (2) inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Atqui catholica ecclesia suis ad Deum fusis solemniter precibus apertissime demonstravit, compertum sibi certumque esse, apostolicis verbis significari universalem Dei salutiferam voluntatem, quae neminem praeterit ac omnibus opitulatur. Igitur neque fas est aliam apostolicis verbis significandi potestatem subiicere, neque universalem amplitudinem divinae voluntatis salutiferae in dubitationem vocare.

XLIX.

Quod altero deinde statuit confirmatque argumento, cui et par ad persuadendum vis inest, et simillimus ad illuminandum splendor. Illud autem ex universali per Christum redemptione deducit (3), scribens: « Nulla ratio dubitandi est, Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis et peccatoribus mortuum, a quorum numero si aliquis liber inventus est, *non est pro omnibus mortuus Christus: sed prorsus pro omnibus mortuus est*: nemo ergo omnium hominum ante reconciliationem, quae per Christi sanguinem facta est non aut peccator, aut impius fuit ».

Id quod Scripturarum oraculis (4) continenter ostendit,

cramento consuluit et exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem ».

(1) Ephes. IV. 14.

(2) II. Petr. I. 21.

(3) De vocat. omnium gentium, lib. II. cap. XVI. col. 228.

(4) Rom. V. 6. seqq. II. Cor. V. 14, I. Tim. I. 15.

tum pergit: « Sive ergo circumcisio, sive praeputium peccato universaliter concludebatur, unusque omnes reatus obstrinxerat, et inter magis minusque impios nemo erat, qui posset absque Christi redemptione salvari. Quae redemptio *universo sese intulit mundo*, *et omnibus hominibus indifferenter innotuit*, quandoquidem in die quinquagesimo ab illo Pascha, in quo se hostiam Deo verus agnus obtulerat, quum apostoli et qui cum eis unanimes erant, repleti Spiritu sancto linguis omnium gentium loquerentur, conveniebat excita miraculo diversi generis hominum multitudo, ut evangelium Christi in eis qui aderant, totus mundus audiret. Confluxerant autem, sicut (1) scriptum est, *parthi et medi*, *elamitae et qui inhabitant Mesopotamiam*, *Judaeam et Cappadociam*, *Pontum et Asiam*, *Phrygiam et Pamphyliam*, *Aegyptum et partes Lybiae*, *quae est circa Cyrenen et advenae romani, iudaei quoque et proselyti*, *cretes et arabes*, audientes omnes suis linguis praedicari magnalia Dei: quorum testificatio etiam in eas gentes, quae remotiores sunt, longe lateque procurreret.

Ad cuius rei effectum credimus providentia Dei romani regni latitudinem (2) praeparatam: ut nationes vocandae ad unitatem corporis Christi, prius iure unius consociarentur imperii: quamvis gratia christiana non contenta sit eosdem limites habere quos Roma; multosque iam populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non do-

(1) Actt. II. 9.

(2) Quibus sunt ista simillima, quae habet Leo Serm. I. de sanctis Petro et Paulo, cap. I: « Ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, *latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena.* Quamvis enim multis aucta victoriis ius imperii tui terra marique protuleris; *minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit* . . . Ut autem huius inenarrabilis gratiae *per totum mundum diffunderetur effectus, romanum regnum divina providentia praeparavit,* cuius ad eos limites incrementa perducta sunt, quibus cunctarum gentium vicina et contigua esset universitas. Disposito namque divinitus operi maxime congruebat, *ut multa regna uno confederarentur imperio,* et cito pervios haberet populos praedicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis »

nuit. Quae tamen per apostolici sacerdotii principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis ».

Scilicet non alia opportunius ratione definiri potest amplitudo divinae voluntatis salutiferae, quam amplitudine comperta illius redemptionis, quam verus agnus Christus Dominus Patri obtulit. Etenim (1) et in mundum ipse venit, et caro factus est, et (2) forma servi assumpta ad mortem usque crucis se exinanivit, ut voluntatem expleret (3) non suam, sed Patris qui eum miserat. Iamvero prorsus pro omnibus mortuus est Christus, ac pro omnibus in ara crucis Patrem placavit. Omnium ergo salutem et voluit et vult Deus, qui propterea, uti Petrus Chrysologus (4) auctor est, per Christum hominum genus *revocavit ad obsequium creatoris*, *ad patris gratiam, ad unius boni domini liberam servitutem : per eum* (5) *texit illam, quam Adam primus intulerat nuditatem: ac per eum peccatum totius mundi* misericors et suavis *absolvit. Vere* (6) *suavis per misericordiam, per quam solam totius mundi amarissimam dignatus est auferre sententiam.*

Neque secus de misericordi ac benevola Dei voluntate existimabunt qui secum reputent, quibus Deus per Christum salutare Evangelii praesidium exhibuerit. Ecquibus enim illud exhibuit ? aliquibus ne solum, an satius omnibus ? indifferenter omnibus, cuius voluntatis omnes complectentis hoc dedit indicium, ut apostoli repleti Spiritu sancto linguis omnium gentium loquerentur.

L.

Quod quidem argumentum multo alibi (7) explanat uberius, inquiens : « Sicut ea, quae ad manifestationem gratiae ex divinis proferuntur eloquiis, nulla possunt disserendi

(1) Ioh. I. 10, 14.
(2) Philipp. II. 6. seqq.
(3) Ioh. V. 30. coll. VI. 38, Hebr. X. 7—9.
(4) Serm. VI. pag. 10. edit. Augustae Vindelic. an. 1758.
(5) Serm. XXIII. pag. 40.
(6) Serm. VI. pag. 11.
(7) De vocat. omnium gentium, lib. II. cap. II. coll. 212—213.

arte violari, ut perspicuae consonantesque in tanta numerositate sententiae ad aliquod pravae interpretationis trahantur incertum; ita etiam quod de salvatione *omnium hominum in eodem Scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum est*, ut quanto hoc ipsum difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur; magna enim fortitudo est *consensionis*, cui ad sequendam veritatem auctoritas sufficit, etiam latente ratione. Proinde vigilanter consideremus, praedicatoribus evangelii quid a Domino iubeatur.

Secundum Matthaeum quippe sic (1) ait: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Secundum Marcum vero eisdem apostolis ita (2) dicitur: *ite in orbem universum, et praedicate evangelium universae creaturae: et qui crediderit et baptizatus fuerit, ipse salvus fiet: qui vero non crediderit, damnabitur.*

Numquid in hac praeceptione ullarum nationum, ullorumve hominum facta discretio est? neminem merito excepit, neminem genere separavit, neminem conditione distinxit. Ad omnes prorsus homines missum est evangelium crucis Christi. Et ne praedicantium ministeria humano tantum viderentur opere peragenda, *ecce ego*, inquit (3), *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi:* idest, quum sicut oves introieritis in medium luporum, nolite de vestra infirmitate trepidare, sed de mea potestate confidite, qui vos usque ad consummationem saeculi in omni hoc opere non derelinquam: non hoc ut nihil patiamini, sed quod multo maius est, ut nulla saevientium crudelitate superemini. In mea enim potestate praedicabitis, et per me (4) fiet, ut inter

(1) Matth. XXVIII. 18—20.

(2) Marc. XVI. 15.

(3) Matth. XXVIII. 20.

(4) His innuitur, plantantibus et rigantibus suo numine adesse Deum, qui dat incrementum.

contradicentes, inter furentes, Abrahae filii de lapidibus suscitentur . . . *Apparuit ergo*, ut Apostolus (1) ait, *gratia salvatoris nostri Dei omnibus hominibus*; et tamen ministri gratiae odio erant omnibus hominibus. Et quum alii essent qui oderant, alii qui odiis persequentium premebantur, neutra tamen pars nuncupatione omnium hominum privabatur: habente quidem salutis suae damnum rebellium portione, sed obtinente plenitudinis censum fidelium dignitate ».

Propemodum diceretur: voluntati Dei revelatae, quaeque exterius semet prodit, respondet voluntas arcana, quaeque intime in Deo latet, adeo ut illa huius sit signum, et haec ex illa aestimari iudicarique possit. Nihil autem evidentius quam universalem esse voluntatem salutiferam revelatam, qua Deus praecepit, ut evangelium promissionesque evangelii non his aut illis, sed *omnibus hominibus*, *universae creaturae*, *omnibus gentibus* annunciarentur. Inest igitur Deo voluntas intima, voluntas arcana, qua omnium hominum salutem sincerissimo amore prosequitur.

A qua salute si plures excidunt, et Deum experiuntur auctorem non praemii sed poenae, non felicitatis sed exitii; adscribi hoc debet non illi, quod externam internamque misericordiam subtraxerit, sed iis ipsis qui pereunt, *quod contra praevenientem illius misericordiam rebellarint*. Egregie (2) Fulgentius: « Principaliter omnis Scriptura divinitus inspirata unum verum ac solum Deum, illam scilicet Trinitatem, idest, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, tam misericordem praedicat esse quam iustum. Ipsi enim ex persona ecclesiae (3) dicitur, *misericordiam et iudicium cantabo tibi Domine*. De illo etiam (4) canitur, *misericors Dominus et iustus, et Deus noster miserebitur*. Alio quoque (5) loco, *quoniam iustus Dominus et iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius*. Denuo (6) dicitur, *universae viae Domini*

(1) Tit. II. 11.
(2) De remissione peccat. lib. I. cap. VIII. pag. 364. edit. Caris. 1684.
(3) Ps. C. 1.
(4) Ps. CXIV. 5.
(5) Ps. X. 8.
(6) Ps. XXIV. 10.

misericordia et veritas. Et (1) rursus, *quoniam misericordiam et veritatem diligit Dominus* . . . . . Per Esaiam quoque (2) suam Dominus misericordiam iustitiamque commemorat, dicens : *ego Deus et non alius praeter me , iustus et salvans : non est alius praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis.*

His igitur (3) atque innumeris huiusmodi testimoniis, quibus Dominus Deus noster *misericors* praedicatur et *iustus* , ostenditur quantum diligenda sit eius misericordia , quantumque iustitia metuenda monstratur. Misericors enim et miserator Dominus, patiens et multum misericors et verax, sicut novit a converso submovere supplicium; sic in eo qui converti *noluerit* , nullatenus sinit inultum remanere peccatum. Hinc est quod divinis indesinenter eloquiis mali salubriter admonentur , ne remaneant in servitute peccati , sed misericordiam iusti Dei, dum sunt in hac vita requirant ».

Quum itaque divina in homines oeconomia duplici potissimum opere administretur , *misericordiae* et *iustitiae* , hoc inter utrumque existit discriminis , quod *illud praevertit , istud subsequitur* , neque fit ut compotes rationis homines , suique iuris antea offendant in poenas iustitia inflictas, quam misericordiae beneficia contempserint. « Proinde, scribit (4) alio in loco Fulgentius , in omnibus operibus suis aeterna laude dignus est Deus, quia cunctis quos secundum propositum (5) vocat atque iustificat, gratis remittit iniquitatem; in omnibus autem quos punit, irreprehensibilem retinet aequitatem ».

Cuius sententiae hanc causam mox subiicit , quod homines rationis utendae facultate percepta, *respuunt aut negligunt* regenerationis salutare remedium , sine quo non solum re-

(1) Ps. LXXXIII. 12.

(2) Es. XLV. 21.

(3) Ibid. cap. VIII. pag. 365.

(4) De verit. praedest. et gratiae, lib. I, cap. XIV. pag. 449.

(5) Loquutio κατα προθεσιν, *secundum propositum* , usitata est Paulo , Rom. VIII. 28, IX. 11, Ephes. I. 11, III. 11. II. Tim. I· 9., eaque significat εὐδοκιαν, *beneplacitum*, ἀγαπην, *amorem*, quo Deus ad benemerendum de hominibus movetur. Hesychius προθεσιν reddit προαιρεσιν ; Suidas vero βουλην, γνωμην. Cf. Ernestii opusc. philolog. et critic. pag. 248.

gno potiri nequibunt, quin etiam gravioribus suppliciis subiacebunt. Tales (1) enim *contemnentes* benignitatem Dei, *secundum duritiem suam et impoenitens cor* thesaurizant sibi iram in die irae, et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua: ut non solum pro originali peccato . . . . sed etiam *pro sua voluntate mala* tanto deterius torqueantur, quanto amplius propriae iniquitatis adiiciunt ».

Hinc ne in thesaurum irae converteremus divitias misericordiae Dei, obtestabatur Petrus Chrysologus (2) scribens: « Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem praecellit *misericordiae magnitudo*; nam quum (3) dixisset propheta, *magna opera Domini*, adiecit (4) alibi, *misericordiae eius super omnia opera eius*. Misericordia, fratres, implet coelum, replet terram. *Domine*, inquit (5), *in coelo misericordia tua*. Et (6) idem ipse, *misericordia Domini plena est terra*. Et revera, fratres, periisset totum quod Deus fecerat, nisi misericordia subvenisset . . . Haec est Christi magna, larga, sola misericordia, *quae iudicium omne in diem servavit unum, et homini totum tempus ad poenitentiae deputavit inducias: ut quod de vitiis infantia suscipit, rapit adolescentia, invadit iuventus, corrigat vel senectus: et de peccato vel tunc poeniteat, quando sentit iam se non posse peccare: et tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de necessitate virtutem: moriatur innocens, qui totus vixit in crimine* ». Unde (7) alibi: « Currat, inquit, paenitentia, sententia ne praecurrat; quia Dominus quod non venit adhuc, quod adhuc expectat, quod moras facit, *nos sibi redire desiderat, non perire*, quos pietate tali semper (8) est alloqu-

(1) Rom. II. 5—6.
(2) Serm. XLII. pag. 68.
(3) Ps. CX.
(4) Ps. CXLIV.
(5) Ps. XXXV.
(6) Ps. XXXII.
(7) Serm. CLXVII. pag. 232.
(8) Ezech. XXXIII.

tus: *nolo mortem peccatoris , sed ut revertatur impius a via sua, et vivat* ».

LI.

Inchoatam et per partes expolitam demonstrationem auctor operis de vocatione omnium gentium his verbis (1) absolvit : « His et aliis testimoniis Scripturarum *non dubie demonstratur* istam ditissimam , potentissimam , benignissimam gratiam , qua in novissimo mundi tempore omnes gentes in regnum Christi vocantur, prioribus saeculis in occulto Dei absconditam fuisse consilio : et cur hac manifestatione , qua nunc universis nationibus innotescit, antea revelata non fuerit , nullam posse scientiam comprehendere , nullam intelligentiam penetrare : quum tamen illud *quod de bonitate Dei piissime creditur*, quia (2) *omnes homines velit salvos fieri*, *et in agnitionem veritatis venire*, non oporteat, *nisi perpetuum aeternumque* sentiri , secundum eas mensuras quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus : *ut et qui exortes gratiae fuerint , de sua nequitia redarguantur* ; et qui eius lumine enituerint , non in suo merito , sed in Domino glorientur ».

Et (3) rursum haud paullo luculentius scribit : « Sive igitur *novissima* contemplemur saecula, seu *prima* seu *media*, *rationabiliter* et *pie creditur*, omnes homines salvos fieri Deum velle , *semperque* voluisse ; et hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, quae providentia Dei universis generationibus *communiter atque indifferenter* impendit. Fuerunt enim ac sunt hujusmodi dona *ita generalia*, ut ipsorum testimonio ad quaerendum verum Deum possent homines adiuvari: quibus donis auctorem suum (4) per omnia saecula

(1) De vocat. omnium gentium, lib. II. cap. XIX. coll. 232—233.

(2) I. Tim. II. 4.

(3) De vocat. omnium gentium, lib. II, cap. XXV. coll. 237—238.

(4) Locos parallelos habes lib. II. capp. IV—V—X—XVII , lib. I. capp. V—XXI, et apud Leonem, Serm. VII—VIII. de ieiunio mensis decimi , Serm. VI. de ieiunio septimi mensis , Serm. VI. in Quadragesim. cap. I, et Sermm. V—VIII. in Epiphan.

protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est. Quae licet *copiosius* nunc quam ante praestetur, caussas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, et intra secretum potentissimae voluntatis occuluit: quae si omnibus *uniformiter* affluerent, non laterent. Et quam nulla est ambiguitas *de benignitate generali*, tam de speciali misericordia nihil quod stupendum esset, existeret : ac proinde illa esset gratia, ista non esset. Deo autem placuit et *hanc multis* tribuere, *et illam a nemine* submovere, ut ex utraque appareat non negatum universitati, quod collatum est portioni, sed in aliis praevaluisse gratiam, in aliis resiliisse naturam ».

Quibus ista (1) adamussim consentiunt : « Elaboratum est, quantum Dominus adiuvit, ut *non solum* in novissimis diebus, *sed etiam in cunctis retro saeculis* probaretur, *gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse*, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura; quoniam sive occulte sive manifeste, ipse est, ut Apostolus (2) ait, *salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Quae sententia subtilissimae brevitatis et validissimi roboris si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit. Dicendo enim *qui est salvator omnium hominum*, confirmavit *bonitatem Dei super universos homines esse generalem*; adiiciendo autem, *maxime fidelium*, ostendit esse partem generis humani, quae merito fidei divinitus inspiratae, ad summam atque aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur: quod utique nulla iniquitate agitur iustissimi et misericordissimi Dei, cuius iudicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est ».

LII.

E quibus in unam redactis summam colligimus : I. *ra-*

(1) De Vocat. omnium gentium, lib. II. cap. XXXI. coll. 243—244.
(2) I. Tim. IV. 10.

tionabiliter (1) *et pie credi, omnes homines salvos fieri Deum velle semperque voluisse* , et quae (2) *de salvatione omnium hominum in Scripturarum corpore reperiuntur, nulla contraria argumentatione temerari posse.*

Hanc divinam voluntatem II. hominibus *semper* adfuisse, quum *illud* (3) *quod de bonitate Dei piissime creditur* , *qua omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* , *non oporteat nisi perpetuum aeternumque sentiri* , *secundum eas mensuras, quibus Deus dona generalia specialibus novit cumulare muneribus.* Etenim (4) *universitati hominum quod abunde probavimus* , *ita multiplex atque ineffabilis bonitas consuluit semper et consulit* , *ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis , neque cuique sit liberum de sua iustitia gloriari.*

Huic enim III. benevolae voluntati referri in acceptis oportere, quod *utrumque ordinem* , *naturalem et supernaturalem* ita Deus disposuerit, ut hominibus non deesset , quod evitandae damnationi, felicitatique comparandae necessarium ac opportunum videretur. « Caelum et terra , scribit (5) anonymus, omnisque creatura , quae videri atque intelligi potest, *ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem* , *ut natura rationalis ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris.* Quoniam etsi longe est a peccatoribus salus , *praesentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum est* ». Et (6) rursum : « Quamvis ergo haec et multa similia (7) veritatis Scriptura pronuntiet; secundum ipsam tamen *credimus et piissime confitemur*, quod numquam universitati hominum divinae providentiae cura defuerit. Quae licet exceptum sibi populum *specialibus* ad pietatem direxerit *institutis,* nulli tamen nationi hominum *bonitatis suae dona sub-*

(1) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. XXV.
(2) Ibid. lib. II. cap. II.
(3) Ibid. lib. II. cap. XIX.
(4) Ibid. lib. II. cap. XXIX.
(5) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. IV.
(6) Ibid. lib. I. cap. V.
(7) Ad ea respicit quae leguntur Deut. XXXII. 8—9, Levit. XX. 26, Actt. XIV. 14, et Estheris XVI. iuxta graecam interpretationem.

traxit : ut propheticas voces et praecepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde et inexcusabiles facti sunt, quia deos sibi Dei dona fecerunt ; et quae creata erant ad utendum, venerati sunt ad colendum ». Alibi vero : « Omnium, inquit (1), saeculorum experimenta docuerunt iustam Dei misericordiam, misericordemque iustitiam, nec alendis unquam corporibus hominum, nec docendis iuvandisque eorum mentibus defuisse. Semper etenim pluit super bonos et malos ; semper solem suum oriri fecit super iustos et iniustos ». Unde (2) *videmus nullis hominibus opem gratiae in totum fuisse subtractam*; neque (3) *ipsis gentibus eam mensuram generalis auxilii fuisse negatam, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita. Manifestum* (4) propterea est, *quod diversis atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire; sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.*

LIII.

Verum *quam* auctor noster intelligit *gratiam*, dum illam *communem* et *universalem* esse confirmat, ac variis licet modis, diversaque mensura, omnibus tamen suppeditatam hominibus tuetur ? *externam* ne solum, an externam quidem, sed *cum interiore sanante ac elevante consertam* ? prolixe ha-

(1) Ibid. lib. II. cap. X. A quibus seiungi ista non debent Leonis e Serm. VI. in Quadrag. cap. I: « Semper quidem misericordia Domini plena est terra, et unicuique fidelium ad colendum Deum ipsa rerum natura doctrina est, dum caelum et terra, mare et omnia quae in eis sunt, bonitatem et omnipotentiam sui protestantur auctoris, et famulantium elementorum mirabilis pulchritudo iustam ab intellectuali creatura gratiarum exigit actionem ». Et Serm. LXXXII. al. LXXX. cap. II : « Deus, subdit, bonus et iustus misericordiam suam humano generi numquam negavit, omnesque in commune mortales ad cognitionem sui abundantissimis semper beneficiis erudivit ».

(2) Ibid. lib. I. cap. XXI.

(3) Ibid. lib. II. cap. XVII.

(4) Ibid. lib. II. cap. XXVIII.

bet hanc controversiam Paschasius Quesnellus, dum Vossii (1) Norisiique (2) opinionem expendit, qui libros de vocatione omnium gentium ea inprimis de caussa abiudicandos Prospero censuerunt, *quod illorum sententia non examussim doctrinae Prosperi quadraret*.

Etenim relatis Norisii (3) verbis, *video librorum illorum scriptorem diversa a Prospero via abiisse. Nam libro II. plurimum laboris insumit, ut communem gratiam Dei omnibus faciat*; subdit (4) Quesnellus: « Leonem petit ista accusatio, non modo quia auctor fuit (5) librorum *de vocatione* (6) *gentium*, sed etiam quia multa sunt in aliis indubitatis eius operibus seu in sermonibus, quae cum illa librorum de vocatione doctrina conveniant, ut merito ex illa doctrinae affinitate argumentum sumpserimus (7) pro asserendis Leoni nostro istis libris. Aliquot huiusmodi loca superius (8) collegimus; sed facile est et haec et illa apud aequum lectorem de Norisii aliorumque accusationibus purgare, duoque *invicte* probare. Primum quidem, Leonem nostrum, cum et in libris de vocatione gentium et in sermonibus suis *com-*

(1) Hist. Pelag. lib. I. cap. XX.

(2) Hist. Pelag. lib. II. cap. XIV.

(3) Pugnat Norisius *dogmaticis argumentis*, atque his *criticam quaestionem* dirimendam adgreditur. Sed quam fluxum id sit, quamque aleae periculique plenum, vel ex hoc uno aestimari potest, quod Iosephus Tricassinus in Augustini et Prosperi doctrina ad stuporem versatus, eo in opere quod inscripsit *de necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data*, pluribus ostenderit, inter assertores universalis gratiae Prosperum eminere.

(4) Diss. II. de auctore librorum de vocat. gentium, §. XXVIII.

(5) Quod quidem a Quesnello non argumentis comprobatum fuit, sed nonnullis assertum coniecturis, quas Ballerinii fratres in observationibus ad eiusdem. diss. II. §. II. nn. IX—XVI. inanes fallacesque ostendunt, et ad rem conficiendam minime accommodatas.

(6) Germanus operis titulus est, *de vocatione omnium gentium*, non autem, *de vocatione gentium*; quemadmodum auctoritate codicum Ballerinii in praefixa admonitione tuentur. Etiam s. Leo, Serm. XXXVI. cap. II. *de vocatione omnium gentium* scripsit.

(7) Non admodum dextere, quum doctrina haec sit non unius alteriusve *propria*, sed omnibus ecclesiae patribus *communis*.

(8) Dis. cit. §. XX.

munem omnibus facit gratiam Dei, longe alio sensu, latiorique significatione usurpare *gratiae nomen*, quam sumatur a Prospero; alterum vero, quod cum idem gratiae nomen a Leone, eodem sensu quo a Prospero usurpatur, eamdem quoque ab ipso Augustino de gratia doctrinam (1) cum Prospero praedicari ».

Ut autem quod primum est, luculentius explanet, e vestigio (2) pergit: « His itaque in locis, ubi gratiam Dei omnibus datam asserit, *per eam intelligit exteriora et naturalia Dei dona, quae omnibus promiscue exposita sunt; aliquando mosaicae legis documenta; nonnumquam etiam sancti evangelii praedicationem, quae nulli hominum conditioni denegatur.*

Triplicem hanc gratiae classem explicat tum aliis in locis, cum capite IX, libri II. *Ad id*, inquit, *unde digressa est disputatio, revertamur, ad considerationem scilicet differentiarum, quibus divinae gratiae opera ac dona variata sunt. Altitudo quippe divitiarum sapientiae et scientiae Dei, cuius inscrutabilia sunt iudicia, et investigabiles viae, sic semper misericordiam suam et iustitiam temperavit, ut secretissima aeterni consilii voluntate noluerit in omnibus temporibus super omnes generationes, aut super omnes homines, aequales donorum suorum esse mensuras. Siquidem aliter eos iuverit, quos ad cognoscendum se caeli et terrae testimoniis conveniebat: aliter illos, quibus non solum elementorum famulatu, sed etiam doctrina legis, prophetarum oraculis, miraculorum signis et angelorum cooperationibus consulebat: et multo magis aliter misericordiam universis hominibus declaraverit, quando filius Dei factus est filius hominis, ut inveniretur ab iis, qui non quaerebant, et appareret iis, qui eum non interrogabant* ».

Tum aliquot interiectis infert: « Restat igitur, ut primum solummodo gratiae genus omnibus temporibus, omni-

(1) Quibus non obscure duo innuit Quesnellus: I: interiorem gratiam, Augustino et Prospero auctoribus, *non universalem* esse sed *particularem*: et II. talem esse, quae *numquam* a bono opere, cuius caussa confertur, libera voluntatis dissensione seiungatur. Quantopere autem a vero utrumque dissideat, eruditos theologos non latet.

(2) Diss. cit. §. XXVIII.

bus* populis, omnibus et singulis hominibus commune proprie dixerit auctor noster: caeli, inquam, et terrae testimonia, elementorum obsequia et famulatum, totius denique mundi pulchritudinem et ornatum, quibus gratiae nomen tribuere, scriptoris est primum integri hominis statum, non praesentem lapsi conditionem contemplantis; sufficientiam vero ad salutem largiri exteriori huiusmodi gratiae, non est nisi hominis pelagiana lue infecti ».

LIV.

Quam ego sentiendi opinandique rationem dum considero, neque mirari satis possum incredibilem *praeiudiciorum* vim, neque a me ipso impetrare ut credam, Quesnellum etsi perdite iansenianum, eruditum tamen ac sagacem non vidisse, quantopere aliena a vero essent, quae *de universali gratia* ab auctore operis *de vocatione* asserta suis persuadere lectoribus moliebatur.

Ut enim I. *ab hypothesibus* auspicer, quibus ipse fidit, totamque disputationis molem superstruit, hae sunt omnino duae, quarum altera est, Augustino et Prospero non aliam fuisse probatam universalem gratiam nisi externam; altera vero, utrumque docuisse, dotem esse, insitumque verae interiorisque gratiae characterem, ut ea numquam bono opere careat, cuius intuitu divinitus erogatur. Hasce hypotheses Quesnellus urget, iisque innixus contendit, istam unam patere viam, auctorem operis *de vocatione* cum Augustino et Prospero conciliandi, si dicatur non alia ab eo admissa universalis gratia, quam externa, quaeque testimonio universitatis rerum contineatur. Quod deinde (1) aliquot productis eiusdem locis illustrare pergit.

At vero cuiusmodi est utraque hypothesis, certa ne, probabilis, an contra fallax prorsus et a veritate devia? non ero prolixus, neque de incidente quaestione pluribus disputabo; advertam tamen quod sufficere potest, insignes plane

(1) Diss. cit. §. XXVIII. ubi ea refert, quae auctor *de vocat.* scribit. lib. II. capp. IV—X—XIV—XVII—XXXI.

theologos (1) Dionysium Petavium, Ioannem Martinez de Ripalda (2), Iosephum Tricassinum (3), Alphonsum Le Moyne (4), Scipionem Maffeium (5), Bernardum Desirant (6) et (7) Ioannem Leporcq decretoriis argumentis comprobasse, inter vindices gratiae universalis interioris Augustinum et Prosperum eminere, nullumque doctrinae caput ab utriusque sententia magis abhorrere quam illud, quod Quesnellus ipsis affingit: omnem Christi Salvatoris interiorem gratiam cum eo semper opere coniungi, ad quod movet et praeparat.

Certe auctor *de vocatione* quum (8) alia, tum ista habet (9) sane luculentissima: « Hanc abundantiorem gratiam ita credimus benignam, ut nullo modo arbitremur esse violentam, quod quidquid in salvandis hominibus agitur, *ex sola Dei voluntate* peragatur, quum etiam ipsis parvulis per alienae voluntatis subveniatur obsequium. Gratia quidem Dei illa in omni iustificatione *principaliter praeeminet*, suadendo exhortationibus, monendo exemplis, terrendo periculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando et fidei affectionibus imbuendo; sed etiam *voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur*, quae ad hoc praedictis est excitata praesidiis, *ut divino in se cooperetur operi*, et incipiat exercere ad meritum, quod de supremo semine concepit ad studium; de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiae opitulatione si proficit. Quae opi-

(1) De Deo lib. X.

(2) De ente supernat. T. II. disput. CXI.

(3) De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data.

(4) De dono orandi, sive de gratia ad orandum sufficiente, cap. II.

(5) Hist. Theolog. de gratia, lib XVI.

(6) In opere inscripto, s. Augustinus vindicatus contra centum et unam damnatas Paschasii Quesnelli propositiones.

(7) In opere, cui titulum fecit, Les sentimens de saint Augustin sur la grace opposez a ceux de Iansenius.

(8) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. XXVI. col. 238.

(9) De vocat. omnium gent. lib. II. capp. XV—XXIII—XXVIII, quae testimonia egregie explanant Ballerinii in observatt. ad diss. II. Quesnelli, §. III. nn. XXII—XXV.

tulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur: *et quod a multis refutatur*, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur, *et gratiae est divinae et voluntatis humanae.* Sive igitur initia, sive profectus fidelium, sive usque in finem perseverantiam cogitemus, nullum genus, nulla species cuiusquam virtutis occurret, quae *vel sine dono divinae gratiae, vel sine consensu nostrae voluntatis habeatur.* Ipsa enim gratia hoc omni genere medendi atque auxiliandi agit, ut in eo quem vocat, *primum sibi receptionem et famulam donorum suorum praeparet voluntatem.* Nam virtus nolentium nulla est, nec potest asseri vel fidem, vel spem, vel caritatem eis inesse, quorum ab his bonus consensus alienus est ».

Qui quidem si alienus esse non posset, immo alienus frequenter non esset; *nemo unquam*, pergit (1) auctor, *fidelium recessisset a fide, neminem concupiscentia vinceret, neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius patientia frangeretur, et collatam sibi gratiam nemo negligeret.* Tanta est in omnes Dei bonitas, tantaque misericordiae praesidia, quibus omnes et praevenit et iuvat. *Sed* (2) *quia* propter insitam voluntatis mutabilitatem *haec possunt fieri, et in consensum talium tentationum facilis nimium proclivisque descensio est, numquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua apostolis* (3) *dicitur: vigilate et orate, ne intretis in tentationem.*

Igitur quum utraque a Quesnello praesumpta hypothesis a rei veritate quam vehementissime discrepet; expeditum est arbitrari, quid *de thesi* censendum sit, qua *externam* esse docet eam gratiam, cuius perennem universalitatem auctor *de vocatione* confirmat.

LV.

Ad haec II. non uno alterove ex loco, sed ex universo opere *de vocatione* intelligimus, illius auctorem non pela-

(1) Ibid. cap. XXVIII. col. 240.
(2) Ibid.
(3) Matth. XXVI. 41.

gianis magis quam semipelagianis fuisse infensissimum. Nulla enim horum thesis in medium proferri potest, cuius ipse antithesim non statuerit ac diligentissime vindicaverit. Sint haec speciminis instar.

Inter (1) *voluntatem et gratiam Dei quorumdam non sana discretio est , existimantium quod praedicatione gratiae liberum negetur arbitrium , nec advertentium eadem regula sibi posse obiici , quod gratiam negent , quum eam humanae voluntatis non ducem volunt esse sed comitem. Si enim tollitur voluntas, nisi ipsa est verarum origo virtutum; tollitur gratia, nisi ipsa est bonorum caussa meritorum.*

Bona (2) *voluntas omnium virtutum germen est primum , quae innixa origini suae , in illa aeterna et incommutabili voluntate requiescit, ut vere sit* (3) *spiritualis : quoniam* (4) qui adhaeret Deo, unus spiritus est, *dum per communionem illuminantis et illuminati, iustificantis et iustificati , regentis et subditi, omnis actio ad unum refertur; et quod ad unum refertur, utriusque est: quia nec a Deo alienari potest quod dedit, nec ab homine quod accepit.*

Non ergo (5) *fidat viribus suis* humana natura, *quae etiam quum essent integrae , non steterunt ; sed per illum quaerat victoriam , qui solus non est victus , et omnibus vicit : et si quaerit, non dubitet quaerendi affectum ab illo se accepisse , quem quaerit. Nec quia Spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium non habere, quod ne tunc quidem perdidit , quando diabolo voluntate se dedit, a quo* (6) *iudicium voluntatis depravatum est, non ablatum.*

(1) Ibid. lib. I. cap. I. col. 168.

(2) Ibid. cap. VI. col. 173.

(3) A qua spirituali voluntate capitibus III. et IV. eiusdem libri, *sensualem animalemque* conditionem secernit.

(4) I. Cor. VI. 17.

(5) De vocat. omnium gent. lib. I, cap. VIII. coll. 174—175.

(6) Quo pacto cum his cohaereat quod Enchirid. cap. XXX. scribit Augustinus, *libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum* ; multis explanatum habes in annotationibus Ioh. Baptistae Faure , quas nos primum integras edidimus et auximus.

Homo (1) *mortalis damnata in Adam origine carnaliter natus, ad spiritualem novi generis dignitatem, nisi Spiritu sancto regente, non pervenit. Sed nec ullo hanc desiderio appetit, qui calorem ipsius desiderii non accepit a Deo.*

Nec (2) *docti, nec indocti, cuiuslibet stirpis aut ordinis, humana ad Deum ratione ducuntur; sed omnis homo, qui ad Deum convertitur, Dei primum gratia commovetur. Non enim ipse sibi lumen est, nec cor suum radio propriae lucis accendit. Si enim beatus Ioannes, quo nemo hominum maior natus est,* non erat lumen, *quia non suo splendore lucebat; sed de illo* (3) vero lumine, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, *ut lux esset, acceperat; quis ille erit, qui . . . sola voce extrinsecus sonante doctoris hoc tantum de gratia habeat, quod audivit, et totum de voluntate, quod credidit? quod si ita esset, nihil inter gratiam legemque distaret, nec indulgentiae quemquam spiritus vivificaret, si occidens littera permaneret.*

Omnibus (4) *hominibus cuiuslibet gentis et generis, cuiuslibet conditionis et aetatis, caussa percipiendae gratiae voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est, ab ea gratia incipientibus meritis, quam accepere sine meritis.*

Testimoniis Scripturarum manifestissime (5) patet, *omne hominis bonum meritum ab initio fidei usque ad perseverantiae consummationem, donum atque opus esse divinum.*

Abunde (6), *quantum arbitror, his testimoniis demonstratum est, fidem qua iustificatur impius, nisi ex Dei munere non haberi, eamque nullis meritis praecedentibus tribui, sed ad hoc donari, ut principium possit esse meritorum; et quum ipsa data fuerit non petita, ipsius iam petitionibus bona cetera conferantur.*

Iamvero credi ne facile potest, *ecclesiarum magistrum*, et pelagianorum iuxta ac semipelagianorum egregium debella-

(1) De vocat. omnium gent. lib. I. cap. VIII. col. 175.
(2) Ibid. col. 176.
(3) Ioh. I. 8—9.
(4) Ibid. cap. XVIII. col. 193.
(5) Ibid. cap. XXIII. col. 198.
(6) Ibid. cap. XXIV. col. 201

torem in illud ipsum offendisse capitale flagitium, quod tantam in eos totius catholici nominis conflavit invidiam, et quo factum est, ut iidem haereticorum numero censerentur? videlicet non modo id non est creditu facile, sed credi omnino non potest. Atqui nihil ex historia (1) utriusque sectae manifestius, quam inter graviora ab iis contracta flagitia commemorari illud oportere, quo pelagiani non minus quam semipelagiani sinceram gratiae indolem perverterunt, ac eiusdem appellatione a biblico ecclesiasticoque sensu detorta, multiplicem exteriorem doctrinam institutionemque vel ad consequendam salutem, vel ad credendum necessariam significarunt.

Qua de re (2) testes sunt locupletes synodi in Africa atque in Galliis celebratae, romani Pontifices (3) Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, Sixtus, Leo, et Gelasius, tum quotquot seculis quinto et consequentibus pro re catholica adversus utramque sectam editis operibus decertarunt. Horum namque omnium concors vox fuit ac sententia, posse quidem (4) *legem, doctrinam, ceteraque externa Dei prae-*

(1) Vide quae narrant Vossius Hist. Pelag. lib. III. part. II., Garnerius diss. VII. *de ortu et incrementis haeresis, quae a Pelagio nomen accepit*, ad calcem opp. Marii Mercatoris, pagg. 393. seqq., et Scipio Maffeius Hist. Theolog. de gratia, lib. VII. §. XI. et lib. VIII. §. VI.

(2) Horum gesta ac sententias describit Vossius Hist. Pelag. lib. I. capp. XL. seqq.

(3) De his consule quae referunt Vossius l. c. capp. XXVII. seqq., et Garnerius diss. IV. *de subscriptionibus exactis in causa pelagianorum.*

(4) Hoc prae ceteris docent Augustinus de Spirit. et lit. capp. III—XXIX—XXXIV, de grat. Christi, cap. VII., con. duas epist. pelag. lib. III. cap. VII, de peccat. orig. cap. XXII., de grat. et lib. arbitrio capp. XI—XII, Prosper con. Collatorem, cap. XIV, et Gregorius in Ezech. Hom. XII. Unde pronum est inferre, quid statui debeat de hac Quesnelli propositione, quae est numero tertia: *in vanum, Domine, praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.* Etenim, subdit Desiderant lib. III. in III. proposit. damnatam, cap. III. « non in vanum, sed misericorditer, et quantum in ipso est, utiliter Dominus praecipit, quamquam non semper det quod praecipit. Praecipiendo enim monet facere quod possis, petere, quod non possis, et adiuvat ut possis; quamquam quia monenti et adiuvanti resistis, deserentem Deus ex iustitia deserit,

sidia nobilissimo gratiae nomine insigniri : immo (1) *ipsam* quoque *naturam* ac *liberum arbitrium* eodem donari nomine fas esse; ad normam tamen catholicae professionis opus praeterea esse confiteri, *nihil* ad salutem quod attinet praestari ab hominibus posse, *nisi interior accesserit doctrina, ac Dei Spiritus in nobis operetur et velle.* « Haec gratia, inquit (2) Augustinus, si *doctrina* dicenda est, certe sic dicatur, ut altius et *interius* eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos qui plantant et rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultius, ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impendat caritatem ». Quod quidem (3) « excedit humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, neque omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem ». Quae (4) *sola cathedram habet in caelis, et veritatem docet interius.* Quare (5) « firmissime tenendum, et nullatenus dubitandum est, posse quidem hominem, quem neque ignorantia litterarum, neque aliqua prohibet imbecillitas vel adversitas, verba sanctae legis et evangelii sive legere, sive ex ore cuiusquam praedicatoris audire; sed divinis mandatis obedire neminem posse, nisi quem divina gratia praevenerit, ut quod audit corpore, corde etiam percipiat, et accepta divinitus voluntate atque virtute, mandata Dei facere et velit et possit ». Ideo enim apud Iohannem (6) de Spiritu sancto scriptum est, *ille vos docebit omnia*, quia, subdit (7) Thomas, *quaecumque homo doceat extra, nisi Spiritus sanctus interius det intelligentiam, frustra laborat: quia nisi Spiritus adsit cordi audientis, otiosus erit sermo doctoris.*

nec dat quod praecipit ; et ideo Apostolus II. Cor. VI. 1. dicit : *adiuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* ».

(1) Quo nomine haec munera donari posse scribunt Hieronymus in epist. ad Cyprianum de interpretat. Ps. XCIX, Augustinus in Ps. CXLIV, et africani patres in litteris ad Innocentium I. datis.

(2) De grat. Christi, cap. XIII.

(3) In Ioh. tract. LXXX.

(4) De magistro, cap. XXIX.

(5) Fulgentius de fide ad Petrum, cap. XXXII.

(6) Ioh. XIV.

(7) Lect. VI. in l. c.

Quid igitur colligi oporteret, si permissa Quesnelli hypothesi, non aliam universalem gratiam praeter externam ab auctore operis *de vocatione* admissam defensamque concederemus? colligi oporteret, vel sermonem ipsi non fuisse de gratia, quae necesssaria sit ac sufficiens ad suscipiendam fidem, comparandamque salutem, vel cum pelagianis et semipelagianis in potestate subiecta gratiae vocabulo collusisse. Sed hoc alterum nemo nisi contra omnem probabilitatis speciem suspicetur; illud vero ad omnem operis paginam luculentissime refutatur. Ad omnem siquidem operis paginam repetitur, *de ea universali gratia* sermonem esse, quam *ideo Deus semper ac omnibus prorsus hominibus* erogavit, *quod semper ac omnium prorsus hominum salutem* sincerissime voluerit. Falsa est igitur Quesnelli hypothesis, neque affirmari ullatenus potest, universalem gratiam ab auctore operis de vocatione defensam eorum auxiliorum ambitu circumscribi, quae exterius dumtaxat instruunt, exteriusque opitulantur.

LVI.

Et re sane vera III. consideretur operis σκοπος, et animus ad id advertatur, quod sibi illius auctor proposuit, quodque constitutum voluit ac explanatum. De huiusmodi proposito constat aperte quum (1) ex ipsius operis initio, ac iis (2), quibus alterum librum auspicatur, tum ex iis (3), quae tertio repetit, scribens: » Quod itaque in principio secundi huius voluminis insinuavimus, hoc nunc iterum commendamus, ut quum de gratiae profunditate et altitudine disputatur, tribus illis saluberrimis et veracissimis definitionibus simus innixi; quarum una profitetur, aeternum et proprium divinae esse bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit, et in agnitionem veritatis venire. Alia simul praedicat, omnem hominem qui salvus fit, quique in agnitionem veritatis venit, Dei auxilio iuvari et regi, utque (4) in fide,

(1) De vocat. omnium gent. lib. I. coll. 167—168.
(2) Ibid. lib. II. cap. 1. col. 211.
(3) Ibid. cap. XXX. col. 243.
(4) Galat. V. 6.

quae per dilectionem operatur, permaneat, custodiri. Tertia vero temperanter et sobrie protestatur, non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem, et multas divinorum operum causas ab humana intelligentia esse subductas, ut quum in temporibus, in nationibus, in familiis, in parvulis, in nondum natis et geminis quaedam aut varie aut insigniter gesta noscuntur, non ambigamus ea ex illis esse, quae iustus et misericors Deus in hoc transituro saeculo noluit sciri. Quod quidem ad utilitatem nostram dispositum sentiendum est: ut, quoniam (1) spe salvi facti sumus, quibus (2) praeparavit Deus quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; sicut constanter credimus videndum, quod nondum videmus; ita patienter exspectemus intelligendum, quod nondum intelligimus. Si ergo cesset insidiosa malignitas, si insolens praesumptio conquiescat, his recte, ut arbitror, pertractatis, nullius superest caussa certaminis, neque ultra necesse est, nos interminabilibus quaestionibus occupari ».

Gratia itaque, quam Deus singulis aetatibus, singulisque hominibus constanter impertivit, effectus instar haberi debet illius voluntatis, qua ipsemet semper voluit omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, quaeque suam ex eo originem ducit, quod divinae bonitatis proprium est. Unde e vestigio (3) auctor subdit, se dedisse operam « quantum Dominus adiuvit, ut non solum in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retro saeculis probaretur, gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari et bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus (4) ait, *salvator omnium hominum, maxime fidelium* ».

Age vero, ac tecum ipse iudica, fas ne sit arbitrari, ex hac universali salutifera voluntate ac bonitate generali non alias in omnes homines profectas esse gratias, nisi quae

(1) Rom. VIII. 24.
(2) I. Cor. II. 9.
(3) De vocat. omnium gent. lib. II, cap. XXXI. coll. 243—244.
(4) I. Tim. IV. 10.

exterius dumtaxat erudirent, externamque dumtaxat opem suppeditarent: neque ex hoc fonte divinae voluntatis, qua Deus omnium cupit procuratque salutem, non alias defluxisse aquas, nisi quae irrigarent extrinsecus, incrementum vero intrinsecum non afferent. Si res ita se haberent, neque effectus caussae, neque fonti responderent rivi, neque voluntas salutaris censeri sincera posset, neque Deus praedicari salvator omnium hominum, maxime fidelium. Externa enim praesidia etsi plurima, etsi splendidissima, non sunt tamen eiusmodi, quae vel hominem a necessitate eximant pereundi, vel facultatem illi tribuant obtinendae salutis.

Concludamus igitur necesse est, universalem gratiam ab auctore operis *de vocatione* defensam, utpote effectum salutiferae voluntatis, et rivum ex fonte divinae generalis bonitatis permanantem, gratiam esse non solum externam, verum etiam internam, et qua Deus suo lumine omnium mentes illustrat, omniumque voluntates suo igne succendit.

LVII.

Cuius consequutionis veritati IV. minime argumentum obest, quo (1) Quesnellus abutitur, quodque ex hisce (2) ac similibus (3) auctoris verbis mutuatur: « Sive novissima contemplemur saecula, seu prima, seu media, rationabiliter et pie creditur, omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse; *et hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis, quae providentia Dei universis generationibus communiter atque indifferenter impendit.* Fuerunt enim ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quaerendum verum Deum possent homines adiuvari: quibus donis auctorem suum per omnia saecula protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est. Quae licet copiosius nunc quam antea praestetur, caussas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit, et intra secretum potentissimae voluntatis occuluit ».

(1) Diss. II. de auctore librorum de vocat. omnium gentium, §. XXVIII.
(2) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. XXV. coll. 237—238.
(3) Ibid. lib. II. capp. IV—X.

En, subdit (1) Quesnellus, quam auctor laudet gratiam universalem? illam ipsam, quae ab externis divinis testimoniis non secernitur, quamque Paulus (2) commemorat, inquiens: « Et quidem non sine testimonio semetipsum (Deus) reliquit benefaciens de caelo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et laetitia corda nostra ». Caelum quippe ac terra, uti noster auctor (3) docet « et mare, omnisque creatura, quae videri ac intelligi potest, ad hanc praecipue disposita est humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris: *implente omnia Spiritu Dei*, in quo vivimus, movemur et sumus ».

Sed plura succurrunt, quae a Quesnello postulem, et quibus ostendam, vehementer ipsum in enarranda sententia auctoris *de vocatione* a veritate descivisse. Principio namque postulo, rite ne omnia expenderit verba, quibus auctor utitur, et quibus quum universalem Dei salutiferam voluntatem, tum universalia beneficia commendat, quae providentia Dei universis *generationibus communiter atque indifferenter impendit*? non puto, si enim singula, quemadmodum par erat, expendisset, ista quoque adnotasset: *quibus donis* (externis) *auctorem suum per omnia saecula protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est.* Tum ista adnotasset quae illico consequuntur: *quae* (specialis gratia) *licet copiosius nunc quam antea praestetur, caussas tamen distributionum suarum Dominus apud scientiam suam tenuit.* Neque ista praetermisisset: *implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur et sumus.* Vidisset nimirum non ita efferri exteriorum beneficiorum amplitudinem, ut ab iis interioris gratiae munera seiungantur. Vidisset hanc arctissimam coniunctionem significari formulis, quibus auctor tradit, vel externis beneficiis specialis gratiae largitatem fuisse superfusam, vel minori quidem ubertate, copia tamen aliqua specialem gratiam sem-

(1) L. c.
(2) Actt. XIV. 16.
(3) Lib. II. cap. IV. coll. 214—215.

per fuisse tributam, vel externis donis ita Dei Spiritum adesse, ut illa sua virtute repleat, salutariaque efficiat. Vidisset propterea ex hac arctissima coniunctione deduci, non minus externa dona universalia, quam specialem gratiam universalem ab auctore, in cuius mentem inquirimus, proponi, argumentisque comprobari.

LVIII.

Praeterea haec sunt eiusdem verba, quum de externo beneficio universalis praedicationis (1) sermonem habet: « Quum igitur verbum Dei per ministerium praedicantium auribus carnis infertur, *miscetur operatio potentiae divinae cum sono vocis humanae*; et qui incitavit evangelizantis officium, audientis quoque firmavit (2) affectum. Dulcescit animae cibus verbi, veteres tenebrae nova luce pelluntur, et *obtutus interior* caligine antiqui erroris exuitur: transit animus de voluntate in voluntatem: et si illa quae pellitur, aliqua cunctatione remoratur; ea tamen quae gignitur, electiora quaeque sibi vindicat, ut lex peccati, et lex Dei diversas atque discretas in eodem homine habeant mansiones: et (3) *concupiscente carne adversus spiritum, carnis autem concupiscentiis spiritu repugnante*, per exteriora quidem insidiari tentator audeat, sed mens auxilio Dei munita praevaleat. Ad magnam (4) enim utilitatem fidelium materia est reservata certaminum; ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas ».

De iis vero disserens (5), quae conditionem novae creaturae comitantur, ait: « Proprium ergo hoc habet nova

(1) Lib. I. cap. VIII. coll. 177.

(2) Quae est lectio potior duabus sequentibus, *format, formavit*.

(3) Gal. V. 17.

(4) Haec verba, quae tridentini patres imitati sunt, referuntur a Gelasio Pontifice in opusculo adversus pelagianos, atque hoc plane elogio: « Sicut *quidam magister ecclesiae* sapienter edocuit, dicens: *ad magnam enim utilitatem fidelium* », et quae sequuntur.

(5) Lib. I. cap. XXIII. col. 201.

creatura per gratiam, ut qui figmentum (1) Dei sunt, qui nativitate caelesti conduntur in Christo, non otio torpeant, nec desidia resolvantur, sed de virtute in virtutem per viam bonorum operum ambulando proficiant : hoc est enim fingi, hoc de vetere creatura novam fieri, hoc de imagine terreni hominis ad imaginem caelestis hominis reformari. Quod totum, *sive palam per cooperatores gratiae, sive occulte per subministrationem spiritus*, ille inchoat, *ille auget et perficit, cuius agricultura, cuius aedificatio, et cuius figmentum sumus* ».

Talis itaque est ratio instituti divinitus ordinis, ut cum externo dono evangelicae praedicationis operatio misceatur divinae potentiae : cum sono qui auribus carnis infertur, affusa caelitus dulcedo conseratur, qua fingitur affectus, animusque transit de voluntate in voluntatem : et cum externis gratiae cooperatoribus ille opus inchoet, ille augeat, ille perficiat, qui suggerit incrementum. Inter externos autem gratiae cooperatores, inter dona externae praedicationis, inter sonos qui auribus carnis ad eruditionem inferuntur, auctor constanter (2) enumerat hinc quidem *caelum et terram omnemque creaturam*, *quae ad hanc praecipue disposita est hu-*

(1) Quo autem pacto *figmentum Dei* homines evadant, exquirit auctor lib. I. cap. VII. inquiens : « Heic tractandum videtur, utrum quum bonae voluntatis esse homo incipit, eadem quae in ipso erat, corrigatur voluntas ; *an alia* ei, quam non habebat, et quae priori repugnet, *indatur*. Quod ut evidentius appareat, altius id non pigeat inquirere ». Quam indaginem exequitur originali labe descripta, eiusque in universam posteritatem propagatione, qua factum est, ut homo *non voluntate, sed voluntatis sanitate privaretur*. « Quae enim natura erat bona, qualitate facta est mala : et ille animi motus, qui numquam potest sine aliquo esse amore, hoc est, sine aliqua voluntate, non perdidit appetitum, sed mutavit affectum; id recipiens desiderio, quod debuit refutare iudicio. Quum igitur homo ad pietatem redit, de quo dictum est, *spiritus vadens et non rediens*, quia nisi illum Deus converteret, non rediret, quum fit novum figmentum novaque creatura, *non alia in eo creatur substantia, sed eadem quae fuerat labefactata, reparatur: nec aliud ab eo aufertur, nisi vitium quod natura non habuit* ». Quae sane multo sunt iis commodiora, quae postremis hisce annis itàlus scriptor typis evulgavit.

(2) Vix enim unum alterumve legas caput, quo id inculcatum non reperias.

mani generis utilitatem, ut natura rationalis ad cultum et dilectionem sui imbueretur auctoris; inde vero *ipsam totius mundi inenarrabilem pulchritudinem, et inenarrabilem beneficiorum eius divitem et ordinatam largitionem, per quae humanis cordibus quaedam aeternae legis tabulae praebebantur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis et publica divinae institutionis doctrina legeretur.* Adeo ut (1) homines universi *propheticas voces et praecepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse.*

Sin minus igitur ex ipsis rerum naturis, ex praestituto certe providentiae ordine, qui ordo est (2) reformationis, consequitur, universalem exteriorum donorum amplitudinem cum universali amplitudine specialis gratiae cohaerere, neque posse illam universalem censeri, quin specialis quoque gratia omnibus tributa hominibus existimetur.

Quo ex ordine repeti et illud debet, quod auctor (3) scribit: *etsi longe sit a peccatoribus salus, praesentia tamen salutis ipsius ac virtute nihil vacuum esse;* tum quod (4) addit: *exteriorum donorum testimonio ad quaerendum verum Deum potuisse homines adiuvari.* Sed (5) quisquis Deum, uti oportet, *quaerit, dubitare non debet quaerendi affectum ab illo se accepisse quem quaerit.* Quo igitur pertinet quod dicitur, *exteriorum donorum testimonio ad quaerendum verum Deum potuisse homines adiuvari?* eo pertinet ut intelligamus, cum

(1) Lib. II. cap. V.

(2) De hoc ordine, eoque universalis *reformationis* egregie disserit Augustinus in Enchiridio, capitibus XXVIII—XXIX., atque ex eo Bernardus Desirant lib. I. in primam Quesnelli propositionem.

(3) Lib. II. cap. IV.

(4) Ibid. cap, XXV. Atqui capite XVII. de iis loquens gentibus, quibus nondum *gratia Salvatoris* in evangelio proposita illuxit, scribit: « Quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quae desuper omnibus semper hominibus est praebita, non negatur; quamvis tam acerbo natura humana vulnere sauciata sit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio spontanea *plene* valeat erudire, nisi obumbrationem cordis vera lux discusserit, quam inscrutabili iudicio Deus iustus et bonus, non ita in praeteritis saeculis, quemadmodum in novissimis diebus effudit ».

(5) Ibid. lib. I. cap. VIII.

externo publicoque testimonio internum secretumque coniungi.

LIX.

De qua intima coniunctione tot tamque insignia apud patres universim omnes testimonia leguntur, ut haberi ea debeat inter theoremata, quae concordi traditionis suffragio stabiliuntur. Illa prae ceteris collegere Ripalda (1), Le Moyne (2), Tricassinus (3) ac ipse quoque (4) Nicolius, licet iansenianae factioni addictissimus, ac nulli inter iansenianos secundus. In ea namque tractatione, quam inscripsit *de gratia generali*, prolatis Iustini, Lactantii, Eusebii caesariensis, Athanasii, Basilii, Hilarii, Ambrosii, Hieronymi et Bernardi perspicuis disertisque sententiis, concludit : in praesenti reparatae elevataeque humanae naturae ordine ab externis donorum praesidiis interiora gratiae auxilia numquam divelli.

Ad rem (5) Augustinus : « Quum ubique sit praesens, qui multis modis per *creaturam sibi Domino servientem* aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere quod ignoras; nec illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis ». Longanimis est enim ac multum misericors « et ideo (6) vocat undique ad correctionem, vocat undique ad poenitentiam, *vocat beneficiis creaturae*, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per misericordiam consolationis ». Omnia namque (7) caelestia terrestriaque « dicunt mihi ut te amem,

(1) De ente supernat. lib. I. disput. XX.

(2) De dono orandi, cap. I. §§. 9. seqq.

(3) De necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data, Part. II. sect. II.

(4) Traité de la grace generale, seconde partie, chap. III.

(5) De lib. arbitr. lib. III. cap. XIX.

(6) In Ps. CII.

(7) Confess. lib. X. cap. VIII.

nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles ». Quod si (1) nemo ad te venit, nisi trahatur, ac homines quocumque modo veniunt, attrahuntur: « trahit ad te *contemplatio elementorum*, omnium, quae in eis sunt, ordinatissima pulchritudo; invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Trahit rerum gestarum cognitio, et divinorum operum caelaturae animum audientis inflammant, narrantes laudes Domini et virtutem eius ».

Conserta sunt igitur externa internaque dona, neque Deus illudit hominibus, sed quibus praecipit (2) exterius, eisdem gratiam infundit interius, qua quaerant praecipientis auxilium: et quos vocibus creaturarum appellat, eosdem et illuminat et accendit: « siquidem voces docentium et litterae paginarum, quae vel ad eruditionem audientium vel legentium *Deo serviunt, non carent eius virtute cui serviunt*, et quando id quod iubetur, ab obediente perficitur, tunc effectus divini operis declaratur ».

Hinc recepta in Scripturis loquendi ratio, sive ea, qua (3) dicitur, *lex Domini immaculata convertens animas, vos mundi estis propter sermonem*, ac rursum, *renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi et permanentis in aeternum*: sive ea, qua (4) de verbi ministris affirmatur, *eorum opera multos iustificari* et *salvari*, atque adeo ipsos esse *salvatores*. Quorsum enim haec? tanta ne est virtus verbi, et ministrorum verbi, quae possit iustificare, convertere, mundare, salvare? nihil minus, si ex sese ac ὀντως spectetur; sed nihil certum magis, si ad selectum divinitus providentiae ordinem referatur.

Comparate enim ad hunc ordinem externa salutis praesidia non sunt vacua, sed plena illius Spiritu, qui ea instituit, ac ut adhiberentur praecepit: sunt veluti symbola sa-

(1) Prosper con. Collat. cap. XIV.

(2) Ibid. capp. IV—IX. et epist. ad Demetriadem.

(3) Ps. XVIII. 8, Ioh. XV. 3. I. Petr. I. 23.

(4) Daniel. XII. 3, I. Tim. IV. 16, Iacob. V. 20, Actt. XXVI. 18, Rom. XI 14. Obad. v. 21.

cramentalia, quae id interius complectuntur, quod exterius praeferunt ac significant.

Atque hanc illorum vim aut non perspexit, aut dissimulavit Quesnellus: ea vero aut ignorata aut dissimulata contendit, non internam, sed externam esse gratiam, cuius amplitudinem universalem auctor operis *de vocatione* tanto studio asserendam illustrandamque suscepit. Atqui erat cur contra deduceret, cum universali amplitudine gratiae externae similem specialis gratiae amplitudinem copulari, atque illius propterea assertorem, huius quoque vindicem credi oportere.

LX.

Praesertim quum V. in anonymi opere diserta non desint testimonia, quae amplitudinem universalem ad internam specialemque referri gratiam ostendunt. His enim (1) praemissis: « Neque ob hoc excusabiles sunt nationes, quae (2) *alienatae a conversatione Israel, spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo*, sub ignorantiae tenebris perierunt, quia haec abundantia gratiae quae nunc universum mundum rigat, pari antea largitate non fluxit »: continuo (3) pergit: « Adhibita enim *semper* est *universis* hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris occultiorisque gratiae fuit, suffecit tamen, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium; ut non dubie sed evidenter appareat, quod nisi (4) *ubi abundavit peccatum, superabundaret et gratia*, nunc quoque universum genus humanum similis obcaecaret impietas ».

Tum de generali disserens (5) gratia iis quoque tributa parvulis qui pereunt, scribit: « Sicut autem circa maiores praeter illam generalem gratiam parcius atque *occultius omnium hominum corda pulsantem*, excellentiore opere, largiore

(1) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. XIV. col. 226.
(2) Ibid. II. 12.
(3) Ibid. cap. XV. col. 226.
(4) Rom. V. 20.
(5) Ibid. cap. XIII. col. 236.

munere , potentiore virtute vocati specialis exseritur ; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifestatur electio. Quae quidem nec illis qui renati non sunt , in parentibus defuit; sed iis qui renati sunt, prae parentibus adfuit ».

Quum autem (1) probat , bonitatem Dei non modo sanctis, sed et impiis instituendis praesto fuisse ante diluvium, principio inquit : « Bonitas Dei ne illi quidem parti defuit, quae in caritate non stetit, et ab initio sui, veneno diabolici livoris intumuit. Principem enim gentis impiae , sancti fratris meritis invidentem, caedemque eius parricidali corde meditantem, dignatur Dominus paterno mitigare consilio, dicens (2) ad Cain ». Descriptis vero Domini verbis, subdit: « Quum ergo talia ad Cain loqueretur Deus, numquid ambiguum est voluisse eum, et quantum ad medendi modum sufficiebat, egisse , ut Cain ab illo impietatis furore resipisceret ? sed malitia pertinax inde facta est inexcusabilior , unde debuit esse correctior ».

Iamvero caeleste donum quod sit et coniunctim dicatur *superna doctrina*, *doctrina quae homines reddit inexcusabiles*, *parcior et occultior gratia* , *gratia quae parcius atque occultius corda hominum pulsat*, *gratia quae quantum ad medendi modum sufficit*, *et quibusdam revera ad remedium sufficit* , *gratia* demum *quam* Paulus *peccato opponit* , donum est *interius*, non *exterius*, quodque *aures et oculos cordis et non carnis aperit ac illuminat.* Atqui eiusmodi sunt proprietates, ac eiusmodi sunt notae , quibus anonymus rationem explicat illius doni, cuius excellentiam laudat , virtutemque commendat. Laudat ergo commendatque donum non externum sed interuum , et quo voluntas flectitur ac mens superno lumine perfunditur. De hoc autem ipso dono scribit, illud semper ac omnibus hominibus quadam fuisse mensura collatum proindeque donum esse ad tempus quod attinet , perenne , ad amplitudinem quod spectat , universale esse , cui et ratio et nomen competit *gratiae generalis.* Interior est igitur gratia, cuius amplitudinem universalem ,

(1) Ibid. cap. XIII. coll. 223-224.
(2) Gen. IV. 8. seqq.

temporisque perennitatem anonymus tuetur; adeo ut ex eiusdem sententia usurpari debeant Bernardi (1) verba : « Laborandum non esse, ut ad vocis huius perveniatur auditum, laborem esse potius aures obturare ne audias. Nimirum vox ipsa se offert, ipsa se ingerit, nec pulsare interim cessat ad ostia singulorum. Denique, *quadraginta annis proximus fui generationi huic , et dixi , semper hi errant , corde.* Adhuc proximus nobis est, et non est forte qui audiat ».

LXI.

Et fas profecto non erat VI aliam diversamque ab eo auctore exspectare doctrinam, qui sibi ostendendum confirmanmandumque proposuerat : *a*) amplitudinem universalem salutiferae voluntatis ex universali amplitudine divinorum munerum stabilire. « Rationabiliter (2) et pie creditur , omnes homines salvos fieri Deum velle, semperque voluisse; *et hoc non aliunde monstratur, quam de iis beneficiis , quae providentia Dei universis generationibus communiter atque indifferenter impendit* ».

Cui *b*) ratum erat, lectoribus persuadere, exitium hominumque ruinam proficisci non a Deo , qui sua munera neget , sed ab ipsis hominibus, qui illa aspernantur. « Quae (3) beneficia licet obduratis nihil remedii et emendationis attulerint, probant tamen aversionem eorum non divinae fuisse constitutionis , sed propriae voluntatis ». Et (4) rursum : « Quae gratiae opitulatio per innumeros modos, sive occultos , sive manifestos omnibus adhibetur ; et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiae; quod autem a multis suscipitur , et gratiae est divinae , et voluntatis humanae ». Tum (5) alibi, adductis Pauli (6) verbis, *invisibilia Dei per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, eos commemorat

(1) Serm. de convers. ad Cleri. cap. II.
(2) De vocat. omnium gent. lib. II. cap. XXV.
(3) Ibid. cap. XIII.
(4) Ibid. cap. XXVI.
(5) Ibid. lib. I. cap. IV.
(6) Rom. I. 20.

qui « non agentes gratias Deo, nec confitentes illum sibi esse huius facultatis auctorem, sed *dicentes se esse sapientes*, hoc est, non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad veritatis inspectionem suis studiis atque rationibus propinquassent, *evanuerunt in cogitationibus suis*: et quod illuminante Dei gratia invenerant, obcaecante superbia perdiderunt, relapsi a superna luce in tenebras suas, hoc est, ab incommutabili atque aeterno bono ad mutabilem corruptibilemque naturam ».

Qui *c*) in id incumbebat, ut ex universalibus donis testimonium peteret, quo et Dei in omnes homines bonitatem, et plurimorum hominum perversam voluntatem patefaceret. « Adhibita semper (1) est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae etsi parcioris occultiorisque gratiae fuit, *suffecit* tamen, sicut Dominus iudicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium ».

Qui tandem *d*) id habebat ob oculos, ut ostenderet, nihil generali gratiae ex sese defuisse, quo homines universi ad quaerendum, reperiendumque verum Deum iuvarentur. « Fuerunt enim (2) ac sunt huiusmodi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quaerendum verum Deum possent homines adiuvari; quibus donis auctorem suum per omnia saecula protestantibus, specialis gratiae largitas superfusa est ».

Quodnam vero est ex huismodi doctrinae capitibus, quod componi utcumque possit, sive 1) cum voluntate salutifera particulari; sive 2) cum internae gratiae donis, quae solum aliquibus tribuantur? ne unum quidem, quum singula postulent tam voluntatis salutiferae amplitudinem universalem, quam interiorem gratiam omnibus semper hominibus erogatam.

Doctrina igitur anonymi auctoris *de vocatione* huc redit: *a*) inesse Deo, tanta est nativa illius bonitas, voluntatem salutiferam universalem: *b*) fecundam hanc esse et actuosam, proindeque ex ea interioris exteriorisque gratiae munera dimanare, quibus universum hominum genus ad veri

(1) Ibid. lib. II. cap. XV.
(2) Ibid. lib. II. cap. XXV.

Numinis cognitionem, sincerum eiusdem cultum, sempiternaeque beatitatis consequutionem adiuvetur: unde c) nihil ab eius mente sententiaque vehementius abhorrere, quam ordinem divinae providentiae reformantis ac reparantis circumscriptum esse et particularem.

LXII.

Ab his vero nullatenus dissident, quibus Prosper (1) sinceram catholicae professionis doctrinam adversus quorumdam (2) calumniantium gallorum obiectiones circa annum CCCCXXXI strenue propugnavit. Illis namque (3) obicientibus, ex Augustini scitis sententiisque consequens esse, *quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum* numerum *praedestinatorum*; reponit (4) Prosper: «Si circa universitatem generis humani salvandam et in agnitionem veritatis vocandam, ita *indifferens* per omnia saecula asserenda est *voluntas Dei*, ut usquequaque *neminem hominum* praetermisisse monstretur; impenetrabilis iudiciorum Dei altitudo pulsatur. Quare enim (5) in praeteritis saeculis dimiserit Deus omnes gentes ingredi vias suas, quando Iacob elegit sibi Dominus, et non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis; et cur qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei sit, et quorum aliquando non misertus est, nunc autem misereatur; et ubi dictum est, non plebs mea vos, ibi vocentur filii Dei vivi; et quare quod quaerebat Israel, non sit consequutus, electio autem consequuta est, caeteri vero

(1) E qua Prosperi cum anonymo autore *de Vocatione Gentium* pulcherrima consensione quisque facile aestimet, quo iudicio quave aequitate Henricus Noris (Hist. Pelag. lib. II. cap. XIV. ideo libros *de Vocatione* Prospero abiudicaverit, quod huius doctrina de amplissimo gratiae fonte ab illius placitis summopere distet.

(2) Quinam hi fuerint, coniiciendo quaerit maurinus editor operum Prosperi in admonitione ad Prosperi pro Augustino responsionem ad capitula calumniantium gallorum, pagg. 115—116. edit. Venet. 1744.

(3) Capitul. VIII.

(4) Respons. ad capit. VIII. pagg. 121—122.

(5) Actt. XIV. 2. coll. Ps. CXXXIV. 4. CXLVII. 20, I. Petr. II. 10, Osee II. 24, Rom. IX. 26. et XI. 7.

excaecati sunt : *impossibile est comprehendere* et periculosae curiositatis est quaerere : quum tamen quod nulla sit (1) apud Deum iniquitas , nemini liceat ignorare : nec alia gratia , aut alia fide quemquam hominum sive ante legem , sive legis tempore iustificatum esse credendum sit , quam hac eadem , per quam Dominus noster Jesus Christus secundum consilium voluntatis suae in fine saeculorum venit quaerere et salvare (2) quod perierat. Caussas vero operum et iudiciorum Dei, qui ex toto (3) ad humanas voluntates et actiones refert , quas tamen in parvulorum adoptione (4) non invenit, et dispensationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari , profitetur sibi scrutabilia iudicia Dei , et vestigabiles vias eius : et quod doctor gentium Paulus (5) non audebat attingere, hic se existimat reseratum posse vulgare: quodque non minoris impietatis est , ipsam gratiam , qua salvamur , aut bonis meritis docet rependi, aut malis affirmat arceri.

Remoto ergo obscurarum turbine quaestionum , ad revelatae nos gratiae latitudinem conferamus , dicamusque (6)

(1) II. Paral. XIX. 7.

(2) Duplicem Christus a Patre accepit missionem , *primam* , *illamque Salvatoris* , de qua ipsemet ait Joh. XII. 47., *non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum*: *alteram, eamque Iudicis* de qua scriptum est Joh. V. 22., *neque enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.* Priori missioni respondet *universale beneficium* omnibus impensum hominibus, quos Pater Christo salvandos dedit: alteri autem missioni *beneficium* respondet *adiudicatae coronae*, illudque *particulare*, et ad eos solum pertinens qui medicinam Salvatoris non contempserint. Eleganter Augustinus in Joh. tract. LIV. n. 5 : « Audite quomodo dicit Filius, *ego non iudico eum,* quum dicat alio loco, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; nisi quia intelligendum est, *modo* non iudico eum. Quare non iudicat *modo* ? attende quid sequitur: *non enim veni, inquit, ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum,* idest, ut salvum faciam mundum. *Nunc* ergo est *tempus misericordiae* , *post* erit *iudicii* , quia *misericordiam et iudicium cantabo tibi* , Domine ».

(3) Petuntur his verbis pelagiani iuxta ac semipelagiani.

(4) Argumentum est hoc solemne apud orthodoxos quinti saeculi scriptores, quo *gratuitam* esse gratiam demonstrent.

(5) Rom. XI. 33.

(6) I. Tim. II. 4.

cum Apostolo, quoniam Deus *vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire.* Et iterum dicamus (1) cum Apostolo, *qui est salvator omnium, maxime fidelium.* Et audiamus Dominum dicentem (2) apostolis suis, *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Audiamus quoque (3) ad Abraham promissionem Dei dicentis, *in semine tuo benedicentur omnes tribus terrae:* et (4) si filii promissionis sumus, non haesitemus diffidentia, sed cum patre nostro Abraham demus gloriam Deo, et (5) plenissime credamus, *quoniam quod promisit, potens est et facere.* Audiamus (6) David prophetantem, *commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in cospectu eius omnes patriae gentium.* Et (7) alibi, *omnes gentes quascumque fecisti , venient et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.* Quae promissiones quia verissimae sunt , nec possunt ex ulla parte nutare, in his implentur qui salvi fiunt per universos fines terrae : quoniam (8) *quod promisit* Deus, *potens est et facere.*

Omnium ergo hominum cura est Deo, et nemo est, quem non aut evangelica praedicatio , aut legis testificatio , aut ipsa etiam natura conveniat. Sed (9) infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus : fidem autem hominum donum Dei esse fateamur, sine cuius gratia nemo currit ad gratiam. Et cum ducentis quatuordecim sacerdotibus, quorum constitutionem (10) contra inimicos gratiae Dei totus mundus amplexus est, veraci professione , quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus : *gratia Dei per Iesum Christum Domi-*

(1) I. Tim. IV. 10.
(2) Matth. XXVIII. 19.
(3) Gen. XXII. 18.
(4) Rom. IV. 20.
(5) Rom: IV. 21.
(6) Ps. XXI. 28.
(7) Ps. LXXXV. 9.
(8) Rom. IV. 21.
(9) His gemina scribit con. Collatorem, cap. V.
(10) Confer. Augustini epist, CCXV.

num, non solum ad cognoscendam, verum etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuvari; ita ut sine illa nihil verae sanctaeque pietatis cogitare, dicere, agere valeamus. Neque haec dona ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturae nostrae auctor est, per conditionem iam haec contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus. Unde alia creatione, alioque principio renovari egemus in Christo, in quo sumus nova creatura, novumque figmentum; et per quem nobis, nullis bonis, et multis malis meritis praecedentibus, donatur, ut simus ex vasis irae vasa misericordiae ».

Ea vero quae ἀγωνιστικῶς, certantisque ritu explanaverat, *in* (1) *brevia coarctans, ut sub paucorum verborum simplicitate magis magisque appareret,* ratum sibi esse, *absolute ac libere et prava respuere, et consensum probabilibus non negare;* obiectioni gallorum hanc sententiam (2) opponit: « Qui dicit, qnod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum praedestinatorum, durius loquitur, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiae Dei, qui (3) *omnes homines vult salvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire*; et voluntatis suae propositum (4) in eis implet, quos praescitos praedestinavit, praedestinatos vocavit, vocatos iustificavit, iustificatos glorificavit: nihil amittens de plenitudine gentium, et de omni semine Israel, cui praeparatum

(1) Prosper in iis quae praemittit ad *singulas sententias de singulis capitulis*, pag. 126.

(2) Sententia super capit. VIII. pagg. 126—127.

(3) I. Tim. II. 4.

(4) Hac loquendi ratione distinguit Prosper *voluntatem salvandi a proposito huius voluntatis implendae*, quod ipsa collata salute *finaliter* impletur. Et illam quidem *universalem* esse docet, ac eiusmodi, qua omnibus copia fit, ut Deo praeveniente et adiuvante possint obtinere salutem: istud vero *particulare* esse scribit, et ad eos unice circumscriptum, quos Deus *praescit* accepta divinitus facultate rite et constanter usuros. Quisque porro cernit sibi mutuo respondere, hinc *voluntatem* salvandi et voluntatem *primam* atque *antecedentem*, inde *illius implendae propositum* et *voluntatem secundam* ac *consequentem*.

est in Christo regnum aeternum ante constitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, et ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur. Nec potest ullo modo per infidelitatem atque inobedientiam multorum Dei promissio vacillare, dicentis (1) ad Abraham, *in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quod autem (2) *promisit Deus, potens est et facere :* ut et qui salvantur, ideo salvi sint, quia illos voluit Deus salvos fieri; et qui pereunt, ideo pereant, quia perire meruerunt ».

LXIII.

Quum vero ad eas excutiendas obiectiones accedit, quas *vincentianas* (3) dicit, et *ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia* (4) appellat; relata (5) obiectione, *quod Deus nolit omnes salvare, etiamsi omnes salvari velint,* illico (6) subdit: « Quum veritas (7) dicat, *si vos quum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis pater vester caelestis debit bona petentibus* se ? qui fieri potest, ut Deus, qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest quod salvari velint, nolit aliquos salvare, etiamsi salvari velint; nisi aliquae caussae existant, de quibus, quamvis sint nobis incognoscibiles, ille tamen bene iudicat, de

(1) Gen. XXII. 18.

(2) Rom. IV. 21.

(3) Vossius Hist. Pelag. lib. I. cap. IX, Norisius Hist. Pelag. lib. II. cap. XI.. et Antalmius in diss. critica de veris operibus sanctorum patrum Leonis magni et Prosperi aquitani opinantur, Vincentium a quo *obiectiones vincentianae* nomen sortitae sunt, ipsissimum esse Vincentium lirinensem monachum, et celeberrimi *Commonitorii* auctorem. Sed nullis ad gignendam fidem coniecturis hanc opinionem fulciri, vidit iampridem Baronius, neque dissimulavit editor maurinus operum Prosperi in admonitione ad sancti Prosperi aquitani pro Augustini doctrina responsiones ad capitula obiectionum vincentianarum, pagg. 130—131.

(4) Praefat, in responsiones ad capitula obiect. vincent. pag. 131.

(5) Capit. II. pag. 133.

(6) Respons. ad capit. II. pag. 133.

(7) Matth. VII. 11.

quo dici non potest, aliter eum quidquam facere debuisse, quam fecerit?

Remota ergo hac discretione, quam divina scientia intra secretum iustitiae suae, continet, sincerissime credendum atque profitendum est, *Deum velle ut omnes homines salvi fiant*. Siquidem Apostolus, cuius (1) ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur: ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei iustitia est; ut autem reus iustificetur, ineffabilis Dei gratia est ».

Quare insequenti (2) obiectioni, *quod Deus maiorem partem generis humani ad hoc creet, ut illam perdat in aeternum*, ita (3) respondet: « Omnium quidem hominum creator est Deus, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut periret: quia alia est caussa nascendi, et alia est caussa pereundi. Ut enim nascantur homines, conditoris est beneficium; ut autem pereant, praevaricatoris est meritum. In Adam (4) quippe, in quo omnium hominum praeformata natura (5) est,

(1) I. Tim. II. 4.

(2) Capitul. III. pag. 133.

(3) Respons. ad capit. III. pag. 133.

(4) Rom. V. 12.

(5) Natura humana in protoparentibus expressa fuit *ad imaginem Dei*, quemadmodum Gen. I. 27. diserte legitur. Si ergo *praeformata* in ipsis fuit universa posteritas, in ipsis quoque, ad Deum quod attinet, dignitatem divinae imaginis consequuta est. Quae vero, quantaque sit huiusce imaginis dignitas, praeclare explicant quum auctor Sapientiae, cap. II. 23. inquiens, ὅτι ὁ θεος ἔκεσε τον ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσιᾳ, και τίκονα της ἰδιας αἰδιοτητος ἐποιησεν αὔτον; *Deum creasse hominem incorruptibilem, illumque imaginem effecisse suae aeternitatis*, tum Paulus qui Ephes. IV. 24. primum hominem dicit κατα θεον κτισθεντα ἐν δικαιοσυνῃ και ὁσιοτητι της ἀληθειας, *secundum Deum creatum in iustitia, veraque sanctitate*. Universa igitur hominum posteritas, si primum innatumque Dei consilium intuearis, id obtinuit, ut incorruptibilis foret, imaginem Divinae perennitatis referret, et iustitia veraque sanctimonia praefulgeret. At subire ne animum potest haec cogitatio, Deum ex sese non esse sincero amore prosequutum imaginem suam, quamque tantis collatis donis cognatam sibi reddidit?

omnes peccaverunt: eademque sententia, quam ille excepit, obstricti sunt. Neque ab hoc vinculo, etiamsi propriis peccatis careant, resolvuntur, nisi in sacramento mortis et resurrectionis Christi per Spiritum sanctum renascantur.

Nimis ergo impius et indoctus est, qui vitium naturae non discernit ab auctore naturae: a quo prorsus alienum est, quidquid in unoquoque damnandum est. Creat enim homines, ut sint homines; nec multiplicandis generationum successionibus opificium suum subtrahit, secundum consilium bonae voluntatis suae reparaturus (1) in multis, quod ipse fecit, puniturus in multis, quod ipse non fecit. *Sicut* (2) *enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius hominis obedientiam iusti constituuntur multi* ».

LXIV.

Has autem Prosperi insignes disputationes si qui simul considerent, ac in membra deinde dispescere studeant, facile, uti quidem arbitror, perspicient, in id egregium catholicae professionis vindicem principio incumbere, ut *duo* partim castiget, partim reprobet ac damnet. Illorum enim temeritatem castigat, qui impenetrabilem iudiciorum Dei altitudinem pulsant: qui indifferentem per omnia saecula asse-

(1) Tria distinguit in Enchiridio capp. XXVII—XXIX. Augustinus *massam damnatam*, quae ipsa est humana progenies labe originali obstricta; *massam reformatam*, et *massam reparatam*. Universa hominem progenies esse debuisset massa damnata, si erga homines eumdem ac erga angelos praevaricatores iustitiae ordinem Deus delegisset, et nisi suam indebitam misericordiam multo evidentius in indignorum potius liberatione monstrare decrevisset. Atqui hoc alterum decrevit, universamque massam *reformavit*, idest, a necessitate pereundi exemit, illique facultatem obtinendae *salutis* largitus est. Eam vero solum *reparavit* partem, de qua fore praevidit, ut beneficio reformationis rite uteretur. Quare hoc interest discriminis inter *reformationem* et *reparationem*, quod *a*) illa universalis est, haec particularis; illa *b*) ad voluntatem pertinet Dei salvatoris, haec ad voluntatem Dei iudicis refertur.

(2) Rom. V. 19.

rendam esse voluntatem Dei existimant, quique caussas variae multiplicisque adversus homines providentiae potiusquam suspiciant, curiosius liberiusque rimantur. At illos acerbius coarguit et severissime damnat, qui caussas operum et iudiciorum Dei ex toto ad humanas voluntates et actiones referunt: qui pelagiana aut semipelagiana lue infecti dispensationes Dei ex liberi arbitrii volunt mutabilitate variari: quique ipsam gratiam, qua salvamur, aut bonis meritis docent rependi aut malis affirmant arceri.

Via hoc pacto complanata, atque his e medio sublatis obstaculis, ex ordine tradit: I. *Durius eos loqui, quam loquendum est de altitudine inscrutabilis gratiae Dei, qui dicunt, quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed certum numerum praedestinatorum.*

Immo II. *sincerissime credendum atque profitendum esse* affirmat, *Deum velle, ut omnes homines salvi fiant.*

Quod III. tanta idcirco constantia retinendum esse subdit, *quia Apostolus, cuius ista sententia est, sollicitissime praecipit, quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur.*

Ne qui vero IV. esse locus dubitationi possit, qua amplitudine, ipso auctore, sumi debeat quod dicitur, *Deum velle omnes homines salvos fieri*, subdit, eosdem esse *omnes homines* apud Paulum, ac *omnes gentes* apud Matthaeum, *omnes tribus terrae* apud Mosem, *universos fines terrae, omnesque gentium patrias* apud Davidem. Docet nimirum *omnes homines* apud Paulum ita sumi infinite oportere, ut ne unus quidem a voluntate Dei salutifera exceptus censeatur.

Sed V. cuiusmodi est haec salutifera voluntas, quove ex fonte dimanat? ex fonte dimanat divinae benignitatis; *si enim homines quum sint mali, norunt bona data dare filiis suis, quanto magis Pater caelestis dabit bona petentibus* se? unde (1) *magna* apparet *dignitas hominis, qui sic a Deo creatus est, ut suum nosset auctorem, et tanti aestimatus est, ut Unigenitus Dei sanguinem pro redemptione eius impenderet.*

Ex sese vero VI. talis est, ut multiplici providentia ho-

(1) Prosper. in Ps. CXLIII. 3. pag. 300.

mines iuvet, ac *in via* (1), *qua ad retributionem tenditur, constituat. Omnium namque hominum cura est Deo; et nemo est, quem non aut evangelica praedicatio, aut legis testificatio, aut ipsi etiam natura conveniat. Misericordia* (2) siquidem et *gratia, bonitas et patientia Dei per omnia declaratur, ut nemo desperet, nemo praesumat.* Nemo desperet, quia (3) *allevat Dominus omnes qui corruunt, et erigit omnes elisos:* nemo desperet, quia (4) *nemini Deus correctionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat;* nemo autem praesumat, quia (5) *sicut suavis est lenitate, ita iustus est ultione, et nihil longanimitati eius perit, quem et conversus benignum, et obduratus experitur severum.*

Quare VII. hic est ordo misericordi et salutifera voluntate delectus, ut homines prorsus omnes qui usu rationis potiuntur, multipliciter adiuventur, a necessitate pereundi subtrahantur, boni possibilitatem obtineant, eaque obtenta viam, si velint, correctionis capessant; sin autem (6) voluntatem Dei spreverint *invitantem*, *voluntatem Dei sentiant vindicantem.*

LXV.

Ad quem ordinem *universalis reformationis* stabiliendum non minus ea conducunt, quibus huic gallorum obiectioni *quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus,* Prosper (7) occurrit, inquiens: « Nullus omnino est ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit: quamvis ille natus sit *in similitudine* (8) *carnis peccati,* omnis autem homo nascatur in carne peccati. Deus ergo Dei filius, mortalitatis humanae particeps factus absque peccato, hoc peccatoribus et mortali-

(1) In Ps. CLIV. 6—7. pag. 362.
(2) Ibid.
(3) Respons. ad obiect. vincent. VIII. pag. 135.
(4) Respons ad obiect. vincent XV. pag. 137.
(5) In Ps. CXLIV. 8—9. pag. 362.
(6) Respons. ad obiect. vincent. XVI. pag. 137.
(7) Respons. ad obiect. IX. gallorum, pagg. 122—123.
(8) Rom. VIII. 3.

bus contulit, ut qui nativitatis eius consortes fuissent, vinculum peccati et mortis evaderent. Sicut itaque non sufficit hominum renovationi, natum esse hominem Iesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, Spiritu renascantur; sic non sufficit hominum redemptioni, crucifixum esse Dominum Christum, nisi commoriantur ei et consepeliantur in baptismo. Alioquin nato Salvatore in carne substantiae nostrae, et crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium ut renasceremur, et similitudini mortis eius (1) complantaremur.

Sed cum sine hoc Sacramento nemo hominum consequatur vitam aeternam; non est salvatus cruce Christi, qui non est crucifixus in Christo. Non est autem crucifixus in Christo, qui non est membrum corporis Christi, nec est membrum corporis Christi, qui non per aquam et Spiritum sanctum induit Christum. Qui ideo in infirmitate nostra communionem subiit mortis, ut nos in virtute eius haberemus consortium resurrectionis.

Quum itaque rectissime dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem; potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit.

Dicit enim (2) evangelista, *quia Iesus moriturus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed etiam ut filios Dei dispersos congregaret in unum. In sua* (3) enim *venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.*

Diversa ergo ab istis sors eorum est qui inter illos censentur, de quibus (4) dicitur, *mundus eum non cognovit.* Ut possit secundum hoc dici: redemptor mundi dedit pro mun-

(1) Rom. VI. 5.
(2) Joh. XI. 51.
(3) Joh. I. 11.
(4) Joh. I. 10.

do sanguinem suum, et mundus redimi noluit, quia lucem tenebrae non receperunt: et tenebrae receperunt, quibus dicit (1) Apostolus, *fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Ipse vero Dominus Jesus, qui dixit (2) se venisse quaerere et salvare quod perierat: *non veni*, inquit (3), *nisi ad oves quae perierant domus Israel* ».

LXVI.

Eo vero sententia, quam Gallorum difficultati opponit, quaque orthodoxam fidem complectitur, sic habet (4) Prosper: « Qui dicit, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem sed ad infidelium respicit partem; quum Sanguis Domini nostri Jesu Christi pretium totius mundi sit: a quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captivitate, redimi noluerant, aut post redemptionem, ad eamdem sunt servitutem reversi. Non enim cecidit verbum Domini, neque evacuata est mundi redemptio. Quia etsi non cognovit mundus Deum in vasis irae, cognovit tamen mundus Deum in vasis misericordiae: quae Deus, nullis eorum bonis meritis praecedentibus, eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae. »

Cum his autem probe consentiunt, quibus vincentianam calumniam, *quod Dominus noster Jesus Christus non pro ominum hominum salute et redemptione sit passus*, refeilit (5), inquiens: « Contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta et mortificata natura est, et unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit, verum et potens ac singulare remedium est mors Filii Dei Domini nostri Jesu Christi, qui liber a mortis debito et solus absque peccato, pro peccatoribus et debitoribus mortis est mortuus.

Quod ergo ad magnitudinem et potentiam pretii, et quod

(1) Ephes. V. 8. ull. Joh. I. 5.
(2) Luc. XVI. 10.
(3) Matth. XV. 24.
(4) Sentent. super IX. capit. pag. 127.
(5) Respons. ad capitul. I. obiect. vincent. pag. 132—133.

ad unam pertinet caussam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc saeculum sine fide Christi, et sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt.

Quum itaque propter unam omnium naturam, et unam omnium caussam a Domino nostro in veritate susceptam, recte omnes dicantur redempti, et tamen non omnes a captivitate sint eruti; redemptionis proprietas haud dubie penes illos est, de quibus princeps mundi missus est foras, et iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Cuius mors non ita impensa est humano generi, ut ad redemptionem eius etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed ita, ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare sacramentum celebraretur in singulis.

Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra et virtute divina, habet quidem in se ut omnibus prosit; sed si non bibitur, non medetur ».

LXVII.

Quibus explanandis vindicandisque e re fore arbitror nonnulla articulatim animadvertere, ac dedita opera inculcare. Inter quae istud I. commemorari debet, nihil operibus (1) augustinianae doctrinae, et semipelagiani erroris assertoribus praesto fuisse, quo aut vehementius in illam conflarent odium, aut suum errorem vendibiliorem ostenderent, quam si in vulgus disseminarent, cum Augustini doctrina semipelagianae haeresi infensissima haec duo arctissime cohaerere: *a*) Deum nolle, ut omnes homines salvi fiant: atque idcirco *b*) Dominum nostrum Jesum Christum non pro omnium hominum salute et redemptione esse passum. Utraque op-

(1) De his loquitur Fulgentius in priore ad Monimum libro, scribens: « Praeterito tempore illi luculentissimo sancti Augustini operi a quibusdam gallis obiectum, quod beatus Augustinus in assertione praedestinationis divinae peccatores non ad solum praedestinatos diceret iudicium, sed etiam ad peccatum: cuius dicta, quia ipse celeri praeventus est obitu, *Prosper, vir eruditus et sanctus* recte defendit fideli et copioso sermone ».

pugnatione usi sunt galli, ac utramque auctor obiectionum vincentianarum repetiit. Sed qui venire in horum mentem potuit, ut huic oppugnationi tantopere fiderent, nisi saeculo quinto δόγμα fuisset in ecclesia exploratissimum, *et Deum velle omnium hominum salutem, et ad huius normam voluntatis Christum pro omnibus mortem obiisse, suumque sanguinem profudisse*? exploratum igitur est, hanc revera fuisse ecclesiae sententiam, atque in hanc professionem catholicum omnem conspirasse.

Cuius certitudinis II. eo vis maior apparebit, quo diligentius ad Prosperi responsiones animus advertatur. Responsiones enim ad capitula gallorum, his verbis (1) orditur: « Doctrinam, quam sanctae memoriae Augustinus episcopus contra pelagianos inimicos gratiae Christi, et liberi arbitrii (2) decomptores, per multos annos apostolice asseruit, litterisque mandavit, quibusdam visum est, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere: et hoc quasi compendium cognitionis his, qui iudicio eorum ducebantur, afferre; ut quae in libris praedicti viri *damnabilia* se reperisse iactabant, brevium capitulorum indiculis pubblicarent: talique *commento* et *detestationem* eius quem impeterent, obtinerent, et ab his quae *infamassent*, curam *exterriti lectoris* averterent. Ne ergo hanc persuasionem temere quis recipiat, et *talem* putet *sensum* scriptis *catholici* inesse *doctoris*, *qualem* eum qui frustra *calumniantur*, ostentant; singulis capitulis, quae *damnationis* titulo praenotarunt, brevi et absoluta professione respondeo, *in nullo* recedens a tramite earum definitionum, quae in sancti viri disputationibus continentur; ut facile vel tenuis diligentiae advertat inspector, quam *iniustis opprobriis* catholici praedicatoris memoria carpatur; et in quod peccatum cadant, qui aliena instigatione commoti, scriptorem celeberrimi nominis promptius habeant culpare, quam nosse ».

(1) Praefat. in respons. ad capitula gallorum, pag. 117.

(2) Alii legunt *deceptores* vel *defensores*. Sed nihil impedit, quominus teneatur lectio in omnibus editionibus recepta, quum pelagiani dici non iniuria petuerint *liberi arbitrii decomptores*, quod toti in eo essent ut liberum arbitrium ornarent, immeritamque illi speciem adlinerent.

Respondens autem capitulis obiectionum vincentianarum longe acerbius (1) scribit : « Quidam christianae ac fraternae caritatis obliti, in tantum existimationem nostram quoquo modo student laedere, ut suam se evertere, nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, et qualibus possunt sententiis, comprehendunt *ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia*, eaque ostendenda et ingerenda multis publice privatimque circumferunt, asserentes talia in nostro sensu esse, qualia *diabolico* continentur *indiculo*. Quae falso in nos, ad excitandam invidiam iactitari, facile et sufficienter subscriptione unius probaremus anathematis; nisi malignitas eorum, qui se gravari putant, si de nobis bene sentiatur, ipsam subscriptionis nostrae brevitatem suspectam esset habitura. Unde ne huius quereiae inveniretur occasio, necessarium conveniensque credidimus, ut sive ad calumniantium animos mitigandos, sive ad eos quorum auribus tale aliquid insonuit instruendos, quantum adiuvante Domino fieri potuerit, plene lucideque pandamus, quid de perversis definitionibus iudicemus.

Propositis igitur singillatim sedecim capitulis, sub unoquoque eorum, sensus nostri, et fidei quam contra pelagianos ex apostolicae sedis auctoritate defendimus, verba ponemus: ut qui paululum se ad legenda haec dignati fuerint occupare, evidenter agnoscant, *impiarum profanarumque opinionum* nullum cordibus nostris inhaesisse vestigium; et *blasphemias* quas perspexerint nostra professione damnari, in earumdem repertoribus censeant debere puniri ».

Quid igitur est, quod Prosper statuit sive de gallorum capitulis, sive de vincentianis obiectionibus? statuit iis efferri continerique commenta eo invecta consilio, ut et detestationem Augustini quem impeterent, obtinerent, et ab his quae infamassent, curam exterriti lectoris averterent : calumnias, quas nemo temere recipiat : iniusta opprobria : ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia: diabolicum indiculum : perversas definitiones: impias profanasque opiniones, verasque blasphemias.

(1) Praefat. in resp. ad capit. obiectt. vincent. pag. 131.

Atqui inter gallorum capitula, vincentianasque obiectiones non ultimum ista locum tenent, *quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus*, et *quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.* In haec igitur notae censuraeque quadrant, quas a Prospero cumulatas accepimus, quod ea nimirum sint *commenta*, *prodigiosa mendacia*, *perversae definitiones*, *impiae profanaeque opiniones* ac *blasphemiae*; adeo ut tam qui errarent, quam qui orthodoxam professionem seculo quinto tuerentur, in id unanimes conspirarint, ut summa eos exsecratione detestarentur, qui affirmarent, *quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute et redemptione sit passus.*

LXVIII.

Ac Prosper enimvero III. de propositione, quae huic e regione adversatur, et qua docetur, *Dominum nostrum Jesum Christum pro omnium hominum salute et redemptione cruciatus mortemque subiisse*, tradit: *a*) *rectissime dici Salvatorem pro totius mundi redemptione crucifixum*: *b*) *Redemptorem mundi dedisse pro mundo sanguinem suum*: *c*) *sanguinem Domini nostri Jesu Christi pretium esse totius mundi*: *d*) *Filium Dei pro peccatoribus et debitoribus mortis mortuum esse*: *e*) *sanguinem Christi redemptionem esse totius mundi*: *f*) *omnes recte dici redemptos*: et *g*) *poculum immortalitatis confectum de infirmitate nostra et virtute divina habere in se ut omnibus prosit.*

Neque IV. secus credere, aut is secus profiteri poterat, qui *a*) tenebat, *sincerissime credendum atque profitendum esse, Deum velle ut omnes homines salvi fiant*; et cui *b*) ratum erat *in nullo recedere a tramite earum definitionum, quae in sancti Augustini disputationibus* continentur. De Christo enim testatur Apostolus, non antea ipsum ingressum in mundum esse, quam dixerit: *hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata et pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* In suscipienda igitur explendaque pro hominum genere oeconomia eam Chri-

stus gessit voluntatem, quae paternae foret simillima, ac perfectissimus eiusdem ectypus merito videretur. *Sincerissime* autem *credendum atque profitendum est*, *Deum velle ut omnes homines salvi fiant*. Eadem ergo sinceritate atque constantia credendum profitendumque est, Christum pro omnibus hominibus gustasse mortem, suumque sanguinem profudisse.

Quod et alexandrinus Cyrillus probe intelligens, universalem hanc Christi voluntatem, et pro omnibus tolleratam mortem tertio commentariorum in Isaiam libro dicere non dubitavit *σκοπον του διασωζοντος*, *Salvatoris scopum*: Ammonius vero, cumque eo alii graeci patres in catenis, occasione verborum (1) Domini, *non veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum,* loquentes *περι σκοπου της παρουσιας* confirmant, ideo venisse Christum, mortemque oppetiisse, ut omnibus consuleret, facultatemque faceret consequendae salutis.

De Augustino autem quum plurima alii (2) collegerint, neque mihi pauca suppeterent quae adiicerem, duo tantum monebo; ac inprimis haec esse disertissima eiusdem (3) verba: « Justitiam voluntas impetrat a Domino, et bibit illam tamquam de fonte suo. Ad quem fontem nullus prohibetur accedere, si dignus accedit. Postremo adiutorium tuum vide. Redemit te a barbaris argentum tuum, redimit te a prima morte pecunia tua, redemit te a secunda morte sanguis Domini tui. Habuit ille sanguinem unde nos redimeret, et *ad hoc* accepit sanguinem, ut esset quem nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini tui, *si vis*, datus est *pro* (4) *te*, si nolueris, non est datus pro te. Forte enim dicis, habuit

(1) Ioh. XII. 47.

(2) Petavius de Incarnat. lib. XIII. cap. III, De Champs de Haeresi Jansen. lib. III. disput. VII, Tricassinus de praedest. hominum ad gloriam, Part. I. sect. VII. §. II. punctis I. seqq., et Alticotius summae Augustin. Part. I. q. III. a. II.

(3) Serm. CCCXLIV. n. 4. al XXXI. ex Sirmondianis.

(4) Adeo ut doctore Augustino, possit quisque repetere verba Pauli ad Gal. II. 20. *in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.*

sanguinem Deus meus, quo me redimeret; sed iam quum passus est, totum dedit: quid illi remansit quod det *et pro me*? hoc est magnum, quia *semel* dedit, et *pro omnibus* dedit. Sanguis Christi *volenti* est *salus*, *nolenti supplicium*. Quid ergo dubitas, qui mori non vis, a secunda potius morte liberari? qua liberaris, *si vis* tollere crucem tuam, et sequi Dominum; quia ille tulit suam, et quaesivit servum ».

Monebo deinde, nihil Augustinum pluribus continenter annis ac pluribus editis operibus fecisse reliqui, ut *universalem originalis noxae propagationem ex universali mortis Christi amplitudine* contra pelagianos tueretur. Hoc namque argumento adversus illos in Enchiridio (1) decertavit, hoc pugnam instauravit (2) in libris contra Julianum, huic institit (3) in opere de civitate Dei, neque ab hoc in postremo opere imperfecto (4) adversus eumdem Julianum discessit. A quo laqueo ut se Julianus expediret, opponebat: *pene innumeris Scripturarum exemplis innotescere*, omnes *adhiberi* pro multis, *secundum illud*, *omnes declinaverunt*. Sed illum vicissim sic ad incitas Augustinus (5) redigebat: « Hinc te exue, si potes, *quod* (6) *unus pro omnibus mortuus est*, et aude dicere, non omnes esse mortuos, pro quibus mortuus est Christus; quum statim tibi Apostolus fauces premat et opprimat audacissimam vocem, quid sequeretur ostendens, et dicens: *ergo omnes mortui sunt*. Noli sic laudare Apostolum, noli exponere, ut nolis audire, *si unus pro omnibus mortuus est*, *ergo omnes mortui sunt*. Quidquid argumenteris, quidquid apostolicorum verborum coneris evertere, a morte quae in peccato est, parvulos non ostendis immunes ». Et ideo (7) non ostendis immunes « quia ait Apostolus: *ergo omnes mortui sunt*, *et pro omnibus mortuus est*

(1) Enchirid. capp. XLI—XLVII, ad quae capita confer quae opportunissime Faure adnotavit.

(2) Con. Julian. lib. VI. capp. IX—XV—XXIV.

(3) De civit. Dei, lib. XX. cap. VI.

(4) Op. imp. lib. II. nn. 133-134-138-162-171-172-175.

(5) Op. imp. lib. II. n. 175.

(6) II. Cor. V. 14.

(7) De civit, Dei, lib. XX. cap. VI n. 1.

unus, ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit. Omnes itaque mortui sunt in peccatis, *nemine* (1) *excepto*, sive in originalibus, sive etiam in voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo et non faciendo quod iustum est ».

(1) « Mirum est, inquit Tricassinus in opere de necessaria ad salutem gratia omnibus et singulis data, Part. I. sect. III, Augustinum, quum toties loquutus sit de peccato originali *ut in omnibus et singulis*, numquam tamen excepisse *beatam Virginem*, licet in iis locis saepe exceperit Christum, imo dixerit *illum solum* esse exceptum. Verumtamen non hinc certo inferendum est, illum noluisse beatam Virginem etiam ab illo peccato esse exceptam; quandoquidem lib. V. con. Julian. cap. I., ubi expressissime asserit nullum exceptum esse a peccato originali, praeter Christum, tamen sub finem illius capitis dicit : quod nullus habuit peccatum originale, qui postea non peccaverit actualiter, si diu supervixerit, ponens quasi ex aequo, habere peccatum originale et actuale in adultis, aut non habere ullum ex illis, ut patet ex his illius verbis, ubi loquens de Christo, sic ait : *profecto peccatum etiam maior fecisset, si parvulus habuisset; nam propterea nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum praeter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exortu.*

Ubi vides, eum asserere in iis solum locum habere peccatum originale, in quibus fuit peccatum actuale, quum adoleverint.

At satis clare indicat lib. de nat. et gratia, cap. XXVI. quod beata Virgo numquam peccavit actualiter, ut patet ex his illius verbis : *excepta sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, quum de peccatis agitur, habere volo quaestionem; inde enim scimus, quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Ubi solum loquitur de peccatis actualibus, et non etiam de originali, ut perperam aliqui locum illum interpretantur ; quia sermo ibi erat de peccatis actualibus, sine quibus dicebat Pelagius quamplurimos sanctos vixisse, et negabat Augustinus; tum etiam quia loquebatur de peccatis, quae possunt vinci a peccante, qualia non sunt originalia, sed solum actualia.

Quum ergo dicat heic Augustinus, beatam Virginem non peccasse, et in supra allato loco dixerit, quod qui habet originale peccatum, peccavit actualiter, si ad annos discretionis pervenerit ; manifestum est quod in his aliqua intervenit inadvertentia, aut certe quod more suo, noluit hanc incidentem quaestionem dirimere, an scilicet beata Virgo etiam exempta fuerit ab illo peccato ».

Necesse igitur fuit, ut Prosper, cui fixum erat Augustini vestigiis inhaerere, quique Deum velle omnium hominum salutem profitebatur, non minus profiteretur Christi mortem ad omnes se extendere, ac ne unum quidem esse, pro quo Christus suum sanguinem non obtulerit.

LXIX.

Ubi V. ad pleniorem rei totius explanationem non minimum conferet novisse, *vel unde* Prosper universalem mortis Christi amplitudinem deduxerit, *vel quos* eidem *effectus* adscripserit. Et ad illud quod spectat, video mortem Christi habitam fuisse (1) a Prospero universalem: *a*) *propter veram humanae naturae susceptionem*, ac *unam omnium naturam*, quum *nullus omnino sit ex omnibus hominibus, cuius natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit*: *b*) *propter unam omnium causam*, *communemque in primo homine omnium perditionem* et *c*) *propter magnitudinem et potentiam pretii*. Sed quaenam e tribus hisce caussis non est prorsus universalis, vel omnes non complectitur? omnes et singulos unaquaeque complectitur, et ne unus quidem hominum est, qui earum ambitu non contineatur. Inde ergo amplitudinem mortis Christi Prosper deducit, unde liquido apparet neminem esse, qui ab eiusdem beneficio excludatur.

At quonam beneficio? plane multiplici, sicuti multiplices sunt effectus (2), quos illi Prosper adscribit. Eo namque auctore morti Christi referri in acceptis debet: *a*) *reformatio humanae naturae, quam ideo Christus in se suscepit, ut a necessitate damnationis eximeret*: *b*) *institutio medii universalis, ut omnes qui illius participes forent, vinculum peccati et mortis evaderent*: *c*) *facultas omnibus facta, ut ii solum in tenebris maneant, et secundam mortem incurrant, qui redimi nolint lucemque reppellant*: *d*) *pretium pro toto mundo persolutum*, *et a quo nonnisi ii extranei sint, qui aut*

(1) Respons. ad obiect. IX. gallorum, pagg. 122—123, et respons. ad obiect. I. vincent. pagg. 132—133.

(2) Ibidem, et Sentent. super IX. capit. gallorum, pag. 127.

delectati captivitate, redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eamdem sunt servitutem reversi : e) poculum denique quod habet in se, et ad potentiam pretii, virtutemque quod attinet, ut omnibus prosit, sed quod si non bibitur, non medetur.

Est itaque mors Christi non aliter universalis, ac universalis sit credaturque salutifera Dei voluntas; et quemadmodum haec, sic illa fecunda est, in varios ac multiplices se profundit effectus, neque sinit ut hominum quisquam vel de necessitate pereundi, vel de subtracta potestate salutis consequendae merito conqueratur. Utrisque debet hominum genus, ut *ad ordinem* spectet *reformationis*, non *damnationis*, et *ad massam non damnatam, sed reformatam :* est quidem ex sese ac ex originali reatu *massa damnata*, sed misericordi Dei voluntate ac redemptione per Christum factum est, ut massa evaserit *reformata,* supernisque instructa praesidiis ad reparationem et ad salutem, quae corona est perseverantis reparationis, adspiraret.

LXX.

Haec tamen VI. universalis et actuosa redemptio nullatenus impedit , quominus certo quodam , eoque verissimo sensu *particularis* censeatur. Quemadmodum enim e re esse duxit (1) Prosper, salutiferam Dei voluntatem ita dispescere, ut *voluntatem salvandi, impertiendaeque facultatis ad salutem obtinendam necessariae* diceret *universalem, propositum* vero *illius implendae, conferendaeque actu salutis particulare* nuncuparet; ita veritati consonum existimavit, si redemptionem Christi sanguine partam *universalem* esse traderet *pretio, virtute, oblatione, particularem* contra, si *proprietatis* ac *perfecti absolutique eiusdem fructus* ratio habeatur.

Cuius partitionis ille (2) meminit, inquiens : « Quum rectissime dicatur Salvator *pro totius mundi redemptione* crucifixus, propter veram humanae naturae susceptionem, et propter communem in primo homine omnium perditionem; po-

(1) Sentent. super VIII. capit. gallorum, pagg. 126—127

(2) Respons. ad obiect. IX. gallorum, pag. 123.

test tamen dici *pro his tantum crucifixus*, quibus mors ipsius profuit ». Ac rursum (1) meminit, subdens: « Quum propter unam omnium naturam, et unam omnium caussam a Domino nostro in veritate susceptam, *recte omnes dicantur redempti*, et tamen non omnes a captivitate sint eruti; *redemptionis proprietas haud dubie penes illos est*, de quibus princeps mundi missus est foras, et iam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi ».

Et fuit profecto cur eiusmodi distributione uteretur, illamque repetendo inculcaret. Consideretur enim rei natura, ac deinde quaeratur, quo tandem spectet redemptio Christi, et e quo maxime illius character ac proprietas resplendeant. Dubium videri non poterit, supremum finem redemptioni propositum gloriam esse Dei, quae hominum adoptione, sempiternaeque hereditatis assequutione comparetur: illius vero characterem proprietatemque nulla re melius demonstrari, quam ipsa eorumdem hominum caelesti beatitate. His enim maxime redemptio constat, ad haec sua sponte fertur, his absolvitur et ad fastigium pertingit. Ipsa igitur rei natura postulabat, ut proprietas, character ac ἐξοχή redemptionis ab eiusdem *pretio, virtute, oblatione* distinguerentur; ac ita distinguerentur, ut haec dicerentur *universalia*, illa *particularia:* haec *omnibus communia*, quum communis sit *reformatio* tributaque obtinendae beatitudinis potestas: illa

(1) Respons. ad obiect. I. vincent. pag. 132. Praeposteras ianseniano-rum strophas, quibus *universalem redemptionis sufficientiam* a Prospero assertam explicant *de universali sufficientia absolute ac ὄντως spectata*, minime vero *de sufficientia pretii pro omnibus oblati*, ac ea voluntate oblati, qua Cristus omnium salutem sincere voluit, egregie refellit Faure in adnott. ad capp. XLI. et seqq. Enchiridii. Qui praeterea et statuit et argumentis demontrat:

I. Theologicam distinctionem de morte Christi pro omnibus *quantum ad sufficientiam pretii seria intentione oblati*, pro electis vero *quantum ad efficaciam*, tradi *aliis aequivalentibus verbis* ab Augustio capite XLI. Enchiridii, aliisque huic consonis locis.

II. Eamdem theologicam distinctionem contineri lib. VI. con. Julian. cap. XV., ac ibidem eam quoque theologorum doctrinam *de morte Christi omnibus sufficienti, pluribus efficaci*, non obscure exprimi.

III. Eamdem theologicam distinctionem de morte Christi ab Augustino tradi epist. CLXIX. al. CII. ad Evodium.

autem *multorum propria*, quum proprium dumtaxat multorum sit poculum immortalitatis bibere, eoque potu medicinam salutemque nancisci.

Quid quod ipsae etiam Scripturae, divinaque oracula hanc partitionem distributionemque disertis praeferre verbis videbantur? nihil sane ex iis manifestius, quam pretio, virtute, oblatione ac omnibus exhibita (1) reconciliatione redemptionem dici atque credi universalem oportere. Haec enim nullis adstricta finibus amplitudo in Scripturis traditur: *a*) verbis universalibus, quaeque limites omnes excludunt. *Aestimantes* (2) *hoc*, *ὅτι εἰ εἷς ὑπερ παντων ἀπεθανεν*, *quoniam si unus pro omnibus mortuus est*, *ἀρα οἱ παντες ἀπεθανον*, *ergo omnes mortui sunt; και ὑπερ παντων* (3) Χριστος *ἀπεθανεν*, *et pro omnibus mortuus est Christus. Unus* (4) *Deus*, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*, *ὁ δους ἑαυτον ἀντιλυτρον ὑπερ παντων*, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Videmus* (5) *Jesum propter passionem mortis*, *gloria et honore coronatum*, *ὁπως* (6) *χαριτι*

(1) II. Cor. V. 19. *Quoniam quidem Deus erat in Christo κοσμον καταλλασσων ἑαυτῳ, μη λογιζομενος αὐτοις τα παραπτωματα αὐτων, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

(2) II. Cor. V. 15.

(3) Inseruimus Χριστον auctoritate Vulgati, ac unius alteriusve graeci codicis.

(4) I. Tim. II. 6.

(5) Hebr. II. 9.

(6) Millius ad verba *χαριτι θεου*, monet aliam esse lectionem, eamque percelebrem, *χωρις θεου*. Idipsum notant Bengelius, Wetestenius, Griesbachius, De Matthaei et Henricus Heinrich, qui omnes ut ostendant non deberi illam nestorianis, sed aliquot seculis ante auditum Nestorii nomen in nonullos graecos codices irrepsisse, testes allegant *interpretem Syrum, Origenem, Hieronymum, Ambrosium,* alios. « Huic porro lectioni, subdit Millius, triplex affingitur sensus. Unus durior, qui Origenis est, Theodoreti et Anonymi apud Oecumenium: *Christum scilicet χωρις θεου, solo Deo excepto, pro omnibus, etiam angelis mortuum.* Haereticus alter: *eum qui homo, non utique qui Deus est, aut θεότοκος, mortem gustasse*: qui nestorianorum erat personas in Christo dividentium; a quibus proinde Theophylactus et Oecumenius (qui non norant repertam diu ante exortum Nestorium, in patrum scriptis, vetustisque exmplaribus) lectionem hanc confictam putabant. Tertius, isque sanus: *Christum, quoad naturam*

θεου ὑπερ παντος γευσηται θανατου, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Traditur *b*) ea formula collectiva, quae universum hominum genus comprehendit. *Ecce* (1) *agnus Dei, ἰδε* (2) *ὁ αἰρων την ἁμαρτιαν του κοσμου, ecce qui tollit peccatum mundi. Sic* (3) *Deus dilexit τον κοσμον, mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum εἰς τον κοσμον in mundum, ἱνα κρινῃ τον κοσμον, ἀλλ' ἱνα* (4) *σωθῃ ὁ κοσμος δι' αὐτου, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Ipsi* (5) *audivimus, et scimus, ὁτι οὑτος ἐστιν ἀληθως ὁ σωτηρ του κοσμου, quia hic est vere salvator mundi.*

Traditur *c*) eiusmodi comparata loquutione, qua docemur non minus patere remedium Christi morte obtentum, quam vulnus Adami culpa inflictum. *Sicuti* (6) *per unius delictum εἰς παντας ἀνθρωπους in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam εἰς παντας ἀνθρωπους εἰς δικαιωσιν ζωης, in omnes homines in iustificationem vitae.*

Traditur *d*) oratione ita distributa, ut nullus plane mortalium a beneficiis redemptionis excludatur. *Advocatum ha-*

humanam scilicet, minime vero quoad divinam, mortem subiisse: quo sensu sumunt e latinis Ambrosius, Vigilius et Fulgentius, recte et accommodate ad mentem auctoris. Illud enim plane videtur, studiosum aliquem, *ne passio fuisse Deitatis putetur*, ut Vigilii verbis utar, adnotasse ad libri marginem ὀρθοδοξιας caussa, χωρις θεου, quo denotaret, passionem hanc spectasse humanam assumptam dumtaxat, non autem divinam Christi naturam. Scholion autem hoc vix est quam ut in contextum arripuerint scribae, praesertim eruditułi, quibus illud χαριτι θεου non bene graecum. Quamquam haud ita multos codices graecos interpretamento isto interpolatos fuisse puto, latinos admodum paucos. Editis certe congruit quidquid uspiam hodie est librorum mss. graecorum et latinorum ».

(1) Joh. I. 29.

(2) Repetiimus particulam ἰδε, praeeunte Vulgato.

(3) Joh. III. 16 - 17.

(4) Al σωσῃ τον κοσμον.

(5) Joh. IV. 42.

(6) Rom. V. 18.

bemus (1) *apud Patrem, Jesum Christum iustum:* και αὐτος ἱλασμος ἐστι περι των ἁμαρτιων ἡμων· οὐ περι των ἡμετερων δε μονον, ἀλλα και περι ὁλου του κοσμου, *et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Ac postremo *e*) traditur, quum ad eos quoque beneficia redemptionis extendi perhibentur, qui aeternum peribunt. *Noli* (2) *cibo tuo illum perdere*, ὑπερ οὑ Χριστος ἀπεθανε, *pro quo Christus mortuus est. Et* (3) *peribit infirmus in tua scientia frater,* δι' ὁν Χριστος ἀπεθανεν, *propter quem Christus mortuus est. In vobis* (4) *erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis*, και τον ἀγορασαντα αὐτους δεσποτην ἀρνουμενοι, ἐπαγοντες ἑαυτοις ταχινην ἀπωλειαν, *et eum, qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem.*

LXXI.

At vicissim in iisdem divinis litteris affirmatur: *a*) Christum posuisse animam pro ovibus suis. *Sicut* (5) *novit me Pater, et ego agnosco Patrem,* και την ψυχην μου τιθημι ὑπερ των προβατων (6) μου, *et animam meam pono pro ovibus meis: b*) semetipsum pro discipulis proque fidelibus sanctificasse. και ὑπερ (7) αὐτων ἐγω ἁγιαζω ἐμαυτον, *et pro eis ego sanctifico meipsum: c*) neminem ex iis periturum, quos a Patre accepit. οὑς (8) δεδωκας μοι, ἐφυλαξα, και οὐδεις ἐξ αὐτων ἀπωλετο, *quos dedisti mihi, custodivi, et nemo ex eis* (9) *periit: d*) non pro mundo, sed pro iis rogasse, quos

(1) I. Joh. II. 2.
(2) Rom. XIV. 15.
(3) I. Cor. VIII. 11.
(4) II. Petr. II. 1.
(5) Joh. X. 15.
(6) Alterum μου habet Vulgatas.
(7) Joh. XVII. 19.
(8) Ibid. v. 12.
(9) Continuo tamen subditur, εἰ μη ὁ υἱος της ἀπωλειας, *excepto filio perditionis.* Unde patet alios praeter electos ad sempiternam vitam fuisse Christo a Patre datos.

illi Pater dedit, ἐγω (1) περι αὐτων ἐρωτω· οὐ περι του κοσμου ἐρωτω, ἀλλα περι ὡν δεδωκας μοι, ὁτι σοι εἰσι, *ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt*: atque idicirco *e*) pro multis sanguinem effudisse. *Hic* (2) *est sanguis meus novi testamenti*, το περι πολλων ἐκχυνομενον εἰς ἀφεσιν ἁμαρτιων, *qui pro multis effundetur* (3) *in remissionem peccatorum.*

Porro quonam pacto hanc ἀντιλογιαν componas, illamque non realem, sed κατα δοκησιν esse persuadeas? facillimo, si usurpatam a Prospero distinctionem animo reputes, primamque testimoniorum classem *de redemptionis pretio*, *virtute*, *oblatione*, *deque omnibus exhibita reconciliatione* accipias, posteriorem vero *de proprietate, deque pleno absolutoque redemptionis fructu interpreteris.* Si primam classem ad voluntatem salutiferam *antecedentem*, posteriorem ad voluntatem *consequentem* referas. Si receptam in scholis doctrinam sequaris, quam Petrus Lombardus his verbis (4) effert: *Christus se Deo obtulit pro omnibus, quantum ad pretii sufficientiam*, sed *pro electis tantum,quantum ad efficaciam, quia praedestinatis tantum salutem efficit* ». Unde (5) Biel: *Christus Adae et toti posteritati sufficienter meruit gratiam et apertionem regni; defectus, quod non omnes salvat, non est ex inefficacia meriti Christi, sed ex indispositione subiecti caussae salutis non debite adproximati* ». Neque aliter (6) Scotus: « *Christus per suam actionem interiorem, et passionem exteriorem condigne satisfecit pro tota natura humana. Meritum vero et satisfactio Christi non habet ultimatam efficientiam nisi in illis, qui eidem uniuntur per fidem et sacramenta* ». Et multo plenius auctor (7) commentariorum in Apo-

(1) Joh. XVII. 9.

(2) Matth. XXVI. 28.

(3) Vulgatus praesens το ἐκχυνομενον non aliter vertit ac si legisset futurum ο ἐκχυθησεται.

(4) In III. dist. XXX.

(5) In III. dist. XIX. q. II. a. II.

(6) In III. dist. XX. concluss. II—III.

(7) Comm. in Apocal. V.

calypsin, qui olim Thomae (1) adscribebantur: « *De redemtione facta per passionem Christi est loqui dupliciter*, aut *secundum sufficientiam, et sic passio redemit omnes, quia quantum est de se, omnes liberavit; omnibus enim redimendis et salvandis sufficiens est, etiamsi essent infiniti mundi, ut dicit Anselmus*: aut *secundum efficientiam, et sic non omnes redemit per passionem, quia non omnes adhaerent redemptori* ».

Quam solemnem distributionem suffragio suo tridentini patres (2) confirmarunt his verbis: « *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis eius communicatur* ». Ubi ii, qui meritum passionis et beneficium mortis Christi percipiunt ab aliis perspicue secernuntur, qui numero censentur omnium, pro quibus Christus mortuus est, nec tamen gratiam cum Christi sanguine profluentem excipiunt.

Etenim, monet (3) Isaacus Habert: « diligenter considerandum est, redemptionem duobus modis spectari posse, primo quidem *active* ex parte Christi redimentis, secundo *passive* ex parte redemptorum. Ex parte redimentis adhuc duobus modis, primo quidem *secundum valorem ac dignitatem pretii*, quam sanctus Prosper recte *potentiam pretii* appellat; et quidem hoc modo nemini dubium est, pretium illud infinitum omnium damnatorum non solum existentium, sed etiam possibilium redemptioni plus aequo sufficere: altero vero modo *quoad voluntatem redimentis in actuali pretii solutione*, quam adhuc duplicem constituimus; *antecedentem* respectu omnium hominum, de qua beatus (4)

(1) De hisce commentariis plura habet Bernardus de Rubeis in dissertt. criticis ad opera Aquinatis, diss. VII. capp. II—III.

(2) Sess. VI. cap. XXIII. Hinc Thomas ad verba Pauli Hebr. II. 9. *ut pro omnibus gustaret mortem*, ait: « Pro omnibus *dupliciter* potest intelligi, vel ut sit distributio accommoda, scilicet *pro omnibus praedestinatis*: pro istis enim tantum habet *efficaciam*; vel *absolute pro omnibus, quantum ad sufficientiam*: sufficiens enim, quantum ad se, omnibus est. *Qui salvator est omnium hominum, maxime autem fidelium* ».

(3) Theolog. graec. patrum de gratia, lib. II. cap. IX, §. V.

(4) Serm. I.

Leo, *Christus sicut nullum a reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit; consequentem* respectu solum electorum, quae respondet tum voluntati divinae gratiam efficacem intuitu illius exhibiturae, tum etiam voluntati humanae adultorum isti gratiae cooperaturae, et ideo ratione istius redemptionis passivae ultimum redemptionis effectum complectentis, Christus solum est redemptor praedestinatorum: ratione vero pretii pro universo genere humano a se soluti, est redemptor omnium. Et hoc sensu (1) *dedit se redemptionem pro omnibus*; et simul atque pretium istud omnibus, quantum in se est, ex illa generali voluntate profuturum solvit, *delens chirographum* (2) *quod adversus nos erat, et affigens illud cruci*, omnes redempti, omnes liberati censentur, etsi revera sint qui nolint redemptionis beneficio et fructu gaudere ».

LXXII.

Talem porro esse, qualem hactenus adumbravimus, Dei et Christi erga homines voluntatem, atque ex ea profectum reformationis et salutis ordinem, eo pergimus argumento confirmare, quo nullum validius, nullum ad creandam persuasionem efficacius adhiberi posse existimamus. Nobiscum enim constituimus virum eruditissimum Emmanuelem Schelstratium imitari, patriarchales nobilioresque ecclesias ordine geographico percurrere, illarumque universalem constantemque traditionem in medium proferre. Qua comperta integrum nobis erit, celebratam omnium ore Vincentii lirinensis sententiam repetere: « Quod omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuerunt, scripserunt, docueruntque; id sibi quisque intelliget absque dubitatione esse credendum ».

Ut autem susceptum consilium opere exequamur, initium ducemus ab alexandrino patriarchatu, quidve ii senserint quidve tradiderint, qui ab antiquissimis usque temporibus

(1) I. Tim. II.
(2) Gal. II.

ad seculum usque sextum pietatis eruditionisque fama in eo prae ceteris claruerunt, quo poterimus diligentissime, investigabimus. Quem in finem e re esse credimus, *aliquot propositionibus* fixam ratamque illorum doctrinam complecti, tum testes subiicere, qui suo illam suffragio suaque auctoritate tuentur.

Itaque I. Alexandrinis doctoribus principii instar fuit, Deum esse suapte natura bonum, ex sese, insitoque pondere ad benefaciendum proclivem, hominum amatorem ac vere φιλανθρωπον, et solum ἀκουσιως *ac vi ferme adactum* poenis in illos animadvertere. « Dei instrumentum (1), inquit alexandrinus Clemens, φιλανθρωπον, amat humanum genus: Dominus miseretur, castigat, hortatur, admonet, conservat, custodit, και μισθον ἡμιν της μαθησεως ἐκ περιουσιας, βασιλειαν οὐρανων, ἐπαγγελλεται· τουτο μονον ἀπολαυων ἡμων, ὁτι σωζομεθα, *et doctrinae mercedem, tamquam ex abundanti, caelorum regnum nobis pollicetur, non alium ex nobis fructum percipiens, quam quod salvi sumus.* Κακια μεν γαρ την ἀνθρωπων ἐπιβοσκεται φθοραν· ἡ δε ἀληθεια, ὡσπερ ἡ μελιττα, λυμαινομενη των ὀντων οὐδεν, ἐπι μονης της ἀνθρωπων ἀγαλλεται σωτηριας. *Vitium enim hominum interitu pascitur, Veritas autem, quae veluti apis innoxia rebus insidet, nonnisi eorumdem salute* (2) *laetatur.* Habes quid pollicetur, ἐχεις την φιλανθρωπιαν· φιλανθρωπιαν της χαριτος μεταλαμβανε, *habes quanto affectu humanun genus amat: tu huiusce amoris gratiam participa* ». Etenim (3) « Pater ille noster, ὁ ὀντως πατηρ, *qui vere est pater*, nosque impense amat, hortari, monere, emendare, diligere numquam desinit: οὐδε γαρ σωζων παυεται,

(1) Cohort. ad Gent. §. I. pag. 5. edit. Venet. 1757. Ubi το ὀργανον του θεου, *Dei instrumentum*, ipso Clemente interprete, est σοφια ὑπερκοσμιος, οὐρανιος λογος, *supramundana sapientia, caeleste Verbum*, cui ideo fit nomen του ὀργανου, quia omnia *per ipsum facta sunt*, et ipsum est δυναμις θεου, virtus Dei.

(2) Eodem sensu in VII. Stromat. p. 707. scribit, nec sacrificia, nec aliud quidquam nunc a nobis exspectari, nisi ut nosmet Deo dedicemus, μονῃ γαρ τῃ ἡμετερᾳ σωτηριᾳ ὁ θεος ἡδεται, *sola enim nostra salute Deus oblectatur.*

(3) Cohort. ad Gent. §. X. pagg. 75-76.

nec enim desinit servare, verum optimum dat (1) consilium: *iusti efficiamini , inquit Dominus. Qui sititis, ite ad aquam: et quicumque non habetis pecuniam, ite et emite, et bibite absque pecunia, ἐπι το λουτρον, ἐπι την σωτηριαν, ἐπι τον φωτισμον παρακαλει , ad expiationem per lavacrum, ad salutem, ad* (2) *illuminationem hortatur,* aperte propemodum clamans: do tibi o fili terram et mare atque caelum quaeque in eis sunt, omnia tibi largior animantia. Tu modo, o fili, patrem sitias, Deus tibi gratis ostendetur : Veritas enim non venditur ». Est enim (3) *φιλανθρωπος ὁ Παιδαγωγος , hominum amans* (4) *Paedagogus* « in omnibus prodest, et in omnibus iuvat Dominus , *και ὡς ἀνθρωπος , και ὡς θεος , et tamquam homo , et tamquam Deus* : peccata quidem remittens ut Deus : ne peccemus autem, Paedagogi ritu instituens, ut homo. *Εἰκοτως ὁ ἀνθρωπος τῳ θεῳ , ἐπει και πλασμα αὐτου ἐστι · και τα μεν ἀλλα κελευων μονον πεποιηκεν , τον δε ἀνθρωπον δι' αὐτου ἐχειρουργησεν , και αὐτῳ ἰδιον ἐνεφυσησεν. Jure ergo homo est Deo charus, quoniam eius figmentum homo est ; et alia quidem solo imperio fecit , hominem autem per se manu fabricatus est, et aliquid sibi proprium inspiravit* ».

E qua singulari hominis praestantia initio colligit, *ipsum esse propter se αἱρετον τῳ θεῳ, Deo eligendum*; tum (5) infert: «Homo ergo quem fecit Deus, *δι' αὐτον αἱρετον ἐστιν , res est per se* (6) *eligenda*. Res autem quae per se est eligenda, ei est coniuncta, cui per se est eligenda. Ea autem res est expetenda et diligenda. Sed nequit fieri, ut aliquid sit diligendum , ab ipso autem non diligatur : *φιλειται ἀρα*

(1) Es. LIV. 17. coll. LV. 1.

(2) Appellatione *φωτισμου*, *illuminationis* patres *baptismum* gratiamque baptizatis collatam passim exprimunt, edocti, ni fallor , Pauli verbis Hebr. VI. 4 : *ἀδυνατον γαρ τους ἀπαξ φωτισθεντας, γευσαμενους τε της δωρεας της ἐπουρανιου, και μετοχους γενηθεντας πνευματος ἁγιου , κ. τ. λ.*

(3) Paedag. lib. I. cap. III. p. 101.

(4) Paedagogi nomine significat Clemens *ducem, caelestem Verbumque divinum,* quatenus hominibus curandis sanandisque incumbit. Hanc ipse nominis explicationem exhibet initio operis, cap. I. p. 98.

(5) Paedag. lib. I. cap. III. p. 102.

(6) Quibus verbis funditus convellitur *supralapsariorum* haeresis , quibus homo non est res per se eligenda, sed talis, quam Deus pro suo arbitrio vel aeternum puniat , vel aeternum beet.

προς τον θεου ὁ ἀνθρωπος, *homo ergo a Deo diligitur*. Qui enim fieri potest, ut non diligatur, propter quem Unigenitus ex sinu Patris demittitur, ... ipsemet Dominus qui aperte confitetur (1) et dicit: *ipse enim Pater vos diligit, quia vos me dilexistis?* et (2) rursum: *et dilexisti ipsos, quemadmodum me dilexisti* ».

LXXIII.

Unde *προς τους ἡγουμενους μη εἰναι ἀγαθον το δικαιον*, *adversus eos, qui existimant non esse bonum id quod iustum est*, scribit (3): « Heic exoriuntur (4) aliqui, qui dicunt, *οὐκ ἀγαθον εἰναι τον Κυριον δια την ῥαβδον, και την ἀπειλην, και τον φοβον*, *non esse bonum Dominum propter virgam et minas, incussumque timorem*: quare et Scripturam perperam intelligunt, quae sic (5) habet, *qui timet Dominum, convertetur ad cor suum*: et obliviscuntur maxime *αὐτου της φιλανθρωπιας eius benignitatis*, qua propter nos factus est homo. Atqui propheta eum familiarius (6) precatur his verbis: *memento nostri, quoniam pulvis sumus*: hoc est, miserere nostri, quoniam carnis imbecillitatem, tu ipse eam passus, expertus es. Ea igitur ratione *ἀριστος και ἀνεπιληπτος ἐστιν ὁ παιδαγωγος ὁ Κυριος, τῃ ἑκαστου των ἀνθρωπων δι' ὑπερβολην φιλανθρωπιας συμπαθησας φυσει*, *optimus, nullique reprehensioni obnoxius est Paedagogus idemque Dominus, qui propter insignem benignitatem cum uniuscuiusque hominis natura compatitur. Nihil* (7) *enim est, quod odio habet Domi-*

(1) Joh. XVI. 27.

(2) Joh. XVII. 23.

(3) Paedag. lib. I. cap. VIII. pagg. 135-136.

(4) Hi erant Marcionis discipuli, qui, teste Origene, comm. in Exod. T. I. p. 17, *alium Deum asserentes παρα τον δημιουργον praeter mundi effectorem, hunc quidem δικαιον iustum esse docebant, και οὐκ ἀγαθον, sed non bonum; stulte id quidem et impie, quum iustitiam a bonitate separarent, et a iustitia bonitatem.* Similia vide apud Tertullianum con. Marcion. lib. I. cap. VI.

(5) Eccles. XXI. 6.

(6) Ps. CIII. 14.

(7) Sap. XI. 25.

nus: non enim aliquid odisse potest, ac velle id esse quod odit. Neque vero simul vult aliquid non esse, et est caussa, ut id sit, quod vult non esse. Sed (1) neque vult aliquid non esse, ac illud nihilominus est. Si quid ergo odio habet Verbum, id vult non esse. Nihil est autem, cui Deus non praebeat causam, ut sit. Nihil ergo odio habet Deus; sed neque Verbum: ἐν γαρ ἀμφω, ὁ θεος, *ambo enim unum sunt, nempe Deus.* Quod si nihil odio habet eorum, quae ab ipso facta sunt, λειπεται φιλειν αὐτο, *restat ut id diligat.* Multo autem prae ceteris magis hominem diligit, το καλλιστον των ὑπ' αὐτου δημιουργηθεντων, και φιλοθεον ζωον, *pulcherrimum animal eorum, quae effecta ab ipso sunt, Deique amore praeditum*: φιλανθρωπος ἀρα ὁ θεος· φιλανθρωπος ἀρα ὁ λογος. *Amator ergo hominum est Deus, et amator hominum Verbum.* Qui autem aliquid amat, ὠφελειν αὐτο βουλεται, *ei vult prodesse.* Quod autem prodest, eo, quod non prodest, utique fuerit praestantius. Praestantius autem bono nihil est. Prodest ergo quod bonum est, ἀγαθος δε ὁ θεος ὁμολογειται· ὠφελει ἀρα ὁ θεος. *Deum autem esse* (2) *bonum, in confesto est; Deus igitur prodest.*

Bonum autem quatenus (3) bonum est, nihil aliud facit quam prodesse. Deus ergo prodest in omnibus. Nec homini quidem in aliqua re prodest, eius autem curam non gerit. Neque curam quidem eius gerit, de eo autem minime est sollicitus. Est enim praestantius, quod κατα γνωμην *sua sponte* prodest, quam quod non sua sponte. Deo autem nihil est praestantius, και οὐκ ἀλλο τι ἐστι το κατα γνωμην

(1) His gemina habent Ignatius epist. ad Magnes. cap. X, ac ipsemet Clemens, Stromat. VII. p. 740., inquiens: « Deum dicimus nulli adversari, nec esse cuiuspiam inimicum. Παντων γαρ κτιστης, και οὐδεν ἐστι των ὑποσταντων, ὁ μη θελει. Est enim creator omnium, et nihil est ex iis, quae subsistunt, quod nolit ».

(2) Matth. XIX. 17.

(3) Sunt haec expressa ad Stoicorum placita, qui, referente Sexto Empirico adv. Mathemat. lib. X. p. 442., *bonum hoc modo definiebant*: ἀγαθον ἐστιν ὠφελεια, ἡ οὐχ ἑτερον ὠφελειας, *bonum est utilitas, vel ab utilitate non diversum.* Similes *boni* descriptiones occurrunt apud eumdem Hypotyposeon; lib. III. cap. XX, et Diogenem Laertium, lib. VII. tegm. XCIV.

ὠφελεῖν, εἰ μὴ ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ἀνθρώπου κήδεται ἄρα καὶ ἐπιμελεῖται τοῦ ἀνθρώπου ὁ θεός. *Neque est aliud sua sponte prodesse, quam de homine esse sollicitum ; Deus ergo curam hominis gerit , deque eo est sollicitus.* Id autem ἔργῳ opere ipso ostendit, παιδαγωγῶν αὐτὸν λόγῳ, ὅς ἐστι τῆς τοῦ θεοῦ φιλανθρωπίας συναγωνιστὴς γνήσιος, *quum illum Verbo erudiat , quod est germanus coadiutor divinae erga homines benevolentiae* ».

Iis vero (1) occurrens qui sciscitabantur, πῶς οὖν εἰ φιλάνθρωπός ἐστι καὶ ἀγαθὸς ὁ Κύριος, ὀργίζεται καὶ κολάζει; *quomodo ergo si Dominus diligit homines et bonus est, irascitur ac punit ?* multis (2) interiectis, respondet : *poenas hominibus quamdiu vivunt inflictas tendere* εἰς σωτηρίαν καὶ ἀΐδιον ὑγείαν *ad salutem et aeternam sanitatem: non* διὰ μῖσος *odio Deum in nos animadvertere, sed amore ; quum enim potuisset propter nostra ipsorum scelera nos perdere ,* ὁ δὲ ὑπὲρ ἡμῶν καὶ πέπονθεν , *ipse pro nobis etiam passus est :* in summa , *quum minatur, aperte ostendere, se nihil mali velle facere, neque ea quae minatur exequi ; sed incusso timore impetum ad peccata reprimere , suamque in homines benevolentiam patefacere , ac ipsa mora demonstrare qualia sint passuri, si peccantes permaneant.*

LXXIV.

Neque aliter Clementis discipulus Origenes, qui verba (3) psalmi, *quam bonus Deus Israel his qui recto sunt corde*, hoc scholio (4) explanat: « Εἰς τὸ ἐφ' ἑαυτῷ πᾶσιν ἀγαθός ἐστιν ὁ θεός· σωτὴρ γάρ ἐστι πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν. *Quantum in se est, omnibus bonus est Deus: salvator* (5) enim *est omnium hominum , maxime fidelium* ». Quia vero talis est, idcirco (6) « ὁ θεὸς εἰς ἀγαθοποιίαν πρόχειρός ἐστιν, εἰς

(1) Paedag. lib I. cap. VIII. p. 136.
(2) Ibid. pagg. 137-138.
(3) Ps. LXXII. 1.
(4) In Ps. LXXII. 1. pag. 762. opp. T. II. edit. Paris. 1733.
(5) I. Tim. IV 10.
(6) In Jerem. Hom. I. n. 1. p. 125. opp. T. III.

δε το κολασαι τους ἀξιους κολασεως μελλητης, *Deus ad benefaciendum promptus est, ad puniendos autem eos qui poena digni sunt dissimulator.* Quum possit quippe tacens sine contestatione venturi punire eos, quos semel dignos supplicio iudicavit; numquam hoc facit, sed etiamsi condemnaverit, dicit quod sibi semper dicere propositum est, ut liberentur a condemnatione per poenitentiam, qui condemnati fuerant per delictum ».

Quam Dei oeconomiam bonitate insignem postquam aliquot Scripturarum (1) exemplis confirmavit, subdit (2): » Condemnaverat Deus Hierusalem propter peccata quae fecerat, et haec erat extrema sententia, ut captivitati relinqueretur. Verumtamen quum hominum sit amator, nec quemquam velit perire antequam depopulationis tempus instaret, misit et hunc (3) prophetam, ut per sermones eius ad poenitentiam converteretur; misit eumdem et sub secundo rege, misit quoque sub tertio. Quid plura? iam captivitas imminebat, et adhuc adhortabatur Deus tribuens (ut ita dicam) et ante unam diem locum poenitentiae: unde scriptum est, usque ad captivitatem Hierusalem, et usque ad quintum mensem prophetasse Ieremiam. Iam hostium vincula restrinxerant manus, et nihilominus haec quodammodo dicebat Deus: *αἰχμαλωτοι γεγονατε, κἀν οὑτω μετανοησατε· ecce captivi facti estis, agite, licet sero, poenitentiam:* rogate me, et parcam vobis: possum eruere de captivitate, qui tradidi ».

E quibus (4) infert: « Vide quantum malum est peccare, ut tradantur Satanae captivanti animos eorum qui relinquuntur a Deo. Non sine caussa autem, neque sine iudicio Deus relinquit quos deserit. Quum enim miserit pluviam super vineam, et vinea pro uvis attulerit spinas, quid faciet, nisi ut mandet nubibus, ne pluant super eam imbrem »?

(1) Jon. III. 4, Gen. XIX. 12.
(2) Ibid. n. 3. p. 126.
(3) Videlicet *Jeremiam*, de quo loquitur.
(4) Ibid. n. 4. p. 126.

LXXV.

Quod quum facit, provocatus non sponte facit; ut enim Didymus (1) monet: « ἡ κτισις οὐ γεγραπται φιλανθρωπος· ἰδιον γαρ τουτο κυριως μονης της ὁμοουσιου τριαδος. *Creatura in Scripturis non dicitur amatrix hominum; id enim proprio, strictoque sensu uni convenit consubstantiali Trinitati.* Amator namque hominum est Pater qui (2) *non usque in finem nobis irascitur, neque in seculum iratus manet, neque secundum iniquitates nostras retribuit*, iuxta Psalmum CII., et iuxta (3) Salomonem, qui (4) ait: *parcis autem omnibus, quia omnia tua sunt*, δεσποτα φιλοψυχε, *Domine amator animarum.* Adeo ut hac etiam de causa noster et Dominus et Pater nuncupetur, quod paterna eius cura ac solicitudo vi ac potentia temperatur. τῳ Θεῳ γαρ οὐκ ἐστιν προσρησις οἰκειοτερα της πατρος και φιλανθρωπου και ἀγαθου και ἁγιου. *Dei enim nulla est denominatio magis propria, quam denominatio* (5) *patris*, et *amatoris hominum*, et *boni*, et *sancti*.

Amator hominum est Filius, qui propter nos, augustarum mysticarumque eius manuum opera existentes, *semetipsum exinanivit* (6) *formam servi accipiens.* Id testatur Tito scribens Apostolus (7) his verbis: ὅτε δε ἡ χρηστοτης και ἡ φιλανθρωπια του σωτηρος ἡμων Θεου ἐπεφανη, *quum autem bonitas et amor in homines Salvatoris nostri Dei apparuit.*

Amator hominum est sanctus Dei Spiritus, iuxta Sapien-

(1) De Trinit. lib. II. cap. VI. pagg. 165-166. edit. Bononiae 1769.

(2) Ps. CII. 9-10.

(3) Non heic solum, verum etiam in libro de Spiritu sancto, n. 54. Salomoni Didymus tribuit librum *Sapientiae*.

(4) Sap. XI. 27.

(5) Lib. II. cap. VI. §. II. p. 149. scribit: « Itaque Deum merito vocamus etiam *patrem omnium*, οὐκ ὄντα ἡμων φυσει πατερα ὡς ἐστιν του μονογενους αὐτου, etsi *natura* pater noster non sit, sicuti est Unigeniti sui ». Sane *pater omnium* vocatur Ephes. IV. 6, eodemque titulo ab ipsis quoque gentibus eum fuisse insignitum, testimoniis Platonis et Diphili comici ostendit in quinto stromatum Clemens alexandrinus.

(6) Philipp. II. 7.

(7) Tit. III. 4.

tiam quae sic (1) habet: φιλανθρωπον γαρ πνευμα σοφιας και ουκ αθωωσει (2) δικαιον, *amator enim hominum est Spiritus sapientiae, et non liberabit iustum*. Nec enim perditam humanam naturam neglexit, sed per semetipsum venit, dirigens nos in via, et omnem veritatem docens, et renovans nos, et divina nobis dona largiens; tantamque e supernis sedibus curam eius, qui ad imaginem Dei factus est, suscepit, ut hanc quoque denominationem ὡστε εἰς γνωρισμα της ὑπερφυους αὐτου ἀγαθοτητος, *veluti tesseram suae bonitatis* habeat. Nam magna quidem elementa sunt caelum, terra, mare; magna quoque est rationalis creatura angelorum, et cuiuslibet supermundanae Potestatis: sed a nulla harum creaturarum nomen sumere voluit (3) Trinitas; quum e contrario ex ea bonitate, qua hominem prosequitur, φιλανθρωπος vocetur ».

Quare expendens (4) Thomae verba, ὁ κυριος μου και ὁ θεος μου, *Dominus meus et Deus meus*, inquit (5): « ἠπιστατο γαρ ὡς μονης της αὐτοκρατορικης ἀπειροδυναμου και ἀγαθωτατης φυσεως ἠν· οὐ μην δε κτιστης το μονον οὐχ ὑπερ ἰδιων κτισματων παθειν· ἀλλα και καθολικην ἡν φαμεν και γενικην σωτηριαν και ταυτην αἰωνιως δωρησασθαι. *Noverat enim, solius imperatoria per se auctoritate, et infinita potentia praeditae, et optimae naturae, non vero illius quae creata sit, proprium esse non modo pro suis creaturis pati, sed etiam universalem quam dicimus et generalem salutem largiri, idque in aeternum* ».

Qua divinae infinitaeque bonitatis cogitatione plenus, hac prece (6) alterum librum (7) absolvit: « Per te, quae nihil

(1) Sap. I. 6.

(2) Graeca editio pro δικαιον habet βλασφημον, quemadmodum etiam Didymus alibi legit.

(3) Ut puta, diceretur φιλαγγελος, *angelorum amator*, quemadmodum dicitur φιλοψυχος και φιλανθρωπος, *animarum hominumque amator*.

(4) Joh. XX. 28.

(5) De Trinit. lib. I. cap. XXVII. p. 85.

(6) Prece item Clemens alexandrinus Paedagogum, Hilarius librum primum de Trinitate, et Augustinus opus eiusdem tituli concludunt.

(7) De Trinit. lib. II. cap. XXVII. pagg. 306—307.

habes, quod sese tibi opponat, dum nostrum etiam, qui peccatores sumus, misereri statuis, *ἀγαθωτατη και παναλκεστατη τριας, ἀφ' ἡς και παρ' ἡς παν ἀγαθον και εἰς ἡν παντων πασα παντοτε ἐλπις και μεθ' ἡν παντελως οὐδεν*, *o optima et omnipotens Trinitas, a qua et ex qua est omne bonum, et in qua omnis omnium spes semper sita est, et post quam nihil omnino est*; a peccatis nostris . . . liberabimur nunc, et quum (1) *vincis in iudicando* abscondita hominum, et ab iis, qui nobis in mundo molesti sunt, et a daemone qui bonis semper invidet, . . . et ab honesti osore Antichristo, cuius, ut eventa indicant, plenum gravi conflictu tempus (2) iam appropinquavit; adeo ut nemo eorum qui nunc sunt, nemo eorum qui tunc invenientur, pereat. Sic procul absit omne malum, et praeclare ac quiete *κατα το σου ἀφθονον και φιλοψυχον θελημα*, *iuxta munificam tuam voluntatem, et amorem quo animas complecteris*, dirigantur tum communes, quum privatae res; et ita omnes possint . . . . vigilanter tui meminisse, et cuiusvis rei initium a te ac finem facere, et iis qui indigent, largiri pro viribus, *και παρα σου το δανειον εἰς το μελλον ἐκδεχεσθαι και ἐπιμετρον ζωην αἰωνιον*, *et foenus a te in posterum sumere, et auctarii loco vitam aeternam accipere* ».

LXXVI.

Huc enim Deus pro sua bonitate semper spectat, et quamquam homo is plus semel evadat « ut perinde atque mortuas aures haberet, nullum ex admonitione, quemadmodum (3) Dionysius alexandrinus scribit, percipiat emolumentum; *οὐκ ἐπειδη μη δυναται, ἀλλ' ἐπειδη μη βουλεται*, *non quia non potest, sed quia non vult;* Christus tamen, quod

(1) Ps. L.

(2) Antichristi adventum, adeo turbida omnia erant, proximum fuisse plures eodem quo Didymus seculo suspicabantur, Basilius epist. CXXXIX. n. 2. ad alexandrinos, Hilarius opp. T. II. p. 593. edit. veronensis, et Cyrillus hierosolymitanus Catech. XV. n. 18.

(3) De martyrio, cap. XI. p. 43. edit. Romae 1796.

in Juda apparuit, quamvis haec omnia praesciret, οὐ διελιπεν ἐξ ἀρχης μεχρι τελους τα παρ' ἑαυτου παντα ἐπιδεικνυμενος, *non omisit ab initio ad finem exhibere quaecumque ex se ipso erant* ».

Nimirum, inquit (1) Athanasius « Deus bonus est, μαλλον δε πηγη της ἀγαθοτητος ὑπαρχει· ἀγαθῳ δε περι οὐδενος ἀν γενοιτο φθονος, vel *potius fons ipse est bonitatis : bonus autem nulli invidet.* Quapropter nulli rei quominus sit invidens, omnia per proprium Verbum . . . . ex nihilo fecit, e quibus quum hominum genus prae ceteris omnibus, quae in terra existunt, miseraretur, cerneretque illos ex propriae naturae conditione non sibi satis esse ad semper permanendum, aliquid amplius illis donavit, nec simpliciter, ut reliqua animantia, homines creavit, sed eos ad suam imaginem fecit, virtutisque proprii Verbi participes reddidit, ἱνα ὡσπερ σκιας τινας ἐχοντες του λογου, και γενομενοι λογικοι, διαμενειν ἐν μακαριοτητι δυνηθωσι, ζωντες τον ἀληθινον και ὀντως των ἁγιων ἐν παραδεισῳ βιον, *ut quasdam veluti umbras Verbi habentes, et rationales facti, in beatitudine perseverare, veramque et sanctorum vere vitam in paradiso vivere possent* ».

Tam aliis commemoratis beneficiis, quibus effusa Dei bonitas protoparentes cumulavit, illorumque praevaricatione indicata, pergit (2) : « Quia sermonem habemus de Salvatoris nostri ad nos adventu, necesse fuit etiam de hominum primordiis loqui, ἱνα γινωσκης ὁτι ἡ ἡμων αἰτια ἐκεινῳ γεγονε προφασις της καθοδου, και ἡ ἡμων παραβασις του λογου την φιλανθρωπιαν ἐξεκαλεσατο, ὡστε και εἰς ἡμας φθασαι και φανηναι τον κυριον ἐν ἀνθρωποις, *ut cognoscas nostram* caussam eius adventus fuisse occasionem, nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet, et inter homines Dominus appareret. Nos enim caussa sumus cur corpus assumpserit, και δια την ἡμων σωτηριαν ἐφιλανθρωπευσατο και ἐν ἀνθρωπινῳ γενεσθαι και φανεναι σωματι, *nostramque ob salutem in humano corpore nasci et apparere*

(1) De incarnat. Verbi Dei, n. 3. pagg. 49—50. opp. T. I. edit. Paris. 1698.

(2) Ibid. n. 4. p. 50.

benignissime voluerit ». Qua singulari ac prorsus divina caritate perculsus, exclamat (1) : « *θαυμαζε την του λογου φιλανθρωπιαν, ὁτι δι' ἡμας ἀτιμαζεται, ἱνα ἡμεις ἐντιμοι γενωμεθα. Admirare Verbi erga homines amorem, qui ignominia propter nos affectus est, ut nobis gloriam compararet* ».

LXXVII.

Nequit enim suam Deus exuere naturam « qua, uti Macarius cognomento magnus (2) notat, *χρηστος και φιλανθρωπος benignus est et hominum amans,* multaque patientia exspectat cuiusque peccantium poenitentiam, in festum caeleste instituens resipiscentis conversionem. *Gaudium enim,* ait (3) ipse, , *est in caelo super uno peccatore poenitentiam agente.* Si vero quis hanc animadvertens Dei bonitatem et longanimitatem, qua sibi temperat a singulis protinus criminibus ulciscendis , exspectans, ut diximus poenitentiam , negligat praeceptum, et Dei bonitatem , pronefas ! in occasionem contemptus vertat , peccata peccatis accumulans . . . ; is sane peccatorum implet terminos, et de cetero in tali deprehenditur lapsu, ex quo non amplius illi contingit in integrum restitui; quippe quasi contritis ruina membris innitens , *και τῳ πονηρῳ εἰς τελος συγχωρηθεις , ἀπολλυται , et maligno se usque in finem permittens, perit* ».

Quod quum aliunde , tum ex iis illustrat « quae aegyptiis evenere, multa contra Deum impie ausis, multis grassatis in eius populum iniuriis. Bonus quidem Dominus cladem extremam diu distulit, aliis ac aliis castigationibus eos ad resipiscendum invitans ; at quum nullum finem facerent saepius iniquitatis resumendae, tandem populum Domini rite dimissum persequentes ac retrahere conantes, extremo ipsos ira divina exitio mactavit. Israelitas pariter multa delinquentes, caedis quin etiam prophetarum Dei reos, postquam solita sibi longanimitate diu tolerasset Dominus ; ubi ad ex-

(1) Ibid. n. 34. p. 76.
(2) De elevat. mentis, §. X. p. 192. apud Galland. T. VII.
(3) Luc. XV. 10.

tremum vidit, eo ipsos immanis processisse amentiae, ut neque divinam in misso ad eos Dei Filio reveriti maiestatem, manus ei cruentas intulerint, damnatos irrevocabiliter abiecit in omne tempus, deiecitque; ablata iis prophetia, sacerdotio, religione, quae commisit credentibus in ipsum gentibus ».

Talis quum sit (1) divina in homines clementia « accurramus, subdit Macarius, ad vocantem nos Christum alacriter, effundentes super ipsum corda, et ne nostram desperemus salutem. Nam et hoc diaboli sophisma est, recordatione priorum delictorum inducere in desperationem. At nobis ita cogitandum est: si Dominus, quum in hunc mundum advenit, caecorum, paralyticorum, surdorum medicus et restitutor in integrum fuit; si mortuos iam corruptos suscitavit; quanto magis caecitatem mentis, animi pigritiam, incuriosi cordis curabit surditatem; *ἐπει μηδε ἑτερος, ἀλλ' αὐτος ὁ το σωμα κτισας, αὐτος ἐστι και ὁ την ψυχην, quandoquidem ut non alius ab ipso corporis creator est, ita et animam ipse condidit.* Et si erga fluxa et mortalia tam benigne ac clementer affectus est; *ποσῳ μαλλον τῃ ἀθανατῳ ψυχῃ κακιας νοσῳ και ἀγνοιας ἁλουσῃ, ἐπειτα προσερχομενῃ τουτῳ, και δεομενῃ, φιλανθρωπως θεραπευτικως χρησεται; quanto magis immortali animae, morbo iniquitatis ignorantiaeque laboranti, deinde accedenti ad ipsum et oranti, benevole curationem adhibebit?* eius enim vox haec (2) est: *Pater meus caelestis an non faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte? ita dico vobis, quia cito faciet vindictam eorum.* Et haec (3) eius quoque vox est: *petite et dabitur vobis.* Et (4) rursum: *si eo, quod amicus eius sit, non dabit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quanto indiget.* Quibus verbis ad piam nos quamdam in petitione impudentiam, et improbam importunamque instantiam hortatur. Enimvero propter peccatores ipse venit, ut illos ad se converteret. *μο-*

(1) Ibid. § XI. pag. 193.
(2) Luc. XVIII.
(3) Matth. VII. 7.
(4) Luc. XI. 8.

νον ἡμεις των κακων προληψεων αποσταντες, σχολασωμεν τῳ κυριῳ και αὐτος οὐχ ὑπερορᾳ, ἀλλ᾽ ἑτοιμος ἐσται, παρεχων την παρ᾽ αὐτου βοηθειαν. Tantum a falsis recedentes praeoccupationibus Domino vacemus, et ille nos non despicit, sed promptus est , subministrans , quo ab ipso egemus , auxilium ». Deus (1) enim, eiusque angeli *ψυχας τας μη τροφῃ τῃ ἐπουρανιῳ χρησασθαι δυναμενας , δια πολλης λυπης και θρηνων ποιουνται , animas caelesti cibo pasci amplius non valentes , multo luctu ac lamentis prosequuntur ».*

LXXVIII.

Neque sane mirum, quum natura sua sit Deus, ut Paphnutius (2) loquitur, *περι παντων εὐσπλαγχνος, erga omnes benignissimus* ac ut Isidorus pelusiota (3) scribit, omnino *φιλανθρωπος, hominum amator.* Etenim, Sinesio (4) auctore , *φυσις, ὡς εἰπειν, αὐτη θεου, το ἀγαθοποιειν· ὡς του πυρος το θερμαινειν, και του φωτος το φωτιζειν, natura, ut ita loquar, haec Dei est, benefacere; velut ignis calefacere, et lucis lucere.*

Quum enim, inquit (5) Cyrillus « bonus sit universorum opifex, *παντας ἐθελει σωθηναι και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν, omnes vult salvos esse, et in agnitionem veritatis venire.* Hinc igitur monuit saepe per prophetas sanctos, israelitas, maxime vero hierosolymitanos, qui ad Samariam commigrarunt. Hi autem intemperanter ad id, quod ipsis placebat, declinarunt , et eo qui natura ac vere Deus est derelicto, daemonia coluerunt, et idolis inanimis adorationem tribuerunt. Quum vero tanta laborarent ignoratione, ut resipiscere renuerint , *λοιπον ἐκολαζετο θεος, tandem Deus punivit ».* Manum siquidem ad virgam poenasque non admovet, nisi compulsus; unde relatis iudaeorum apud Isaiam verbis,

(1) Ibid. §. XII. pag. 193.
(2) In vita sancti Onuphrii, §. XI. p. 126. apud Galland. T. XIV.
(3) Epist. lib. III. epist. LXXI. pag. 283. edit. Paris. 1648.
(4) Epist. LVII. p. 192. edit. Paris. 1633.
(5) Comm. in Es. lib. II. tom. III. pag. 266. opp. Tom. II. edit. Paris. 1638.

ubi est multitudo misericordiae tuae, et miserationum tuarum, quia sustinuisti nos? tu enim es pater noster, quia Abraham non novit nos, et Israel non agnovit nos, ea sic uberius (1) explanat: « Sustine igitur nos, etiamsi multoties offenderimus. Tu enim es pater noster , ... Non negant patres. Parum namque proficit hoc ad resipiscentiam, non enim eiecti sunt propter illos; *ἀπονεμουσι δε μαλλον τῳ φιλαγαθῳ θεῳ πλεονεκτειν εἰς φιλοστοργιαν, και τους κατα σαρκα πατερας, sed tribuunt potius Deo bonorum amanti, quod pietate et indulgentia ipsos etiam carnales patres superet. πατηρ γαρ ἐστι* (2) *πατερων, est enim pater patrum.* Nati quidem sumus, inquiunt, ex illis; at non viderunt nos. *συγε μην οὐ διαλελοιπας την πατρι τῳ φιλοπαιδι πρεπουσαν εἰς ἡμας ἀποσωζων, και φειδω, και ἀγαπην· Tu autem non intermisisti misericordiam et amorem in nos patre et liberorum amante dignum retinere* ».

Cuius discriminis hanc non minus praeclaram quam supremo Numine dignam rationem Cyrillus (3) promit »: *φυσει μεν ἀγαθος ὠν, και φιλοικτιρμων ὁ θεος, και ἀνεθελητον ἐχει το πληττειν ὁλως τινας· καλειται δε και ἀναγκαιως εἰς ἀγανακτησιν ἐπιστρεπτικην, ὁταν ἐστι τινων περα λογου τε, και μετρου τα ἐγκληματα. Deus natura bonus, misericors, et a plagis quibuscumque infligendis alienus, provocatur tamen, et convertere se ad indignationem cogitur, quum quorumdam scelera maiora fuerint quam dici possit* ».

LXXIX.

Duplex igitur habitus ac relatio duplex Deum inter hominumque genus secerni debet: *habitus* ac *relatio amoris, benignitatis* et *misericordiae*, qua Deus est, diciturque *φιλοστορ-*

(1) Comm. in Es. lib. V. tom. V. pag. 884. opp. T. II.

(2) Quae est germana lectio, non vulgaris altera, *πατηρ πνευματων, pater spirituum,* quae et ab orationis serie dissidet, et in textum haud dubie irrepsit e loco Pauli Hebr. XII. 9.

(3) Comm. in Oseam. cap. VII. §. LXX. p. 105, et cap. XI. §. CXXXIII. p. 166. opp. T. III.

γος, φιλανθρωπος, φιλοψυχος, πατηρ, ὀντως πατηρ, και πατηρ πατερων, *ad amorem propensus, hominum animarumque amator, pater, vere pater ac pater patrum* : tum *habitus* ac *relatio severitatis, iustitiae et poenae*, qua Deus est censeturque *supremus legislator*, *institutique ordinis omnipotens assertor ac vindex.*

Verum *quaenam* est utriusque habitus *origo*, *quive mutuus respectus*? prioris origo iterum *duplex* est, altera *subiectiva Deoque insita* : ac altera *obiectiva*, ipsamque *ex sese* humanam naturam consequens; at posterioris *unicus* est *fons* neque aliunde quam *ex hominum vitio* permanans.

Et re sane vera quaeratur ab alexandrinis doctoribus, cur Deus sit *φιλανθρωπος, φιλοψυχος*, hominumque parens? unanimes (1) reponunt, eiusmodi relationis hanc *primam* esse caussam, quod Deus *φυσει*, *natura* est *χρηστος*, *φιλαγαθος*, *φιλοικτιρμων, ἀγαθος*, *πηγη της ἀγαθοτητος και περι παντων εὐσπλαγχνος*, *benevolus*, *boni amans, misericors*, *bonus, bonitatis fons*, *omniumque miserator*, ac ita ex sese ad beneficiendum propensus, ut *ἀναλογως* non iniuria comparetur vel *cum igne qui sponte calefacit*, vel *cum luce quae diffusis radiis sponte illuminat.*

Tum unanimes subdunt, alteram eiusdem relationis caussam accedere inde ductam, quod homo *φυσει*, *natura* est *του θεου πλασμα, Dei figmentum* , *aliquid in se habens θεῳ ἰδιον, Dei proprium, imago ipsius Dei, inter obnoxias sensibus creaturas το καλλιστον*, *opus pulcherrimum, φιλοθεον ζωον, animal Dei amans*, atque idcirco *δι'αὐτον αἱρετος, dignus qui per se eligatur* ac electus ametur. Atqui nihil ex his luculentius, quam duplicem *ab alexandrinis doctoribus* assignari caussam tum *subiectivam*, quum *obiectivam* illius relationis, cuius primum meminimus, quaeque eo pertinet ut Deum inter hominesque *commercium amoris benignitatisque* interesse existimetur.

At posterioris contra *unicum* omnes assignant *fontem*, illumque humanum ac ex hominum malitia peccatisque deductum. Doctrina siquidem est penes ipsos indubitata, Deum

(1) §§. 72. seqq.

non ultro, sed ἀναγκαίως, *necessitate compulsum* poenis animadvertere, hominibus non antea irasci quam illos sua misericordia praevenerit, neque ad supremam condemnationis sententiam antea descendere, quam illi ad extremum usque peccatis adhaeserint. Immo doctrina est penes eos indubitata, vel ipsas poenas hominibus, quamdiu mortalem degunt vitam, caelitus inflictas, effectus esse *non odii sed amoris*, quo Deus nihil intentatum relinquit, ut pertinacem illorum voluntatem frangat, et ad poenitentiam salutemque adducat. Quo certe spectant quaecumque retulimus alexandrinorum scriptorum testimonia, quibus propterea et illud efficitur quod contendimus: *unicam, eamdemque ex hominibus peccantibus depromptam esse caussam, e qua Deum inter hominesque habitus severitatis, iustitiae ac damnationis oboritur.*

E quibus pronum est intelligere, qui sit mutuus utriusque relationis respectus, quove eae sese ordine excipiant. Liquet enim amoris habitum origine, efficientiaque praevertere; habitum vero iustitiae a poenae altero veluti gradu subsequi. Quod alexandrini partim δυνάμει ac virtute, partim ῥητῶς disertisque verbis confirmant.

Et confirmant primum virtute, quum misericordiae amorisque habitum *nativum* esse tradunt, illumque *ex ipsa Dei, hominumque natura* derivant. Quod enim nativum est ac absolutum, id quoque praegreditur, eoque antecedit quae extrinsecus adveniunt et a libera conditione dependent,

Apertis deinde verbis confirmant, siquidem testantur, ordinem iustitiae, relationemque poenae effectus esse, qui e neglecto misericordiae habitu, spretoque amoris ordine proficiscuntur. E duplici ergo relatione misericordiae ac iustitiae, amoris atque irae, praemii ac poenae illa praevertit, ista consequitur, illa principem locum, ista alterum obtinet, illa e rerum naturis sponte fluit, ista hominum culpis inducitur.

Jamvero prior relatio *a voluntate antecedente* nonnisi nomine distat, quemadmodum nonnisi nomine posterior relatio *a voluntate consequente* secernitur. Habemus igitur novis formulis, aliisque testibus eam comprobatam divinae voluntatis partitionem *in antecedentem et consequentem*, quam

principio (1) exposuimus, quamque pluribus deinde illustravimus.

LXXX.

Ut autem plenius constet, ista sibi non specie solum, sed re quoque ipsa adamussim respondere, investigandum superest, eas ne dotes relationi misericordiae ac amoris alexandrini tribuerint, quas proprias esse voluntatis antecedentis unanimi aliorum suffragio comprobavimus. Atqui de hac sententiarum conspiratione fas non est dubitare. Ecquae enim potiores recensentur voluntatis antecedentis proprietates ac notae? nimirum ut ea sit credaturque *efficax* et *actuosa*; deinde vero ut sit credaturque *universalis* ac ad eos se porrigens omnes, qui humani generis appellatione comprehenduntur. Nullum vero est eiusmodi ornamentorum, quod amori ac misericordiae divinae alexandrini non tribuant: nullum quod commercii misericordiae ac amoris Deum inter hominesque proprium esse non docent.

Hi enim sunt, qui in adductis (2) testimoniis unanimes profitentur: *a*) inanem esse amorem qui non prodest: *b*) Deum ἐργῳ, *ipsomet opere* suam in homines benevolentiam patefacere: *c*) iis semper praesto esse interius exteriusque adhortando, monendo, castigando: *d*) nullam de illorum salute curam praetermittere: *e*) suum idcirco misisse Unigenitum, peccata condonare, subministrare auxilium: neque *f*) subministrare auxilium his solum aut illis, sed omnino omnibus, quantum in se est: siquidem *g*) quantum in se est vult omnes homines salvos fieri: neminem *h*) vult perire, neminem a spe consequendae salutis excidere: unde *i*) σωτηριαν exhibet *καθολικην και γενικην universalem generalemque*: illosque solum *k*) deserit ac damnat, a quibus prius ipse deseritur, quique ad finem usque in culpa perseverant.

Sed quid his significatur, quid ostenditur? credo, divino in homines amori, divinaeque misericordiae neque *efficaciam*

(1) §§. III. seqq.
(2) §§. LXXII. seqq.

neque *universalem amplitudinem* deesse. Quod iam ex ordine aliis confirmare adgredior eorumdem testimoniis, e quibus perspicuum erit II. *alexandrinos doctores in hac fuisse sententia, incredibilem effectuum ubertatem e commercio amoris ac misericordiae in universum hominum genus redundare.*

LXXXI.

Sane Cyrillus (1) auditis Palladii verbis, *inopia caelestium bonorum depulsi quandoque ad turpes exsecrandasque actiones delabimur*, continuo reponit *οὕτω φημι*, *ita sentio*; eo autem animadvertente, *divinae benignitati congruere, ne permittat, ut in huiusmodi aliquid incidamus*, subdit : « Congruit et quidem maxime id Deo, atque adeo vult, Palladi : *εἰη γαρ ἀν ἡκιστα μεν ἀγαθος, φιλαρετος δε οὐ λιαν, εἰ μη τουτον ἐχοι προς ἡμων τον σκοπον*, *alioqui minime bonus esset, nec sane virtutis amans, nisi hoc erga nos esset animo.* Sed quod haec nobis accidunt, nostra culpa est, qui omnium Dominum ad iram commovemus». Quemadmodum (2) ad iram commoverunt «qui vocati ad nuptias, negligenter ac remisse sanctis invitatoribus responderunt, et a Christi conversatione prae ignavia extorres facti sunt, quum iisdem, benigna clementique Dei et Patris voluntate honor delatus esset». Optimus (3) namque « idemque maximus universorum Deus omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Hinc eos qui infirmi erant commonefaciens, et qui animam suam nihili fecerunt, in rectam planamque semitam revocans, omnes vias, omnemque orationem admovet. Nunc enim suppliciorum minis ac irae terroribus concutiens, ad melius reducit, nunc autem bonorum pollicitationibus inescat, attrahitque ad utile ». Quibus artibus (4) idcirco utitur » quia omnia scienti Deo propositum est, animis nostris semper congruentem maximeque conducibilem medelam adhibere.

(1) De adorat. in spirit. et verit. lib. I. pag. 14. opp. T. I.

(2) Ibid. lib. IV. pag. 113.

(3) Comm. in Es. lib. III. tom. II. pag. 399. opp. T. II.

(4) Comm. in Jon. cap. IV. p. 386. opp. T. III.

ἰατρος γαρ ἐστι πνευματων, ποτε μεν τοις πονοις, ποτε δε αὐτοις ἐξ ἡμεροτητος ἀγαθοις των ἐν ἡμιν παθων κατευναζων την ἀγριοτητα. Etenim medicus est spirituum, quandoque laboribus et afflictionibus, quandoque bonis ex mansuetudine oblatis malarum affectionum nostrarum feritatem consopiens ».

Atque hoc medici munere fungens, inquit (1) Athanasius, *crucis idcirco mortem pertulit, quod nulla alia nobis conduceret.* » Nam si ideo venit, ut maledictionem, in quam incideramus, portaret; quomodo aliter factus fuisset maledictio, nisi maledictionis mortem suscepisset? ea autem crux est, scriptum (2) namque est, *maledictus qui pendet in ligno*. Deinde, *εἰ ὁ θανατος του κυριου λυτρον ἐστι παντων, si mors Domini pretium est omnium,* eiusque morte medius paries maceriae solvitur, *και γινεται των ἐθνων ἡ κλησις*, et *fit vocatio gentium*, quomodo nos convocasset, nisi fuisset crucifixus? siquidem in sola cruce extensis manibus mori quis potest. Quocirca id mortis genus Dominum pati et manus extendere decuit, ut altera veterem populum, altera gentes attraheret, ac utrosque in seipso coniungeret. Id quippe et ipse (3) dixit, *σημαινων ποιῳ θανατῳ ἐμελλε λυτρουσθαι τους παντας*, significans *qua* morte omnes esset redempturus: *quum exaltatus fuero, omnes (παντας) traham ad meipsum* ». Ac omnes (4) profecto trahit: « *ἀνθ' ἡλιου γαρ θεος ἀνατελλει, καταυγαζων τῃ ἑκαστου ψυχῃ, solis enim instar Deus exoritur, singulorumque illustrat animam* ». Et affatim (5) illustrat » spargit siquidem Jesus *δαψιλως* largiter sementem, fructuum autem copia existit pro ratione soli. Nam ubi petrosa est terra, facile exarescit semen, *οὐκ ἀδυναμιᾳ του σπορου, ἀλλα τῃ καχεξιᾳ της γης*, non quidem impotentia seminis, sed vitio terrae, . . . *μονοειδης μεν ὁ σπορος, διαφορος δε ὁ καρπος· διαφοροι δε αἱ γνωμαι των διδασκομενων.* Sibi namque simile est semen, diversus autem fructus, siquidem diversae eorum sententiae, qui erudiuntur ».

(1) De incarnat. Verbi Dei, n. 25. p. 68. opp. T. I.
(2) Gal. III. 3.
(3) Joh. XII, 32.
(4) De sabbato et circumcisione, n. 5. p. 58. opp. T. II.
(5) Ibid. Hom. de semente, n. 2. p. 61.

LXXXII.

Ac Salvator enim vero, quae sunt (1) Theophili verba, semel ingressus in sancta sanctorum, *ἀδειαν τοις βουλομενοις δεδωκεν*, liberam cuique volenti intrandi facultatem impertiit ». Quinam igitur non ingrediuntur, quive foris manent? ii solum, respondet (2) Dionysius alexandrinus, qui imitantur Synagogam, « quae non vult credere, *ἡ περιλελυμενη ἀπο του ἀληθινου νυμφιου, και τῳ Βαραββᾳ ἑαυτην περιπλεξασα*, quae se a vero sponso abstraxit, et se cum Barabba circumplicavit ». Ii solum, subdit (3) idem, « quos Deus (4) arguit, utpote qui sapientiae participes esse recusarint ».

Sapientiae namque fons ac auctor Deus, scribit (5) Serapion, « pulsat, et si mens cunctetur ac somno se dedat, emittit (6) vocem: *aperi mihi, soror mea, sponsa, quoniam caput meum impletum est rore, et cincinni mei guttis noctis.* Haec dicit, *ἱνα την φιλιαν δειξῃ, και την κηδεμονιαν σημανῃ*, ut amicitiam declaret, providamque curam significet; et quum foris est, sustinet et non recedit, *ἑως ἀν τῃ συνεχειᾳ της αἰτησεως και της κρουσεως ὑπανοιξει ἑαυτην ἡ διανοια, τοπον τῳ κρουοντι παρεχουσα*, donec continua petitione et pulsu seipsam mens aperiat, praebens locum pulsanti ». Cuius, inquit (7) Orsiesius abbas tabennensis, « tanta est clementia, ut nos provocet ad salutem, ac ideo sustentat et differt, ut de gravi somno evigilemus, et ad meliora conversi, cruciatibus non tradamur ».

Quod Deo maxime cordi est, unde, teste (8) Antonio magno, « visceribus pro nobis motus, propria bonitate voluit

(1) Fragm. ex epist. I. paschali, apud Gallandium T. VII. p. 640.

(2) Con. Samosatenum, p. 275.

(3) De martyrio, cap. II. p. 19.

(4) Baruch. III. 12—13.

(5) Adves. manich. §. XXVI. p. 61. apud Galland. T. V.

(6) Cant. V. 2.

(7) Doctr. de instit. mon. §§. III—VI—XXXVIII. pagg. 40—46. apud Gallan. T. V.

(8) Epist. III. p. 665. apud Galland. T. IV.

convertere nos ad illud sine fine principium, visitationem fecit creaturarum non parcens sibimetipsi *ob nostram universorum salutem.* Tradidit quippe se pro peccatis nostris, et iniquitates quidem nostrae humiliaverunt eum, sed (1) *livore eius nos omnes sanati sumus.* Verbo enim virtutis suae congregavit nos ex omnibus regionibus, ab extremo terrae usque ad ultimum orbis, docens quod essemus ad invicem membra . . . . Angelos suos nobis ministrare fecit, prophetasque proprios vaticinari praecepit, apostolos etiam suos nobis evangelizare iussit. Illud vero prae reliquis omnibus insigne est, quod Unigenitum suum formam servi fecit assumere pro nobis ». Quae omnia numero plurima ac dignitate nobilissima huc (2) redeunt : « Quod Deus visitationem continuo fecit creaturarum suarum, manifestans propriam bonitatem ».

Illas enim *ἐμμεσως* visitavit, quum (3) *τους παντων των ἐν κοσμῳ κιονας*, *totius mundi columnas* (4) *beneficiis obstrinxit*: visitavit autem ac porro *ἀμεσως* visitare pergit, quia (5) *magna est ubique misericordia Dei*, qui (6) *Deus et Dominus noster Jesus Christus fidem suam per universum orbem in salutis nostrae unicum remedium manifestare ac ampliare non destitit*, et quia (7) ratum fixumque manere debet » *τον κυριον ἡμων Ἰησουν Χριστον ἐνανθρωπησαντα δι' ἡμας, ἱνα πασαν μεν ἁμαρτιαν ἐκκοψῃ, ἐφοδια δε της εἰς αἰωνιον ζωὴν εἰσοδου ἡμιν καταθηται*, Dominum nostrum Jesum Christum nostra caussa hominem idcirco factum fuisse, ut et peccatum

(1) Is. LIII. 5.

(2) Ibid. §. VI. p. 665, et epist. IV. §§. I—II.

(3) Alexander alex. epist. de arian. haeresi, deque Arii depositione, §. V. p. 444. apud Galland. T. IV.

(4) Idest *apostolos*, e quibus Petrus et Jacobus in epist. ad Galatas *columnae* nuncupantur. Hinc in editione Sirmondi post verba, *παντων των ἐν κοσμῳ κιονας*, sequitur hoc scholion, *τους θεηγορους φημι ἀποστολους*.

(5) Petrus alex. de eo quod decimam quartam primi mensis lunae usque ad Hierosolymorum excidium recte statuerint hebraei, §. I. p. 110. apud Galland. T. IV.

(6) Theonas in epist. ad Lucianum, §. I. p. 69. apud Galland. T. IV.

(7) Phileas in epist. ad Themuitas, §. I. apud Eusebium H. E. lib. VIII. cap. X, et apud Galland. p. 65. T. IV.

omnino exscinderet, et ad vitam aeternam contendentibus nobis *subsidia itineris compararet* ».

LXXXIII.

« Dominus enim, verbis utor (1) Macarii aegyptii, multa in homines fertur benignitate, et intima misericordia tangitur, si quando toti prorsus ad eum convertamur, ab omnibus, quae contraria sunt, nos eripientes. Quamvis enim nos per summam ignorantiam, infantiam ac anticipatam de malitia opinionem aversemur veram vitam, ac impedimenta multa nobis ipsi ponamus, revera resipiscere nolentes, *ἀλλ' αὐτος πολυ σπλαγχνιζεται ἐφ' ἡμας μακροθυμων, ποτε ἐπιστρεψαντες προσελθωμεν προς αὐτον, και τον ἐσω ἡμων ἀνθρωπον φωτισθωμεν, ἱνα μη καταισχυντωσι τα προσωπα ἡμων ἐν ἡμερᾳ κρισεως*, ipse tamen multum miseretur nostri, longanimiter exspectans, quando conversi accedamus ad eum, et quoad internum nostrum hominem illuminemur, ne confundantur facies nostrae in die iudicii.

Quod si difficile ac molestum nobis id videtur, propter duram virtutis exercitationem, magis vero propter suggestionem ac consilium adversarii; *ἰδου αὐτος σπλαγχνιζεται και μακροθυμει ἐκδεχομενος την ἡμετεραν ἐπιστροφην, και ἁμαρτανοντων ἡμων, ἀνεχεται, ἀναμενων την μετανοιαν ἡμων, και πιπτοντας ἡμας οὐκ ἐπαισχυνεται παλιν δεχεσθαι, καθως εἰπεν ὁ προφητης· μη ὁ πιπτων οὐκ ἀνισταται, ἠ ὁ ἀποστρεφων οὐκ ἐπιστρεφει*; ecce ipse summa commiseratione motus leni patientique animo est, exspectans nostram conversionem, atque peccantes nos tolerat, nostramque poenitentiam desiderat, et lapsos nos recipere non erubescit, sicut dixit (2) propheta: *numquid qui cadit, non resurgit, aut qui aversus est, non revertitur* »?

At si eiusmodi est Dei in nos (3) misericordia « qui fit ergo, ut tantis exhortationibus et promissionibus impulsi,

(1) Hom. IV. §§. XVI—XVII. p. 18. apud Galland. T. VII.
(2) Jer. VIII. 4.
(3) Ibid. §. XVIII. p. 18.

toti omnino eum adire, nosque totos ei dedere renuamus? sed ecce haec omnia et quanta praeterea gloria data est! quot dispositiones (οἰκονομιαι) a patrum prophetarumque temporibus factae sunt? quot promissiones? et quot exhortationes? quanta misericordia Domini in nos ἐξ ἀρχης, ab initio fuit? tandem vero et suo ipsius adventu την ἀῤῥητον χρηστοτητα ἐφ' ἡμας δια της σταυρωσεως ἐπεδειξατο, ineffabilem erga nos benignitatem per crucifixionem ostendit, ἱνα ἡμας εἰς ζωην ἐπιστρεψαντας μετενεγκῃ, ut nos conversos in vitam transferat.

Nos tamen a voluntate nostra, dilectione mundi, anticipationibus et consuetudinibus pravis non secedimus. Quare nos aut exigua, aut nulla omnino fide praeditos esse hinc apparet. Et praeter haec omnia, ἰδου αὐτους χρηστευεται, ἀορατως φρουρων και περιθαλπων, μη κατα τα ἁμαρτηματα παραδιδους ἡμας εἰς τελος τῃ κακιᾳ, και τῃ του κοσμου ἀπατῃ ἀφιων ἡμας ἀπολεσθαι, δια πολλην χρηστοτητα και μακροθυμιαν ἀποσκοπων, ποτε προς αὐτον ἐπιςτρεψωμεν; ecce benignum se exhibet nobis, protegit ac fovet nos *invisibiliter*, nec nos, secundum peccata nostra, malitiae et mundi deceptionibus in perpetuum traditos, sinit perire propter summam clementiam et longanimitatem suam, ab alto dispiciens, quando ad eum convertamur ».

Huius autem (1) clementiae et longanimitatis meminit Apostolus (2), inquiens: ἡ του πλουτου της χρηστοτητος αὐτου και της ἀνοχης και της μακροθυμιας καταφρονεις, ἀγνοων ὁτι το χρηστον του θεου εἰς μετανοιαν σε ἀγει; *an divitias bonitatis illius ac tolerantiae lenitatisque contemnis, ignorans, quod bonitas Dei ad poenitentiam te invitat?* unde « si longanimitate, bonitate et tolerantia eius abusi, plura addiderimus peccata, et gravius iudicium negligentia contemptuque nostro nobis ipsis accersiverimus, implebitur (3) illud dictum: *sed secundum duritiam tuam, et cor poenitendi nescium, colligis tibi ipsi iram in die irae revelationis iusti iu-*

(1) Ibid. §. XIX. pagg. 18—19.
(2) Rom. II. 4.
(3) Rom. II. 5.

dicii Dei. πολλῃ γαρ ἀγαθοτητι ἀνεκδιηγητῳ, και μακροθυμιᾳ ἀνεκφραστῳ κεχρηται ὁ θεος περι του γενους των ἀνθρωπων, μονον εἰ ἡμεις ἀνανηψαι θελησομεν, και ἐξ ὁλου ἐπιστραφηναι προς αὐτον σπουδασομεν, ἱνα σωτηριας τυχειν δυνηθωμεν. Deus enim summa et inenarrabili bonitate ac lenitate ineffabili erga genus humanum utitur, si modo resipiscere velimus, et penitus converti studeamus, ut salutis participes fieri possimus ».

De qua lenitate praeclara (1) in Scripturis testimonia leguntur: « quare (2) et nunc Deus bonus et benignus longanimem se praestat erga unumquemque nostrum, videns quantum quisque impingat; et quiescit exspectans, quando resipiscat et avertatur a commitendis peccatis, recipiens eum a peccato conversum magna dilectione et gaudio. Sic enim (3) inquit; *gaudium fit super uno peccatore resipiscente.* Et (4) rursum: *non enim est voluntas Patris mei, ut pereat unus ex parvulis istis minimis* ».

Quibus Macarius alia subiicit eodem pertinentia, ac iisdem propemodum expressa verbis; tum alibi (5) addit: « Justus Deus est, et iusta iudicia eius, και προσωποληψια (6) παρ᾽ αὐτῳ οὐκ ἐστιν, neque respectus personarum apud eum ullus; sed pro modo (κατα ἀναλογιαν) beneficiorum sive corporalium, sive spiritualium, sive scientiae, sive intellectus (ἁ και ἐν τῃ φυσει των ἀνθρωπων ὁ θεος διαφορως ἐνεθηκεν, quae Deus naturae quoque humanae varie indidit) iudica-

(1) Ibid. §. XX. p. 19.

(2) Ibid. §. XXI. p. 19.

(3) Luc. XV. 10.

(4) Matth. XVIII. 14.

(5) Hom. XXIX. §. VI. p. 114.

(6) Duplici apud hebraeos phrasi, נשׂא פנים, הכיר פנים, *accipere faciem, agnoscere faciem*, duplex item apud alexandrinos interpretes, scriptoresque novi testamenti formula respondet, λαμβανειν προσωπον et βλεπειν εἰς προσωπον. Sicut autem ex priori hebraica phrasi deducitnr ῥησις נשׂא פנים, *acceptio faciei*; ita ex priori graeca formula inflectuntur dictiones προσωποληπτεω, Jacob. II. 9, προσωποληπτης, Actt. X. 34, ἀπροσωποληπτως, I. Patr. I. 17. et προσωποληψια, Rom. II. 11, Ephes. VI. 9, Col. III. 25, Jacob. II. 1, in quo postremo loco pulchra της προσωποληψιας descriptio occurrit.

turus unumquemque, fructus virtutis requiret, et pro dignitate reddet cuique iuxta opera eius; (1) *et potentes potenter tormenta patientur.* Minimus enim venia ac misericordia dignus. Et Dominus (2) ait: *servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non se praeparavit nec fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Porro cuicumque multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.*

Scientiam autem et intellectum *διαφορως νοει*, diversimode intellige, *ἤτοι κατα χαριν και δομα ἐπουρανιον του πνευματος, ἤτοι κατα φυσικην ἀκολουθιαν συνεσεως και διακρισεως, και δια των θειων γραφων παιδευσεως*, tam secundum gratiam et donum caeleste Spiritus, quam secundum naturalem progressum intellectus et discretionis, atque e sacris litteris profectae institutionis. Ab unoquoque enim reposcentur fructus virtutis, *κατα ἀναλογιαν των παρα θεου γενομενων εἰς αὐτον εὐεργεσιων, ἤτοι φυσικων, ἤτοι ἐκ θειας χαριτος δεδομενων*, pro modo collatorum a Deo in se beneficiorum, sive naturalium, sive eorum quae divina gratia tribuuntur. *ἀναπολογητος τοινυν ἐστι πας ἀνθρωπος παρα θεῳ ἐν ἡμερᾳ κρισεως· ἕκαστος γαρ καθ' ὅ ἐγνω τους καρπους της πιστεως, και ἀγαπης, και πασης ἀρετης της προς αὐτον, ἐκ προαιρεσεως και θεληματος ἀνταποδοσιν ἀπαιτηθησεται, ἤτοι δι' ἀκοης, ἤτοι μηδεποτε λογον ἀκουσας θεου.* Inexcusabilis ergo est omnis homo apud Deum in die iudicii. A quolibet enim, prout novit, fructus fidei et dilectionis, atque omnis sibi concessae virtutis, electionis voluntatisque ratione habita, restitutio exigetur, sive auditu perceperit, sive numquam verbum Dei audiverit ».

LXXXIV.

Quisquis enim id semper habuit, quo si voluisset, sibi salutem comparasset. « Patres, concludit (3) Macarius, qui

(1) Sap. VI. 7.
(2) Luc. XII. 47.
(3) Ibid. Hom. XXX. §§. I—II. p. 115.

in terris sunt, e sua ipsorum natura generant liberos, . . . eosque natos omni studio instituunt, ut suos filios, donec perfecti viri evadant, et successores ac heredes. Omnis enim scopus patrum, et omne studium ab initio eo tendit, ut procreent liberos ac heredes habeant; et nisi genuerint, summa tristitia ac moerore afficiuntur; sicut e diverso ubi procreaverint liberos, gaudio perfunduntur.

Τον αὐτον τροπον και ὁ Κυριος ἡμων Ἰησους Χριστος περι της του ἀνθρωπου σωτηριας φροντισας, πασαν οἰκονομιαν και σπουδην ἐπετελεσεν ἐξ ἀρχης δια πατερων, πατριαρχων, δια νομου και προφητων· ἐσχατον και αὐτος παραγενομενος, και σταυρου αἰσχυνης καταφρονησας, ὑπεμεινε θανατον· και οὑτος ὁλος ὁ καματος, και ἡ σπουδη αὐτου γεγονεν, ὁπως γεννηση ἐξ ἑαυτου ἐκ της ἑαυτου φυσεως τεκνα ἐκ του πνευματος, ἀνωθεν εὐδοκησας γεννηθηναι ἐκ της αὐτου θεοτητος. και ὡσπερ οἱ πατερες οὑτοι, ἐαν μη γεννησωσι, λυπουνται· οὑτως και ὁ Κυριος ἀγαπησας το γενος των ἀνθρωπων ὡς ἰδιαν εἰκονα, ἠθελησεν αὐτους ἐκ του αὐτου σπερματος γεννησαι της θεοτητος. εἰ τινες οὐν μη θελησωσιν εἰς τοιαυτην γεννησιν ἐλθειν, και ἐκ της γαστρος του πνευματος της θεοτητος γεννηθηναι, πολλην λυπην ὁ Χριστος ἀναδεχεται, παθων δἰ αὐτους και ὑπομεινας, ἱνα τουτους σωση.

Eodem modo Dominus noster Jesus Christus de hominis salute solicitus, omnem dispensationem ac studium perfecit a principio, ministerio patrum, patriarcharum, legis ac prophetarum, postremo quoque ipse adveniens, ac crucis ignominiam spernens, mortem pertulit. Omnis itaque labor ille, et studium eius in eo fuit, ut generaret ex seipso, e sua ipsius natura filios e Spiritu, sibi complacens quod superne e sua divinitate nascerentur. Et quemadmodum patres hi, nisi genuerint, tristitia et dolore anguntur; ita Dominus, qui diligens humanum genus *tamquam propriam imaginem*, voluit eos ex ipso semine divino procreare. Si qui ergo renuerint ad eiusmodi generationem venire, et de ventre divini Spiritus nasci, summum dolorem suscipit Christus, qui propter eos passus est, ac pertulit, ut eos servaret ».

Quare nihil eo verius, quod alter Macarius cognomine alexandrinus confirmat, eos dumtaxat aeternum perire, qui

quum possent, misericordia creatoris ac reformatoris ti noluerunt. Descripta (1) enim primum eorum fidelium post mortem conditione, qui *peccatorum rei fuerint*, ad eosleinde progressus, qui antea obierint, quam baptismate initiarentur, subdit (2): « Sed non par ratio eorum, qui sanctum baptisma non recepere. Has enim non illuminatas animas (*τας ἀφωτιστους ψυχας*), ubi e corpore discessere, immites angeli duriter accipiunt, caedentes, ingerentesque: huc, hc, anima impia, vide, quis tuus et omnium Dominus Christus sit, *ὁ οὐκ ἐθελησας γνωναι, ἐν ἀνεσει διαγουσα ἐν τῳ κοσμῳ*, quem cognoscere in hac vita negligenter agens noluisti. Huc tandem cognosce perpetuis damnata suppliciis ».

LXXXV.

Atque ita prorsus existimandum esse, iis confirmatur insigniter, quae Didymus scribit, ut *divini Verbi deitatem perfectamque propriarum ipsius creaturarum gubernationem* ostendat. Receptas enim apud antiquiores patres formulas, sententiasque repetens, docet (3): « ipsum cuiusvis boni largitorem esse, et bonitate praeditam, bonorumque effectricem lucem, et mysticum solem, qui indeficienti lumine a scipso emanante inerrantium (4), eiusdemque luminis capacium animarum oculos illuminat, ac ea, quae ob peccata ita prius comparata erant, ut ipsa per se videre non possent, *videndi facultate* donat. Eum insuper et sanationem esse, et thesaurum sapientiae scientiaeque inexhaustum, *om-*

(1) Ibid. Serm. de excessu iust. et peccat. §. IV. p. 239. In qua descriptione illud est animadversione dignissimum, disertam haberi mentionem *precum et oblationum, quae nona et quadragesima die pro vita functis in ecclesia* celebrabantur.

(2) Ibid. §. V. p. 239. Cf. Fabricii Bibl. Gr. T. VII. p. 495, et Cod. apocr. N. T. T. II. p. 949.

(3) De Trinit. lib. I. cap. XXVIII. p. 86.

(4) Allegoriam a sole ductam, astrisque *inerrantibus* ac fixis prosequitur.

nesqe (1) *iuvantem* ». Ac omnes sane iuvat, quum (2) sit, dicaturque ὁ παντων γενεσιουργος και εὐεργετης, *beneficus rerum omnium conditor*, qui (3) *regnum caelorum*, *divinamque pacem*, *utpote quae ipsius sit* ἀβασκανως *sine invidia omnibus largitur*.

Eade Trinitatis (4) proprium hoc est « ut omnibus tempu ad beneficia eis conferenda disponat, et ad iram quidem tarda sit, εἰς εὐποιΐαν ad benefaciendum vero prompta, et irascatur quidem ob nostra delicta, poenam autem δι' οἰκειαν φιλανθρωπιαν, , ob insitam benignitatem condonet ». Imo tertia Trinitatis hypostasis, sanctusque Spiritus hoc sibi (5) vindicat » ut ubique diffusus omnia capiat, et in omnibus sine commixtione inhabitet, et in cogitationes quum nostras, tum eorum qui nobis invisibiles sunt, se insinuet, et accurate scrutetur omnia, etiamsi omnia noscat, et sine voce insonet, et animas intus tacite clamantes exaudiat, και πασας ἐπι πασιν οἰκτειρων (6) ἀμελλητι, et eos omnes sine cunctatione in omnibus misericordia prosequatur et corroboret, inexplicabilem laetitiam omnibus ubique naturis infundat, omnia sub semetipso habeat, και θεσπεσιῳ φωτιζων φωτι και εὐεργετων τῃ ἀπλετῳ αὐτου ἐνεργειᾳ και ἀγαθοτητι, et

(1) Teste Clemente in Protreptico, Phidias digito Jovis olympici insculpsit, Παντaρκης καλος: heic Verbum dicitur θησαυρος πανταρκης.

(2) De Trinit. lib. I. cap. XXVII. p. 83.

(3) Ibid. cap. XXXIV. p. 101.

(4) Ibid. lib. II. cap. I. p. 112.

(5) Ibid. cap. IV. p. 135.

(6) « Apud Thucydidem, inquit Mingharellius, in libro priore, et apud Pollucem, μελλητης est *cunctator*; ἀμελλητι igitur erit *sine* cunctatione, διχα μελλησεως, ut alibi Didymus loquitur. Vox ἀμελλητι a vulgaribus Lexicis abest, eiusque loco, sed citra quodvis exemplum, occurrit vox ἀμελητι. Restituatur ergo ἀμελλητι, eiusque usus testimoniis comprobetur quum Didymi, tum Constantini in oratione ad patres nicaenos, Sozomeni H. E. lib. II. cap. XXII, et Damasceni in Parallelis, T. I. p. 341 ». Hactenus ille, qui dum conqueritur de vulgaribus Lexicis, in quibus desideretur ἀμελλητι, nescio quae Lexica nominet; quum ἀμελλητι adverbium sit notissimum, inflexum ab adiectivo ἀμελλητος, quod est a verbo μελλω, *cunctor, haesito*. Quod autem addit de adverbio ἀμελητι pro ἀμελλητι, ineptum est; siquidem ἀμελητι proxime est ab adiectivo ἀμελος, *incuriosus*, et mediate a verbo ἀμελεω, *sine cura et solicitudine sum*.

divina luce ea illuminet, et illis immensa sua efficacia ac bonitate benefaciat: eos quidem, quibus melior intentio ac animus est, ad perfectiorem scopum ducat, quorum vero deterior, atque adeo prava mens vitaque est, eos sua ipsius regia et concordi et indivisa gubernatione non privet ». Ad eum namque (1) pertinet « ut omnium curam habeat, ac omnibus prospiciat, ne sontibus quidem exceptis ». Sane (2) *ἀληθως ἐστιν ἐργον φιλανθρωπον της πανσοφου και ἀγαθωτατης τριαδος ἡ εἰς εὐσεβῆ βιου τριβον ἀποστολη και ὁδηγια και ἡ περι παντας χρηστοτης*, *benignum vere opus sapientissimae optimaeque Trinitatis est in piam vitae semitam mittere, omnesque clementia prosequi.* Neque ab hoc opere (3) cessat « sed *δι᾽ οἰκειαν εὐσπλαγχνιαν*, ob insitam misericordiam morbos, in quos ob nostram insipientiam incidimus, sanat, atque *παντοτε πασιν* omnibus semper opem fert, ac neque eos qui recte vivunt ac veluti stant, neque eos qui in vita lapsi fuerint, deserit aut aversatur ».

LXXXVI.

Quamquam enim, scribit (4) Origenes, nonnulla in Scripturis occurrant, quae quosdam a Deo desertos suadere videantur « nihilominus pietatem erga Deum et Christum eius in omnibus servant, qui pro virili parte probare contendunt, Deum immortali animae variis modis providere ». Ut enim occasione verborum (5) apud Jeremiam, *numquid solitudo factus sum domui Israel, vel terra agrestis?* disputat (6): *οὐδενι ἐρημος ἐστιν ὁ θεος, nemini Deus est solitudo.*

Nemini est solitudo *μετα τας καθολικας εὐεργεσιας, secundum generalia beneficia* « utpote qui (7) solem suum oriri facit super bonos et malos; nemini terra agrestis, utpote

(1) Ibid. cap. VI. p. 158.
(2) Ibid. cap. VIII. p. 224.
(3) Ibid. lib. III. cap. XXV. p. 418.
(4) De Princip. lib. III. n. 17. p. 128. opp. T. I.
(5) Jerem. II. 31.
(6) In Hierem. Hom. III. 3. nn. 1—2. p. 140. opp. T. III.
(7) Matth. V. 45.

qui (1) pluit super iustos et iniustos. Quomodo solitudo, qui cuiusque animum regit, ut rationis particeps sit, ut scientiam comparet, ut nudetur quod de eo intelligi per sensus potest? ἐστιν οὐν οὐδενι ἐρημος ὡς προς τον καθολου λογον ὁ θεος, nemini igitur Deus est solitudo quoad generalem rationem ».

Quantum vero ad singularia beneficia (2) attinet, Deus iterum ex sese nemini est solitudo, ac merito ista usurpat: « Ego quidem non factus sum vobis solitudo, neque terra agrestis; vos autem (3) dixistis: non subdemur Domino, neque veniemus ad te ultra ». E quibus (4) patet « homines fuisse qui dereliquerunt fontem aquae vivae, non fontem aquae vivae homines dereliquisse. *και γαρ ἀπ' οὐδενος θεος μακρυνει ἑαυτον, ἀλλ' οἱ μακρυνοντες ἑαυτους ἀπ' αὐτου ἀπολουνται.* Etenim a nemine seipsum elongat Deus, sed qui semetipsos elongant ab eo, peribunt. Appropinquat potius ad quosdam Deus, et occurrit venienti ad se. Quando itaque filius qui bona sua (5) obligurierat, reversus est, occurrit ei Pater. Et pollicetur (6) per prophetas dicens: *appropinquabo eis quasi vestimentum corporis eorum. Deus* enim, inquit, *appropinquans ego sum, et non Deus de longe, dicit Dominus* . . . Quare *οὐ φευγει το ὑδωρ του ἁγιου πνευματος, ἀλλα ἑκαστος ἡμων ἁμαρτανων,* non fugit aqua Spiritus sancti, sed unusquisque nostrum dum peccat, fugit ne bibat de aqua Spiritus sancti ».

Deus enim (7) « homines in carne positos corripit, verberat, flagellat. Non enim (8) vult mortem peccatoris, sed ut revertatur et vivat. Et propterea benignus et misericors reddit peccata patrum in filios, ut quoniam patres, idest,

(1) Ibid.

(2) Hoc duplici formula exprimit Origenes, inquiens, ἐπι τας ἰδικας εὐεργεσιας, vel, ὡς δε προς τον ἰδικον λογον.

(3) Jerem. II. 31.

(4) In Jerem. Hom. XVIII. n. 9. p. 252. opp. T. III.

(5) Luc. XV. 20.

(6) Jerem. XIII. 11. coll. XXIII. 23.

(7) In Exod. Hom. VIII. n. 6. p. 161. opp. T. II.

(8) Ezech. XXXIII. 11.

diabolus et angeli eius . . . indigni sunt (1), qui in praesenti seculo corripiantur, sed in futuro recipient quae merentur; filii eorum, idest, quos peccare persuaserint, et qui nihilominus per ipsos adsciti fuerint ad consortium societatemque peccati, hic recipiant quae gesserunt, *ut purgatiores* ad futurum seculum pergant, et ultra diabolo socii non efficiantur in poena. Quia ergo misericors est Dominus, et (2) *omnes homines vult salvos fieri,* propterea (3) dicit: *visitabo in virga ferrea facinora eorum, et in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam non auferam ab eis* ».

Visitat ergo Dominus animas, et requirit quas iste pessimus pater persuasione peccati genuerit, et dicit (4) ad unamquamque earum: *audi filia et vide et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.* Visitat ergo te post peccatum, et commonet te, et in flagello et virga te visitat pro peccato, quod tibi pater diabolus suggessit, ut reddat tibi illud in sinum, idest, dum in corpore degis . . . Deus enim zelans est, et animam quam sibi despondit in fide, non vult illam permanere in contaminatione peccati; sed vult eam cito purgari, vult eam velociter abiicere omnes immunditias suas, si cui forte subiecta est. Si vero permanet in peccatis, et dicit: non audiemus vocem Domini, sed facientes faciemus voluntates nostras, et incendemus ignem reginae caeli, sicut exprobratur (5) per prophetam; tunc servantur etiam ipsi ad illam Sapientiae (6) sententiam quae dicit: *quoniam quidem vocabam, et non obaudiebatis, sed irridebatis sermones meos; itaque et ego vestrae perditionis superridebo:* vel illam quae posita est illis (7) in evangelio, dicente Domino: *discedite a me in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis eius* ».

(1) Quo tempore extrema supplicia daemonibus infligenda Origenes coniecerit, explanat Huetius Origenian. lib. II. q. V. n. 22. seqq.

(2) I. Tim. II. 4.

(3) Ps. LXXXIX. 32.

(4) Ps. XLV. 10.

(5) Hier. VII. 18.

(6) Prov. I. 24.

(7) Matth. XXV. 41.

LXXXVII.

Quam sententiam ut evadere homines possint, adest illis sua virtute, suisque gratiis Deus Verbum Christus « qui non solum ait (1) Clemens alexandrinus, ut olim essemus caussa fuit (nam ille tum erat in Deo) sed idem etiam *το εὐ εἶναι* bene esse nobis dedit, et iam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque, Deus et homo, est *ἁπαντων ἡμιν αἰτιος ἀγαθων*, ut omnimodam nobis felicitatem impertiret. *παρ᾽ οὑ ζῃν ἐκδιδασκομενοι, εἰς ἀΐδιον ζωην παραπεμπομεθα.* Ab eo namque recte vivere edocti, ad aeternam vitam transmittimur . . . Modo enim apparuit, qui ab initio erat servator: apparuit *ὁ ἐν τῳ ὀντι ὠν* qui ens est in ente, Verbum quod apud Deum erat, et a quo facta sunt omnia, *διδασκαλος ἐπεφανῃ*, praeceptoris habitu apparuit: et qui, *ὡς δημιουργος*, tamquam opifex mundi vitam nobis in prima creatione dedit. *ὡς διδασκαλος*, tamquam praeceptor bene vivendi rationem nos edocuit, *ἱνα το ἀει ζῃν ὑστερον. ὡς θεος χορηγῃσῃ*, ut postea tamquam Deus aeternam vitam largiatur. Is vero non est nunc primum erroris nostri misertus, *ἀλλ᾽ ἀνωθεν ἀρχηθεν*, sed olim a mundi primordiis: nunc vero tandem apparens, perituros ex faucibus exitii liberavit. Nam ad hunc usque diem malignus ille serpens humanum genus praestigiis suis in contumeliosam miseramque servitutem abducit, saevitque in eos barbarorum ritu, qui captivos suos mortuorum cadaveribus, donec una putrescant, alligare (2) feruntur . . . Unus itidem nobis adiutor et vindex est Dominus, qui salutem a principio prophetice praenuntiavit, et nunc ad eam consequendam palam invitat ».

Neque semel aut uno modo, sed crebro multisque modis invitat: « varias enim, pergit (3) Clemens, Salvator noster voces adhibet, et varias experitur vias *εἰς ἀνθρωπων*

(1) Cohort. ad Gent. §. I. p. 7. opp. T. I.

(2) Huc spectant quae narrat Livius lib. I, quae collegit Petrus Victorius Var. Lectt. lib. IV. cap. XVIII, quaeque de Maxentio Virgilius Aen. VIII. cecinit: *Mortua quin etiam iungebat corpora vivis.*

(3) Ibid. p. 8.

σωτηριαν, ut homines salvet. Dum minatur, admone: dum carpit, emendat: dum luget, miseretur . . . . Ipse in Esaia loquitur, ipse in Helia, ipse in ore prphetarum, ... ipse tibi Dominus loquitur, *qui* (1) *quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus :st esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit* ὁ φιλοικτιρμων θεος σωσαι τον ἀνθρωπον γλιχομενος, misericors Deus, & hominem servare desiderans. Ipsum adeo Dei Verbum plam tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat. ναι φημι, ὁ λογος ὁ του θεου, ἀνθρωπος γενομενος· ἱνα δη και συ παρα ἀνθρωπου μαθης, πῃ ποτε ἀρα ἀνθρωπος γενηται θεος. εἰτ' οὐκ ἀτοπον, ὠ φιλοι, τον μεν θεον ἀει προτρεπειν ἡμας ἐπ' ἀρετην, ἡμας δε ἀναδυεσθαι την ὠφελειαν, και ἀναβαλλεσθαι την σωτηριαν; Verbum, inquam, Dei homo factum, ut tu quoque ab homine discas, qua arte homo fieri Deus posit. Quam autem praeposterum istud fuerit, amici, ut quum Deus ad virtutem hortari numquam desinit, nos spreto eius beneficio, oblatam salutem respuamus »?

Praesertim quum « Spiritus sanctus, qui (2) Domini os est, haec (3) eloquatur: *noli amplius, fili, negligere castigationem Domini, neque deficias, quum ab eo argueris* ὠ της ὑπερβαλλουσης φιλανθρωπιας · οὐδ' ὡς μαθηταις ὁ διδασκαλος, οὐδ' ὡς οἰκεταις ὁ κυριος, οὐδ' ὡς θεος ἀνθρωποις, πατηρ δε ὡς ἠπιος νουθεται υἱους. O incredibilem erga homines amorem! non se, quemadmodum magister in discipulos gerit, nec quemadmodum Deus in homines, sed tamquam mitis (4) pater filios admonet ».

Quapropter (5) « eo magis impii sunt nonnulli, ὁσῳ φι-

(1) Philipp. II. 6.

(2) Ibid. §. IX. pagg. 68—69.

(3) Prov. III. 3. coll. Hebr. XII. 5.

(4) Quam lectionem puto esse ista commodiorem, πατηρ δε ὡς, ἠπιως νουθετει υἱους, *sed tamquam pater filios mitissme admonet*. Caeterum ἠπιος proprie de parentibus usurpatur, qui leves sunt ac in liberos benigni. Ita accipitur ab Homero Odyss. 3. v. 4', et Herodiano lib. II. c. IV. n. 1: atque ita bis adhibetur a Paulo, I. Thess. II. 7, et II. Tim. II. 24, ubi ἠπιον εἶναι opponitur τῳ μαχεσθαι.

(5) Ibid. §. IX. p. 69.

λανθρωπότερος ὁ θεός, quanto benignior est Deus ac humanior. Itenim quum Deus nos ex servis filios fieri voluerit, οἱ δὲ αι υἱοι γενεσθαι ὑπερηφανηκασιν, hi in numerum filiorum assumi fastidiunt. O incredibilem amentiam! pudet ne vos Domini? ἐλευθεριαν ἐπαγγελλεται· ὑμεις δε, εἰς δουλειαν ἀποδιδρασκετε, σωτηριαν χαριζεται· ὑμεις δε, εἰς ἀπωλειαν ὑποφερεσθε. ζωην δωρειται αἰωνιον· ὑμεις δε, την κολασιν ἀναμενετε· και το πυρ δε προσκοπειτε, ὁ ἡτοιμασεν ὁ κυριος τῳ διαβολῳ και τοις ἀγγελοις αὐτου. Is quidem libertatem pollicetur, vos autem in servitutem aufugitis. Is salutem largitur, vosque in perniciem vestram ruitis. Is aeternam salutem donat, vos (1) supplicium exspectatis, et eum praestolamini ignem, quem paravit Dominus diabolo et angelis eiu ».

LXXXVIII.

Sed Dei bonitas maior longe est hominum malitia, et (2) idcirco « curam eorum non dimittit Dominus, sed instat ipsis assidue hortando, perterrefaciendo, impellendo, excitando, admonendo; et hos quidem, qui erroribus fuerunt impliciti, expergefactos e mediis tenebris excitat, *Expergiscere*, inquit (3), *qui dormis, et surge a mortuis, et illucescet tibi Christus* Dominus, ille sol resurrectionis, *qui* (4) *ante luciferum genitus est*, suisque radiis vitam praebuit. Ne quis itaque spernat Verbum, ne forte semetipsum imprudens contempsisse reperiatur. Dicit enim (5) alicubi Scriptura: *hodie si vocem audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri* (6) ἐν δοκιμασιᾳ *in prolatione*. Quaenam autem est illa probatio? si cupis discere, sanctus tibi Spiritus explicabit: *et vi-*

(1) Matth. XXV. 41—3.

(2) Ibid. p. 70.

(3) Ephes. V. 14.

(4) Ps. CIX. 4.

(5) Ps. XCV. 6—8—9

(6) Vulgata lectio alteutra est, sive, ἐδοκιμασαν με, και ἰδον τα ἐργα μου, sive, ἐδοκιμασαν και εἰδον τα ἐργα μου.

derunt, inquit (1), *opera mea quadraginta annis. Quare infensus fui generationi huic, et dixi, semper errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas. Itaque iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.* En minas! en exhortationem! en poenam! cur igitur etiam num iratum nobis Deum ex clementi et benefico facimus? cur aures nostras Verbo non reseramus, Deumque hospitem puris animis non excipimus? eius enim promissio immensae sane gratiae ac beneficii loco erit, *si hodie vocem eius audierimus*: illud autem *hodie* singulis diebus ei accrescit, quamdiu nominetur *hodie*. *μεχρι δε συντελειας, και ἡ σημερον, και ἡ μαθησις διαμενει.* Usque enim ad consummationem rerum ultimam et hodiernus dies, et discendi tempus permanet ».

Vehementer (2) enim Deus homines amat « ac ideo Paracletum mittit, qui (3) omnes homines hortetur ad agnoscendam veritatem ». De eo merito (4) affirmes, nihil ipsum impensius velle quam *σωζεσθαι τον ἀνθρωπον*, *ut homo salvetur. Quocirca urget eum impellitque ad salutem*, clamans (5): appropinquavit regnum caelorum. Hinc *οὐκ ἀπεκρυβη τινας ὁ λογος . φως ἐστι κοινον, ἐπιλαμπει πασιν ἀνθρωποις · οὐδεις* Κιμμεριος *ἐν λογῳ*, *neminem Verbum praeteriit: lux est publica, splendet* (6) *omnibus hominibus, et quod ad ipsum attinet, nemo est Cimmerius.*

Promissionibus et (7) minis « *ὁ* Κυριος *σωζει, φοβῳ και χαριτι παιδαγωγων τον ἀνθρωπον*, ad salutem perducit Dominus, et metu ac gratia hominem instituit. Quid cunctamur? cur non effugimus supplicium? cur non recipimus donum »? profecto (8) « ubique diffusa est lux quae sopiri non potest, et occidens orienti credidit. Quod quidem nova crea-

(1) Ps. XCV. 9—10—11.
(2) Ibid. p. 71.
(3) I. Tim. II. 4.
(4) Ibid. p. 72.
(5) Matth. IV. 7.
(6) Joh .I. 9.
(7) Ibid. p. 76.
(8) Ibid. §. XI. p. 88.

tione significatum est. Sol (1) enim iustitiae τα παντα καθιππευων, a quo universa (2) obequitantur, ἐπισης περιπολει την ἀνθρωποτητα, τον πατερα μιμουμενος, totum genus humanum aequaliter lustrat Patrem imitatus, qui (3) efficit, ut sol suus exoriatur super omnes homines, eosque rore veritatis aspergit. Is occasum traduxit ad orientem, et mortem quodammodo crucifixam in vitam sustulit: hominem autem exitio ereptum aetheri suspendit divinus agricola, corruptionem in immunitatem interitus, terramque in caelum transferens: . . . hereditatem nobis largiens vere magnam ac divinam, quaeque eripi non potest: οὐρανιῳ διδασκαλιᾳ θεοποιων (4) τον ἀνθρωπον, διδους νομους εἰς την διανοιαν αὐτων, και ἐπι καρδιαν γραφων αὐτους, caelesti doctrina ex homine Deum faciens, leges (5) cudens menti eorum, et cordi eorum eas inscribens ».

Cuius benevolentissimae providentiae (6) haec est ratio « quod προκειται ἀει τῳ θεῳ, την ἀνθρωπων ἀγελην σωζειν, ταυτῃ και τον ἀγαθον ποιμενα ὁ ἀγαθος ἀπεστειλεν θεος, Deo semper propositum est servare gregem hominum; et ideo bonum pastorem bonus misit Deus. Verbum autem, explicata veritate, salutis altitudinem hominibus ostendit, ὁπως ἠ μετανοησαντες σωθωσιν · ἠ μη ὑπακουσαντες, κριθωσιν · τουτο της δικαιοσυνης το κηρυγμα, ὑπακουουσιν εὐαγγελιον, πα-

(1) Malach. IV. 2.

(2) Manifesta est ad solis equos allusio.

(3) Matth. V. 45.

(4) In operibus Clementis frequens est huiusmodi metaphora, homines caelesti gratia insignes non modo Deo assimilari, sed in divinam quodammodo naturam transferri, deosque fieri. Ita sane loquitur in libris stromatum, lib. VI. p. 670, lib. VII. pag. 710—732—761: ita in cohort. ad gentes, pagg. 76—88, atque ita in opere Paedag. lib. I. cap. VI. Quam dicendi rationem mutuatus est *partim* e divinis litteris, Ps. LXXXI. 6, et II. Petr. I. 4, *partim* ex scriptis philosophorum, ac Heracliti in prim.s et Platonis, uti eruere licet a Paedag. lib.III, cap.I, et Strom. lib. IV. pagg. 536—537. Neque defuerunt patres qui illum imitarentur, ut exempla probant quae in Thesauro Suicerus collegit ad vv. θεοποιεω et θεοω.

(5) Hebr. VIII. 10—11—12. coll. Jerem. XXXI. 33—34.

(6) Ibid. §. XI. pagg. 89—90.

ῥακουσασιν κριτηριον, ut vel ducti poenitentia, salutem consequerentur; vel si parere nollent, iudicio forent obnoxii. Haec est iustitiae praedicatio, quae obedientibus bonum est nuntium, immorigeris vero iudicium ». Quare (1) haec esse debet ad omnes directa cohortatio « ut salvi fiant. τουτο Χριστος βουλεται· ἑνι λογῳ, ζωην σοι χαριζεται. και τις ἐστιν οὑτος; μαθε συντομως· λογος ἀληθειας, λογος ἀφθαρσιας, ὁ ἀναγεννων τον ἀνθρωπον, εἰς ἀληθειαν αὐτον ἀναφερων, το κεντρον της σωτηριας, ὁ ἐξελαυνων την φθοραν, ὁ ἐκδιωκων τον θανατον, ὁ ἐν ἀνθρωποις οἰκοδομησας νεων, ἱνα ἐν ἀνθρωποις ἱδρυσῃ τον θεον. Hoc vult Christus, ac ut in summa dicam, vitam tibi largitur. Ille vero quis est? paucis accipe: Verbum veritatis, Verbum incorruptibile, quod hominem regenerat et ad veritatem reducit, salutis stimulus qui abigit interitum, qui mortem expellit, qui in hominibus templum aedificavit, ut Deum in ipsis statueret ».

LXXXIX.

Ut vero (2) interitum abigat, mortemque expellat « bonus Paedagogus, qui Sapientia, qui Verbum est Patris, qui fabricatus est hominem, ὁλου κηδεται του πλασματος· και σωμα και ψυχην ἀκειται αὐτου ὁ παναρκης (3) της ἀνθρωποτητος ἰατρος, ὁ Σωτηρ, totius creaturae curam gerit, eiusque corpori et animae medetur, qui est omni ex parte sufficiens medicus humanitatis, Servator ». Quemadmodum (4) enim « non est lux quae non illuminat, neque movens quod non movet, nec diligens quod non diligit; οὐδε ἀγαθον ἐστιν ὁ μη ὠφελει, και εἰς σωτηριαν καθοδηγει, ita nec bonum (quale est Paedagogus) quod non prodest, et ad salutem deducit ». Quam ii consequuntur (5) omnes « qui non sunt inimici ve-

(1) Ibid. p. 90.

(2) Paedag. lib. I. cap. II. p. 101.

(3) Forte commodius legeretur πανακης, *omnia sanans, qui omnibus medetur.*

(4) Ibid. cap III. p. 103.

(5) Ibid. cap. VIII. p. 139,

ritati, neque Verbum oderunt . . . Deus enim propter suam bonitatem tum etiam quum minas intentat, ostendit *το φιλανθρωπον το ἑαυτου* suam in homines benevolentiam ». Unde (1) si qui non salvantur, *αἰτια ἑλομενων, θεος ἀναιτιος*, *culpa eligentium est, ac in Deum conferri nullatenus potest.* Etenim (2) *το σωζειν ἐργον αὐτου*, *eius est opus salvare*, atque idcirco (3) *τους ἐν σαρκι εὐηγγελισατο, ἱνα μη καταδικασθωσιν ἀδικως*, *iis qui erant in carne annunciavit evangelium, ne iniuste condemnentur.* « Nam (4) quum sit bonus Deus, *δια το ἡγεμονικον της κτισεως ἁπασης, σωζεσθαι βουλομενος τουτο, ἐπι το ποιειν ἐτραπετο και τα λοιπα*, propter eum qui eminet in universa creatione, quum eum vellet esse salvum, ad cetera quoque facienda est conversus « ac omnia ita disposuit, ut nemo esset, cui via salutis non pateret. Quo (5) factum est « ut bonus semper apparuerit Deus *ἐξ αἰωνος εἰς αἰωνα σωζων δια υἱου. κακιας δ' αὐ παντη παντως ἀναιτιος. προς γαρ την του ὁλου σωτηριαν τῳ των ὁλων Κυριῳ παντα ἐστι διαταγμενα, και καθολου, και ἐπι μερους*, a seculo in seculum elargiens salutem per Filium. Is autem nulla prorsus ratione est caussa mali: ad universi enim salutem, ab eo qui est universorum Dominus, omnia sunt ordinata, quum generatim tum singillatim ».

(1) Qua gnome utitur Clemens eo quem modo citavimus loco, ac iterum Strom. I. pagg. 271-311, Strom. II. p. 393, Strom. IV. p. 535, Strom. V. p. 613, Strom. VII. pagg. 705—711. Utuntur etiam auctor Clement. Hom. XV. cap. VIII, Justinus in priore apologia, Pseudo-Origenes comm. ad Job. XXXVIII. 7, Eusebius Praeparat. Evang. lib. V., Gregorius nazianzenus in priore adversus Julianum invectiva, et Theodoritus de curandis graecorum affectionibus, Serm. VI. Auctor vero huius sententiae videtur Plato, qui in decimo de republica scripsit, *αἰτια ἑλομενου, θεος δ' ἀναιτιος*, *culpa eligentis est, Deus culpa vacat.* Unde Lucianus de mercede conductis ait: *μεμνησο του σοφου λεγοντος, ὡς θεος ἀναιτιος, αἰτιει δ' ἑλομενου.*

(2) Strom. VI. §. VI. p. 763.

(3) Ibid. p. 766.

(4) Ibid. §. XVII. p. 819.

(5) Strom. VII. §. II. p. 835.

XC.

Quis ergo ambigat, utrum princeps Dei voluntas, eiusque in homines spontaneus amor sit efficax, seque multiplici effectuum varietate manifestet? nemo prorsus, cui ex animo non funditus exciderint, quae tot tantorumque testium suffragiis confirmata in medium protulimus.

His enim a) *diserte* continetur, omnes divinitus *trahi*, omnes *illuminari*, singulis *copiam potestatemque* fieri adspirandi ad salutem, nemini *subsidia itineris* denegari, praesto esse Deum, ut homines *invisibiliter* foveat, ut oculos aperiat, ut pulset, seque in humanas cogitationes *insinuet*.

Continetur b) id *maxime* opus Deo esse propositum, ut homines iuvet, eorumque salutem paternis curis promoveat: *triplicem* idcirco *ordinem*, *naturalem*, *praeternaturalem* ac *supernaturalem* ita ab eo temperari ac dirigi, ut ad tanti boni assequutionem conducat: immo *ipsum quoque poenalem ordinem* sic ab eo administrari, ut quamdiu homines spirant ac vivunt, non minus aliis mediis, quam inflictis etiam poenis ad poenitentiam salutemque provocentur.

Quod c) tam *affirmando*, quam *negando* alexandrini doctores ingeminant. Huc enim pertinet quod tradunt, *visitari* homines *mediate* vocibus *naturae*, vocibus *miraculorum*, *prophetarum*, *Christi*, *apostolorum*. Huc quod tradunt visitari eosdem *immediate* interiori lumine *rationis*, *conscientiae*, *Verbi*, *sanctique Spiritus*. Huc quod tradunt *de ministerio divinitus constituto* (1) *angelorum*, ut suam hominibus opem fe-

(1) Haec mihi in mentem revocant, quae habet Bernardus Desirant lib. III. in tertiam Quesnelli damnatam propositionem. Initio namque descriptis Augustini verbis ex lib. de bono persev. cap. XX, *didicimus singulas quasque haereses intulisse ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*; subdit cap. IV: « Sufficiebat olim patribus contra negantes vocationem generalem universalemque Christi omnium salutem intendentis voluntatem, allegare causam communem, et ex apostolico sensu dicere: *in Adamo mortui sunt omnes, nemine prorsus excepto*; et addere, *atqui Christus mortuus est pro omnibus, qui sunt in Adamo mortui*; ac demum concludere, *ergo Christus mortus est pro omnibus*,

rant. Atque huc quod tradunt, *neminem* in tenebris versari, nisi qui lucem repulerit, ac neminem devium ire, nisi qui oculos a praemonstrata divinitus semita sponte averterit.

nemine prorsus excepto. Erat syllogismus, cui non respondebant adversarii tunc: et manet syllogismus, cui nec respondebunt nunc. Effectum salutarem patres ab hominibus fassi sunt impediri, impedimenta vero ista non debere Christo tribui. Doctor angelicus paucis omnia complexus III. p. q. XLIX. a. II. ad 3. dixit: *sed si aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciae passionis Christi.* Hoc sufficiebat.

Hodiernae autem quaestiones urgent, et adversarii talibus non contenti omnia haec generalia appellant vaga, et vaga dicunt vana, et fortius instant, ut specificentur ista, et in individuo designentur, per quae nihil deperit efficaciae passionis Christi. Vim ponunt in voce *efficaciae.* Nomen non sufficit, significatum exigunt. Dabimus.

Sunt ergo, si nesciunt, dominicae passionis effectus sex, quorum efficaciam non verbo tenus, sed reapse ad omnes et singulos qui ex Adam quoquo modo nascuntur, perveniunt, et qui ad consequendam salutem singulis, si nemo uti negligeret, sufficiunt.

Primus effectus est *custodia angelorum*, de qua s. Hieronymus scribit lib. II. comm. in Matth. XVIII., et est sententia recepta: *magna est dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam suam angelum custodem.* Et d. Thomas causam dat I. p. q. CXIII. a. I: *necessarium fuit, quod hominibus angeli ad custodiam deputarentur, per quos regularentur et moverentur ad bonum.* Natura humana hoc beneficio caruisset, si massa eius damnata mansisset, nec ad regressum admissa fuisset. En igitur primam efficaciam passionis Christi.

Secundus effectus est *vera et propria dicta capacitas recipiendi baptismum*, quo remittantur peccata singulorum.

Tertius effectus est, *quod quilibet nascatur minister idoneus*, qui valide possit alteri baptismum conferre. Quod proinde stata lege non est concessum angelis, hoc datum est christianis non tantum, sed et iudaeis atque paganis, ut si faciant quod faciendum est, Christus per illorum manus baptizet, et ipsi, quamquam indigni, hac tamen in parte Christi tunc dicantur et sint ministri.

Quartus effectus est, *quod singuli dum veniunt ad usum rationis, praecepti capaces fiunt, accipiuntque internum mandatum et adiutorium convertendi se ad Deum*, ut credant quia est, et inquirentibus se remunerator sit; ulterius iuvandi, si personali peccato dona Dei non contempserint.

Quintus effectus est, *quod omnes et singuli tam parvuli quam adulti in novissimo die resurgent a mortuis*; quod profecto nec Adamo lapso, nec ulli ex Adam nato contigisset, nisi Salvator omnium, omnium resurrectionem ordinasset.

Ut vero d) hanc propensissimam benefaciendi voluntatem, effectusque ex ea profectos *quibusdam veluti imaginibus* repraesentent; sistunt exhibentque Deum *instar solis* qui omnibus affulget, *instar fontis* qui omnibus defluit, *instar terrae* quae nemini est sterilis, *instar satoris* qui suum semen ubivis diffundit, *instar amici* qui ad cordis ostium pulsat, vocemque invitantem emittit, *instar medici* qui ad vincendam aegritudinem, valetudinemque conciliandam nullum pharmaci genus omittit, ac *instar patris* qui in id totus incumbit, ut filium servet, sibique simillimum efficiat.

CXI.

Verum quo usque ista voluntas patet, quosve habet fines? omnes ne complectitur homines, an ex iis aliquos excludit ac repellit? alexandrinorum III. haec est indubitata sententia: *univarsalem eam esse, iisdemque limitibus coerceri, quibus humanum genus circumscribitur.*

Sane 1) non aliam illius *originem* memorant, quam insitam Dei bonitatem, paternamque in suum opus benevolentiam. Sed neque Dei bonitas adstricta finibus est, neque ullus est hominum, cuius Deus non sit creatione pater, quique ad amplitudinem divini operis non pertineat. Solutifera igitur voluntas omnes fovet, atque ad omnes benignissime extenditur.

Ad eos namque omnes 2), ut iidem subdunt, extenditur, ad quos se *denominatio* porrigit, qua Deus φιλανθρωπος και φιλοψυχος appellatur. At sunt ne, vel esse homines possunt, qui *ea denominatione* non comprehendantur, et qui propterea non sint homines ac anima careant? tam absonum id est, ut ne cogitari quidem mente possit. Talis est igitur salutifera Dei voluntas, quae ad omnes ex sese homines refertur.

Omnes enim 3) natura sunt *creata Dei imago*, atque omnes in semetipsis *divinum archetypum* repraesentant. Docent

Sextus effectus est, *quod omnes in novissimo die adstabunt ante tribunal Christi*, tam salvatoris quam iudicis ».

autem alexandrini, neminem alienum esse a salutifera voluntate, qui imago Dei sit, ac divinum in seipso archetypum referat. Quotquot igitur sunt homines, benevolentia salutiferae voluntatis comprehenduntur.

Cuius amplitudinis 4) inde quoque argumentum sumere licet, quod non minus, si fidem alexandrinis adiungimus, salutifera pateat voluntas, quam *beneficia naturalis supernaturalisque* ordinis protendantur. Haec autem ita patent, ut nullum omnino praetereant; suum namque solem oriri iubet Deus super bonos et malos, suumque Unigenitum misit, ut universam Adami progeniem repararet.

Ex sese enim 5) Deus ἀπροσωποληπτως (1) homines habet, suisque donis neminem privat, qui sibimetipsi perniciem non struxerit.

Hinc 6) repetitae ab alexandrinis doctoribus tam *comparationes*, quibus Deum cum sole atque communi omnium patre contendunt, quam *formulae*, sive *negantes* quibus efferunt, eos dumtaxat perire qui salutem negligunt, Salvatoremque repudiant, sive *affirmantes* quibus dicunt, καθολικην esse και γενικην σωτηριαν, divinamque providentiam ad omnes extendi, omniumque salutem incredibili quodam benevolentiae affectu a Deo procurari.

Quibus ego contentus essem, nisi *summa reï gravitate* admonerer, ut alia quae in promptu habeo eorumdem doctorum suffragia ad comprobandam universalem divinae voluntatis salutiferae amplitudinem accomodatissima in medium adducerem.

XCII.

Athanasius itaque cuius nomen encomium est, postea quam (2) animadvertit, *futurum omnino ut humanum genus periret*, εἰ μη ὁ παντων δεσποτης και σωτηρ του θεου υἱος

(1) Hac voce ante alexandrinos doctores usos novimus Petrum, apud quem I. Petr. I. 17. legimus, ἀπροσωποληπτως κρινων, et romanum Clementem, qui in priore ad Corinthios epistola eos commendavit quod *omnia ἀπροσωποληπτως sine personarum respectu antea facerent.*

(2) De incarnat. Verbi Dei, n. 9. p. 55. opp. T. I.

παρεγεγονει προς το του θανατου τελος , *nisi omnium Dominus et Servator Dei filius mortem consumpturus advenisset*; illico (1) subdit: « Ceterum hoc opus vere magnum *πρεποι μαλιστα τη ἀγαθοτητι του θεου*, divinae bonitati inprimis congruebat.

Si enim imperator domum urbemve a se aedificatam, ac civium deinde incuria a latronibus impugnatam nequaquam deserit, sed uti proprium opus defendit ac tuetur, neque ad civium inertiam, sed ad id respicit quod sibi decorum est; *πολλῳ πλεον ὁ του παναγαθου θεος λογος πατρος εἰς φθοραν κατερχομενον το δἰ αὐτου γενομενον των ἀνθρωπων γενος οὐ παρειδεν· ἀλλα τον μεν συμβεβηκοτα θανατον ἀπελειψε δια της προσφορας του ἰδιου σωματος, την δε ἀμελειαν αὐτων διωρθωσατο τη ἑαυτου διδασκαλιᾳ, παντα τα των ἀνθρωπων δια της αὐτου δυναμεως κατορθωσας*, multo magis optimi Patris Deus Verbum in corruptionem abeuntem hominum naturam non dereliquit; sed mortem, in quam illi offenderant, proprio oblato corpore delevit, illorumque negligentiam sua institutione emendavit, et omnia quae hominum erant, sua virtute instauravit ».

Neque haec solum affirmat, verum etiam comprobare argumentis (2) pergit, inquiens: « Haec autem theologorum Salvatoris discipulorum auctoritate confirmare poterit quisquis illorum scripta legerit, ubi (3) aiunt: *caritas enim Christi urget nos, aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est* (4), *ut nos non amplius nobis vivamus, sed ei qui pro nobis mortuus est et e mortuis resurrexit, Domino nostro Jesu Christo*. Et (5) rursum: *eum autem, qui modico quam angeli* (6) *minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei pro omni-*

(1) Ibid. n. 10. p. 55.

(2) Ibid. n. 10. pagg. 55—56.

(3) II. Cor. V, 14—16.

(4) Non desunt graeci codices, in quibus non secus ac penes interpretem vulgatum, additur *Χριστος*.

(5) Hebr. II. 9.

(6) Verba, *τον δε βραχυ τι παρ' ἀγγελους ἠλαττωμενον*, in primis editio-

bus gustaret mortem. Postea idem rationem affert, cur non oportuerit alium quam Deum Verbum hominem fieri : *decebat enim eum*, inquit (1), *propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare.* Quibus quidem verbis significat non alterius fuisse homines ab exorta corruptione revocare, quam Dei Verbi, a quo ab initio creati erant. Quod autem idcirco ipsum Verbum sibi corpus accepit, ut victima pro similibus corporibus fieret, iidem quoque hoc modo (2) declarant : *quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, idest, diabolum, et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.* Siquidem proprium corpus immolando, legi adversum nos latae finem imposuit, et vitae principium, spe resurgendi facta, nobis innovavit. Quia enim mors ex hominibus vires in homines acceperat, hinc per Deum Verbum hominem factum, mortis solutio et vitae resurrectio facta est, uti vir Christo plenus (3) ait : *quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurre-*

nibus gallicae calvinianorum versionis ita reddita legimus : *effecisti eum paullo minorem Deo.* Absurde, ne dicam impie. Etenim 1) incisum ex Ps. VIII. 6., quod citat Paulus, quodque sic habet, מעט מאלהים ותחסרהו, egregie a Vulgato redditur, *minuisti eum paulo minus ab angelis*; quum neminem fugiat, nomen אלהים crebro *de angelis* usurpari. Hinc 2) alexandrini illud verterunt, *ἠλαττωσας αὐτον βραχυ τι παρ' ἀγγελους.* Neque 3) aliis verbis illud retulit Paulus. Consentiunt autem 4) chaldaica paraphrasis et syrus interpres, qui habet, קליל מן מלאכא אמכתיהי, *submisisti eum paulisper prae angelis.* Consentiunt 5) et patres tam graeci quam latini. Atque 6) idipsum orationis series persuadet, e qua intelligimus, מעט — *βραχυ τι* — *aliquantisper*, *esse* particulam temporis, eaque significari *ἐν βραχυτητι*, *exiguo tempore*; atque adeo subiectam verbis sententiam huc redire : *minuisti eum exiguo tempore*, eo nimirum quo *δια το παθημα θανατου* semetipsum exinanivit, *infra angelos.*

(1) Hebr. II. 10.

(2) Ibid. v. 14.

(3) I. Cor. XV. 11.

ctio mortuorum. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. οὐκετι γαρ νυν ὡς κατακρινομενοι ἀποθνησκομεν, ἀλλ' ὡς ἐγειρομενοι περιμενομεν την κοινην παντων ἀναστασιν, ἡν καιροις ἰδιοις δειξει ὁ και ταυτην ἐργασομενος και χαρισαμενος θεος. Non enim iam ut damnandi morimur, sed tamquam a mortuis excitandi communem omnium resurrectionem opperimur, quam propriis temporibus eius auctor et largitor Deus exhibiturus est ».

Unde (1) concludit : αἰτια μεν δη πρωτη της ἐνανθρωπησεως του σωτηρος αὐτη, *haec itaque prima est caussa, propter quam Salvator humanitatem assumpsit.*

XCIII.

E quibus omnibus ista prae aliis luculentissime consequuntur: a) hominum genus originali transgressione funditus periisse : b) non tulisse Deum, quae eius est bonitas, ut ruina oppressum iaceret : misisse propterea c) Unigenitum suum, ut quod primum condiderat opus, ad eam nobilitatem, e qua sua culpa exciderat, misericorditer revocaret: d) morem gessisse Deum Verbum Parenti optimo, suoque oblato corpore mortem, in quam homines offenderant, delevisse; sua institutione tenebras, in quas se coniecerant, abegisse; omniaque tandem, quae ad illos spectarent, sua virtute instaurasse. At e) qua reparatione ? *particulari* ne, et ad aliquos ex innumeris circumscripta, an *generali* potius, quaeque universam hominum familiam complectatur ? amplitudinem huius per Verbum reformationis declarat Athanasius inquiens : spectare illam *ad proprium* Verbi *opus, ad hominum genus, ad ea omnia quae sunt hominum, ad eos quorum naturam ipsum Verbum assumpsit, quique in Adamo mortui sunt.* Atqui formulae sunt istae universales, ac eo usque universales, ut neminem excipiant, omnesque ac singulos suo ambitu comprehendant. Universalis igitur est renovatio per Christum, universalis salutifera Dei voluntas in Christo, ac universale oblatum hominibus remedium; adeo

(1) De incarnat. Verbi Dei, n. 10. p. 56.

ut qui morti nascuntur obnoxii, hi spe resurrectionis recreentur, et qui nascuntur irae filii, hi copiam facultatemque divinae adoptionis consequantur.

Qua de re sunt ista praeclarissima, quae Athanasius (1) subdit: « Hominibus ad belluinam sortem redactis, et daemonum fraude ubique instar umbrae incumbente et veri Dei cognitionem obscurante, τι τον Θεον ἐδει ποιειν; quid Deum agere oportebat? rem ne tam nefandam silentio praeterire, tum pati ut a daemonibus decepti homines Deum non cognoscerent? sed quid profuisset, hominem ad Dei imaginem fuisse ab initio conditum? vel enim ille rationis expers, ut bruta animantia, creandus erat, vel certe factus rationis particeps belluarum vitam vivere non debuit. Quid item illi profuisset Dei notionem ab initio accepisse? Si enim nunc (2) indignus est, qui eam accipiat, certe neque illi ab initio dari oportuit. Quae porro inde utilitas Deo creatori, quae gloria redundaret, si homines quos creavit, eum non colerent, sed alios sui effectores esse arbitrarentur? ita enim videretur Deus non sibi sed aliis homines creasse.

Insuper imperator, quamvis homo, oppida a se constructa in aliorum ditionem servitutemque venire, neque ad alios deficere sinit; sed cives litteris monet, saepe etiam per amicos illis scribit, ipseque, si necessitas postulet, eos convenit, ut sua praesentia flectat, ea tantum de caussa ne aliis serviant, vel irritum opus suum fiat.

(1) Ibid. n. 13. p. 58.

(2) Indignitas illa, e qua misericordia oritur, scribit Petavius de incarnat. lib. II. cap. V. §. VII, non tam ex animo meritove patientis, quam ex conditione illius aestimatur, ut in Ps. CXIV. Basilius indicat. Sic enim quo quisque honoratior est, et altiore in gradu collocatus, vel opibus vitaeque commodis affluentior, si ad summam egestatem, extremamve calamitatem atque ignominiam redigitur, tanto miserabilior ac misericordia dignior habetur, eoque nomine indignus, qui in tantam miseriam incurreret. Quo et graecorum illa δεινωσις pertinet, ἐξ οἱων εἰς οἱα, *ex quali fortuna in qualem reciderit*; quamvis alioqui vitio suo in eum statum deciderit, eumque poenae suppliciique loco patiatur. Hoc pacto indignus erat homo tam acerba calamitate, quam etsi commeruerat, tamen miserandum id spectaculum erat, videre e quo splendore ac felicitate in quae mala et incommoda ceciderat, aliena praesertim invidia et calliditate deiectus.

Οὐ πολλῳ πλεον ὁ Θεος των ἑαυτου κτισματων φεισεται προς το μη πλανηθηναι ἀπ' αὐτου, και τοις οὐκ οὐσι δουλευειν, μαλιστα ὁτι ἡ τοιαυτη πλανη ἀπωλειας αὐτοις αἰτια και ἀφανισμου γινεται; an non igitur multo magis Deus suarum creaturarum miserabitur, ne a se aberrent, et iis quae non sunt, serviant; praesertim quum eiusmodi aberratio caussa illis sit exitii atque interitus? *οὐκ ἐδει δε τα ἁπαξ κοινωνησαντα της του Θεου εἰκονος ἀπολεσθαι*, nullatenus decebat ut ea perirent, quae semel consortium divinae imaginis obtinuissent. Quid igitur aggredi Deum decuit? aut quid fieri aliud oportuit, quam illam similitudinem, qua ad Dei imaginem facti sunt homines, renovari, ut Deum per illam rursus possent cognoscere? qui vero istud fieret, nisi ipsa Dei imago Salvator noster Jesus Christus advenisset? namque per homines id fieri non poterat, quandoquidem ipsi quoque ad imaginem Dei facti sunt: neque etiam per angelos, neque enim ipsi imagines sunt. *ὁθεν ὁ του Θεου λογος δι' ἑαυτου παρεγενετο, ἱν' ὡς εἰκων ὠν του πατρος τον κατ' εἰκονα ἀνθρωπον ἀνακτισαι δυνηθῃ.* Quapropter Dei Verbum per seipsum advenit, quo, utpote Patris imago, hominem ad imaginem factum, reficere posset.

Praeterea id quoque fieri non potuisset, nisi morte et corruptione deletis; unde admodum congruenter mortale corpus accepit, ut et mors in ipso deleri, et homines ad imaginem facti refingi possent. *οὐκ οὐν ἑτερου προς ταυτην την χρειαν οὐκ ἠν, εἰ μη της εἰκονος του πατρος.* Nemo igitur alius ad id operis fuit idoneus, nisi sola Patris imago ».

XCIV.

Quod opportuna comparatione illustrare (1) pergit, inquiens: « Quemadmodum (2) si qua alicuius effigies in tabula aliqua depicta, iniectis sordibus deturpata fuerit, necesse est eum, cuius illa est effigies, iterum adesse, ut eius imago

(1) De incarnat. Verbi Dei, n. 14. pagg. 58—59.

(2) Utitur hisce Athanasii verbis Adrianus Pontifex in epist. ad Constantinum et Irenem, qua refertur act. II. concilii oecumenici VII.

in eadem materia possit renovari; ipsa enim materia propter expressam in se imaginem non proiicitur, sed violata effigies in ea renovatur: *κατα τουτο και ὁ παναγιος του πατρος υἱος, εἰκων ὢν του πατρος, παρεγενετο ἐπι τους ἡμετερους τοπους, ἱνα τον κατ᾽ αὐτον πεποιημενον ἀνθρωπον ἀνακαινισῃ, και ὡς ἀπολομενον εὑρῃ δια της των ἁμαρτιων ἀφεσεως, ἡ φησι και αὐτος ἐν τοις εὐαγγελιοις· ἠλθον το ἀπολομενον εὑρειν και σωσαι· ὁθεν και προς τους Ἰουδαιους ἐλεγεν, ἐαν μη τις ἀναγεννηθῃ· οὐ την ἐκ γυναικων γεννησιν σημαινων, ὡσπερ ὑπενοουν ἐκεινοι, ἀλλα την ἀναγεννωμενην και ἀνακτιζομενην ψυχην ἐν τῳ κατ᾽ εἰκονα δηλων*, ita sanctissimus Patris Filius, qui Patris imago est, ad nos advenit, ut hominem ad sui similitudinem factum reficeret, et tamquam perditum, concessa peccatorum venia, recuperaret, uti ipsemet in evangeliis (1) ait: *veni ut quod perierat invenirem et salvum facerem.* Unde etiam ad iudaeos (2) dixit, *nisi quis renatus fuerit.* Quibus verbis non generationem ex mulieribus significabat, ut illi quidem suspicabantur; sed animam ad imaginem Dei regeneratam ac refectam denotabat ».

In qua egregia Athanasii disputatione secerni accurate debent, hinc puidem *a*) quam ipse *affirmat de amplitudine renovationis per Christum*, *deque eiusdem indole ac natura*, inde vero *b*) *argumenta*, quibus id quod affirmavit, persuadere ac demonstrare contendit.

Iam vero de amplitudine reformationis ac renovationis per Christum affirmat, ad eos omnes illam pertinere, *quos scelerata Satanae calliditas perdidit*, *qui primitus sinceram Dei notitiam accepere, qui divinam in seipsis imaginem referebant, quique earum creaturarum numero comprehenduntur*, *quas Deus rationis participes effecit.* Hi autem sunt *omnes ac soli homines.* Amplitudo igitur reformationis ac renovationis per Christum eiusmodi est, quae ita *universos* complectitur *homines*, ut *neminem omnino* praetereat.

Sed quae eius est *ratio*, quae *indoles*, ac *in quo* censeri potissimum sita debet? reponit Athanasius, reformatione ac

(1) Luc. XIX. 10.

(2) Ioh. III. 5.

renovatione per Christum factum maxime esse, *ut mors atque corruptio vincerentur, ut ignorantiae tenebrae depellerentur, ut homines ad verum Dei cultum revocarentur*, *Deique in ipsis infecta ac obliterata propemodum imago* (1) *repurgaretur, repurgataque refloresceret.*

Quae omnia partim *auctoritate Scripturarum*, ac partim *rationibus ex ipsa rerum natura depromptis* confirmat ac probat. Spectant ad posterius hoc genus, quae *ex origine humani casus*, *ex primitiva hominum nobilitate*, *ex clementia sapientiaque Dei ac munere creatoris* desumit, ut evincat nullatenus decuisse, perditum hominum genus in suo exitio derelinquere. Atque ista crederes Thomae menti succurrisse, dum quaestionem versans, *utrum poena originalis peccati sit carentia divinae visionis*, hac sibi (2) priore loco difficultate proposita, *frustra est quod est ad finem quem non consequitur; sed homo naturaliter ordinatur ad beatitudinem, sicut ad finem ultimum, quae quidem beatitudo in divina visione consistit; ergo frustra est homo si non perveniat ad visionem divinam. Sed Deus propter peccatum originale non destitit causare hominum generationem, ut Damascenus dicit. Cum ergo in operibus Dei nihil sit frustra, videtur quod homo propter peccatum, quod ex sua origine contrahit, non incurrat reatum carentiae visionis divinae;* reponit : « Homo frustra et vane factus esset, si beatitudinem consequi non posset, sicut quaelibet res, quae non potest consequi ultimum finem. Unde ne homo frustra et vane factus esset cum peccato originali nascens, a principio humani generis proposuit Deus homini remedium, per quod ab hac vanitate liberaretur, scilicet ipsum mediatorem Deum et hominem Iesum Christum, per cuius fidem impedimentum peccati ori-

(1) De qua divinae imaginis renovatione per Christum pluribus agunt et reliqui ecclesiae patres, quos magno numero Petavius adducit de Trinit. lib. VI. cap. V, lib. VIII. cap. V, de Incarnat. lib. II. cap. VII, et inter quos Paulinus in panegyrico Celsi sic habet :

Ut mihi per Christum caelestis imago rediret
Qui cruce terrenum se spoliavit Adam.

(2) Quaest. disput. de malo, q. V. a. I. ad 1.

ginalis subtrahi posset. Unde in psalmo dicitur : *memorare quae mea substantia, numquid vane constituistis omnes filios hominum?* quae exponens Glossa dicit, quod David petit (1) incarnationem Filii, qui de sua substantia carnem assumpturus erat, et per ipsum homines erant a vanitate liberandi ».

Auctoritate denique suffragioque Scripturarum, ac his nominatim (2) verbis , *ἠλθε ὁ υἱος του ἀνθρωπου ζητησαι και σωσαι το ἀπολωλος* , universalem reparationis amplitudinem Athanasius statuit ac tuetur.

XCV.

Illamque inculcare (3) pergit de Verbo scribens: « Quum Verbum ubique sese explicaverit, sursum (4) et deorsum, in profundum et in latum : sursum quidem rerum creatione , deorsum vero humana natura assumpta, in profundum quum ad inferos descendit, in latum denique, quatenus universum mundum suo adventu illustravit; omnia profecto Dei cognitione repleta sunt. Eam utique ob rem non statim atque advenit, *την θυσιαν την ὑπερ παντων ἐπετελει, παραδιδους το σωμα τῳ θανατῳ, και ἀνιστων αὐτο*, victimam pro omnibus obtulit , corpus morti tradens , illudque a mortuis deinde excitans; ita enim potius se nobis occultasset: verum se per illud videndum exhibuit, ac ejusmodi opera egit, signaque edidit, quae illum non hominem, sed Deum Verbum esse demonstrarent· *ἀμφοτερα γαρ ἐφιλανθρωπευετο ὁ σωτηρ δια της ἐνανθρωπησεως , ὁτι και τον θανατον ἐξ ἡμων ἠφανιζε , και ἀνεκαινιζεν ἡμας · και ὁτι ἀφανης ὡς και ἀορατος, δια των ἐργων ἐνεφαινε, και ἐγνωριζεν ἑαυτον εἰναι τον λογον του πατρος, τον του παντος ἡγεμονα και βασιλεα.* Duo enim ista, hu-

(1) Sententia est Augustini Serm. II. in Ps. LXXXVIII.

(2) Luc. XIX. 11. coll. Matth. XVIII. 11. *venit filius hominis quaerere et salvare perditum*, idest, neutro genere masculini vice usurpato, *hominem perditum*. Cf. Glassii Philolog. lib. I. tract. I. de nomine, can. XXI.

(3) De incarnat. Verbi Dei, n. 16. pag. 61.

(4) Respicit ad Apostoli verba Ephes. III. 17., quae proxime citaverat.

manitate suscepta, Salvator benigne praestitit : et mortem a nobis depulit, nosque renovavit : et ipse, qui suapte natura nec apparere nec videri poterat, per opera apparuit, palamque ostendit, se esse Verbum Patris, ac universi ducem regemque ».

Tum alibi (1) in summam redigens caussas *τῆς σωματικῆς ἐπιφανειας*, corporei adventus, quo Verbum hominibus apparuit, has omnino recenset : « Quod nullius alterius esset id quod corruptum fuerat incorruptum reddere, quam solius Salvatoris, qui idem ab initio omnia ex nihilo fecerat; nec alterius esset similitudinem imaginis, ad quam homines facti sunt, restituere, nisi imaginis Patris ; alterius item non esset, mortale immortalitate donare, nisi Domini nostri Iesu Christi, qui scilicet ipsa est vita; denique alterius non esset Patris cognitione homines informare et idolorum cultum evertere, praeterquam Verbi, quod et omnia administrat, et solus verus unigenitus est Patris filius.

Ἐπειδη δε και το ὀφειλομενον παρα παντων ἐδει λοιπον ἀποδοθηναι · ὠφειλετο γαρ παντας, ὡς προειπον, ἀποθανειν, δι' ὁ μαλιστα και ἐπεδημησεν · τουτου ἑνεκεν μετα τας περι της θεοτητος αὐτου (2) *ἐκ των ἐργων ἀποδειξεις, ἠδη λοιπον και ὑπερ παντων την θυσιαν ἀνεφερεν, ἀντι παντων τον ἑαυτου ναον εἰς θανατον παραδιδους, ἱνα τους μεν παντας ἀνυπευθυνους και ἐλευθερους της ἀρχαιας παραβασεως ποιηση, δειξη δε ἑαυτον και θανατου κρειττονα, ἀπαρχην της των ὁλων ἀναστασεως το ἰδιον σωμα ἀφθαρτον ἐπιδεικνυμενος.* Quoniam vero quod ab omnibus debebatur, solvi oportebat : nam omnes, uti praemisi, mori debebant, quae praecipua eius adventus caussa fuit ; idcirco ille postquam suam divinitatem operibus comprobavit, sacrificium pro omnibus tum obtulit, quum pro omnibus suum templum morti tradidit, ut omnes a veteri transgressione liberos immunesque redderet , seque morte fortiorem ostenderet , primitias resurrectionis omnium suum corpus incorruptum exhibens ».

(1) Ibid. n. 20. p. 64.

(2) Hoc Athanasii testimonio utitur Theodoritus in tertio ex dialogis.

XCVI.

Quibus et *effectus multiplices* reparationis per Christum, et *eiusdem origo ac amplitudo* insigniter explicantur. Inter effectus enim recensetur, *quod corruptum fuerat, incorruptum reddere : similitudinem imaginis, ad quam expressi fuerant homines, restituere : mortale immortalitate donare : Patris* tandem *cognitione homines imbuere.*

Ad originem vero aperiendam spectat, quod frequentissime apud Athanasium occurrit, *sua excitum bonitate Deum ad reformationis opus manum admovisse.* Quam credi universalem oportere, toties alexandrinus praesul affirmat, quoties scribit, vel Unigenitum semet obtulisse την θυσιαν ὑπερ παντων, *sacrificium pro omnibus*, vel *solvisse pro omnibus quod ab omnibus debebatur*, vel *omnes a primitiva transgressione liberos immunesque effecisse*, vel (1) *mortem omnium in dominico corpore impletam esse, ut mors ac corruptio propter Verbi coniunctionem destruerentur*, vel *mortem pro omnibus fuisse obeundam, ut quod omnes debebant, solveretur*, vel *sibi Verbum sumpsisse corpus, quod posset mori*, ἱνα ὡς ἰδιον ἀντι παντων αὐτο προσενεγκῃ, *ut illud tamquam proprium pro omnibus offerret*, vel (2) σωτηρα παντων, *omnium salvatorem* credendum esse.

Hinc descripta clade, quae originalem culpam consequuta est, et a qua repeti debet « quod omnia sint perturbata, mors ab Adam (3) usque ad Moysem invaluerit, maledicta fuerit terra, inferi aperti sint, clausus sit paradisus, caeli

(1) Quo saue ista pertineat Irenaei lib. III. cap. XXI : *non enim poteramus aliter incorruptelam et immortalitatem accipere, nisi adunati fuissemus incorruptelae et immortalitati.* Tum haec ex eodem libro, cap. XX., quae in altero dialogo a Theodorito referuntur ac probantur : εἰ μη συνηνωθη ἀνθρωπος τῳ θεῳ, οὐκ ἀν ἠδυνηθη μετασχειν της ἀφθαρσιας, *nisi homo cum Deo copulatus fuisset, incorruptibilitatis particeps fieri non potuisset.* Similia habes apud Cyrillum alexandrinum in Ioh. lib. II. p. 198, lib. X. p. 918, et epist. I. ad Successum, pag. 138. seqq.

(2) De incarnat. Verbi Dei, n. 19. pag. 63.

(3) Rom. V. 14.

nobis infensi evaserint, ac denique (1) corruptus sit homo, iumentisque similis effectus « illico (2) addit : « Τοτε δη ὁ θεος φιλανθρωπος ὢν και μη θελων ἀπολεσθαι τον κατ' εἰκονα ἀνθρωπον, ἐλεγε · τινα ἀποστελω, και τις πορευσεται; Tunc ergo benignus Deus hominem ad sui imaginem creatum perire nolens, dixit : *quem* (3) *mittam, et quis ibit?* cunctis autem tacentibus dixit (4) Filius; *ecce ego, mitte me.* Tum Pater, *vade*, dicens, hominem Filio tradidit, ἱνα γενηται αὐτος ὁ λογος σαρξ, και παραλαβων την σαρκα κατα παντα διορθωσηται, ut ipsum Verbum caro fieret, assumptamque carnem penitus renovaret. Illi enim homo traditus est tamquam *medico*, ut morsum ipsi a serpente inflictum curaret: tamquam *vitae*, ut mortuum excitaret : tamquam *luci* , ut eius tenebras illuminaret : tamquam *rationi* , ut eiusdem rationem restitueret. ὡς γουν παρεδοθη αὐτῳ τα παντα, και γεγονεν ἀνθρωπος, εὐθυς διορθωτη και ἐτελειωθη τα ὁλα. Ut igitur omnia illi fuerunt tradita, ac ipsemat factus est homo, universa statim emendata perfectaque sunt.

Certe ipse Salvator explicans , quonam modo omnia sibi tradita fuerint, mox, ut apud Matthaeum (5) legitur, subiecit : *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos :* mihi enim traditi estis, ut labore defessos reficiam, et mortuos revocem ad vitam. Cui et illud concinit, quod habet (6) Ioannes : *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu eius.* Dedit enim ut quemadmodum omnia per ipsum facta sunt, οὑτως ἐν αὐτῳ τα παντα ἀνακαινισθηναι δυνηθη, sic in ipso omnia possent instaurari. Siquidem non idcirco omnia ei tradita sunt , ut ex paupere dives fieret , neque omnia accepit, ut potestatem quam non habuit obtineret , absit; ἀλλ' ἱνα μαλλον, ὡς σωτηρ, τα παντα διορθωσηται, sed potius ut omnia, tamquam salvator, instauraret.

(1) Ps. XLVIII. 13.

(2) Tract. in illud, *omnia mihi tradita sunt a Patre meo* , n. 2. pag. 104.

(3) Is. VI. 8.

(4) Ibid.

(5) Matth. XI. 18.

(6) Ioh. III. 35.

Decebat nimirum creationis quidem exordium (1) δι' αὐτου, *per ipsum* fieri, ut res existerent: την δε διορθωσιν ἐν αὐτῳ, earum autem instaurationem (2) *in ipso*; quae sane verba inter se differunt. Nam initio quidem omnia *per ipsum* facta sunt ut essent: postea vero, quum omnia defecissent, Verbum caro factum est, carnemque induit, ἵνα ἐν αὐτῳ τα ὁλα κατορθωτῃ, ut *in ipso* omnia reficerentur .... Nam Verbum ideo se homini coniunxit, ut nihil amplius contra hominem valeret maledictio. Hinc qui psalmo septuagesimo-primo Deo pro humano genere supplicant, haec aiunt: *Deus iudicium tuum regi da*, ut et iudicium mortis contra nos prolatum Filio detur, et ipse pro nobis moriens, illud in seipso deleat. Hoc enim ipse significans, in octogesimo-septimo psalmo ait: *super me confirmatus est furor tuus*, τον γαρ καθ' ἡμων θυμον αὐτος ἐβασταζεν, ὡς και ἐν τῳ ἑκατοστῳ τριακοστῳ ἑβδομῳ φησι, κυριως ἀνταποδωσει ὑπερ ἐμου, siquidem ipse furorem nobis debitum portavit, ut et in psalmo centesimo-trigesimo-septimo dicit, *Dominus retribuet pro me* ».

XCVII.

Cuiusmodi est igitur *status*, in quo post originale excidium homines versamur? damnationis ne, an contra renovationis et restaurationis? renovationis illum esse ac restaurationis, docet ingeminatque Athanasius.

Sed qui fons extitit, quae origo misericordis consilii, quo Deus in Christo renovare hominum genus decrevit? ipsa Dei φιλανθρωπια, ac ex insita bonitate efflorescens voluntas, si Athanasio credimus.

Huius autem renovationis quinam fuerunt, quinam esse pergunt effectus ac fructus? omnino praeclari, subdit Athanasius. Illi enim referri in acceptis debet, *a*) medicina, qua inflictus a serpente hominibus morsus curatur: *b*) vita, qua debitum sempiterni interitus expungitur: *c*) lux, qua cir-

(1) Ioh. I. 3.
(2) Ephes. I. 10.

cumfusae tenebrae depelluntur: ac participatio tandem *d*) divinae rationis, qua ad imaginem Dei homines revocantur.

Verum sunt ne ista omnibus communia hominibus, an propria dumtaxat aliquorum? est ne renovatio generalis, an particularis? Generale esse renovationis beneficium non uno modo Athanasius testatur; sed testatur *a*) quum negat, Dei *φιλανθρωπιαν* tulisse, ut hominem, quem ad suimetipsius imaginem finxerat, in ea desereret pernicie quam sibi creaverat: testatur *b*) quum ait, eos omnes beneficio renovationis comprehendi, quos serpens interemit, ignorantia occupavit, ac mors sibi subegit: testatur *c*) quum tradit, tantum patere renovationem *in Christo*, quantum semet porrigit creatio *per Christum*: testatur postremo *d*) quum docet, in eos omnes gratiam instaurationis refundi, quorum naturam Verbum assumpsit, quique secundum carnem Verbo sunt consubstantiales.

Atqui hi sunt omnino omnes, ac propterea Christum passim ipse (1) vocat *σωτηρα και βασιλεα του παντος*, *salvatorem regemque universi.* In caussam porro inquirens, propter quam tot tantaque Christus pertulerit, initio negat esse cur ideo *erubescamus*, tum affirmat esse potius (2) cur *την ἀγαθοτητα και την φιλανθρωπιαν ἀὐτου θαυμαζωμεν*, *bonitatem humanitatemque illius admiremur.* « Permagnum quippe erat hominum peccatum, et huiusmodi malum orbem universum occuparat; siquidem peccati regnum in omnes et contra omnes invaluerat. Dominus autem noster immortalis et incorruptibilis est; atque ut immortalis et incorruptibilis, *οὑτως ἀγαθος και φιλανθρωπος*, ita bonus humanusque. Boni namque Patris bonum Verbum existit: *δια οὐ παρειδει ἀπολεσθαι* (3) *το γενομενον, οὐδ' ὑπεμεινε των ἀὐτου ποιηματων ἀλλον γενεσθαι κυριον· ἀλλ' ὁρων το μεν της κακιας ἀφορητον, και το θνητον γενος οὐχ ἱκανον ἀντιστηναι προς τον θανατον, οὐδε την τιμωριαν των κακων δυνατον ἀποδουναι: . . . . ὁρων δε και την του πατρος ἀγαθοτητα, ὁρων και*

(1) De passione et cruce Domini, n. 11. p. 88.

(2) Ibid. pagg. 88—89.

(3) Sunt codices qui legunt non *το γενομενον*, sed *το γενος ἡμων*.

την ἑαυτου ἱκανοτητα και δυναμιν· Χριστος γαρ Θεου δυναμις και Θεου σοφια· κεκινηται τῃ φιλανθρωπιᾳ, και οἰκτειρας την ἀσθενειαν ἡμων, ἐνεδυσατο ταυτην, quare non tulit, ut opificium suum periret, neque sustinuit, ut operum suorum alter esset Dominus; sed intolerandam videns malitiam, mortaleque genus non valere morti obsistere, neque posse poenam malorum suorum persolvere; videns item Patris sui bonitatem, suamque potentiam et virtutem: *Christus* (2) enim *Dei virtus et Dei sapientia*; commotus suo erga homines amore, miseratus est nostrae infirmitatis, illamque induit. Ipse enim, ut ait (2) propheta, infirmitates nostras tulit, et morbos gestavit. Miseratus item nostrae mortalitatis, eadem amictus est. Ait enim (3) Paulus: *humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Quumque pariter videret, nos ad solutionem supplicii impares esse, suscepit illam: *Christus* (4) *enim factus est pro nobis maledictum.* Atque sic humanis circumamictus indutusque, per sese quae nostra erant Patri obtulit, ut quasi ipse pateretur, hominem patientem illaesum redderet, et parva magnis commutaret.

Descendit enim, ut nobis adscensum praepararet; *nativitatem* expertus est, ut nos per eum τῳ ἀγεννητῳ φιλιασωμεν, cum *ingenito* amicitia iungeremur; infirmatus propter nos est, ut nos excitaremur in virtute, et diceremus cum (5) Paulo: *omnia possum in eo qui me confortat* Iesu Christo. Sumpsit corpus corruptibile, ut corruptibile indueret incorruptionem: induit mortale, ut mortale indueret immortalitatem. Demum factus est homo et mortuus est, ut nos, qui utpote homines moriebamur, θεοποιηθωμεν, deificaremur, neque mortis regnum ultra sustineremus. Ipse namque quum pateretur, nullatenus laedebatur, immo potius dona largiebatur; et moriens, mortuus non remansit, sed potius mortuos vivificabat; και σφαγιαζομενος δε οὐκ ἀπωλυτο, ἀλλα τῳ

(1) I. Cor. II. 24.
(2) Is. LIII. 4.
(3) Philipp. II. 8.
(4) Gal. III. 13.
(5) Philipp. IV. 13.

αἱματι της σφαγης παντας ἁπλως ἐλυτρουτο, και αὐτος ἐμενεν ἀπαθης, nec immolatus periit, sed immolationis suae sanguine *omnes prorsus* liberavit, ipseque mansit impatibilis ».

Ac omnes prorsus liberavit, siquidem (1) « corpus quod mori posset adsumpsit sibi, *ἱνα τουτο του Θεου λογου μεταλαβον, ἀντι παντων ἱκανον γενηται τῳ θανατῳ, και δια τον ἐνοικησαντα λογον ἀφθαρτον διαμεινῃ*, ut idem corpus Dei Verbi particeps ad mortem pro omnibus subeundam idoneum esset, ac propter Verbum inhabitans, incorruptum maneret ».

Quae plenius (2) enarrans, subdit : « Verbum quippe Dei, quum supra omnes sit, templum suum corporeumque instrumentum *προσαγαγων ἀντιψυχον ὑπερ παντων*, offerens in redemptionem pro omnibus, implevit debitum quod in morte situm erat; *και ὡς συνων δε δια του ὁμοιου τοις πασιν, ὁ ἀφθαρτος του Θεου υἱος, εἰκοτως τους παντας ἐνεδυσεν ἀφθαρσιαν ἐν τῃ της ἀναστασεως ἐπαγγελιᾳ*, et utpote qui propter similitudinem omnibus inesset incorruptibilis Dei Filius, omnes, ut consentaneum erat, in promissione resurrectionis induit immortalitate; et corruptio, quae secundum homines mortem consequitur, nequaquam ultra locum habet, *δια τον ἐνοικησαντα λογον ἐν τουτοις δια του ἑνος σωματος*, propter Verbum in ipsis habitans, quia unum cum eo corpus sunt ».

Quibus ut splendorem addat, similitudine (3) utitur, inquiens : « Sicuti quum magnus quidam rex in aliquam amplam urbem ingreditur, ac in una domorum eius habitat; urbs tota magno afficitur honore, neque ulterius quis hostium insultare ipsi audet; immo vero propter regem in una ex domibus inhabitantem, summa sollicitudine summoque decore illa servatur : pari modo de Servatore nostro actum est. *ἐλθοντος γαρ αὐτου εἰς την ἡμετεραν χωραν, και οἰκησαντος εἰς ἑν των ὁμοιων σωματων, λοιπον πασα κατα τον ἀνθρωπον ἐπιβολη πεπαυται.* Quum venisset enim in regionem

(1) Sermo maior de fide, n. 5. p. 6. T. II. Collect. Nov., auctore Montfauconio, Paris. 1706.

(2) Ibid. n. 6. pagg. 6—7.

(3) Ibid. pag. 7.

nostram, et domicilium in corpore nostris simili cepisset, exinde omnes contra hominem insidiae cessarunt ».

XCVIII.

Anceps ergo videri non potest, quae, Athanasio auctore, credi debeat *sive origo* renovati hominum generis, *sive* institutae renovationis *vis atque efficacia*, *sive* eiusdem *ambitus ac amplitudo*. Origo namque est *ἀγαθοτης και φιλανθρωπια* Patris ac Filii, qua uterque excitus permotusque non tulit, ut suum opus suaque imago in pessum iret, alterique domino, sive satius tyranno subiiceretur.

Vis porro atque efficacia institutae renovationis tanta est, ut detrimenta peccato illata non sine fenore reparaverit. Reparavit detrimentum corruptionis et mortis incorruptione ac immortalitate promissa : reparavit infirmitatem virtute suppeditata : reparavit debiti reatum solutione exhibita : reparavit inimicitias hominibus cum Deo reconciliatis : et contractam reparavit ignobilitatem facta deificationis potestate.

Sed *quo pacto* ista praestitit, *quibusve* praestitit? in promptu est, Athanasio praeeunte, responsio. Unde enim, quaeso, universa hominum mala ceu e nativo fonte defluxerunt? non aliunde, quam ex abrupta cum Deo benevolentiae amicitiaeque societate. Ut igitur, obstructo fonte, tot tantisque malis prospiceretur, sua bonitate sapientiaque effecit Deus, ut *in Christo* universa hominum natura multo cum Deo arctius intimiusque copularetur, copulataque ad pristinam dignitatem proveheretur.

Quo summo eximioque bono non unum alterumve honestavit Deus, sed eos prorsus omnes, quos primum per suum Verbum condiderat, quos ad suimetipsius imaginem expresserat, qui in Adamo perierant, quos mors occupaverat, et quorum naturam Verbum suscepit ac in libertatem vindicavit.

« Indecorum namque erat, scribit (1) Athanasius, res rationis compotes, et Verbi Dei semel factas participes interire, rursusque in nihilum corruptione reverti. Divina enim

(1) De incarnat. Verbi Dei, n. 6. p. 52.

bonitate indignum prorsus erat, res a Deo factas ob fraudes, quibus homines diabolus circumvenit, destrui. Inprimis vero dedecebat, Dei artem in hominibus vel propter illorum incuriam vel propter daemonum astutiam deleri. Itaque hominibus pereuntibus talibusque operibus in exitium labentibus, *τι τον θεον ἐδει ποιειν ἀγαθον ὀντα;* quid Deum, qui bonus est, facere oportebat? an sinere ut corruptio adversus illos invalesceret, ac mors eis dominaretur? at quid profuisset illos ab initio factos esse? satius enim erat eos omnino non fieri, quam factos negligi et interire, *ἀσθενεια γαρ μαλλον και οὐκ ἀγαθοτης ἐκ της ἀμελειας γινωσκεται του θεου, εἰ ποιησας παροραֹ φθαρηναι το ἑαυτου ἐργον, ἡπερ εἰ μη πεποιηκε κατα την ἀρχην τον ἀνθρωπον, μη ποιησαντος μεν γαρ οὐκ ἠν ὁ λογιζομενος την ἀσθενειαν· ποιησαντος δε και εἰς το εἰναι κτισαντος, ἀτοπωτατον ἠν ἀπολλυσθαι τα ἐργα, και μαλιστα ἐπ' ὀψει του πεποιηκοτος· οὐκ οὐν ἐδει τους ἀνθρωπους μη ἀφιεναι φερεσθαι τη φθορα, δια το ἀπρεπες και ἀναξιον εἰναι τουτο της του θεου ἀγαθοτητος.* Siquidem eiusmodi incuria infirmitatis potius quam bonitatis Dei fuisset argumentum; si nimirum quod effecerat opus destrui permisisset, quam si ab initio hominem penitus non creasset. Si enim illum non creasset, nullus esset qui de imbecillitate cogitaret; at postquam illum fecit ac ut esset creavit, opus perire praesertim ante ipsius auctoris oculos fuisset perabsurdum. Itaque a Deo abhorrebat sinere ut homines in corruptionem laberentur, quia id indecorum et indignum divinae bonitatis erat.

Sed (1) ubi praeeunte transgressione, homines in corruptionem naturae debitam incurrerunt, et divinae similitudinis gratia spoliati sunt; quid aliud, quaeso, fieri oportuit? vel cuiusnam opera ad eiusmodi gratiam instaurationemque praestandam necessaria fuit, nisi Dei Verbi, a quo omnia ex nihilo facta primitus sunt? *αὐτου γαρ ἠν παλιν και το φθαρτον εἰς ἀφθαρσιαν ἐνεγκειν, και το ὑπερ παντων εὐλογον ἀποσωσαι προς τον πατερα, λογος γαρ ὠν του πατρος και ὑπερ παντας ὠν, ἀκολουθως και ἀνακτισαι τα ὁλα μονος ἠν δυνατος και ὑπερ παντων παθειν, και πρεσβευσαι περι παντων ἱκα-*

(1) Ibid. n. 7. p. 53.

νος προς τον πατερα. Ipsius siquidem erat quod corruptum esset, incorruptum iterum reddere, et pro omnibus id quod Patrem decebat servare. Quum enim Patris sit Verbum, et omnibus longe antecellat, solus quoque ipse idcirco universa instaurare poterat ac solus par fuit qui pro omnibus pateretur, et apud Patrem pro omnibus intercederet ». Quae quam abunde praestiterit, nomen idcirco (1) dignitatemque του κοινου παντων σωτηρος *communis omnium servatoris* consequutus est ».

XCIX.

Alia eaque bene plura suppeterent eodem pertinentia quae adderem , sed ab illis referendis, ne sim nimius, abstineo, et ad eos patres scriptoresque venio, qui fidem doctrinamque *africanae ecclesiae* sua testificatione repraesentant. Ex his autem hoc imprimis assequimur, *inter eas dotes quibus supremum Numen ad hominum genus refertur, bonitatem excellere, huic primas partes convenire, severitatem iustitiamque nonnisi altero loeo consequi, atque idcirco proprium Dei esse, ut ipse hominum parens ἐξοχως credatur.*

Praeclare Tertullianus ubi (2) animam his verbis alloquitur : « De natura quoque Dei, quam praedicamus, nec te latet : Deus *bonus* est, Deus *benefacit*, tua vox est. Plane ea dicis (sed homo, malus scilicet) contraria propositione oblique et figuraliter exprobrans, ideo malum hominem, qui a Deo bono abscesserit. Etiam quod penes Deum bonitatis et benignitatis omnis benedictio inter nos summum (3) sit disciplinae et conversationis sacramentum; *benedicat te Deus*, tam facile pronuntias, quam christiano necesse est ». Hinc mentione iniecta (4) *mitissimi patris* qui effusum in omnem

(1) Ibid. n. 21. p. 65.

(2) De testimonio animae, cap. II. p. 81. edit. Rigaltii 1641.

(3) Omnis benedictio bonitatis et benignitatis Dei a Tertulliano dicitur *snmmum disciplinae et conversationis* christianae *sacramentum* , quasi supremum et postremum sacramentum, ac ut ita dicam, celeberrimum. Ad eum modum quo Augustinus scripsit, salutationem hanc, *Deo gratias*, fuisse suo tempore in ecclesia celeberrimam.

(4) De poenitentia, cap. VIII. p. 146.

libidinem filium tanta benignitate recepit, illico subdit: « Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet, *tam pater nemo, tam pius nemo.* Is ergo te filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus redieris, recipiet quia rediisti: magisque de regressu tuo quam de alterius sobrietate laetabitur ». Explanans vero (1) dominicam orationem, principio monet, idcirco *verborum agmine non esse adeundum ad Dominum, quod ultro eum suis prospicere certi simus*; tum (2) addit, eam orationem incipere » a testimonio Dei et merito fidei quum dicimus , *Pater qui in caelis es.* Nam et Deum oramus et fidem commendamus, cuius meritum est haec appellatio. Scriptum est, qui in eum crediderint, dedit eis potestatem ut filii Dei vocentur. Quamquam frequentissime Dominus *patrem* nobis pronuntiavit *Deum*, immo et praecepit, ne quem in terris patrem vocemus nisi quem habemus in caelis. Itaque sic adorantes etiam praeceptum obimus. Felices qui patrem agnoscunt. Hoc est quod Israeli exprobratur, quod caelum ac terram Spiritus contestatur: *filios*, dicens, *genui, et illi me non agnoverunt* ».

His simillima (3) habet Cyprianus, et cum utroque consentiens Minucius Felix (4), qui scribit : « Eos merito torqueri, qui Deum nesciunt, ut impios, ut iniustos; nisi profanus, nemo (5) deliberat : quum *parentem omnium* et omnium Dominum non minoris sceleris sit ignorare quam laedere ». Et nonnullis interpositis (6) : « Itaque , pergit , et nobis Deus nec non potest subvenire, nec despicit; quum sit et *omnium rector* et *amator suorum* : sed in adversis unumquemque explorat et examinat ; ingenium singulorum periculis pensitat; usque ad extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur, nihil sibi posse perire securus. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur ».

(1) De oratione, cap. I. p. 149.

(2) Ibid. cap. II. pagg. 149—150.

(3) De orat. dominica, pagg. 99—102. edit. Amstelodami, 1700.

(4) Octavii, §. XXXV. p. 402. apud Gallandium T. II.

(5) Idest , nemo dubitat ; deliberant enim dubitantes quid facto opus sit.

(6) Ibid. §. XXXVI. p. 402.

De qua Dei benevola natura ac in omnium salutem felicitatemque intenta prorsus egregia sunt, quae adversus ethnicos disputat (1) Arnobius, inquiens: « Nisi forte dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miserias despici. Atqui Christus aequaliter bonis malisque subvenit: nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat iniuriasque fortunae. Hoc est enim *proprium* Dei veri potentiaeque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime ».

Ut enim de laudibus disserens *divinae religionis* Lactantius (2) ait: « Ea sola efficit, ut homo hominem carum habeat, eumdemque sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum: siquidem *pater idem omnibus* Deus est, ut Dei *patrisque communis* beneficia cum iis qui non habent, partiatur, nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurem precanti; sed sit largus, beneficus, liberalis: quas regias esse laudes Tullius (3) existimavit. Haec est profecto iustitia, et hoc aureum saeculum, quod Iove primum regnante corruptum, mox et ipso et omni eius progenie consecrata deorumque multorum suscepto cultu, fuerat omne sublatum ». In qua miserrima prorsus conditione ne diutius homines versarentur: « Deus, ut *parens indulgentissimus*, subdit (4) Lactantius, appropinquante ultimo tempore, nuntium misit qui vetus illud seculum fugatamque iustitiam reduceret; ne humanum genus maximis et perpetuis agitaretur erroribus ». Etenim (5) « propterea coli se Deus expetit et honorari ab homine *tamquam pater*, ut virtutem ac sapientiam teneat, quae sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius praeter ipsum donare eam potest, quia solus possidet; pietatem hominis qua Deum honoraverit, hoc afficiet praemio, ut sit in aeternum beatus, sitque apud Deum et cum Deo semper ». Quo summam divinorum consiliorum

(1) Disputatt. adversus gentes, lib. I. §. XVIII. p. 142. apud Gallandium T. IV.

(2) Divin. institutt. lib. V. cap. VI. p. 312. apud Gallandium. T. IV.

(3) Orat. pro Deiotaro, cap. IX.

(4) Ibid. cap. VII. p. 312.

(5) Ibid. lib. VII. cap. V. p. 350.

spectare declarat Lactantius, quum (1) quaestioni, *quare mundus et homo creati sunt*, ita respondet: « Idcirco mundus factus est, ut nascamur: ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum: ideo agnoscimus, ut colamus; ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo praemio immortalitatis afficimur, ut similes angelis effecti, *summo patri* ac Domino in perpetuum serviamus, et simus aeternum Deo regnum. Haec summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi: a quo sunt alieni, qui sequentes praesentem voluptatem, terrestribus et fragilibus se bonis addixerunt, *et animas ad caelestia genitas* suavitatibus mortiferis luto caenove demerserunt ».

Neque alia est imago qua Marius Victorinus Deum exhibet; enarrans siquidem Apostoli (2) effatum, *ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*, sic (3) habet: « Scilicet ex patre Deo et patre Domini nostri Iesu Christi: *ipse* enim *pater*, *ipse primus pater*, et ab ipso quicumque pater est, pater est nominatus. Et tamen hoc vocabulum vel potestas *a primo Deo patre*, *velut a fonte*, defluxit. Nam et Christus *pater omnium*, quae creata sunt: per Christum enim

(1) Ibid. lib. VII. cap. VI. p. 350.

(2) Ephes. III. 15. Eamdem *paternitatis* vocem habent non Vulgatus solum, sed et reliqui propemodum omnes latini scriptores apud Sabatierium; nisi quod Auctor de quadraginta mansionibus inter opera Ambrosii legit, *ex quo omnis familia in caelis et in terra nominatur*. Graece sic est, *ἐξ οὑ πασα πατρια ἐν οὐρανοις και ἐπι γης ὀνομαζεται*. Iamvero, Hesychio interprete, *πατρια* est *φυλη*, et ab Suida *πατριαι* redduntur *χωραι, φυλαι, τοπαρχιαι*. Alexandrini *πατριας* nomine vertunt quum hebraicum משפחה, *familiam*, genus, tum *ῥησιν*, בית אב, *domum patris*. In novo testamento idem nomen praeterea occurrit Luc. II. 4. et Actt. III. 25., ac utroque in loco vim significationemque familiae et generis praesefert. Igitur a rei veritate non admodum discederemus, si apostolicum testimonium, *ἐξ οὑ πασα πατρια ἐν οὐρανοις και ἐπι γης ὀνομαζεται*, ita latine redderemus, *qui est familiae suae in universo mundo auctor et conditor*. Cf. Kypke, Observatt. Sacr. T. II. p. 213.

(3) In epist. ad Ephesios, lib. I. p. 119. apud Mai, Script. Vett. T. III.

creata sunt omnia. Item et in mysteriis (1) pater. Et Paulus quodammodo pater, siquidem dixit filii mei estis: *ego*, inquit, *in Christo Jesu per evangelium vos genui.* Denique paternitas in caelis Christus est: in terra paternitas, vel apostoli, vel quicumque evangelizat, vel qui tradit mysterium. His enim modis atque aliis multis filii dicuntur qui fidem accipiunt, et illi patres qui tradunt. Paternitas igitur omnis *a Deo patre* proficiscitur ».

C.

Tertulliano igitur, Cypriano, Minucio, Arnobio, Lactantio ac Victorino testibus, non alius Deum inter hominesque *primum* existit habitus quam benevolentiae, dilectionis amorisque *paterni*, quo fit ut Deus vocetur credaturque *pater*, *pater indulgentissimus*, *mitissimus*, *summus*, *princeps*, *a quo omnis paternitas defluit*, ac ita pater, *ut tam pater nemo*, *tam pius nemo*.

Huius autem benevolentiae et adversus homines paternitatis origo ac ratio *insita* est Deo, ex nativa eiusdem bonitate dimanat, ac eo usque *universalis* est, ut *neminem* excipiat, *omnesque* complectatur.

Insita Deo est, quum *proprium sit Dei veri potentiaeque regalis benignitatem suam negare nulli*, *nec reputare quis mereatur aut minime*. Universalis est, quum Deus *parens* sit *omnium*, *omnium rector ac amator*, *pater communis*, *aequaliterque bonis malisque subveniat*.

Cum utraque dote *tertium* cohaeret eiusdem benevolae paternaeque voluntatis *ornamentum*, quo *efficax* illa est, *actuosa*

(1) Quibus illustrandis ista conducunt quae habet in epist. ad Galat. IV. 19. lib. II. p. 37: « Porro autem quod adiunxit, *filii mei*, quoniam multis modis dicuntur, nunc caritate, nunc natura, nunc sanguine, nunc etiam religione, qua hodie dicit Paulus filii mei: sive quia per baptismum, quum regeneratio fit, ille qui baptizatum perficit, vel perfectum suscepit, pater dicitur: sive quia quum renovat illos in Christum, facit filios suos; idcirco adiecit, *quos ego parturio*, idest, in lucem proferre cupio, magnisque doloribus animae meae nasci ad vitam cupio et ad salutem ».

ac *multiplici sese beneficiorum copia profundit.* Ad hoc ornamentum pertinent quae africani patres unanimes contestantur: *a*) idem prorsus significari quum dicimus, *Deum in omnes esse bonum* ac *omnibus benefacere: b*) *Deum ultro hominibus prospicere : c*) ita eum suapte sponte comparatum esse, *ut despicere homines nequeat: d*) *neminem ab eo repulsam pati, omnesque effectibus divinae benignitatis locupletari* : ac tandem *e*) utrumque ordinem naturalem et supernaturalem ita divinitus administrari ac dirigi, *ut animae ad caelestia genitae summo patri ac Domino in perpetuum serviant, et sint aeternum Deo regnum.*

Tanti vero sunt ponderis tantique momenti, quae *de amplitudine deque efficacia paternae dei voluntatis* ex sententia africanae ecclesiae innuimus, ut ea et expoliri diligentius et confirmari validius debeant. Tertullianus igitur principii loco statuit, *Deo ea qua est bonitate placuisse, lapso hominum generi suppetias ferre, misericordem illi manum perrigere ac e ruinae damnationisque statu ad statum spei et reformationis provehere.* Et luculenta sane ista (1) sunt, ac ad id quod docemus persuadendum accomodata: « Deus post tot ac tanta delicta humanae temeritatis, a principe generis Adam auspicata: post condemnatum hominem (2) cum seculi dote, post eiectum paradiso mortique subiectum: cum rursus *ad suam misericordiam* (3) *maturavisset*, iam inde in semetipso poenitentiam (4) dedicavit, *rescissa sententia*

(1) De poenitentia, cap, II. pagg· 139-140.

(2) Dotem seculi, Rigaltio interprete, dicit delicta, per quae homo excidit a divina gratia. Alias eiusdem phraseos interpretationes referunt Ludovicus de la Cerda in notis ad h. l; et Benedictus Ferdinandus ad Genes. III. sect. 40.

(3) Deus enim postquam punivit Adam eiiciens illum de paradiso, perquam mature confugit ad suam misericordiam. Scite ergo Rhenanus verba Tertulliani hoc commentario explanavit: *Quum ad suam misericordiam Deus mature se recepisset.*

(4) Quasi nimirum, inquit Rigaltius, Deum poenituerit fecisse hominem: quasi etiam poenituerit damnasse. Atqui scribit de la Cerda, alia prorsus est Tertulliani sententia, atque huc omnino redit: « Deus post punitum hominem confugiens statim *ad suam misericordiam,* eo ipso *dedicavit in se poenitentiam,* quia rescindens iras pristinas *pactus* est se pa-

irarum pristinarum, ignoscere pactus *homini et imagini suae*». Versatur ergo hominum genus in statu reformationis, iramque illi debitam convertit Deus in misericordiam, qua suam imaginem prosequutus est.

Ab hoc autem divino reformandae humanitatis proposito divelli nullatenus possunt: *a*) sincera de salute omnium hominum voluntas: *b*) voluntas qua Deus poenitentiam hominum malit quam perniciem et interitum: *c*) voluntas qua omnibus copiam potestatemque faciat, ut e nativa filiorum irae conditione ad felicissimam filiorum adoptionis dignitatem assurgant: *d*) voluntas quae nemini praesidia deneget saluti comparandae necessaria: *e*) voluntas quae non antea decernat poenam, quam homines in suum exitium coniuraverint, supernamque misericordiam contemtempserint: voluntas propterea *f*) quae cum delegerit providentiae ordinem, in quo primae partes bonitati ac misericordia, severitati vero ac punienti iustitiae nonnisi secundae tribuantur. Sat est ideam notionemque reformationis in sua veluti elementa explicare, ut haec omnia ac singula iisdem comprehensa videantur. Quare si in ea Tertullianus sententia fuit, quam illi adscripsimus, hominumque genus ex irae damnationisque statu ad statum misericordiae et salutis divinitus adductum reipsa credidit; spes est ut quaecumque commemoravimus, pro opportunitate tradiderit. Ac tradidit enimvero, et ea quidem evidentia, ea-

ratum esse ex summa misericordia ad ignoscendum cuicumque poenitenti. Itaque *dedicare poenitentiam in semetipso* nihil est heic aliud, quam attollere vexillum misericordiae in seipso ad bonum poenitentium quod antequam Adam peccaret, esse non potuit: fecit utique se Deus asylum poenitentibus «. Quare contra Barraeum, quia *dedicationem poenitentiae in Deo,* refert ad verba illa, *poenitet me fecisse hominem*, notat virum eruditum longe falli. » Idem enim dicit Tertullianus, quod Athanasius in quaestionibus ad Antiochum principem, q. LXXXIII. ἐπι της μετανοιας των ἁμαρτιων ὁ Θεος ἐστιν ὁ ταυτης προξενος. Ait, scilicet, *Deum primum poenitentiae peccatorum hospitia aperuisse.* Et statim diabolum facit malae poenitentiae ποιητην, *factorem*, quum faciat ut homines doleant non de peccatis, sed de bonis operibus. Ut ergo diabolus institutor malae poenitentiae, ita Deus bonae; et bona est illa, qua quis poenitet tantum de peccatis ».

que testimoniorum perspicuitate, ut vix plenior desiderari possit.

CI.

Quod enim *priore loco* recensuimus, tum tradidit quum enarrans (1) Salvatoris verba, *fiat voluntas tua*, scripsit: « Secundum hanc formam subiungimus, *fiat voluntas tua* (2) *in caelis et in terra*, non quod aliquis obsistat quominus voluntas Dei fiat, et ei successum (3) voluntatis suae oremus; sed in omnibus petimus fieri voluntatem eius. Ex interpretatione enim *figurata* carnis et spiritus (4) nos sumus caelum et terra. — Quamquam etsi *simpliciter* intelligendum est, idem tamen est sensus petitionis, ut in nobis fiat voluntas Dei in terris, ut possit scilicet fieri et in caelis. Quid autem Deus *vult*, quam incedere nos secundum suam disciplinam? petimus ergo substantiam et facultatem voluntatis suae subministret nobis, *ut salvi simus* et in caelis et in terris, *quia summa est* (5) *voluntatis eius salus eorum quos adoptavit*... Nihil enim mali est in Dei voluntate, etiamsi quid *pro meritis* cuiusque inrogatur ». Praeclare omnino et

(1) De oratione, cap. IV. pagg. 150-151.

(2) Omittit Tertullianus particulam *sicut*, ὡς: et quod graece est forma singulari, ἐν οὐρανῷ, numero plurali reddit, *in caelis*.

(3) Haec, praeeunte Tertulliano, repetunt Cyprianus et Venantius Fortunatus, dum et ipsi orationem dominicam explanant.

(4) Eiusdem figuratae interpretationis auctores similiter sunt Cyprianus, Venantius, Gregorius nazianzenus orat. I. et Florus in exegesi Missae, inquiens: « Possumus etiam per caelum et terram intelligere spiritum et carnem, quoniam spiritus e caelo, caro e terra esse cognoscitur; sed spiritus caelestia quaerit, caro terrena concupiscit, et ideo petimus ut voluntatem Dei his duobus concordantibus faciamus ».

(5) Concinit perfecte Gregorius nyssenus Serm. IV. de orat. dominica: γενηθητω το θελημα σου· θελημα δε θεου ἡ σωτηρια των ἀνθρωπων ἐστιν: *Fiat voluntas tua; voluntas autem Dei salus hominum est*. Neque dissonat Cassianus Collat. IX. cap. XIX. inquiens: « Vel certe taliter accipiendum; *voluntas Dei salus omnium est*, secundum illam beati Pauli sententiam, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*. Dicentes ergo ei, *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*, hoc eum aliis verbis oramus: ut sicut hi qui in caelo sunt, *ita omnes qui in terra consistunt, tua pariter agnitione salventur* ».

ad id quod volumus efficiendum, accommodatissime; nihil siquidem aut praeclarius verbis, *summam esse divinae voluntatis, salutem eorum quos adoptavit;* aut opportunius effato, *Dei in homines voluntatem tum etiam esse benevolam, quum in illos pro ipsorum meritis severitate iustitiae animadvertitur.*

Quae ne de aliquibus solum dicta censeantur, *quatuor* sunt quae maxime impediunt: ac 1) consensio cum ea doctrina, quae ecclesiasticis scriptoribus *communis* fuit: ea deinde 2) quae apud Tertullianum praecedunt: tum quae 3) apud eumdem consequuntur: ac postremo 4) quae ipsemet habet de amplitudine deque ambitu illorum effectuum, qui ex salutifera divina voluntate proficiscuntur. Sane recolantur quae protulimus, ut doctrinam alexandrinae ecclesiae (1) explicaremus; ac ea item recolantur quae ex Gregorio nysseno et Johanne Cassiano modo descripsimus. Manifestum erit, haec omnia cum Tertulliani verbis conciliari ἁρμονικως non posse, nisi quod ipse ait, *summam esse divinae voluntatis salutem eorum quos adoptavit*, de voluntate quae sit ἡ σωτηρια των ἀνθρωπων, *salus hominum* accipiatur. Quam acceptionem et *antecedentia* postulant, quibus explanans (2) verba, *sanctificetur nomen tuum*, scribit: «Quantum ad nostram attinet petitionem, quum dicimus, *sanctificetur nomen tuum*, id petimus, ut sanctificetur (3) in nobis, qui in illo sumus: *simul et in ceteris, quos adhuc gratia Dei exspectat*; ut et hinc praecepto pareamus, orando (4) *pro omnibus*,

(1) §§. LXXII. seqq.

(2) De oratione, cap. III. p. 150.

(3) Auctore Cyrillo alexandrino in alterum Amosi caput, ἁγιαζειν λεγονται τον θεον οἱ ζωντες ὀρθως, *dicuntur Deum sanctificare, qui recte vivunt.* A qua interpretatione ne minimum quidem Hieronymus discedit in tertio adversus pelagianos libro scribens: *Illi nomen Dei quod per se sanctum est, in se sanctificare cupiunt.*

(4) Perspicuum horum verborum commentarium exhibet Venantius Fortunatus, inquiens: « Videmus non tantum pro nobis optare, ut sanctificetur nomen eius, sed et pro illis, qui necdum ad baptismi meruere gratiam pervenire: nam in Christi *plenissima caritate* docemur etiam pro inimicis orare; quia et ipse non amicos et fideles, sed adversarios suos et culpabiles de mortis carcere liberavit ».

etiam pro inimicis nostris. Ideoque suspensa enuntiatione non dicentes, sanctificetur in nobis, *in omnibus* dicimus ». Neque alio spectant *consequentia*, quibus de ea parte dominicae orationis qua petimus, *adveniat regnum tuum*, ita (1) statuit: « Veniat quoque regnum tuum, ad id pertinet quod et, *fiat voluntas tua*, in nobis scilicet. Nam Deus quando (2) non regnat, in cuius manu cor omnium regum est? sed quidquid nobis optamus, in illum auguramur, et illi deputamus quod ab illo expectamus. Itaque si *ad Dei voluntatem*, et ad nostram suspensionem (3) pertinet *regni dominici* (4) *repraesentatio*, quomodo quidam protractum (5) quemdam in seculo postulant? quum regnum Dei, quod adveniat, oramus, ad consummationem seculi tendat, optamus, maturius regnare et non diutius servire. Etiamsi praefinitum in oratione non esset de postulando regni adventu, ultro eam vocem postulassemus, festinantes ad spei nostrae complexum ».

Eo igitur suapte sponte, nativoque pondere rapitur divina voluntas, ut omnibus, nisi iidem obsistant, caeleste regnum repraesentet. Si enim *plenissima* a nobis exigitur *caritas*, nobisque iniungitur ut *omnibus* adprecemur sanctificationem divini nominis, quae in illis resplendeat; multo est plenior misericors Dei benignitas quae omnes praevenit, omnes occupat, ac omnino neminem sua luce suoque calore destituit.

(1) De oratione, cap. V. p. 151.

(2) Eodem pacto Cyprianus: « Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod et semper fuit, et esse non desinit »?

(3) Cuiusmodi sit haec nostra suspensio, declarat Venantius Fortunatus, inquiens: *Qui omnem spem in futuri regni facultate plantamus.* Unde pendemus animis ad fructum usque, ne

Pinguia decipiant mentito gramine culta.

(4) Quo vocabulo africanis scriptoribus usitato id effertur quod dicimus *rem praesentem sistere.*

(5) Sunt qui legunt *pertractum*, nullo, ut arbitror, significationis discrimine.

CII.

Post culpam namque poenitentiam providet, mavult poenitentiam quam mortem, de poenitentia gaudet, ideo comminatur ne saeviat, ac ut aditum sibi aperiat aliquem ignoscendi, et tum solum punit, quum homines nullum peccandi finem faciunt.

« Omnibus delictis, inquit (1) Tertullianus, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spopondit, dicens ad (2) populum: *poenitere* (3) *et salvum faciam te*. Et iterum: *vivo, inquit Dominus, et poenitentiam malo quam mortem*. Ergo poenitentia vita est, quum praeponitur morti. Eam tu peccator mei similis, imo me minor, ego enim praestantiam (4) in delictis meam agnosco, ita invade, ita amplexare, ut naufragus (5) alicuius tabulae fidem. Haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit, et in portum divinae clementiae (6) protelabit. Rape occasionem inopinatae felicitatis, ut ille tu, nihil quondam penes Deum (7) nisi stilla situlae, et areae pulvis, et va-

(1) De poenitentia, cap. IV. pagg. 141-142.

(2) Videtur Tertullianus ad ea respicere, quae Ezech. XVIII. leguntur.

(3) Etsi forma, *poenitere*, insolens videri possit, corrupta tamen censeri non debet, quum apud Marcum et in Actis occurrat forma, *poenitemini*.

(4) Unde postremo huius libelli capite semetipsum dicit *peccatorem omnium notarum*.

(5) Imago haec est scriptoribus ecclesiasticis usitata, uti videre licet apud Ambrosium in lib. ad virginem lapsam, cap. VIII,, apud Hieronymum in litteris ad Sabinianum et ad Salvinam, et apud Petrum blesensem in libello de hierosolymitana peregrinatione.

(6) Est autem *protelabit* idem ac protelo tractum perducet. Qua significatione frequens est eiusdem acceptio, uti testes sunt Cassianus de Incar. lib. II. cap. II., lib. III. cap. IV., lib. V. cap. V., Petrus Chrysologus, Serm. V., Hieronymus con. Iovinianum, Synodus toletana V. can. I., Aldhelmus de virginitate cap. XXVIII., et Fulbertus carnotensis, epistol. XXXVI.

(7) Is. XL. Dan. II. Ps. I. Ierem. IX. Matth. III.

sculum figuli, arbor exinde fias illa quae penes aquas seritur et in foliis perennat et tempore suo fructus agit: quae non ignem, non securim videbit . . . Bonum est poenitere, an non? quid revolvis, Deus praecipit. At enim ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat praemio, salutem (1) iurans etiam, *vivo*, dicens (2), cupit credi sibi. O beatos nos quorum caussa Deus iurat? o miserrimos, si nec iuranti Domino credimus »! Verbis autem, quibus (3) petimus, *dimitti nobis debita nostra*, subiicit: « Sciebat Dominus se solum sine delicto esse; docet itaque petamus *dimitti nobis debita nostra*. Exomologesis est petitio veniae, quia qui petit veniam, delictum confitetur. Sic et poenitentia demonstratur *acceptabilis* Deo, *quia vult eam*, *quam* (4) *mortem peccatoris* ». Dum vero de secunda poenitentia quasi invitus loquitur, ne (5) ex residuo hoc remedio ansa ad peccandum capiatur, principio ait: « Verum non statim succidendus ac subruendus est animus (6) desperatione, si secundae quis poenitentiae debitor fuerit; pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat; pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat, iteratae valetudinis iteranda medicina est. Gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus *offert*, non recusaveris. Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, *et quidem volentem* ». Tum (7) pergit: « Id si dubitas, evolve quae Spiritus (8) ecclesiis dicat. Desertam dilectionem Ephesiis imputat: stuprum et idolothy-

(1) Ciaconius ex coniectura legendum duxit, *invitat praemio salutis*; sed relata a nobis lectio sicuti *difficilior* est et ἐμφατικωτέρα, ita codicum suffragio comprobatur.

(2) Ezech. XXXIII. 11.

(3) De oratione, cap. VII. p. 152.

(4) Quum ellipsis frequens sit Tertulliano, post particulam rationalem *quia*, interseri debet adverbium comparativum *magis*.

(5) De poenitentia, cap. VIII. p. 145.

(6) Componi cum his ea debent sane praeclarissima, quae in eamdem sententiam disputat Cyrillus hierosolymitanus, Catech. II. §§. V. seqq.

(7) De poenitentia, cap. VIII. p. 146.

(8) Apocal capp. I-II.

torum esum Thyatirenis exprobrat . . . ; et tamen omnes ad poenitentiam commovet, et sub comminationibus quidem. *Non comminaretur autem non poenitenti , si non ignosceret poenitenti.* Dubium , si non et alibi *hanc clementiae suae profusionem* demonstrasset. Non (1) ait , qui ceciderit , resurget, et qui aversatus fuerit, invertetur ? ille est scilicet, ille est qui misericordiam mavult quam sacrificium. *Laetantur* caeli, et qui illic angeli , *poenitentia hominis.* Heus tu peccator bono animo sis : vides ubi de tuo reditu *gaudeatur.* Quid illa similitudinum dominicarum argumenta nobis (2) volunt ? quod mulier drachmam perdidit, et requirit, et reperit , et amicas ad gaudium invitat ; nonne restituti peccatoris exemplum est ? errat et una pastoris ovicula, sed grex una carior non erat : una illa conquiritur, una pro omnibus *desideratur* , et tandem invenitur , et humeris pastoris ipsius , multum enim errando laboraverat. Illum etiam mitissimum patrem non tacebo, qui prodigum filium revocat, et post inopiam poenitentem libens suscipit, immolat vitulum praeopimum, convivio *gaudium* suum exornat. Quid ni ? filium enim invenerat quem amiserat, cariorem senserat quem lucrifecerat. *Quis ille nobis intelligendus pater? Deus scilicet. Tam pater nemo, tam pius nemo* ».

CIII.

Ac omnibus propterea copiam potestatemque facit, ut ex irae filiis ad gloriam excellentiamque filiorum Dei provehantur. » Scriptum est enim, inquit (3) Tertullianus qui in eum crediderint, dedit eis potestatem, ut filii Dei vocentur. Quam frequentissime Dominus patrem nobis pronuntiavit Deum. Imo et praecepit , ne quem in terris patrem vocemus , nisi quem habemus in caelis . . . . . Felices qui

(1) Ierem. VIII. Osee VI. et Matth. IX.

(2) Insignis est orationis progressio, qui enim primum de poenitentia peccatoris exhibuerat *caelos* ac *angelos* deinde laetantes, idem postremo *Deum ipsum* gaudentem gestientemque repraesentat.

(3) De oratione; cap. II. pagg. 149-150.

patrem agnoscunt». Agnoscere autem omnes possunt, quia (1) nemo est quem Deum non invitet ad praemium, nemo (2) cui sua gratia suoque favore non adsit, ac nemo (3) cuius salutem non cupide velit.

Quam voluntatis benignitatem numquam non ostendit, ac multiplici beneficiorum copia demonstravit. Ostendit in (4) protoparentes « eodem consilio differens extinctionem diaboli *quo hominis restitutionem*. Certamini enim dedit spatium, ut et homo eadem arbitrii libertate elideret inimicum, qua succiderat illi; probans suam non Dei culpam; et ita salutem digne per victoriam recuperaret, et diabolus amarius puniretur, ab eo quem eliserat ante devictus; et Deus tanto magis bonus inveniretur, sustinens hominem gloriosiorem in paradisum, ad licentiam decerpendae arboris vitae iam de vita regressurum ».

Ostendit in universum deinde hominum genus, ac (5) propterea « et populum (6) sibi congregavit, et multis bonitatis suae largitionibus fovit, et ingratissimum toties expertus ad poenitentiam semper hortatus est, et prophetando universorum prophetarum emisit ora: mox gratiam pollicitus, quam in extremitatibus temporum per Spiritum suum universo orbi illuminaturus esset, praeire intinctionem poenitentiae iussit, ut quos per gratiam vocaret ad promissionem semini Abraham

(1) De poenitentia, cap. IV. pagg. 141-142.

(2) De oratione, cap. III. p. 150.

(3) Ibid. cap. IV. p. 150.

(4) Adversus Marcionem, lib. II. cap X. p. 462. Ipsum autem Marcionem de amplitudine salutiferae voluntatis non aliter existimasse, ista probant quae lib. I. cap. XIV. p. 439. Tertullianus scribit: « Postremo te tibi circumfer, intus ac foris considera hominem. Placebit tibi vel hoc opus Dei nostri, quod tuus dominus ille Deus melior adamavit; propter quem in haec paupertina elementa de tertio caelo descendere laboravit; cuius caussa in hac cellula creatoris etiam crucifixus est ».

(5) De poenitentia, cap. II. p. 140.

(6) « Non refero, inquit la Cerda, cum interpretibus solum ad aevum Moysis, sed ab ipsismet filiis Adam, Deus, sibi elegit aliquos virtutis cultores ab ipso Seth filio Adae, ut videre est in Augustino, libris de civitate Dei, ubi civitatem Dei format ab ipso Adamo per filium Seth ».

destinatam, per poenitentiae subsignationem ante componeret. — Non tacuit Ioannes, *poenitentiam initote*, dicens; iam enim salus nationibns appropinquavit, Dominus scilicet afferens secundum Dei promissum. Cui praeministrans poenitentiam destinabat purgandis mentibus praepositam: utiqe quidquid error vetus inquinasset, quidquid in corde hominis ignorantia contaminasset, id poenitentia verrens et radens et foras abiiciens, mundam pectoris domum superventuro Spiritui-sancto paret, quo se ille cum caelestibus bonis libens inferat ».

Cuius misericordis oeconomiae si rationem quaeras intimamque originem investiges, non aliam reperies praeter Dei bonitatem, sincerumque salvandi humani generis propositum.» Horum namque bonorum, subdit (1) Tertullianus, unus est titulus, *salus hominis*, criminum pristinorum abolitione praemissa. Haec poenitentiae caussa: haec opera negotium divinae misericordiae curans: quod (2) homini proficit, Deo servit».

Unde nihil evidentius quam divinae providentiae ordinem ita esse comparatum, ut opera clementiae praevertant, opera severitatis consequantur; neque antea homines Deum experiantur iratum quam eumdem benevolum optimumque parentem persenserint. « Igitur, inquit (3) Tertullianus, usque ad delictum hominis, Deus a primordio tantum bonus, exinde iudex et severus, et quod Marcionitae volunt, saevus . . . Ita prior bonitas Dei *secundum naturam*; severitas posterior *secundum caussam*. Illa *ingenita*, haec *accidens*: illa *propria*, haec *accommodata*: illa *edita* haec *adhibita*. Nec natura enim inoperatam debuit continuisse bonitatem, nec caussa dissimulatam evasisse severitatem. Alteram *sibi*, al-

(1) De poenitentia, cap II. p. 140.

(2) Quasi diceret, non eget Deus poenitentia, sed tu indiges; et quia res tua agitur, ideo in servitium Dei cedit. A quibus non admodum ista dissident Chrysostomi, qui in altera contra Iudaeos oratione sic Dei nomine loquitur: « *μη γαρ ἐμε ἠδικησατε, μη γαρ ἐμοι ἐγενετο βλαβη, ὑμεις ἑαυτους ἠτιμωσατε, την ἐμην οὐκ ἠλαττωσατε δοξαν, ἀλλα την ὑμετεραν.* Non me laesistis, neque ulla mihi facta est noxa, vosmetipsos ignominia affecistis, gloriam meam non imminuistis, sed vestram ipsorum ».

(3) Adversus Marcionem, lib. II. cap. XI. p. 462.

teram *rei* Deus praestitit ». Et (1) mox: «His modis ostendimus eum cum auctrice omnium bonitate prodisse, ut et ipsam ingenitam Deo et naturalem, nec obventiciam deputandam, quae in Domino inventa sit arbitrix operum eius. At enim ut malum postea erupit, atque inde iam coepit bonitas Dei cum adversario agere, aliud quoque negotium eadem illa iustitia Dei nacta est iam secundum adversionem dirigendae (2) bonitatis, ut (3) seposita libertate eius qua et ultro Deus bonus pro meritis cuiusque pensetur, dignis offeratur, indignis denegetur, ingratis auferatur; proinde omnibus aemulis vindicetur. Ita omne hoc iustitiae opus, procuratio bonitatis est, quod iudicando damnat, quod damnando punit; quod, ut dicitis, saevit, utique bono non malo proficit. Denique timor iudicii ad bonum, non ad malum confert. Non enim sufficiebat bonum per semeptipsum commendari, iam sub adversario laborans. Nam etsi commendabile per semetipsum, non tamen et conservabile, quia expugnabile iam per adversarium, nisi vis aliqua praeesset timendi, quae bonum etiam nolentes appetere et custodire compelleret ». Quibus tandem (4) subiicit: « Usque adeo iustitia etiam plenitudo est divinitatis ipsius, exhibens Deum perfectum et patrem et dominum: patrem, clementia: dominum, disciplina: patrem, potestate blanda: dominum, severa: patrem diligendum pie, dominum timendum necessarie: diligendum quia *malit* misericordiam quam sacrificium, et timendum quia nolit peccatum: diligendum quia *malit* poenitentiam peccatoris quam mortem, et timendum quia nolit peccatores sui iam non poenitentes ».

(1) Ibid. capp. XII-XIII. p. 463.

(2) Dirigendae nimirum bonitatis, prout quisque suum ad Dei bonitatem animum advertit.

(3) Quae hunc sensum fundunt: ut seposita divinae bonitatis liberalitate, qua et ultro Deus bonus est, iam divina illa bonitas pro meritis cuiusque pensetur.

(4) Adversus Marcionem, lib. II. cap. XIII. p. 464.

CIV.

Porro nullum Tertullianus tradidit doctrinae caput ad salutiferam Dei voluntatem, universalemque reformationis (1) ordinem spectans, quod reliqui africani patres scriptoresque non suo suffragio comprobent, editisque testimoniis confirment. Et Arnobius quidem vexatissimam agitans de origine mali quaestionem, axiomatis instar (2) ponit, *nihil a Deo principe quod sit nocens atque exitiabile proficisci*. Tum (3) addit: « Hoc tenemus, hoc novimus, in hac una consistimus cognitionis et scientiae veritate *nihil ab eo fieri, nisi quod sit omnibus salutare, quod dulce amoris et gaudii laetitiaeque plenissimum*, quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod sibi quisque contingere votis omnibus expetat, forisque ab his esse exitiabile ac mortiferum ducat ».

Inter ea vero quae a Deo fiunt *omnibus salutaria et amoris laetitiaeque plenissima* illud emicat, quod hominum generi in extremam licet perniciem sua sponte delapso iter tamen caeleste adhuc pateat, nec obstructa via sit qua ad summum bonum perveniat. « Duae sunt viae, scribit (4) Lactantius, per quas humanam vitam progredi necesse est: una quae in caelum ferat, altera quae ad inferos deprimat; quas et poetae (5) in carminibus, et philosophi in disputationibus suis induxerunt ». Has autem (6) vias, pergit: « longe aliter nos inducimus, quam a philosophis induci solent. *Primum*, quod utrique praepositum esse dici-

(1) Hunc universalem reformationis ordinem egregie describit vetustus auctor Sermonum dominicalium, apud em. Mai, scriptt. Vett. T. III. P. III. pagg. 136-137.

(2) Disputatt. adversus gentes, lib. II. §. XXVI. p. 161. apud Gallandium, T. IV.

(3) Ibid. pagg. 161-162.

(4) Divin. Institutt. lib. VI. cap. III. p. 326. apud Gallandium, T. IV.

(5) De hoc bivio, deque anxio Herculis animo quum ad illud pervenisset, eleganter disserunt Xenophon in altero libro de memorabilibus Socratis, et Tullius de officiis lib. I. cap. XLIII.

(6) Ibid. p, 327.

mus ducem, utrumque immortalem: sed alterum honoratum qui virtutibus et bonis praesit, alterum damnatum qui vitiis ac malis. Illi autem in dexteriore tantum via ducem ponunt, neque unum neque perpetuum: siquidem quemlibet doctorem bonae artis inducunt, qui a desidia revocet homines et frugi esse doceat. Sed neque ingredi faciunt in eam viam, nisi pueros et adolescentes; videlicet quod artes discantur in his aetatibus. *Nos autem omnis sexus et generis et aetatis in hoc caeleste iter inducimus; quia Deus qui eius viae dux est, immortalitatem nulli homini nato negat.* Forma *quoque* ipsarum viarum non ita est, ut illi putaverunt. Quid enim opus (1) est Y littera in rebus contrariis atque diversis? sed altera illa melior conversa est ad solis ortum; altera illa deterior ad occasum: quoniam qui veritatem ac iustitiam sequitur, is accepto immortalitatis praemio, perenni luce potietur; qui autem ab illo malo duce illectus praetulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, necesse est ad occasum et tenebras deferatur ».

CV.

Ea autem voluntate, qua Deus mortalium nemini beneficium denegat immortalitatis, et qua omnibus dux est ut

(1) Huius litterae pythagoricae meminit et Hieronymus in epistola ad Laetam, item ad Pammachium de obitu Paulinae, et in decimum Ecclesiastis caput. Cur vero illam pythagorici praetulerint, describit Ausonius his versibus:

Littera Pythagorae discrimine secta bicorni
Humanae vitae speciem praeferre videtur,
Nam via virtutis dextrum petit ardua collem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:
Sed requiem praebet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata, sed ultima meta
Praecipitat captos, volvitque per ardua saxa.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit:
At qui desidiam, luxumque sequetur inertem,
Dum fugit oppositos incauta mente labores,
Turpis, inopsque simul miserabile transiget aevum.

viam vitae felicitatisque capessant; misit etiam unigenitum Filium ut pro omnibus gustaret mortem, omnes redimeret, omnesque a miserrima pereundi necessitate subtraheret. Praeclare Lactantius qui de caussa incarnati Verbi sermonem (1) ex professo habens, inter cetera scribit: « Quum ergo statuisset Deus doctorem (2) virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne praecepit, et ipsi homini similem fieri, cui dux et comes et magister esset futurus. Sed tamen quoniam clemens est et pius (3) erga suos Deus, ad eos ipsos eum misit quos (4) oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet, sed *daret his liberam facultatem sequendi Deum*, ut et praemium vitae adipiscerentur, *si sequuti* fuissent, quod plurimi eorum faciunt atque fecerunt: *et culpa sua* in poenam mortis incurrerent, *si regem suum repudiassent*. Apud illos igitur et ex eorum semine regenerari eum iussit, ne si fuisset alienigena, *iustam* possent *excusationem* de lege praetendere, quod eum non suscepissent; simul, *ut nulla omnino gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur* ». Quare (5) quum « nos antea tamquam coeci et tamquam carcere stultitiae inclusi sederemus in tenebris, ignorantes Deum et veritatem; illuminati ab eo sumus qui nos testamento suo (6) adoptavit, et liberatos ma-

(1) Div. institutt. lib. IV. cap. XI. p. 293.

(2) Eadem omnino mente Augustinus epist. III. de fine assumptae carnis loquens ait: *venit hominibus magisterium et adiutorium ad capessendam sempiternam salutem.*

(3) Pietatis nomine heic significatur Dei misericordia. Antoninus ideo vocatus fuit *pius*, quod esset ad clementiam misericordiamque propensissimus. « More vulgi, inquit lib. X. cap. I. de civit. Dei Augustinus, hoc nomen *pietatis* etiam in operibus *misericordiae* frequentatur: ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur *pius* ».

(4) Iudaeos intelligit, de quibus scribit, quod nullum fecerint finem *repugnandi praeceptis salutaribus.*

(5) Div. institutt. lib. IV. cap. XX. p. 301.

(6) Respicit ad verba Ierem. XXXI. 31—32, et ad ea quae praemiserat, inquiens: » Verum Scriptura omnis in duo testamenta divisa est. Illud quod adventum passionemque Christi antecessit, idest, Lex et Prophetae, vetus dicitur: ea vero quae post resurrectionem eius scripta sunt, novum testamentum nominatur. Iudaei veteri utuntur, nos

lis vinculis atque in lucem sapientiae productos, in hereditatem regni caelestis adscivit ».

Est (1) igitur « cur homines discant et intelligant, quare Deus summus quum legatum ac nuntium suum mitteret ad erudiendam praeceptis iustitiae suae mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui, et cruciatu affici, et morte mulctari. Nam quum iustitia nulla esset in terra, doctorem misit quasi vivam (2) legem, ut nomen ac templum novum conderet, ut verum ac pium cultum per omnem terram verbis et exemplo seminaret ». Quibus perficiendis necesse fuit « ut Deus esset et homo, inter Deum atque hominem *medius* constitutus. Unde illum (3) graeci μεσιτην vocant, ut hominem perducere ad Deum posset, idest, ad immortalitatem; quia si Deus tantum fuisset, exempla virtutis homini praebere non posset; si homo tantum, non posset homines ad iustitiam cogere, nisi auctoritas ac virtus homine maior accederet. — Etenim quum constet homo ex carne et spiritu, et oporteat spiritum iustitiae operibus emereri ut fiat aeternus; caro quoniam terrena est ideoque mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, et ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo caro spiritus expers dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat; quoniam caro impedit spiritum, quominus Deum sequatur. Est enim fragilis et subiecta peccato: peccatum autem pabulum (4) mortis est.

novo: sed tamen divisa non sunt, quia novum veteris adimpletio est: et in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepta nos heredes regni aeterni fecit, abdicato et exheredato populo iudaeorum ». Quibus confirmandis illustrandisque ista conferunt ex Irenaei libro IV, cap. XXI: » Utraque testamenta unus et idem paterfamilias produxit, Verbum Dei Dominus noster Iesus Christus, qui et Abrahae et Moysi loquutus est, ac nobis in novitate restituit libertatem, et *multiplicavit eam, quae ab ipso est, gratiam* ».

(1) Div. institutt. lib. IV. cap. XXV. p. 303.

(2) De hac lege spiritus quae vitam affert, agit luculenter Paulus Rom. VIII.

(3) Vocem μεσιτην pluribus illustrat Suicerus in Thesauro: quae autem sint mediatoris officia, eleganter explanant Epiphanius in Ancorato, et Augustinus de civ. Dei, lib. IX. cap. XV.

(4) Eorum videlicet esca malorum, quae mortem animae pariunt.

Itaque idcirco mediator advenit, idest, Deus in carne, ut caro eum sequi posset, et eriperet morti hominem, cuius est dominatio in carnem. Ideo carne se induit, ut desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis. Una enim nobis et magna et praecipua cum carne luctatio est, cuius infinitae cupiditates premunt animam, nec dominium retinere patiuntur: sed eam voluptatibus et illecebris suavibus mancipatam morte afficiunt sempiterna. *Quibus ut repugnare possemus, Deus nobis viam superandae carnis et aperuit et ostendit. Quae virtus perfecta et omnibus numeris absoluta coronam vincentibus et mercedem immortalitatis impertit* ».

Quae quidem denuo repetit ac vehementius inculcat, quum (1) *de cruce Jesu ceterisque tormentis* agens, pergit: « Quod vero ad crucem spectat, magna in ea vis ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus namque quum statuisset *hominem liberare*, magistrum virtutis legavit in terram, qui et praeceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, et operibus factisque praesentibus *iustitiae viam panderet,* qua gradiens homo et doctorem suum sequens ad vitam aeternam perveniret. Is igitur corporatus (2) est et veste carnis indutus, ut homini ad quem docendum venerat, virtutis et exempla et incitamenta praeberet. Sed quum in omnibus vitae officiis iustitiae specimen praebuisset, ut doloris quoque patientiam mortisque contemptum, quibus perfecta et consummata sit virtus, traderet homini; venit in manus impiae nationis, quum et vitare potuisset scientia futuri quam gerebat, et repellere eadem virtute qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus et verbera et spinas. Postremo etiam mortem suscipere non recusavit, ut homo illo duce subactam et catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet. Cur autem summus Pater id potissimum genus mortis elegerit quo affici eum sineret, haec ratio est...,

(1) Div. institutt. lib. IV. cap. XXVI. p. 304.

(2) Videtur Lactantius verbum *corporari* pro eo quod est humanitatem assumere ex Tertulliano deprompsisse, qui eodem utitur in libello de carne Christi capp. III—VI.

quod is qui humilis advenerat, ut humilibus et infimis opem ferret *et omnibus spem salutis ostenderet*, eo genere afficiendus fuit, quo humiles et infimi solent; *ne quis esset omnino qui eum non posset imitari* ».

CVI.

Atque his consona prorsus sunt, quae Arnobius de universa Salvatoris oeconomia, deque consilio assumpti hominis non uno in loco confirmat et docet. Explanans enim (1) cur tot tantaque perferre, ipsamque mortem subire Christus voluerit, has adducit caussas : » ut magister atque auctor ad officiorum convenientium fines suas leges et constituta dirigeret; ut superbiae fastum comminueret; ut libidinum extingueret flammas; ut hiatum comprimeret aviditatis; ut tela extorqueret e manibus atque omnia seminaria totius vitiositatis abscinderet; ut denique lenis, placidus, accessu facilis, familiaris affatu, neque humanas miserias insolescens, *omnes omnino crucibus et corporalibus affectos malis unica illa benignitate miseratus redderet et restitueret sanitati* ». Tum gentiles (2) alloquens, subdit: » Quodnam quaeso ob meritum, dicite, cuius ob peccati culpam tantopere in Christum inardescitis? quid ab eo commissum est, quod tenorem inflecteret recti, et in odia vos aspera furialibus stimulis concitaret? *quia animarum vestrarum custodem se missum solo indicavit ab rege? quia vobis immortalitatem ferre*, quam vos habere confiditis humanis paucorum asseverationibus suasi? quod si esset apud vos certum falsa illum dicere, spes etiam vanissimas polliceri; nec sic video fuisse causam cur eumdem deberetis odisse, cur hostili animadversione damnare. Immo si animus vobis clemens fuisset et mitis, vel propter id solum eum deberetis amplecti, quod optabilia vobis sponderet et prospera, quod bonarum esset nuntius rerum, quod ea praedicaret quae nullius animum laederent, securioris quin immo exspectationis impleret ».

(1) Disputt. adv. Gentes, lib. I. §. XXIV. p. 146.
(2) Ibid. §. XXV. pagg. 146—147.

Quod comparatione continuo (1) adhibita illustrat, scribens: » Si aliquis ad vos medicus ex summotis venisset et numquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod a vestris corporibus omnia omnino prohiberet morborum et valetudinum genera, non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus fotum familiaria susciperetis in moenia? non illud medicaminis genus optaretis esse certissimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum, usque ad ultimos fines sponderet aetatis? et licet ambigua res esset, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire spe salutis proposita atque amore incolumitatis incensi. Eluxit atque apparuit Christus rei maximae nuntiator, auspicium faustum portans et praeconium salutare credentibus. Quaenam est ista crudelitas, inhumanitas quae tanta, quin immo, ut verius loquar, fastidium, supercilium, nuntiatorem muneris et (2) portitorem tanti, non tantum verborum maledictionibus scindere, verum etiam bello gravi atque omnibus persequi telorum effusionibus et ruinis? non placent ea quae dicit, et cum offensionibus audiuntur a vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate. Stolidissimas res loquitur, et fatua dona promittit? ridete ut sapientes vos viri, et in suis erroribus fatuitatem relinquite volutari. Quaenam est haec feritas, . . . quae libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? dilacerare, si detur, eum velle per viscera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, *sed aequaliter benignus hostibus diceret, quidnam his salutis Deo portetur a principe: quid esset facto opus, ut interitum fugerent et immortalitatem consequerentur ignotam?* cumque novitas rerum et inaudita promissio audientium turbaret mentes, et credulitatem faceret haesitare, virtutum omnium Dominus atque

(1) Ibid. §. XXVI. p. 147.

(2) Receptam apud classicos *portitoris significationem* accurate explanant Nonnius et Forcellinius. At eo nomine Arnobius utitur, ut *nuntium* designet. Qua potestate idem nomen usurpatur leg. 7. Cod. Th. Execut. ab Isidoro lib. VI. cap. VIII. et Cassiodorio, Epistt. lib. I. epist. XLVI. lib. VIII. epist. VIII. et lib. X. epist. X.

ipsius mortis extinctor hominem suum permiserit interfici, *ut ex rebus consequentibus scirent in tuto esse spes suas, quas iamdudum acceperant de animarum salute, nec periculum mortis alia se posse ratione vitare?* ».

Unde (1) de Christo subdit: » Quod etsi dignus non esset cui auscultare deberetis et credere; vel hoc ipso fuerat non aspernandus a vobis, *ostenderet quod vias vobis ad caelum, et vota immortalitatis optaret, ut non in cunctos lumen et praetenderit vitae, et periculum ignorationis amoverit?* » a quibus ne minimum quidem discrepant, quae Marius Victorinus de caussa dominicae incarnationis adversus Physicos (2) disputans, his plane verbis complectitur. » At vero caussam adventus eius si requiras, hominem iterum apparere oportebat. Latere debuit tanta (3) divinitas non eos

(1) Disputt. adv. Gentes, lib. II. §. I. p. 147.

(2) De Physicis. §. XXIII. pagg. 159—160. Hunc Victorini libellum primus edidit em. Mai in tertio Scriptorum Veterum tomo, deque eo sic habet in praefatione, §. VIII. p. XVI: „ Quibusnam ego commotus rationibus opusculum *De physicis*, seu potius, *adversus physicos*, quod ex iisdem Victorini codicibus edidi, Victorino ipsi adserendum censuerim, proprio in loco iam dixi p. 147. Sed ecce ipsemet Victorinus in commentario epistulae ad Ephesios lib. II. p. 126. praedicti scripti parentem fortasse se dicit. *Passio*, inquit, *Christi et resurrectio et ascensio, perfectio est omnium tam in mundo quae salvari possent, quam in aeternis et super omnes caelos: quod mysterium plenissime unius libri explicatione tractavimus*. Quae mihi verba partem illam opusculi *contra physicos* indicare videntur, in qua Victorinus de Servatoris vita universa ordinatim disserit. Scribitur autem id opusculum ob religionem tum naturalem tum christianam adversus illos philosophos protegendam, qui argumentis physicis narrationem mosaicam ac deinde evangelicam oppugnabant. Ergo auctor primo adserit creationem rerum ex nihilo; potestatem divinam creato homini legem imponendi; iustam, propter liberum arbitrium, alieni peccati permissionem; deinde remedium congruenter suppeditatum. Hinc gradum facit auctor ad loquendum de universa incarnationis dominicae oeconomia; quodque Christo possibile fuerit libitumque de virgine nasci, obscurum inter homines versari, pati, mori, resurgere; hominem denique salvum in caelos secum transferre. Haec est videlicet totius opusculi summa, quod, pro Victorini stilo, non insuaviter legitur ».

(3) His multa habet prorsus gemina in commentariis epistolarum Pauli,

qui credebant, sed principem mundi, in cuius oppressionem descenderat, *sed nostrae causa liberationis.* Is enim non ex auctoritate sua, sed ex sententia (1) dominica tenebat, quia iusserat peccatorem, qui non poenituit, mori. *Atvero poenitentem liberare debuit misericors.* Hoc iustitia, hoc possibilitas divina poscebat, ut qui ex sententia tenebat reum, si non reum caperet, praetereundo sententiam, amitteret potestatem.

Nemo autem non reus, cum et origine et natione sint ex mortalibus. At is qui natus est, ipse dedisse sententiam probatus est; qua sententia ipse reus non tenetur, qui cum susceperit carnem, sine peccato inter homines conversatus est. Sicut (2) scriptum est: *hic Deus noster, et non deputabitur alius absque eo. Invenit omnem viam prudentiae, et dedit eam Iacob puero suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Hic est qui conversatus est sine peccato, ut iterum (3) scriptum est: *qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius.* Hanc carnem sine peccato produxit, quam mundi huius princeps adversantem sibi praevidens, neque suis voluntatibus inclinatam, hominem tantum aestimans, invadere ausus est permittentem. Permisit autem Dominus, ut ipse sibi princeps causa sit amittendi; qui cum reos ex sententia sibi vindicasset, usurpando hunc qui reus non erat, contra sententiam veniens quam (4) tenebat, amitteret potestatem. Ita rationis fuit officia corporis agere, ut ipse quidem eamdem esse carnem ostenderet, quam susceperat, eam quae ante damnata est: ille vero carnis officia videndo, non intelligeret *deitatem*, ac sic

pagg. 2—6—62—63—86—87—89—109—116—123., quibus divina Christi persona splendidissime comprobatur.

(1) Quibus nihil illustrius ad praeposteram Petri Abaelardi refellendam sententiam, cuius Bernardus meminit epistola CXC., quamque Dionysius Petavius de incarnatione, lib. II. cap. V. validissime explodit.

(2) Baruch. III. 36. seqq. Cuius allegationis occasione scribit em. Mai: » Notemus antiquissimam Victorini nostri auctoritatem pro divina Barucchi prophetia ».

(3) I. Petr. II. 22.

(4) In aliquot codicibus legitur, *per quam.*

contra sententiam Dei veniens, perderet potestatem; quia adpetere ausus est, quem sine crimine pervidebat ».

Hac sapientiae bonitatisque oeconomia » liberatos a morte, subdit (1) Victorinus, passione dominica nos iterum ad immortalitatis statum perduxit; ac nos prius caelesti impares, nunc caelestibus sociavit ». Quae restitutio ac vero etiam elevatio ne cui incredibilis videretur, sic ille (2) pergit: » Quibusdam tamen hoc videtur iniustum; non quia non potest Deus, sed quia iustitiae suae non convenire videatur, cum protoplastum culpa adhuc vacuum et a crimine alienum, paradisi tantum dominum praestitisset, hoc donum Dei competens iudicando; nunc post peccatum offensionemque revocato, cum non esset parum ad id redisse quod fuerat, et caelestia regna concesserit. Quod tamen iustissimum comprobatur. Si enim prius gratia sua, nullis devotionis officiis promerenti, paradisi sedem homini concesserat; utique nunc contra impatientiam carnis ac desideria iniquitatis iam mota, contra mundi principem et potestates eius repugnantem, saeculo calcato, caeleste praemium oportuit repensare; ut et is, qui imitando Deum, vitam divinam in terris habuit constitutus in corpore, cum eodem corpore iam immortali facto caelos habitaret, iam terrenis sublatis. Deinde ad huius muneris causam illud accedit, quod dignum est carnem hominis caelis inferre, cuius habitator *Deus* esse dignatus est: nec potest videri hominem contra meritum factum esse incolam caeli, cuius vaginam non dedignatus sit spiritus ipse Deus: iustumque fuit corpus, in quo Deus habitando, terram visitare dignatus est, per quod particeps nostri ad immortalitatem genus nostrum perduxit, etiam in caelestibus collocare. Ubi namque Dei habitatio esse debet, nisi in regno Dei? ubi autem regnum eius nisi in caelis? »

CVII.

Quibus praestantissimis caussis et illa accedit, quod Chri-

(1) Lib. cit. §. XXVII. p. 161.
(2) Ibid. pagg. 161—162.

stus, eodem Victorino auctore, ut omnes a necessitate pereundi eximeret, omnibusque copiam potestatemque faceret beatae immortalitatis consequendae, pro omnibus obierit mortem, ac innoxium divinumque sanguinem profuderit. Explanans enim (1) apostolica verba, *gratia vobis et pax a Deo Patre, et Domino nostro Iesu Christo, qui se dedit pro peccatis nostris ut liberaret nos de praesenti saeculo malo secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in saecula saeculorum*, sic (2) habet: » Memores simus quid in epistula agat hac Apostolus; quoniam Galatas reprehendit, et corrigere cupit, ut in Christum fidem habeant, et ab ipso solo spem salutis, spem aeternitatis expectent, remissionem peccatorum; et omnino ne sibi credant prodesse vel opera legis vel sabbata vel circumcisionem. Ergo in principio pacem illis precatur et gratiam a Deo: et deinde adiunxit a Christo, *quia in Christo sunt omnia nostra bona:* et probat in Christo esse omnia, et per Christum omnia, cum dicit, *qui se dedit pro peccatis nostris, ut liberaret nos de praesenti saeculo malo.* Ergo ipsius beneficio, ipsius gratia, a Deo quidem Patre, sed passione eius, nos de praesenti saeculo maligno liberamur; et liberamur per Christum, sed virtute Dei, Dei scilicet cui est gloria per omnem aeternitatem. Si igitur Deus aeternus, et gloria eius in aeternum. Et ex Dei voluntate Christus mysterio functus, pro peccatis nostris se dedit, *ut nos liberaret omnes; liberatio ex Dei voluntate per Christum est.* Quod si per Christum est, ultra nihil quaerendum, et vana sunt illa, quae Galatae adiungunt, idest iudaismus, opera legis, et sabbati observatio, et circumcisio ».

Tum ad ea (3) progressus, quae continuo apud Paulum (4) sequuntur, *miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam in aliud evangelium*, pergit: » Cum evangelium certum sit quod adnunciat apostolus Paulus, idest Christum Dei filium virtutem Dei in salutem (5) omni-

(1) Gal. I. 3—5.
(2) In epist. ad Galatas, lib. I. pagg. 2—3.
(3) Ibid. pagg. 3—4.
(4) Gal. I. 6—8.
(5) De hisce Victorini commentariis loquens em. Mai in praefat.

bus credentibus *sive* graecis sive iudaeis; nihilque praeterea, sed omnem spem salutis et gratiae Dei circa nos in fide (1) esse circa Christum, ut cum credamus Dei filium esse, pro nobis passum esse, resurrexisse, exinde nos quoque resurgere, cum remissione peccatorum; quod est verum evangelium, quod adnunciat Paulus; si quis aliud adiungit, idest iudaismum et circumcisionem et sabbati observationem et cetera, peccat huiusmodi, atque alienus a veritate est. Cum igitur Galatae adiungendum putaverint iudaismum ad evangelium Apostoli; ideo, ait, *miror quod sic tam cito transferimini*. Primum enim peccatum est cito transferri: non enim habet rationem cum cito aliquid transfertur. Videamus ergo a quo, *ab eo*, inquit, *qui vos vocavit in gratiam*. Etenim Christus *qui pro nobis omnibus passus est*, in gratiam nos vocavit, *si in ipsum credamus;* non enim magnum est gratiam eius consequi, *si modo* eum sequamur credentes mysterio suo ista praestitisse; et id gratis, et sine labore, et sine magnis operibus. Hoc cum sit nobis ab eo praestitum, cito ab eo transferri, magnum est mirandi argumentum, ut transferri maluerint in aliud evangelium, sociantes iudaismi disciplinam. Unum autem est evangelium, solumque unum, Christum credere Dei filium esse, Christum cum passione sua et adventu in carne et resurrectione ac passione solvisse omnia peccata, vicisse mortem, corruptionem omnem exterminasse: hoc est solum evangelium. Ideo adiungit, *quod non est aliud*: solum enim illud est, quod supra diximus: aliud enim non est, neque ex operibus mereri salutem, neque ex sabbati observatione, neque ex circumcisione evangelium est, idest salus nostra ».

Quum vero ista (2) expendit, *non propterea quod iam ac-*

§. IX. p. XVII., inter cetera scribit: « Iam quod p. 18. 23. alibique fidei praestantiam prae bonorum operum meritis videtur exaggerare, id aliis Victorini locutionibus facile temperatur ». Si tamen hac interpretationis facilitate opus sit, quum quisque intelligat non alia ab eo opera deprimi, nisi quae Paulus opponit gratiae, ac opera legis appellat.

(1) Quibus non excluduntur opera gratiae, sed illud repetitur quod a Victorino accepimus: *in Christo esse omnia nostra bona*.

(2) Philipp. III. 12. Latinam graecamque lectionum varietatem habes apud Sabatierium et Griesbachium.

ceperim, aut iam consummatus sim: sector autem ut aliquando comprehendar, in quo et comprehensus a Christo sum, hoc utitur (1) commentario: » Vides quod adhuc in vita se esse dicat, et idcirco supra (2) dubitaverit. Sectatur enim adhuc per passiones omnes Christum, ut comprehendat Christum, idest ut perveniat ad Christum omnibus passionibus eius particeps factus. Christus enim omnibus passionibus suis liberavit omnes sequentes, et quodammodo comprehendit *universos*, *sed qui sequerentur*. Is qui sequi et comprehendere Christum *vult*, in omnibus passionibus sequi Christum debet, ut comprehendat Christum in eo in quo et comprehensus a Christo est. Nam si passionibus suis Christus liberavit *omnes*, comprehendit omnes passionibus suis; in his igitur sumus. Idest particeps Christo factus per eius passiones, in eo comprehendit Christum, in quo comprehensus a Christo est ».

His autem testimoniis, quae sunt omnino clarissima, principio significatur, a) non tulisse Deum, ut hominum genus in ea ruina iaceret, in quam protoparentum culpa ceciderat, in eaque morte permaneret, quam sibi consciverat; sed ordinem delegisse reformationis, quo et a lapsu surgere, et mortem superare posset.

Significatur deinde b) efficientem eamdemque principem reformati ordinis caussam ipsum fuisse (3) Deum Patrem, quem (4) congenita misericordia ac φιλανθρωπια commovit, ut perditis hominibus succurreret, manum illis porrigeret, facultatemque immortalitatis (5) δωρεαν et plane gratis impertiret.

Tum vero significatur c) alteram efficientem caussam fuis-

(1) In epist. ad Philipp. p. 73.

(2) Respicit ad superiora Apostoli verba, v. 11. *si quo modo obvius fiam*, εἰ πως καταντησω.

(3) Ioh. III. 16, Rom. VIII. 32, et II. Cor. V. 21.

(4) Haec misericordia in liturgicis fragmentis editis ab em. Mai T. III. Scriptt. Vett. p. 247. dicitur *ingenitae bonitatis profundum*, in quod caussa, quae Deum movit, refunditur Ioh. III. 16, et Rom. V. 8.

(5) Qua particula, non secus ac hebraica respondente חנם, excluditur pretium, caussa aut meritum.

se Christum, qui (1) suo in homines obsequutus amori, ac prorsus (2) liberrime semetipsum dedit pro peccatis nostris, ac ideo passus est et resurrexit, ut nos de praesenti seculo maligno liberaret, peccata omnia solveret, mortem vinceret, omnemque corruptionem exterminaret.

Quorum beneficiorum d) omnes, quantum in ipso est, participes optavit et voluit, ac propterea omnes suis passionibus comprehendit, ac omnino nemini copiam adipiscendae immortalitatis denegavit.

Quam nihilominus e) ii dumtaxat consequuntur, qui facultatem gratis acceptam non negligunt, in ipsum credunt, et comprehendunt Christum in eo, in quo et ipsi a Christo comprehensi sunt.

CVIII.

Cui confirmandae stabiliendaeque doctrinae ex eadem africana ecclesia testes praeterea adsunt Optatus milevitanus antistes et Arnobius. E quibus ille adversus Parmenianum, qui apud solos donatistas, atque adeo angustissimis esse circumscriptam limitibns ecclesiam tuebatur, sic (3) disputat: » Si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis ecclesiam: si universas subducitis gentes, ubi erit illud quod Filius Dei meruit? ubi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo psalmo (4) dicens: *dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae?* ut quid tale infringitis promissum, ut a vobis mittatur quasi in quemdam carcerem latitudo regnorum? quid tantae (5) pietati obstare contenditis? quid contra Salvatoris merita militatis? permittite Filium possidere concessa: permittite Pa-

(1) Ioh. XV. 13—14. coll. Gal. II. 20, Ephes. V. 2—25, et Apoc. I. 5.

(2) Ioh. X. 17—18. coll. Gal. II. 20, et Ephes. V. 2—25.

(3) De schismate donat. lib. II. §. I. p. 470. apud Gallandium, T. V.

(4) Ps. II. 8.

(5) Pietatem intelligit divinam, quo nomine divinam significat *clementiam*. Eodem sensu Dracontius cecinit:

Magna Dei pietas, semper qui temperat iram.

tri promissa complere. Cur ponitis metas? cur figitis limites? cum a Deo Patre Salvatori tota terra promissa sit, non est quidquam in aliqua parte terrarum, quod a possessione eius videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus: totus orbis Christi una possessio est. Hoc probat Deus, qui ait: *dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Et in LXXI psalmo de ipso Salvatore sic (1) scriptum est: *dominabitur a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad terminos orbis terrae.* Pater dum donat, nihil excipit: vos ut concedatis unciam, totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse ecclesiam; auferentes meritum Christo, negantes praestitutum a Deo. O vestra ingrata et stulta praesumptio! Christus vos cum ceteris in societatem regni caelestis invitat, et ut coheredes sitis hortatur: et vos eum in hereditate sibi a Patre concessa fraudare laboratis, dum Africae partem conceditis, et totum terrarum orbem, qui ei a Patre donatus est, denegatis. Quid mendacem videri vultis Spiritum-sanctum, qui in XLIX psalmo omnipotentis Dei benevolentiam narrat, dum (2) dicit: *Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram ab ortu solis usque* ad occasum? vocata (3) est ergo terra ut caro fieret; et sicut legitur, facta est, et debet laudes creatori suo ».

Dum vero usitatas perstringit (4) donatistis formulas, quas *seductiones* appellat, et inter quas istam quoque recenset, *redimite animas vestras*, scribit: « Quid est ergo quod dicitis, redimite animas vestras? unde illas emistis, ut vendatis? quis est ille nescio quis (5) angelus, qui nundinas facit animarum, quas ante eius adventum diabolus possidebat? has sanguine suo Christus salvator noster redemit,

(1) Ps. LXXI. 8.

(2) Ps. XLIX. 1.

(3) Quemadmodum *terra* et *caro* metaphorice sumuntur, ita verbum *vocare* eodem adhibetur sensu, quo Matth. IX. 13. *non veni vocare iustos sed peccatores.*

(4) De schismate donatist. lib. III. §. XI. p. 485.

(5) Sane malus, utpote qui ante Christi adventum animas possedisse mox dicitur.

Apostolo dicente : *empti enim estis pretio magno.* Constat enim sanguine Christi omnes redemptos ».

Quid igitur, Optato auctore, tenendum est ? istud *inprimis*, tantam fuisse Dei Patris benevolentiam ac pietatem, ut Filio populos omnes, omnesque gentes promiserit possidendasque contulerit. Itud *deinde*, possessionem Christi totam esse terram cum gentibus, neque quidqnam esse in aliqua parte orbis terrarum, quod a possessione eius videatur exceptum. Propterea *tertio*, neminem posse a Christi hereditate subduci, neminem ex eorum expungi numero, qui in societatem regni caelestis invitantur ; quin partum a Christo meritum denegetur, promissiones Patris subvertantur, ac sanctus ipse Spiritus, qui Spiritus est veritatis, mendacii coarguatur. Reliquum igitur esse, ut omnes Christi sanguine redempti censeantur.

De qua universali per Christum redemptione insignia prorsus sunt quae habet (1) Arnobius, dum eiusdem hostes ita primum disceptantes inducit : « At enim odio dignus est, quod ex orbe religiones expulit, quod ad deorum cultum prohibuit accedi ». Tum illis hoc pacto (2) occurrit : « Ergo ne qui veram (3) in orbe religionem induxit, qui hominibus caecis et revera in impietate degentibus, pietatis aperuit ianuas, et cui se submitterent, indicavit » ? audis, quibus praesto Christus fuerit, quosve sua ope sublevarit ? prospexit hominibus caecis et in impietate degentibus. Quibus si prospexit, quos, quaeso te, non adiuvit, aut quibus salutis viam non patefecit ?

CIX.

Ceterum haec christianorum doctrina de universali per

(1) Disputt. adver. gentes, lib. II. §. II. p. 147. apud Gallandium, T. IV.

(2) Ibid. p. 147.

(3) Critici qui correctione adhibita legunt *in orbem*, secum ipsis non reputarunt simillimae constructionis exempla, quae congesserunt Munckerus ad Hygini Fabb. L—XCII., et Davisius ad Commodianum, Instruct. XIII.

Christum redemptione eo usque diffusa in vulgus erat, ut ea gentiles contra ipsos christianos abuterentur. Sic enim illos disputantes sistit (1) Arnobius: «Sed si, inquiunt, Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid saecula commeruerunt priora, quae ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumpta sunt»? nimirum post alia reponit (2) Arnobius; « Miseratio et illis impertita est regia, et aequaliter per omnes divina beneficia cucurrerunt: conservatae sunt, liberatae sunt, et mortalitatis sortem conditionemque posuerunt. Quo genere, quae, quando? si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis, iam dudum hoc eo scire potuistis auctore ».

Illis autem reclamantibus ac denuo petentibus : *sed si generis Christus humani, ut inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes aequali munificentia liberat?* perstat (3) in sententia Arnobius, aciemque interrogationis retundit, inquiens : « Non aequaliter liberat, qui aequaliter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit aut despuit, qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? patet, inquit, omnibus fons vitae, neque ab iure potandi quisquam prohibetur aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris; quin immo si tantum sapientia praevales, ut ea quae offeruntur a Christo, ludum atque ineptias nomines: quid invitans in te peccat, cuius solae sunt hae partes, ut sub tui iuris arbitrio *fructum* suae benignitatis exponat? sortem vitae eligendi nulli est, inquit Plato, Deus caussa; neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam recte, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate qui voluit. An numquid orandus es, ut beneficium salutis ab eo digneris *accipere*, et tibi aspernanti fugientique longissime, infundenda in gremium est divinae benevolentiae gratia? vis *sumere* quod *offertur*, atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis et

(1) Disputt. adver. Gentes, lib. II. §. XXX. p. 164.
(2) Ibid. p. 164.
(3) Ibid.

despicis ? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert necessitatem: imperiosa formidine nullum terret. Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii aliquid dispendiive patiatur, si aut deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis dissolutione permiserit ».

Quae licet ad expediendam abunde quaestionem sufficere posse viderentur, alteram tamen ethnicorum ἔνστασιν Arnobius proponit (1) his verbis : « Immo, inquit, si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, et invitos faciat suis pollicitationibus credere ». Cui e vestigio (2) reponit : « Vis ergo est ista, non gratia : nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium, puerilis atque animi contentio. Quid est enim tam iniustum, quam repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint et quod refugiant animis ? prius nocere quam prosis ? et priore detracto, in alterum habitum sententiamque traducere ? tu qui te verti, et vim desideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atque arripias coactus: cur respuis assumere voluntate id, quod versus desideras atque immutatus efficere ? nolo, inquit, et voluntatem non habeo. Quid ergo criminaris Deum, tamquam tibi desit ? opem desideras tibi ferre, cuius dona et munera non tantum asperneris et fugias, verum inania verba cognomines, et iocularibus facetiis prosequaris ?

Christianus ergo ni fuero, spem salutis habere non potero ? ita est, ut ipse proponis. Partes enim salutis dandae, conferendique animis quod tribui convenit, necessariumque est applicari, solus a Deo Patre iniunctum habet et traditum, ita se habentibus remotis atque interioribus caussis. Ut enim dii certi, certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod non eius sit potestatis ac licentiae, postulatis : ita unius (3) pontificium

(1) Ibid. §. XXXI. p. 164.

(2) Ibid. p. 164.

(3) Quo *pontificii* nomine licentiam potestatemque Arnobius significat. Confer quae habent Gellius lib. I. cap. XIII., et Symmachus Epistt. lib. III. epist. XVII.

Christi est, dare animis salutem, et spiritum perpetuitatis apponere ».

Res igitur erat quum vulgatissima, tum omnium suffragio consensuque recepta, advenisse Christum, divinum profudisse sanguinem, mortemque gustasse, *ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, daret illis salutem ac spiritum perpetuitatis apponerat.* Hisce autem beneficiis ornaret animas non aliquas sed omnes, neque post suum dumtaxat adventum sed seculis prorsus omnibus, *quandoquidem miseratio regia semper universis adfuerit, et aequaliter per omnes divina beneficia cucurrerint.*

Eccur igitur non omnes vel adepti sunt olim, vel modo salutem adipiscuntur? inde ne repeti istud debet, quod Deus per Christum non omnes vocet, neque omnibus copiam facultatemque impertiat vincendi peccati, comparandaeque beatitatis? nihil minus, reponit Arnobius. *Omnes* namque *vocantur, nemo ab indulgentia principali repellitur, omnibus Deus potestatem veniendi ad se facit, fons vitae patet universis, et ab iure potandi nemo prohibetur aut pellitur.* Ecquae igitur caussa tandem est, propter quam neque omnes veniunt, neque sitim omnes suam haustu fontis salutaris exstinguunt? quod, eodem Arnobio teste, Dei sit *offerre* beneficium, hominis vero illud libere *sumere*, atque *in suos usus convertere*: quod Dei sit *suam omnibus benignitatem exponere*, hominis vero *fructum* ex eadem libere capere, *munerisque commoditate* potiri.

Placuit nimirum Deo eiusmodi praefinire rerum societatem copulationemque, ut immortalis felicitatis consequutio non minus esset *misericordiae donum*, quam *liberae cooperationis effectus*, neque minus esset *Dei praevenientis ac opitulantis gratia*, quam *contendentis desudantisque corona.* Placuit Deo ut *sua munera* in *nostra merita* cederent, eidemque placuit, ut nemo sui rationisque compos exoptato *ordinis eudaimonici* fine bearetur, qui praescripta legesque *moralis ordinis* non explesset.

CX.

Quoniam vero ea est humanae naturae ratio, eaque imbecillitas, ut neque se facile intra honesti iustique limites contineat, neque aegre admodum vitiis superetur; idcirco Deus ut suam in homines benevolam misericordemque voluntatem plenius illustriusque patefaceret, decrevit ut ad extremum usque mortalis vitae omnibus poenitentiae medicina suppeteret, ac omnibus altera praesto esset tabula quam arripientes naufragii perniciem devitarent.

Non deerant tertio ecclesiae seculo, qui homines atrocioribus obligatos flagitiis vel *mollius* vel *durius* quam par esset, improvidi haberent. Hos acri studio Cyprianus (1) refellit, et quum alia multa, tum ista quoque in rem nostram (2) scribit: « Sola superest poenitentia, quae satisfaciat. Qui autem poenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt: ita fit ut dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa, vel creditur, spes verae salutis adimatur. Vos vero, fratres dilectissimi, quorum timor in Deum pronus est, et in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est, poenitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiae crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec *desperantes misericordiam Domini*, nec tamen *iam veniam vindicantes*. Deus quantum *patris pietate* (3) *indulgens semper et bonus est*, tantum iudicis maiestate metuendus est ».

Quam ob rem « si precem (4) toto corde quis faciat, si veris poenitentiae lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum iustis et continuis operibus inflectat; misereri talium potest, qui et misericordiam suam protulit (5) dicens: *cum conversus ingemueris, tunc*

(1) In pluribus epistolis, vehementissime autem in sermone de lapsis, qui habetur pagg. 87. seqq. edit. Amstelod. 1700.

(2) De lapsis, pagg. 97—98.

(3) Alii codices legunt, *pietate clemens semper, semper et bonus.*

(4) Ibid. p. 98.

(5) Is. XXX. 15. Quae versio adamussim respondet alexandrinae, et ab Hieoronymo laudatur quum in epistola ab Sabinianum, tum in com-

salvaberis, et scies ubi fueris. Et (1) iterum: *nolo mortem morientis, dicit Dominus, quantum ut revertatur et vivat.* Et Iohel propheta pietatem Domini, Domino ipso monente (2) declarat: *revertimini ad Dominum Deum vestrum, qnoniam misericors et pius est et patiens et multae miserationis, et qui* (3) *sententiam flectat adversus malitias irrogatas* ».

Talis tantaque quum sit Dei clementia ac bonitas, propterea « neminem (4) putamus a gratia consequenda impediendum esse ea lege, quae iam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione debere, sed *omnem omnino* admittendum esse ad gratiam Christi; quando et Petrus in Actis apostolorum loquatur et (5) dicat; *Dominus mihi dixit neminem hominum communem dicendum et immundum.* Ceterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiae posset; magis adultos et provectos et maiores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam (6) *gravissimis delictoribus* et in Deum multum ante peccantibus, quum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et baptismo atque a gratia *nemo prohibetur*; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi (7) quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit »?

mentario ad h. l., ubi docet « quod iuxta anagogem omnes ad poenitentiam peccatores, et praecipue haereticos cohortatur sermo divinus quod quum reversi a vitiis ingemuerint et egerint poenitentiam, salvi fiant, et tunc intelligant ubi prius fuerint, et quod frustra in vanis speraverant ».

(1) Ezech. XVIII. 32. coll. XXXIII. 11.

(2) Ioel. II. 13.

(3) Alexandrini vertunt, μετανοων επι ταις κακιαις Tertullianus con. Marcion. lib. II. cap. XXIV legit: *et poenituit dominum de malitia quam dixerat facturum se illis, nec fecit.*

(4) Epist. LXIV. al. LIX. ad Fidum, p. 281.

(5) Actt. X. 28.

(6) Censet Rigaltius *gravissimos delictores* dici negatores, sacrificatos, libellatos. Consentit Fellus, quo interprete delictores ii apud Cyprianum audiunt « qui fidem Christo datam deseruerunt, dereliquerunt ».

(7) Sunt ista praeclara, ut fides de propagata originis culpa confirmetur.

Aditus igitur ad poenitentiam et ad gratiam nemini obstructus est, ac omnibus patet». Nam, inquit (1) Cyprianus, si dies omnibus aequaliter nascitur, et si sol super omnes pari et aequali luce diffunditur; *quanto magis* Christus sol et dies verus, in ecclesia sua lumen vitae aeternae pari aequalitate largitur? cuius aequalitatis sacramentum videmus (2) in Exodo esse celebratum, quum de caelo manna deflueret, et futurorum praefiguratione alimentum panis caelestis et (3) cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus, vel aetatis gomor a singulis aequaliter colligebatur. Unde apparebat Christi indulgentiam et caelestem gratiam postmodum sequuturam, aequaliter omnibus dividi sine sexus varietate, sine annorum discrimine, sine acceptione personae super omnem Dei populum spiritualis gratiae munus infundi ».

CXI.

Age iam, et a Cypriano percontare, quibusnam gratia Salvatoris ac poenitentiae beneficium divinitus erogatur: utrum aliquibus dumtaxat, an prorsus omnibus; ac utrum iis solum qui minora delicta contraxerint, an iis etiam qui nullum peccatis modum imposuerint. Haec est martyris sanctissimi aperta disertaque responsio, de amplitudine tam gratiae salutaris, quam caelestis illius charismatis quo ad resipiscentiam provocamur, ex iis posse ac vero etiam statui oportere, quae *a*) in divinis litteris ῥητως totidemque verbis efferuntur, quae *b*) in iisdem adumbrata ac τυπικως expressa legimus, quaeque *c*) ex analogia ceterorum beneficiorum, quorum longe minor est necessitas, plenissimo iure deducuntur. Si qui enim aut hisce regulis non fidant, aut alias humanasque consectentur, non divina ipsi consilia, sed propriae ludibria mentis venditabunt..

Nihil porro manifestius, quam *a*) obviis disertisque Scri-

(3) Epist. LXIX. al. LXXVI. ad Magnum, p. 298.
(4) Exod. XVI.
(5) Ioh. VI.

piurarum testimoniis universalem Salvatoris gratiam, ac universale poenitentiae charisma demonstrari: quam *b*) eamdem amplitudinem universalem typis ac imaginibus exhiberi: et quam *c*) modum rationemque divinae providentiae in iis, quae ad praesentem corporeamque vitam spectant, talem esse, ut de universali eorum munerum ambitu, quae ad animum salutemque referuntur, nonnisi praepostere dubitetur. Neque enim fas est cogitare, supremum illud Numen, quod adeo exquisite corporibus prospicit, quod corporeos oculos diffusa luce collustrat, quodque universum hominum genus suis benefactis affatim prosequitur; in iis contra impertiendis sit parcius, quibus mens excolitur, quibus anima vivit, et sine quibus nulla hominibus spes obtinendae immortalitatis affulget.

Hoc intellexit (1) Arnobius, ac propterea sempiternis litteris consignavit: « Quod si omnes omnino, qui homines se esse non specie corporum, sed rationis intelligunt potestate, salutaribus Christi pacificisque decretis aurem vellent commodare paullisper, et non fastu et supercilio luminis suis potius sensibus quam illius commonitionibus crederent; universus iamdudum orbis mitiora in opera conversis usibus ferri, tranquilliate in mollissima degeret, et in concordiam salutarem incorruptis foederum sanctionibus, conveniret ».

Quamquam vero ii sint homines, qui immorigeras interiori gratiae aures saepissime praebeant, illique refragentur; ea tamen bonitate, eaque clementia est Deus, ut neque illos penitus deserat, neque viam illis repetendae melioris frugis omnino praecludat. « Deus enim, inquit (1) Lactantius, purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoque agi poenitentiam (2) iubet. Agere autem poenitentiam, nihil aliud est quam profiteri et (3) affirmare, se ulterius non pecca-

(1) Disput. adver. Gentes, lib. I. §. IV., p. 134. apud Gallandium T. IV.

(2) Divin. Institutt. lib. VI. cap. XIII. p. 335. apud Gallandium, T. IV.

(3) Ierem. XVIII., Ezech. XVIII., et Luc. V.

(4) Confer his simillima cap. XXIV. et lib. IV. cap. XVII.

turum ». Victorinus autem iis obsistens, qui divinam bonitatem potentiamque eo nomine (1) in discrimen adducebant, quod ex hominibus plures sese peccatis dedant, aeternamque propterea mortem incurrant; inter alia (2) scribit: « Non oberit eius potentiae mors damnationis , nec damnatio vincit propositum voluntatis; sed misericordia eius non inanis , nec sine ratione gratia renovandi ; his enim datur qui petunt, sicut damnati sunt non petentes ». Quod enucleatius continuo (3) explanans, pergit : « Ea caussa fuit non indulgendi primis peccantibus , quos cum interrogatione sua *ad poenitentiam provocans* , suam salutem *vidit* repellentes, damnavit. Eos autem, qui ex his nati sunt, quique ad ipsum confugerunt , miseratus est. Etenim iustum est volentes et poenitentes, ad eum qui potest praestare , confugientes impetrare: ingratos , renitentes , facti sui culpam ingerentes Deo, damnationis causam sibi constitutos, dimittere. Ea iustitia dari gratiam istam protoplastis non permisit: *non ipse noluit praestare qui damnat*. Ipse fuit *et ante* qui *modo* est et erit: qui *nunc* bonus *et ante* bonus: qui *nunc* misericors *et ante* misericors: in eo semper permanens, qui est immutabilis: quem cum damnavit ob culpam , culpam ipsam dignoscere necessarie est ».

CXII.

Sic igitur se res habent , atque ita divinae providentiae ordo comparatus est, ut *a*) numquam Deus non fuerit in homines bonus, numquam non misericors; *qui* enim *nunc bonus et ante bonus*; *qui nunc misericors, et ante misericors.* Ut *b*) numquam homines suis donis non praevenerit, ac numquam illis copiam facultatemque renovantis gratiae penitus subtraxerit ; *misericordia* namque *eius inanis non est* , sed fecunda ac donis benefactisque locuples. Quare *c*) peccatis

(1) In libello de Physicis pagg. 148 seqq. apud Mai, T. III. Scriptt. Vett.

(2) Ibid. §§. VII. VIII. pagg. 151—152.

(3) Ibid. §. VIII. pagg. 151—152.

licet obnoxios, semper tamen *ad poenitentiam* homines *provocavit*, neque passus aliquando est, ut vel unus idcirco periret, *quod noluerit ipse praestare*, quae ad tantam evitandam perniciem requiruntur. Sapiens tamen est *d*) in suis muneribus elargiendis, et qui omnes gratia praeoccupat, eos dumtaxat vult gratiae fructuum esse participes, *qui ingrati non fuerint, neque sibi ipsis caussam damnationis pepererint.*

« Omnibus siquidem, uti Facundus hermianensis episcopus (1) auctor est, poenitentibus promissa est venia. Nemo desperatione frangatur. Nullus serpentinis deceptionibus ulterius irretiatur: quoniam sicut transgressoribus et impoenitenti corde permanentibus sempiternum cum diabolo praeparatum est supplicium: sic a Domino Deo pactum eius conservantibus . . . , aeternum et sine fine reservatum est praemium gloriosum ».

Atque hactenus quidem africanae ecclesiae doctrinam sin minus pro rei dignitate, pro facultate certe nostra enarravimus, praeclarisque in medinm adductis testimoniis effecimus, hanc fuisse nobilissimae illius ecclesiae ratam exploratamque sententiam: *a*) universali per primum Adam ruinae universalem per secundum Adam reparationem successisse: *b*) huius universalis reparationis principem caussam non aliam esse quam nativam Dei bonitatem, insitamque erga hominum genus benevolentiam: *c*) ex hac benevolentia tamquam e proprio uberrimoque fonte semper defluxisse ac porro defluere incredibilem quamdam donorum gratiarumque copiam, qua recreati homines possint ac debeant peccati servitutem excutere, corruptionem superare, atque e miserrima filiorum irae conditione ad dignitatem adoptivae filiationis contendere, illaque potiri: unde *d*) non alios in flagitiis iacere, peccatis subiici, et consortio sempiternae beatitatis privari, quam qui divinam misericordiam contempserint, tenebras luci praetulerint, oblatamque salutem repudiarint.

(1) Epist. fidei catholicae in defens. trium capitulorum, p. 821. apud Gallandium, T. XI.

Quae sane omnia non minori evidentia quam brevitate iis commentariis complexus est Primasius, quibus priorem Pauli ad Timotheum epistolam declarandam suscepit. Sic enim (1) praecise habet: « *Obsecro igitur primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes.* Obsecratio firmior oratione est. Item aliter , obsecrationes fiunt pro peccatis praeteritis vel praesentibus, orationes pro adipiscendis quae speramus, postulationes quum pro aliis intervenimus , gratiarum actiones quum ea quae poscimus, impetramus , vel certe quum pro immensis Dei beneficiis gratias laudesque referimus. *Gratiarum actiones.* Gratias agamus ei, qui nos dignos fecit etiam pro aliis impetrare. *Pro omnibus hominibus.* Etiam pro persequutoribus orare. *Pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* Ut cognoscant Deum, sive ut subiectas habeant gentes : in illorum enim pace quies nostra consistit: si enim christiani sunt, cessabit persequutionis impetus. *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Ut et vos, sicut ille, omnes homines salvari cupiatis. *Qui omnes homines.* Hinc probatur , Deum nemini vim inferre ut pereat: sed qui perit, suo merito perit: et qui salvantur , Dei gratia et miseratione salvantur. Nam iuxta figuram Synechdochen hic *omnes* a parte *totum* debemus accipere. *Vult salvos fieri.* Sed quare non omnes salvantur ? quia iustus est et misericors Deus: quod multi damnantur, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim reus damnetur , inculpabilis est Dei iustitia: ut reus iustificetur, ineffabilis Dei est gratia: multi enim beneficiis obdurantur. *Et ad agnitionem veritatis venire.* Constat Deum omnia bona velle ; sed homines suo vitio praecipitantur in malis. *Unus enim Deus.* Pater et Filius et Spiritus-sanctus omnium hominum Deus est, et ideo cupit omnes salvari quos fecit. *Unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus. Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Pro omnibus quidem effusus

(1) Comm.in I. ad Timoth. II. 1. seqq. p. 237. T. X. Biblioth. Maximae Patrum, edit. Lugduni 1677.

est sanguis Christi, sed credentibus (1) prodest, incredulis vero erit in condemnationem; sicut alibi ipse dicit: aliis sumus odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem ».

CXIII.

Regionum locorumque vicinia admoneor, ne ab africana ecclesia hispanicam seiungam, et ne illius explanata doctrina propositaque sententia, huius mentem persuasionemque diutius reticeam. Cuiusmodi autem ista fuerint, ne mediae aut recentioris etiam aetatis scriptores commemorem, insigniter prae reliquis Pacianus, Prudentius, Orosius, Marius Mercator ac Dracontius significarunt. Ut enim ab eo exordiar, quod est in hac nostra tractatione potissimum, quodque fundamenti instar substerni debet; semel ac iterum Dracòntius affirmat, *parentis* appellationem illam esse, quam reliquis praefert Deus, quaque vehementius delectatur. De eo siquidem (2) verba faciens, canit:

(1) Unde Hieronymus comm. in Matth. lib. III. cap. XX. v. 28. Christi verbis, *sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis,* hanc subiicit explanationem. «Quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet. Non dixit animam suam redemtionem dare *pro omnibus*, sed *pro multis*, idest, pro his qui credere voluerint». Ergo ne, auctore Hieronymo, non pro omnibus sed pro aliquibus dumtaxat, et sanguinem Christus fudit, et mortem oppetiit? ne ita existimemus faciunt quum alia, tum verba infinitae amplitudinis, *quando formam servi accepit, ut pro mundo sanguinem funderet.* Quo igitur pertinet oppositio, *non dixit animam suam redemptionem dare pro omnibus sed pro multis*? huc pertinet, redemptionem quidem esse oblatam pro omnibus, *quia Christus pro mundo sanguinem fudit*, sed, ut etiam est apud Iohannem cap. III. 16., nonnisi credentibus prodesse. Quare Theophylactus et Euthymius qui ipsam potius oblationem, quam perceptum ex ea salutis fructum considerarunt, Paulum sequuti in I. ad Tim. IV. 10, monuere, apud Matthaeum πολλους ἀντι παντες usurpari. « Frequenter enim, sunt verba Euthymii, Scriptura dicit *multos* pro *omnibus*. Itaque *pro omnibus* tradidit animam suam, *omnesque* redemit; quamquam multi sua sponte in servitute remanserint ».

(2) De Deo, lib. I. vv. 80—81. p. 130 edit. Romae, 1791.

» Nescia mentiri rerum cognata fidelis
» Conservat natura fidem (1) pietate parentis.

Et (2) rursum :

» Incrementa Deus, vel decrementa recusat;
» Idem semper erit, numquam mutabilis aevo,
» Qui quum sit Dominus, se vult tamen esse parentem.

Hoc autem fit, ut eximia Deus in homines bonitate feratur, ut summa sit erga homines eiusdem clementia , ac multo etiam effectibus maior quam ipsa iustitia, ut auctor illis sit spei, et animarum iuxta ac bonorum omnium fons et iugis origo censeatur. Quae sane omnia tradit, repetitque Dracontius (3) scribens :

» Scit conditor aevi
» Esse nihil prorsus se praeter ubique rogandum,
» Et nisi subveniat, succurrens non erit ullus.
» Inde malo bonus est homini Deus, omnibus auctor.
» Spes, opifex, dominus, rector, dux, arbiter, iudex,
» Continua bonitate pius, virtute modestus,
» Simplicitate bonus, et culmine celsior omni.

Tum (4) alibi:

» Tu, Deus omnipotens, rerum coelestis origo,
» Tu pius et clemens et consolator haberis,
» Tempore tristitiae maior defensio pressis.
» Erigit elisos, relevat tua dextra iacentes,
» Confovet abiectos, et semper pascit egentes,

(1) Simili formula utuntur Marius Victor lib. I. Genes. v. 482: *sed sancta parentis . . . desperare vetat pietas* , et Hilarius lib. I. Genes. v. 52. *condere quae genitor patria pietate parabas.*
(2) De Deo. lib. III. vv. 127—130. p. 350.
(3) De Deo, lib. I. vv. 430—437. p. 276.
(4) De Deo, lib. II. vv. 683—696, pagg. 281—282.

» Pocula larga parans (1) sitientibus alma ministrat.
» Nescius irarum monitis, non clade coerces
» Peccatum, sine clade (2) reos clementior audis
» Ante preces, veniaque iuvas; non ira furorem
» Excitat, ut iubeas vel iuste occidere sontes.
» Plus pius es, quam iustus (3): agis non ergo severus,
» Errantes punis, sed mitis corrigis omnes
» Sub pietate bonus, poenae cessante flagello.

Quibus ista (4) consentiunt :

» Qui tantum pius est, quantum decet omnipotentem ,
» Et nulla virtute minor, nisi verberis ira
» Et voto, nam (5) sponte bonus pietatis amore.

(1) Putat Arevalus commodius legi :

» Pocula larga parans sitientibus, atque ministrans.

(2) Paulinus carmine VI. de s. Iohanne Baptista :

» Quanta Dei pietas, quamque exorabile numen !
» Poenituisse sat est.

Et auctor carminis de laudibus Domini, qui forte alius non est ab Iuvenco, scribit :

» Tu casti, rectique tenax, et flectere leges
» Post crimen facilis.

(3) Victorinus de Iesu Christo Deo: *magis indulgentia semper, quam vindicta placet.* Concinit Paulinus poemate ultimo inquiens :

» Corripiensque tamen veniam dabit omnibus unam,
» Remque novam dicam, nec me dixisse pigebit,
» Plus pius est, quam iustus erit.

(4) De Deo, lib. I. vv. 690—694, p. 206.
(5) Marius Victor lib. I. Genes. vv. 462—465 :

» Sed sancta parentis
» Desperare vetat pietas, clementia cuius,

CXIV.

Huic tam eximiae bonitati, insitoque amori, quibus divina natura maxime commendatur atque excellit, referri primum in acceptis debet: « ad hoc, quae sunt verba (1) Orosii, ab initio creatum et institutum fuisse humanum genus, ut sub religione cum pace sine labore vivens, fructu obedientiae aeternitatem promereretur ».

Quum vero in suam perniciem eximia Dei munera protoparentes converterint, universamque posteritatem sua culpa perdiderint; referri deinde divinae bonitati in acceptis debet, quod non irae indulserit, sed iacentem hominem erexerit, medicinamque obtulerit, qua inflictum lethale vulnus sanaretur. Ad rem Pacianus (2) inquiens: «Adam postquam peccavit, dicente tunc (3) Domino, *terra es, et in terram ibis*; addictus est morti. Haec addictio in genus omne defluxit. Omnes enim peccaverunt, ipsa iam urgente natura, sicut Apostolus (4) dicit: *quia per unum hominem peccatum introivit, et per delictum mors, et sic in omnes homines devenit, in quo omnes peccaverunt.* Dominatnm est ergo peccatum, cuius vinculis quasi captivi trahebamur ad mortem, mortem scilicet sempiternam. Hoc vero peccatum ante Legis tempora nec intelligebatur, sicut Apostolus (5) dicit: donec enim Lex poneretur, peccatum in mundo non habebatur, hoc est, non videbatur; ad Legis adventum revixit. Apertum est enim ut videretur: verum frustra, quia id prope nemo servabat. Dicebat enim Lex: *non moechaberis*, *non occides*, *non concupisces*; tamen concupiscentia cum vitiis omnibus permanebat: ita peccatum istud ante Legem occulto gladio interfecit hominem, Lege districto. Quae igitur spes homini? sine Lege ideo periit, quia peccatum videre non potuit; et

» Fas dixisse mihi, fas sit quoque dicta probasse,
» Iustitiam excedit.

(1) Histor. lib. VII. cap. I. p. 135. apud Gallandium, T. IX.
(2) Serm. de baptismo, §. II., p. 274. apud Gallandium, T. VII.
(3) Gen. III. 19.
(4) Rom. V. 12.
(5) Rom. V. 13., et VII. 9.

in Lege ideo, quia in idipsum quod videbat, incurrit. Quis enim ab interitu potuit liberare » ?

Quam gravissimam sane quaestionem e vestigio (1) et repetit et dirimit, scribens: « Audite (2) Apostolum, *miserrimus ego homo ! quis me liberabit a corpore mortis huius. Gratia* , inquit , *per Dominum* nostrum Iesum Christum ». Hoc autem quo intelligi pacto debeat, ita enarrare (3) pergit : « Quid est gratia ? peccati remissio, idest, donum. Gratia enim donum est. Ergo Christus adveniens hominemque suscipiens , ipsum illum hominem de potestate peccati purum et innocentem Deo primus exhibuit ». Verum qua id ceterorum ac totius humanitatis utilitate ? omnino summa , reponit Pacianus, dum hanc ipsam habet controversiam, illamque his verbis (4) effert ac definit : « Sed si solus ille vicit, quid ceteris contulit ? breviter audite. *Per unum hominem*, sicut Apostolus (5) dicit , *delictum introivit*, *et per delictum mors; sic et in omnes homines devenit.* Ergo et iustitia Christi necesse est ut *in genus* transeat: ac sicut ille per peccatum *stirpem suam* perdidit; ita Christus per iustitiam *genus suum omne* vivificet. Hoc urget (6) Apostolus dicens: *ut sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi; sic per dicto audientiam unius iusti constituantur multi: ac sicut regnavit delictum in mortem, similiter et gratia regnet per iustitiam in vitam aeternam* ».

De quo universalis reparationis ordine non minori evidentia loquitur (7) Dracontius scribens :

» Pietas tamen alma Parentis
» Indulgere (8) volens cito, quam punire parata,

(1) Ibid. §. II. p. 274.
(2) Rom. VII. 24—25.
(3) Ibid. §. III. p. 274.
(4) Ibid. §. V. p. 274.
(5) Rom. V. 12.
(6) Rom. V. 19—21.
(7) De Deo, lib. II. vv. 492— 499., p. 262.
(8) Aptius forte legeretur: *indulgere volens, cito nec punire parata.*

» Misit ab arce pium caeli per sidera (1) Christum,
» Qui virtute sua serpentis frangeret artes,
» Per vexilla crucis hostis populando cohortes,
» Praecipiti iactu quas celsa palatia caeli
» Exilio trusere gravi (2) sub perpete culpa.

Et (3) rursum:

» Ante futura vides, penes te (4) et nulla futura
» Sint (5) licet, Omnipotens, praesentia cuncta videntur,
» Aut (6) transacta magis nobis ventura creantur.
» Sic peccaturos homines tu Spiritus auctor
» Ante videns primum medicinam, sancte, parasti,
» Quam faceres hominem: indulgentia prompta reatum
» Praevenit, et facinus venia praecedit iniquum.
» Christus enim datus est nobis, spes una salutis,
» Qui nostra hic peccata lavet pius amne cruoris
» Et licet ipse ferat maculas, et crimina nostra,
» Immaculatus adest tamen agnus, et unicus heres
» Semper viventis, semper victurus et ipse.

CXV.

Haud igitur, ut Apostoli verbis (7) loquar, *posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum*, *qui mortuus est pro nobis*, qui nostra est vita, nostrumque omnium vivificator. Ut enim egre-

Certe lib. I. v. 95. Dracontius scripserat: *corrigit errantem, nec punit morte repente.*

(1) Divinum Verbum per prolepsin dicitur *Christus.*

(2) Perpetem vocat angelorum culpam, quod nullus illis fuerit poenitentiae locus.

(3) De Deo, lib. II. vv. 593—605, pagg. 272—274.

(4) Malim cum Arevalo legere: *ante futura vides, potius tibi nulla futura, scilicet, Omnipotens.*

(5) Cf. Augustinum in Ioh. Tract. XCIX. n. 5.

(6) Similia scribit vv. 732—734.

(7) I. Thess. V. 9. seq.

gic adversus Iulianum (1) Marius Mercator (2) disputat: » Vis non vis, vivificator est Christus. Heic interrogabo, et animae et corporis? tu, invitus licet, ita fateberis. Repetam interrogationem: totius omnino aetatis? respondebis, totius. Pressius exigam: et parvuli? dices, etiam. Sed audi, dicam tibi, quomodo iste et, ut ita dicam, qua arte vivificet. *Deus autem*, inquit (3) praeco eius et vas electionis Paulus apostolus, *qui dives est in misericordia, propter multam caritatem qua dilexit nos in Christo*, *cuius gratia salvi facti sumus.* Quid nunc censes? connumeravit et connuncupavit et parvulos; an foris sunt ab ista miseratione et dilectione, quia non sunt mortui peccatis, et exspectant te vanissimum ianitorem, ut tunc eos admittas ad misericordiam vivificandos, quando a miserando cessaverit peccatores, ut eos aliter quam alios vivificet? »

Quibus haec plane sententia subest: benevolae divinae voluntatis misericordiam, functionemque Christi *vivificatoris* tantum patere, quantum ipsa se porrigit mors, hominumque miseria. Utraque vero omnes omnino ex Adam carnaliter progenitos complectitur, neminem praeterit, ac universos invadit. Quis igitur non cernit, universalem quoque Dei misericordiam, ac universalem *Christi vivificatoris* actionem

(1) Quum catholici graviter in pelagianos inveherentur, quod Christum negarent parvulorum *redemptorem*, quumque ea accusatio fidelium animos, ut par erat, vehementer commoveret; callidi veteratores ut tantam a se amolirentur invidiam, non abhorruerunt ab usurpanda voce *redemptoris*, immo fassi sunt *baptizari infantes in remissionem peccatorum*. Negarunt tamen, ne suam deseruisse caussam viderentur, ex ea confessione deduci, infantes qui baptizarentur, culpa originis obligari. Probat ista Garnerius in commentario ad caput octavum subnotationum Marii Mercatoris, perspicuis Pelagii, Caelestii ac Iuliani testimoniis, quibus et hoc alterum addi debet ex libris Iuliani apud Marium Mercatorem in Commonitorio, p. 620. edit. Gallandii, T. VIII: » Quia gratiam baptismatis dicimus non pro caussis esse mutandam, quod ipsa dona sua pro accedentium capacitate dispensat; ideoque Christus, *qui est operis sui redemptor*, auget circa imaginem suam continua largitate beneficia, et quos fecerat condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores ».

(2) In commonitorio, p. 621. apud Gallandium, T. VIII.

(3) Ephes. II. 4.

credi oportere? quod Marius Mercator confirmare pergit (1) subdens: » Sed transeamus hinc studio brevitatis ad aliud vocabulum, quod de Salvatore in evangelio (2) ita scriptum est: *natus est vobis hodie Salvator in civitate David.* Unde et graeco eloquio Iesus proprie et (3) ad Zachaeum: *salus hodie domui huic facta est, quoniam et iste est filius Abrahae.* Item (4): *venit filius hominis quaerere et salvare quod perierat.* Audis ne quid dicat? *quod perierat*, inquit. Tu sine dubio, quia parvulorum greges non perisse pronuntias, non salvantur, non requiruntur: hoc et (5) de ove perdita audi quaesita et inventa: hoc et (6) de dragmate vel manipulo qui perierat. Item (7) Apostolus: *humanus* (8) *sermo, et omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus sum ego.* Hinc tu, egregius magister, amolire parvulorum catervas, ut ad hunc non currant qui venit salvare quod perierat, qui (9) non venit vocare iustos, sed peccatores in poenitentiam, qui (10) baptizat in remissionem peccatorum, qui ovem quaerit quae aberravit, qui dragma, idest manipulum qui perierat, qui (11) pro peccatoribus mortuus est, qui (12) fudit sanguinem in remissionem peccatorum, qui pro peccatis hominum traditus est, qui (13) vulneratus est propter iniquitates nostras, qui (14) peccata nostra portavit in corpore suo super lignum,

(1) In commonitorio, p. 621.

(2) Luc. II. 11.

(3) Luc. XIX. 9.

(4) Luc. XIX. 10.

(5) Luc. XV. 4—8.

(6) Legit Mercator δραγμα, non item ut est in vulgatis codicibus, δραγμην, unde et *manipulum* vertit.

(7) I. Tim. I. 15.

(8) Graece πιστος, *fidelis*, sive certus verusque.

(9) Matth. IX. 13.

(10) Actt. II. 38.

(11) Rom. V. 6.

(12) Matth. XXVI. 28.

(13) Isa. LIII. 5.

(14) I. Petr. II. 24.

qui (1) tamquam ovis occisionis pro peccatis oblatus est nostris, qui (2) delevit chirohraphum debitorum, qui (3) secundum apostolum Petrum, passus est iustus pro iniustis, ut nos adducat ad Deum; cuius sanguis, secundum (4) Ioannem evangelistam, purgat nos ab omni delicto; qui, cum (5) infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est, ut Paulus apostolus dicit; qui (6) in similitudine carnis peccati de peccato damnavit peccatum in carne, ut idem Paulus est testis; qui (7) reconciliavit nos ex offensa Deo Patri, ut idem denuo dicit Apostolus; qui (8) dedit semetipsum pro peccatis nostris, *et unus pro omnibus* mortuus est, ut nos eriperet de praesenti seculo malo ».

Cuius disputationis vim rationemque ii nullatenus assequuntur, qui non intelligunt, universalem esse reparationem, quam Christi morte ac sanguine partam Mercator defendit. Quum enim fixum illi sit, ipsos quoque parvulos originali labe infectos perditosque demonstrare, inde sumit argumentum, quod parvulorum etiam Iesus sit credaturque *salvator*. Hoc enim ferme pacto Iulianum oppugnat atque ad incitas redigit: » Iesus non adultorum magis quam parvulorum salvator est. Non est autem ipse salvator nisi eorum qui perierint, qui iniquitatem contraxerint, quique merito peccatoribus connumerentur. Ergo ipsi etiam parvuli perierunt, ac ipsi etiam iniquitate peccatoque obstricti in lucem veniunt ». In qua quidem inferendi, colligendique ratione nihil est, quod non ad evidentiam usque patefaciat, neque aptius, neque verius fieri satis posse quaerenti, quousque amplitudo reparationis se protendat, quam si respondeatur: tantum illam porrigi, quantum se pernicies ac peccatum diffudit.

(1) Isa. LIII. 7.
(2) Coloss. II. 18.
(3) I. Petr. III. 18.
(4) I. Ioh. I. 7.
(5) Rom. V. 6.
(6) Rom. VIII. 3.
(7) Rom. VIII. 10.
(8) Gal. I. 4.

Egregie (1) Prudentius:

» Edere sed Verbum Patris est, at cetera Verbi,
» Assumptum (2) gestare hominem, reparare peremptum,
» Conciliare Patri, dextraque in sede locare.
» Spiritus ista Dei complet: Deus ipse fideles
» In populos charisma suum diffundere promptus,
» Et Patris et Christi virtutem in corpora transfert.

Et rursum, postquam (3) dixit:

» Semper in auxilium Sermo Patris omnipotentis
» Descendit servando homini: mortalia semper
» Admiscenda sibi proprio curavit amore,
» Ut socianda caro, Dominoque implenda perenni,
» Degenerem vitam, quam tunc animalis agebat,
» Exemplo mutaret heri, similesque per artus
» Cernere consortem terreni assuesceret oris,
» Participemque suum visu velut obside nosse,
» Et consanguineo paullatim accedere Christo.

Continuo (4) addit:

» Ergo animalis homo quondam, nunc Spiritus illum
» Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
» Infundendo Deum, mortalia vivificantem.
» Nunc nova materies, solidata intercute flatu,
» Materies sed nostra tamen, de Virgine tracta,
» Exuit antiquae corrupta exordia vitae,
» Immortale bonum proprio spiramine sumens.

(1) Praefat. Apotheosis, vv. 7—12, pagg. 396—397., edit. Romae 1788.

(2) Confer synodi toletanae IV. canonem I.

(3) Apotheos. vv. 155—164, pagg. 415—416.

(4) Ibid. vv. 164—171, p. 416.

CXVI.

Iamvero ex iis sane plurimis, quae cum hac reparati humani generis providentia cohaerent, nonnulla sunt quae hispani doctores prae ceteris memorant, quaeque ego operae pretium esse arbitror ex ordine recensere. Principio igitur, si fidem illis adhibemus, propositum cohaeret, quo Deus non vult quemquam perire, quo aberrantes deviosque sollicitus quaerit, quoque vehementer laetatur quum illos reperit, repertosque sibi morigeros habet. » Ecce, scribit (1) Pacianus, ipse est Deus qui loquitur: *nolo* (2) *mortem peccatoris, quantum ut revertatur et vivat.* Et (3) iterum: *nonne,* ait, *qui ceciderit, resurget; et qui aversatus fuerit, convertetur?* et Apostolus (4) dicit: *potens est Deus statuere illum.* Apocalypsis etiam septem ecclesiis, nisi poenitentiam egerint, comminatur. Nec utique, non poenitentibus comminaretur, nisi ignosceret poenitentibus. Etenim ipse Deus (5) dicit: *memento ecce unde cecideris, et age poenitentiam.* Et (6) iterum: *cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris.* Nec quisquam adeo peccatricis animae vilitate desperet, ut se iam non necessarium Deo credat. Neminem nostrum perire vult Dominus: etiam modici et minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini: ecce in evangelio drachma requiritur, et vicinis inventa monstratur. Ovicula, suppositis reportanda cervicibus, non est onerosa pastori. Super unum peccatorem poenitentiam agentem in caelis angeli gaudent, et chorus caelestis exsultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas: vides ubi de tuo reditu gaudeatur ».

Cohaeret deinde paternum studium, quo Deus universis sua gratia adest, omnes confirmat, omnesque, dummodo sibi ipsi non desint, invictos reddit. » Mea semper haec est,

(1) Paraenes. ad poenitentiam, §. XII., p. 273. apud Gallandium, T. VII.

(2) Ezech. XVIII. 23, XXXIII. 11.

(3) Ierem. VIII. 4.

(4) Rom. XIV. 4.

(5) Apoc. II. 5.

(6) Is. XXX. 15. ex versione alexandrina.

inquit (1) Orosius, fidelis atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum non solum in corpore suo, quod est ecclesia, cui specialia ob credentium fidem gratiae suae dona largitur; verum etiam universis in hoc mundo gentibus propter longanimem sui aeternamque clementiam subministrare: non ut tu (2) cum discipulo tuo Caelestio, cui iam apud africanam synodum occulta illa impiorum dogmatum natura contusa est, in solo naturali bono, et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam: sed speciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per ἀτόμους et cunctis et singulis ministrare ». Quod, ut pluribus illustravit, inferendo (3) subdit: » Habes, ut arbitror, etiam in gentibus sufficientem cooperantis gratiae probationem: accipe manifestam quoque significantiam de illo praecipue dono, quod ecclesiae et corpori suo peculiare largitur. Paulus apostolus (4) ad Corinthios scribit: *gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quae data est vobis in Christo Iesu: quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis; ita ut nihil vobis desit in ulla gratia.* Et (5) iterum: *iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem et accessum habemus fidei in gratia ista, per quam stamus et gloriamur. Unde et* Petrus apostolus (6) admonet, dicens: *recipientes finem fidei vestrae, salutem animarum. De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in nos gratia Dei prophetaverunt.* Ex quo evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse Dei adiutorium: praesertim cum et seductor insistat, et insit infirmitas ». Consentit apertissimis verbis (7) Pacianus, quum novatianos re-

(1) Apolog. de arbitrii libertate, §. XIX. p. 163. apud Gallandium, T. IX.

(2) Pelagium alloquitur, quem refutat.

(3) Ibid. §. XXI. p. 164.

(4) I. Cor. I. 4—7.

(5) Rom. V. 1—2.

(6) I. Petr. I. 9—10.

(7) Ad Sympronianum epist. I. §. V. p. 258. apud Gallandium, T. VII.

fellens quod peccantibus post baptismum gratiam poenitentiae subtraherent, ait: » Si nihil in baptizatos possunt nequitiae spirituales, nihil fraus illa serpentis quae primum subvertit hominem, quae posteris eius tot titulos damnationis impressit; si recessit a mundo, si regnare iam coepimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus nostris crimen obrepit; abiiciatur (1) hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla exomologesis, nulli gemitus audiantur; contemnat omne remedium superba iustitia. Quod si haec homini suo Dominus providit; si idem stantibus praemia, qui iacentibus remedia largitus est: desinite divinam accusare pietatem, aut tot caelestis clementiae titulos obiectu rigoris credere, aut gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere. Non largimur ista de nostro. *Convertimini ad me*, dicit (2) Dominus, *simulque ieiunio et fletu et planctu scindite corda vestra*. Et (3) iterum: *relinquat impius vias suas, et vir facinorosus cogitationes suas, et convertatur ad Dominum, et misericordiam consequetur*. Itemque propheta in hunc modum (4) clamat: *quoniam Deus pius et mitis et patiens est, et qui* (5) *reflectat sententiam adversus malitias irrogatam*. Habet ne tam diutinum serpens venenum, et Christus non habet medicinam? diabolus in mundo interficit, Cristus heic non potest subvenire? pigeat sane peccare, sed poenitere non pigeat. Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne evadat, eripiet? quis sanandis vulneribus invidebit? » semper enim Deus praesto

(1) Poenitentiam intelligit, et eam quidem, quae *sine fructu* neque divinitus imperetur, neque ab hominibus suscipiatur.

(2) Ioel. II. 12—13.

(3) Is. LV. 7.

(4) Ioel. II. 13. ex versione alexandrina.

(5) Eodem quo Pacianus modo verba Ioel. II. 13. Cyprianus allegat in libello de lapsis, de bono patientiae, et in epist. ad Antonianum. Haec versio debetur antiquo interpreti, qui sic reddidit quod graece legimus, *και μετανοων ἐπι ταις κακιαις*. Hieronymus pressius inhaerens hebraicis exemplaribus, vertit, *praestabilis super malitia*.

est, ut medicinam faciat, ac semper, Dracontio (1) teste, suae gratiae donis opitulatur:

» Largitur peccata reis sine voce rogatus
» Pectoris (2) affectu, secreta mente, fide, spe.
» Quum sit ubique Deus, semper praestare paratus,
» Tardius accipimus heu! nostro corde morati.
» Oderunt (3) pia vota moras, festinus adoptat.
» Arbitrio (4) posuit clemens Deus omnia nostro,
» Libera mens hominum est peccare, aut vivere sancte,
» Libera vota dedit, quando sperare velimus,
» Credere (5) si placet, facile est nam posse mereri.

Quare patienter agit cum hominibus Deus, differt supplicium, non antea punit quam monuerit, in ipsa etiam ira clemens est, indulget frequenter, exspectat longanimis, atque ita se propterea gerit, quod vult hominum vitam, non mortem, aeternamque perniciem. Audiatur (6) Dracontius:

» Nemo ferire volens se praemonet inde cavendum:
» Sed (7) qui terret, amat. Sic indulgentia poenam
» Praevenit, et nullos capiunt tormenta reatus.

(1) De Deo, lib. II. vv. 605—615. pagg. 274—275.

(2) Innuit orationem cordis, de qua praeclara habet lib. I. vv. 567. seqq.

(3) Eadem mente Ambrosius comm. in Lucam, lib. II. cap. I. n. 19: « Nescit tarda molimina Spiritus-sancti gratia ».

(4) Post divinam gratiam, de qua Apoc. III. 20: *ecce sto ad ostium, et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* Haec autem in praesenti reparatae naturae ordine affulgere semper intelligitur, siquidem Thoma auctore de verit. q. XIV. a. XI. ad 1. *ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex eius parte non impediatur.*

(5) Verbo *mereri* utitur Dracontius pro *obtinere, accipere,* atque hoc sibi vult, *facile esse obtinere dona Dei.*

(6) De Deo, lib. I. vv. 87—99, pagg. 131—132.

(7) Apoc. III. 19, Hebr. XII, 6, Prov. III. 11—12, Prosper Epigrammat. LXVI, et Marius Victor. lib. I. Genes. vv. 465. seqq.

» Non (1) negat Omnipotens veniam cuicumque roganti,
» Supplicium quum saepe neget, licet inde minetur
» Omnibus, et nullum feriat censura Tonantis,
» Ni vitium peccantis agat perstando maligne.
» Et quemcumque ferit, moderanter temperat ictus,
» Corrigit errantem, nec punit morte repente,
» Si peccare (2) diu parcat quicumque profanus.
» Sed quum perstat homo semper delicta sequendo,
» Sentiet iratum poena plectente furorem.

Quae alibi (3) repetens, canit:

» Agis non ergo severus
» Errantes punis, sed mitis corrigis omnes
» Sub pietate bonus, poenae cessante flagello.
» Et quoties (4) commotus eris, placidissimus extas,
» Nil immite iubens, levis est sententia caeli:
» Rex pie, supplicium cunctis revocabile dictas,
» Ut, si peccantes agnoscant corde reatus,
» Et damnent meliore animo delicta priora,
» Sint, quibus ignoscas, sed non semel ista relaxas,
» Saepius indulgens, ostendens (5) limina mortis,
» Et revocans a morte truci, quos culpa premebat
» Faucibus (6) inferni raptas inducere formas.

Quum igitur tanta sit Dei bonitas, tantaque miserendi facilitas; ecquos nam tandem perire arbitrabimur? respondet (7) Dracontius:

(1) Paulinus poemat. VI. de s. Ioanne Baptista: « Quot gradibus parcit pietas tua? quis pater umquam — Sustinet erranti toties ignoscere nato? . . . Quamquam iam nimius longe processerit error, — Desinat et redeat, quum se damnaverit ipse. — Absolvi meruit: si poenitet, irrita culpa est ».

(2) II. Petr. III. 9.

(3) De Deo, lib. II. vv. 693—705, pagg, 282—283.

(4) Habacuc. III. 2.

(5) I. Reg. II. 6.

(6) Sap. XVI. 13.

(7) De Deo, lib. II. vv. 705—708. p. 283.

» Hi soli pereunt, semper quos esse profanos
» Constiterit, sine fine mali peccare volentes.
» Criminis et poenae limes semel unus habetur.

Ceterum (1) pergit:

» Qui placidis, saevisque iubet procedere (2) solem,
» Et lunam, stellasque vagas, et sidera cuncta,
» Imperat et pluvias nullo discrimine fundi.
» Nec ratione caret pietas generaliter una,
» Mercedem iustis, iniustis munera nobis
» Prorogat, ut (3) vel sic nos convertamur ad illum.
» Illectos donis, non poenis mutat adactos
» Exspectat (4) pia vota Deus, non thura requirit,
» Victima sola (5) placet purgatae mentis honestas.

E quibus tandem (6) concludit:

» Quidquid agamus ad haec sceleris, fraudisque, dolique
» Supplicio dignum, differt punire benignus,
» Ut, si poeniteat, magis indulgere paratus;
» Qui (7) facit angelicas flamma crepitare cohortes.

Etenim (8):

(1) Ibid. vv. 735—744. pagg. 286—287.

(2) Matth. V. 45, et Prudentius con. Symmachum, lib. II. vv. 780. seqq.

(3) Opportune Gregorius lib. XVI. Moral. cap. XII: « Malorum domos Dominus bonis implet, quia etiam ingratis sua dona non denegat, ut aut benignitatem conditoris erubescant, et ad bonitatem redeant, aut redire omni modo contemnentes, inde illic gravius puniantur ».

(4) Is. XXX. 18.

(5) Ps. L. 18.

(6) De Deo, lib. II. vv. 772—776, p. 290.

(7) Quibus eximia Dei in homines bonitas commendatur, quod eos ad poenitentiam invitet et exspectet, quum rebellantes angelos in aeternum ignem coniecerit.

(8) De Deo, lib. II. vv. 716—720. p. 285.

» Et erranti mora non brevis esse probatur,
» Servaturque diu veniae, si desinat audax
» Illicitum tentare nefas. Nam gaudia caelo
» Conversus (1) dat quisque reus.

CXVII.

Dedimus quae ad mentem sententiamque hispaniensis ecclesiae cognoscendam sufficiunt, ac integrum propterea nobis esse existimamus ad eos progredi, qui testet lucupletissimi merito habentur illius fidei, quam ab antiquissimis usque temporibus *gallicanae ecclesiae* professae sunt. Neminem autem Irenaeo praeferimus, qui sicuti vetustate, claritate nominis, martyrioque facto summopere commendatur; ita ea litteris consignavit, quae ad praesentem enodandam absolvendamque quaestionem mirifice conferunt. Principio enim in caussam inquirens permissi divinitus protoparentum casus, sic (2) habet: «Magnanimus fuit Deus deficiente homine, eam, quae per Verbum esset, victoriam reddendam ei praevidens. Cum enim perficiebatur virtus in infirmitate, benignitatem Dei et magnificentissimam ostendebat virtutem. Sicut enim patienter sustinuit (3) absorberi Ionam a ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomitus magis subiiceretur Deo, et plus glorificaret eum, qui insperabilem salutem ei donasset, et firmam poenitentiam faceret Ninivitis, ut converterentur ad Dominum, qui eos liberaret a morte, conterritos ab eo signo, quod factum erat circa Ionam, quemadmodum Scriptura de his (4) dicit: *et reversi sunt unusquisque a via sua mala, et iniustitia, quae erat in manibus eorum, dicentes : quis scit, si* (5) *poenitebit Deus, et avertat iram suam a nobis, et non peribimus?*

Sic et ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi a

(1) Luc. XV. 10.

(2) Con. Haereses lib. III. cap. XX. al. XXII. §. 1. p. 213. edit. Paris. 1710.

(3) Ion. II. 1. seqq.

(4) Ion. III. 8. 9.

(5) Al. *poenitebitur.*

magno ceto, qui fuit auctor praevaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed praestruens et praeparans adinventionem salutis, quae facta est a Verbo per signum Ionae, his qui eamdem cum Iona de Domino sententiam habuerunt, et confessi fuerunt, et (1) dixerunt: *servus Domini ego sum, et Dominum Deum caeli ego colo, qui fecit mare et aridam*: ut insperabilem homo a Deo percipiens salutem, resurgat a mortuis, et clarificet Deum, et eam, quae a Iona (2) prophetata est, dicat vocem: *clamavi ad Dominum Deum meum in tribulatione mea, et exaudivit me de ventre inferni*; et semper permaneat glorificans Deum, et sine intermissione gratias referens pro ea salute, quam consequutus est ab eo, *ut non glorietur* (3) *in conspectu Domini omnis caro*, nec umquam de Deo contrarium sensum accipiat homo, propriam naturaliter arbitrans eam, quae circa se esset, incorruptelam, et non tenens veritatem, inani supercilio iactaretur, quasi naturaliter similis esset Deo. Ingratum enim magis eum hoc ei, qui eum fecerat, perficiens, et dilectionem quam habebat Deus in hominem, obfuscabat et excaecabat sensum suum ad non sentiendum, quod sit de Deo dignum, comparans et aequalem se iudicans Deo ».

Quibus gemina sunt quae mox (4) addit, inquiens. « Haec ergo fuit (5) magnanimitas Dei, ut per omnia pertransiens homo, et morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem quae est a mortuis, et experimento discens unde liberatus est, semper gratus existat Domino, munus incorruptelae consecutus ab eo, ut plus diligeret eum: cui enim plus dimittitur, plus diligit: cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis et infirmus est; intelligat autem et Deum, quoniam in tantum immortalis et potens est,

(1) Ion. I. 9.

(2) Ibid. II· 3.

(3) I. Cor. I. 29.

(4) Con. Haereses, lib. III. cap. XX, §. 2. pagg. 213—214.

(5) Non displicet eorum coniectura, qui putant, quod apud latinum interpretem est, *magnanimus* et *magnanimitas*, graece fuise μακροθυμον et μακροθυμιαν, patientem et longanimem, patientiam et longanimitatem.

ut et mortali immortalitatem, et temporali aeternitatem donet: intelligat autem et reliquas virtutes Dei omnes in semetipsum ostensas, per quas edoctus sentiat de Deo, quantus est Deus. Gloria enim hominis, Deus; operationes (1) vero Dei, et omnis sapientiae eius et virtutis receptaculum, homo. Quemadmodum medicus in his qui aegrotant, probatur; sic et Deus in hominibus manifestatur. Quapropter et Paulus (2) ait: *conclusit autem Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur;* non de spiritalibus aeonibus dicens hoc, sed de homine qui fuit inobediens Deo, et proiectus de immortalitate, dehinc misericordiam consecutus est, per Filium Dei eam, quae est per ipsum, percipiens adoptionem ».

Tulit igitur Deus, ut suo Adam abusus arbitrio peccaret, atque peccans ab ea excideret corporis animique nobilitate, ad quam fuerat singulari benignitate provectus; sed non tulit ut suum opus *in totum periret*, neque passus est ut caussa humani generis conclamata penitus videretur. Immo, quae est eius bonitas, ex hominis praevaricatione ac flagitio occasionem arripuit, qua suam in illum misericordiam pietatemque declararet. Illi namque *praestruxit* ac *praeparavit adinventionem salutis*, *quae facta est a Verbo*, exquisitaque sapientia effecit, ut hominum genus *insperabilem acciperet salutem, resurgeret a mortuis, sine intermissione* pro oblata reparatione *gratias referret,* ipsoque experimento intelligeret, *non* (3) *ab homine sed a Deo esse humanae salutis bonum*, ac esse quidem hominem *operationis virtutisque divinae receptaculum*, nullatenus vero originem ac fontem.

Idem pietatis misericordiaeque consilium commovit Deum, ut protoparentes culpa obstrictos a paradiso arceret. « Quapropter, scribit (4) Irenaeus, et eiecit eum de paradiso, et a ligno vitae longe transtulit, non invidens (5) ei lignum

(1) Forte, *operationis*.

(2) Rom. XI. 32.

(3) Con. Haereses, lib. III. cap. XX. §. 3. p. 214.

(4) Ibid. cap. XXIII. §. 6. p. 222.

(5) Consentit Theophilus antiochenus in altero ad Autolicum libro; sed nonnihil diversa sunt quae tradunt Chrysostomus in Genes. Hom.

vitae, quemadmodum quidam audent dicere, sed miserans eius, ut non perseveraret semper transgressor, neque immortale esset circa eum peccatum, et malum interminabile et insanabile. Prohibuit autem eius transgressionem, interponens mortem, et cessare faciens peccatum, finem inferens ei per carnis resolutionem, quae fieret in terra: uti cessans aliquando homo vivere peccato, et moriens ei, inciperet vivere Deo ».

Ad quam vitam universum hominum genus fuisse revocatum, ex iis etiam discere licet, quibus suam Deus in illud sententiam edixit. « Propter hoc, ait (1) Irenaeus, et in initio transgressionis Adae, sicut enarrat Scriptura, non ipsum (2) maledixit Adam, sed terram in operibus eius, quemadmodum ex veteribus quidam ait: quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram, ut non perseveraret in homine. Condemnationem autem transgressionis accepit homo taedia et terrenum laborem, et manducare panem in sudore vultus sui, et converti in terram, ex qua assumptus est; similiter autem mulier taedia et labores et gemitus et tristitias partus et servitium, idest, ut serviret viro suo: ut neque maledicti a Deo in totum perirent, neque sine increpatione perseverantes Deum contemnerent. Omnis autem maledictio decurrit in serpentem, qui seduxerat eos. *Et dixit*, inquit (3), *Deus serpenti: quoniam fecisti hoc, maledictus tu ab* (4) *omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis terrae.* Hoc idem autem et Dominus in evangelio, his qui a sinistris (5) inveniuntur, ait: *abite maledicti in ignem aeter-*

XVI, Augustinus de civit. Dei lib. XIV. cap. XII., et Theodoritus q. XXVI. in Genesim.

(1) Con. Haereses, lib. III. cap. XXIII. §. 3. p. 221.

(2) Etiam Tertullianus in altero libro adversus Marcionem idipsum animadvertit, inquiens: « Deus ideo non maledixit ipsum Adam et Evam, *ut restitutionis candidatos*, ut confessione revelatos, sicut maledixit serpenti, cuius salus omnino deplorata erat ». Plura vide apud Rupertum de victoria Verbi Dei, lib. II. cap. XV.

(3) Gen. III. 14.

(4) Idest, *inter omnia pecora*, vel *super omnia pecora*.

(5) Matth. XXV. 41.

num, quem (1) *praeparavit Pater meus diabolo et angelis eius;* significans quoniam non homini principaliter praeparatus est aeternus ignis, sed ei qui seduxit, et offendere fecit hominem, et, inquam, qui princeps apostasiae est, principi abscessionis, et his angelis qui apostatae facti sunt cum eo: quem quidem iuste percipient etiam hi qui, similiter ut illi, sine poenitentia et sine regressu in malitiae perseverant operibus ».

CXVIII.

Universa igitur in protoparentes oeconomia, sive qua Deus illorum praevaricationem permisit, sive qua illos e paradiso expulit, ac ita in illos sententiam dixit, ut maledictioni parceret; splendidissimum praefert argumentum, quo immensa supremi Numinis misericordia erga hominum genus commendatur, ac delectus restitutionis reparationisque ordo innotescit. Quem ut Deus exequutioni mandaret, ad praescriptum sapientiae, bonitatis, iustitiaeque decrevit, ut sempiternum Verbum propter omnes omnino homines quos condiderat, carnem assumeret, in hunc mundum veniret, pro omnibus mortem oppeteret, in semetipso omnes recapitularet, omnes ad se redigeret et cum Deo reconciliaret, vitam omnibus incorruptionemque tribueret, omnes liberos, deoque amicos redderet, in seipso, quemadmodum in Iacobo, omnium benedictionem complecteretur, ac in seipso quidquid antea fuerat in Adamo perditum, recuperaret, omnem ipse sanctificaret aetatem, homo idcirco fieret ut assuesceret homo percipere Deum, Deoque coniungi, expleret tandem pii samaritani partes, hominisque vulneribus mederetur. Quae quidem omnia eo usque apertis geminatisque sententiis et docet et inculcat Irenaeus, ut de eius mente ac fide dubitatio prorsus omnis praecisa videatur. Ex innumeris quae ipse habet, nonnulla, eaque selecta speciminis gratia proferam.

Itaque de consilio (2) loquens susceptae a Verbo humanitatis, inquit: « In novissimis temporibus, cum venit

(1) Haec pariter est lectio antiquissimae versionis italae cui in cantabrigiensi codice ista respondent: ὁ ἡτοιμασεν ὁ πατηρ μου.

(2) Con. Haereses, lib. IV. cap. XXII. §. 1. p. 259.

plenitudo temporis libertatis, ipsum Verbum per seipsum sordes abluit filiarum Sion, manibus suis lavans pedes discipulorum. Hic est enim finis humani generis haereditficantis Deum: uti quemadmodum in initio per primos, omnes in servitutem redacti sumus debito mortis, sic in ultimo per novissimum omnes, qui ab initio discipuli emundati et abluti quae sunt mortis, in vitam (1) veniant Dei ». Et (2) mox: « Non enim propter eos solos, qui temporibus Tiberii Caesaris crediderunt ei, venit Christus; nec propter eos solos, qui nunc sunt, homines providentiam fecit Pater; sed propter omnes omnino homines, qui ab initio propter virtutem suam in sua generatione, et timuerunt et dilexerunt Deum, et iuste et pie conversati sunt erga proximos, et concupierunt videre Christum, et (3) audire vocem eius ».

Qui autem ex sese pro omnibus venit, proque omnium salute missus est, suum effudit sanguinem, mortemque subiit, ut omnes redimeret, omnesque ad immortalem felicitatem revocaret. Quod Irenaeus praeclare statuit, quum variis antithesibus (4) ostendens, passionem Domini nihil commune ac nihil affine habere cum ficta Aeonis passione, scribit: « Sed neque Christi passio similis est passioni Aeonis, neque in similibus facta. Aeon enim passus est passionem dissolutionis et perditionis, ita ut periclitaretur ipse qui patiebatur; Dominus autem noster Christus passus est passionem validam et quae non cederet: non solum ipse non periclitatus corrumpi, sed et corruptum hominem firmavit robore suo, et in incorruptionem revocavit. Et Aeon quidem passus est passionem ipse requirens Patrem, et non praevalens invenire; Dominus autem passus est, ut eos qui erraverunt a Patre, ad agnitionem, et iuxta eum adduceret. Et

(1) Cf. Lactan. div. institutt. lib. IV. cap. XXVI.

(2) Ibid. §. 2. p. 259.

(3) Utriusque loci comparatio ostendit, amplitudinem reparationis per Christum, universalem iuxta ac particularem censeri posse: *universalem* quidem, si divini in se consilii, voluntatis primae, oblataeque facultatis ratio habeatur: *particularem* vero, si perceptus inde salutis fructus, et voluntas secunda consideretur.

(4) Con. Haereses, lib. II. cap. XX. §. 3. p. 145.

illi quidem inquisitio magnitudinis Patris fiebat passio perditionis; nobis autem Dominus passus, agnitionem Patris conferens, salutem donavit. Et illius quidem passio fructificavit fructum faemineum, sicut dicunt, invalidum et infirmum et informem et inefficacem; istius autem passio fructificavit fortitudinem et virtùtem. Et Dominus quidem per passionem mortem destruxit, et solvit errorem, corruptionemque exterminavit, et ignorantiam destruxit, vitam autem manifestavit, et ostendit veritatem, et incorruptionem donavit; illorum autem Aeon cum fuisset perpessus, ignorantiam (1) substituit, substantiam informem peperit, ex qua omnia materialia opera prolata sunt, secundum eos, mors, corruptio, error, et his similia ». Unde compendio enarrans (2) Dei per Verbum suum in homines providentiam, inquit: « Verbum Dei, illis quidem qui ante Moysem fuerunt patriarchis, secundum divinitatem et gloriam colloquebatur: his vero qui in Lege, sacerdotalem et ministerialem (3) actum praebebat: post deinde nobis homo factus, munus caelestis Spiritus in omnem misit terram, protegens nos alis suis . . . Et propter hoc quatuor data sunt testamenta humano generi; unum quidem ante cataclysmum sub Adam; secundum vero, post cataclysmum sub Noe; tertium vero legislatio sub Moyse; quartum vero, quod renovat hominem, et recapitulat in se omnia, quod est per evangelium, elevans et pennigerans homines in caeleste regnum ».

Quum autem tanta semper extiterit Dei in homines clementia, iure quam qui optimo Irenaeus (3) valentinianos coarguit » quod plasma Dei (4) contemnerent, contradicentes

(1) Al. *sustinuit.*

(2) Con. Haereses, lib. III. cap. XI. §. 8. p. 191.

(3) In fragmento graeci textus, quod Grabius edidit, legimus: τοις δε ἐν τῳ νομῳ, ἱερατικην . . . ταξιν, *his vero qui in Lege sacerdotalem ordinem.* Quum ergo antiquus interpres verterit *actum* non *ordinem* coniectura est, ipsum legisse non ταξιν, sed πραξιν.

(3) Con. Haereses, lib. I. cap. XXII. §. 1. p. 98.

(4) Plasmatis nomine *carnem* intelligit, quam haeretici resurrecturam inficiabantur. Id autem manifestum est, quum ex loco parallelo, lib. V. capp. V—VI., tum ex iis quae Irenaeus mox subdit: » Qui quidem resurgent in carne, licet nolint, ut agnoscant virtutem suscitantis eos a

suae saluti, ipsi sui accusatores amarissimi, et falsi testes existentes ». Praesertim quum Christus universum hominum genus in se ipso recapitularit. Illos namque Irenaeus (1) oppugnans, qui veram a Verbo carnem ex Virgine sumptam negabant, ait : » Propter hoc Lucas genealogiam, quae est a generatione Domini nostri usque ad Adam, septuaginta duas (2) generationes habere ostendit; finem coniungens initio, et significans, quoniam ipse est qui omnes gentes exinde ab Adam dispersas, et universas (3) linguas, et generationem hominum cum ipso Adam in semetipso (4) recapitulatus est. Unde et a (5) Paulo *typus futuri* dictus est ipse Adam: quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium Verbum praeformaverat, praeformante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spiritali salvaretur. Cum enim praeexisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, ut non vacuum sit salvans ». Et continenti oratione (6) pergit : » Consequenter autem et Maria virgo obediens invenitur,

mortuis ». Unde eiusmodi prodit argumentum: si Deus non tulit, ut vel ipsum corpus corruptioni obnoxium semper maneret; longe sane minus passus est, ut animus medio reparationis careret.

(1) Con. Haereses, lib. III. cap. XXII. §. 3. p. 219.

(2) Nemo miretur, nonnisi *septuaginta duas* generationes in evangelio Lucae Irenaeum legisse; nam et patres et veteres mss. codices N. T. in iis recensendis non minimum dissident.

(3) Non desunt et graeci patres, et gentiles scriptores apud Bochartum in Phaleg. lib. I. cap. XXIII., qui gentium, linguarumque numerum generationibus exaequent.

(4) Respicit manifeste Irenaeus ad verba Pauli, Ephes. I. 9., ubi quod vetus eiusdem interpres dicit *recapitulare*, Tertullianus con. Marcionem, lib. V. cap. XVII., de monogamia, cap. V., *ad initium redigere, ab initio recensere, et ad caput, idest ad initium reciprocare universa*; Ambrosiaster, *restaurare*, et Vulgatus, *instaurare*: graece effertur verbo ἀνακεφαλαιωσασθαι, cuius vim Cyrillus in Iohannem lib. IX. p. 819. declarat scribens: » Recapitulationis nomen et rem tantumdem valere, ac ἀναλαβειν εἰς ὅπερ ἠν ἐν ἀρχῃ, τα προς ἀνομοιον ἐκπεπτωκοτα τελος, *revocare pristinum in statum et restituere, quae ad diversum omnino finem exciderant* ».

(5) Rom. X. 14.

(6) Con. Haereses, lib. III. cap. XXII. §. 4. pagg. 219—220.

dicens (1): *ecce ancilla tua, Domine, fiat mihi secundum verbum tuum.* Eva vero inobediens: non obedivit enim, adhuc cum esset virgo. Quemadmodum illa virum quidem habens Adam, virgo tamen adhuc existens . . . inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis: sic et Maria habens praedestinatum virum, et tamen virgo, obediens, et sibi, et universo generi humano (2) causa facta est salutis ». Tum, aliquot interiectis, subdit (3): » *Primogenitus* (4) enim *mortuorum* natus Dominus, et in sinum suum recipiens pristinos patres, regeneravit eos in vitam Dei, ipse initium viventium factus, quoniam Adam initium morientium factus est. Propter hoc et Lucas initium generationis a Domino inchoans, in Adam retulit, significans, quoniam non illi hunc, sed hic illos in evangelium vitae regeneravit. Sic enim et Evae inobedientiae nodus solutionem accepit (5) per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, hoc virgo Maria solvit per fidem ».

CXIX.

Nihil autem hac comparatione non minus quam antithesi inter primum alterumque Adamum, Evam inter ac Mariam, sive illustrius, sive accomodatius, quo universalis redemptio ac totius humani generis restitutio significetur. » Ostenso manifeste, scribit (6) Irenaeus, quod in principio Verbum existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, *qui et semper aderat generi humano*, hunc in novissimis tempori-

(1) Luc. I. 38.

(2) Confer. ad h. l. Feverdantii animadversiones, quibus simillima ecclesiasticorum scriptorum testimonia complectitur.

(3) Ibid. p. 220.

(4) Coloss. I. 18.

(5) Apposite Arator in Acta Apostolorum, lib. I:

» Mala criminis Evae
» Virgo secunda fugat: nulla est iniuria sexus.

(6) Con. Haereses, lib. III. cap. XVIII. §. 1. p. 209.

bus secundum praefinitum tempus a Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium: si ergo tunc natus est, non erat ergo ante Christus. Ostendimus enim, quia non tunc coepit Filius Dei, existens semper apud Patrem; sed quando incarnatus est, et homo factus, longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis salutem praestans, *ut quod perdideramus in Adam, idest, secundum imaginem et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Iesu* (1) *reciperemus* ». Nec sane mirum: » Quemadmodum enim, pergit (2), *δια της παρακοης του ἑνος ἀνθρωπου, του πρωτως ἐκ γης ἀνεργαστου πεπλασμενου, ἁμαρτωλοι κατεσταθησαν οἱ πολλοι, και ἀπεβαλον την ζωην· οὑτως ἐδει και δι᾽ ὑπακοης ἑνος ἀνθρωπου, του πρωτως ἐκ παρθενου γεγενημενου, δικαιωθηναι πολλους και ἀπολαβειν την σωτηριαν*, per inobedientiam unius hominis, qui (3) primus de terra rudi plasmatus est, peccatores facti sunt multi, et amiserunt vitam; ita oportuit et per obedientiam unius hominis, qui primus de Virgine natus est, iustificari multos, et percipere salutem ». Ac oportuit enimvero, subdit (4), uniri hominem Deo: » Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non iuste victus esset inimicus. Rursus autem, nisi Deus donasset salutem, non firmiter haberemus eam. *Και* (5) *εἰ μη συνηνωθη ὁ ἀνθρωπος τῳ θεῳ, οὐκ ἀν ἠδυνηθη μετασχειν της ἀφθαρσιας. ἐδει γαρ τον μεσιτην θεου τε και ἀνθρωπων, δια της ἰδιας προς ἑκατερους οἰκειοτητος, εἰς φιλιαν και ὁμονοιαν τους ἀμφοτερους συναγαγειν· και θεῳ μεν παραστησαι τον ἀνθρωπον, ἀνθρωποις δε γνωρισαι τον θεον.* Et nisi homo coniunctus fuisset Deo, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim mediatorem Dei et hominum, per suam ad utrosque domesti-

(1) Cf. Petavium de Incarnat. lib. II. cap. VII. §§. VII. seqq.

(2) Con. Haereses, lib. III. cap. XVIII. §. 7. p. 211. Verba graeca debemus Theodorito, qui illa refert dialogo I., cui titulum fecit, *Immutabilis*.

(3) Heic et deinde satius *primum* quam *primus* ad normam graecae dictionis *πρωτως* redderetur.

(4) Ibid. §. 7. p. 211.

(5) Apud Theodoritum, dialogo II. qui dicitur, *Inconfusus*.

citatem, in amicitiam et concordiam utrosque reducere, ac (1) Deo quidem hominem sistere, hominibus autem Deum patefacere ».

Quae Christus ex voluntate Patris cumulatissime praestitit.» Hominem namque, Irenaeo (2) auctore, in semetipsum recapitulavit, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis factus comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans: ut sicut in supercaelestibus et spiritalibus et invisibilibus princeps est Verbum Dei; sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens, et apponens semetipsum caput ecclesiae, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore ». Et (3) attraxit sane quum (4) *venit plenitudo temporis, misitque Deus Filium suum* » qui est (5) perfectus in omnibus: quoniam Verbum potens, et homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semetipsum dedit pro his, qui in captivitatem ducti sunt. Et quoniam iniuste dominabatur nobis apostasia, et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos; potens in omnibus Dei Verbum, et non deficiens in sua iustitia, iuste etiam adversus ipsam (6) conversus est apostasiam, ea quae sunt sua redimens ab ea: non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea quae non erant sua insatiabiliter rapiens; sed secundum suadelam, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quae vellet: ut neque quod est iustum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret ». Quare (7) » suo san-

(1) Vetus interpres vel quod aliter legerit, vel quod oscitantius suas partes obierit, habet: *et facere, ut et Deus assumeret hominem, et homo se dederet Deo.*

(2) Con. Haereses, lib. III. cap. XVI. §. 6. p. 206.

(3) Ibid. §. 7. p. 206.

(4) Galat. IV. 4.

(5) Con. Haereses, lib. V. cap. I. §. 1. p. 292.

(6) Haec pluribus explanata leges apud Augustinum de Trinit. lib. XIII. cap. XIII.

(7) Ibid. §. 1. p. 292, e quibus nonnulla graece refert Theodoritus dialogo III.

guine redemit nos Dominus, et dedit animam suam pro nostra anima, et carnem suam pro nostris carnibus, et effudit Spiritum Patris in adunitionem et communionem Dei et hominis, ad homines quidem deponens Deum per Spiritum, ad Deum autem rursus imponens hominem per suam incarnationem, et firme et vere in adventu suo donans nobis incorruptelam, per communionem quae est ad eum ».

CXX.

Quo factum est (1) » ut quemadmodum per priorem generationem mortem haereditavimus, sic per generationem Christi haereditaremus vitam: . . . et quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spiritali omnes vivificaremur ». Etenim (2) » dissolvit Christus eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam; . . . eam quae in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quae in ligno fuerat obedientiam, sanans ». Hinc (3) » cum Deo, quem in primo quidem Adam offendimus, non facientes eius praeceptum, in secundo Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem (4) facti ». Quibus per Christum partis beneficiis et istud (5) accessit: » Quod in praeteritis temporibus dicebatur quidem secundum imaginem Dei factum esse hominem, non autem ostendebatur. Adhuc enim invisibile erat Verbum, cuius secundum imaginem factus fuerat. *δια τουτο* (6) *δε και την ὁμοιωσιν ῥαδιως ἀπεβαλεν, ὁποτε δε σαρξ ἐγενετο ὁ λογος του θεου, τα ἀμφοτερα ἐπεκυρωσε· και γαρ την εἰκονα ἐδειξεν ἀληθως, αὐτος τουτο γενομενος, ὁπερ ἠν ἡ εἰκων αὐτου· και την ὁμοιωσιν βεβαιως κατεστησε, συνεξομοιωσας τον ἀνθρωπον τῳ ἀορατῳ πατρι.* Propter hoc au-

(1) Ibid. §. 2. p. 293.

(2) Ibid. cap. XVI. §. 3. p. 313.

(3) Ibid.

(4) Supple, in capite nostro, nostroque primogenito Christo Iesu.

(5) Ibid. §. 2. p. 313.

(6) Graece ista edidit Halloixius ex Iohannis Damasceni Parallelis in vita Irenaei, p. 480.

tem et similitudinem (1) facile amisit. Quando autem caro Verbum Dei factum est, utraque confirmavit: et imaginem enim ostendit (2) veram, ipse hoc fiens quod erat imago eius; et similitudinem (3) firmans restituit, consimilem faciens hominem invisibili Patri (4) per visibile Verbum ».

De qua divinae similitudinis restitutione (5) pulcherrimus in Iacobo typus praecesserat. Quemadmodum enim futurum edixerat Deus, ut populi omnes, omnesque tribus in Iacobo benedicerentur; ita arcana sua dispositione effecit, ut in visibili Verbo *universa benedictio* contineretur. Haec autem (6) omnibus impensa temporibus luculenter ostendit » quod sicuti initio non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia; ita omnibus multiplici suae gratiae munere constanter adfuit, et ab omnibus servitutem exquisivit, ut quoniam est bonus et misericors, benefaceret eis, qui perseverarent in servitute eius ». Eodemque (7) pietatis misericordiaeque consilio » magister existens, magistri quoque habebat aetatem, non reprobans, nec supergrediens hominem, neque solvens legem in se humani generis, sed omnem aetatem sanctificans per illam, quae ad ipsum erat, similitudinem. Omnes enim venit per semetipsum salvare: omnes, inquam, qui per eum renascuntur (8) in Deum, infantes et parvulos et pueros et iuvenes et (9) seniores. Ideo per omnem venit aetatem, et

(1) Distinguit Irenaeus *similitudinem* ab *imagine*, et hanc semper mansisse incolumem, illam vero amissam primum ac deinde restitutam docet.

(2) Pressius ad graecam *ρησιν*, *vere*.

(3) Accuratius, *firmiter*.

(4) Haec postrema in Damasceni Parallelis desiderantur.

(5) Con. Haereses, lib. IV. cap. XXII. §. 3. p. 258.

(6) Ibid. capp. XIV—XV. pagg. 243—246.

(7) Ibid. lib. II. cap. XXII. §. 4. pagg. 147—148.

(8) Quum verbum *renascendi* indubitatam praeferat significationem spiritalis per baptismum nativitatis; egregium heic habetur testimonium, quo *paedo-baptismus* adprobetur.

(9) Haec et quae sequuntur non obscure mihi innuere videntur, argumentis potius *analogicis* et *dogmaticis* quam *historicis* permotum fuisse Irenaeum, ut Christum non antea vita functum crediderit, quam

infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus, sanctificans hanc ipsam habentes aetatem, simul et exemplum illis pietatis effectus, et iustitiae et subiectionis: in iuvenibus iuvenis, exemplum iuvenibus fiens, et sanctificans Domino. Sic et senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed et secundum aetatem, sanctificans simul et seniores, exemplum ipsis quoque fiens: deinde et usque ad mortem pervenit, ut sit (1) *primogenitus ex mortuis, ipse primatum tenens in omnibus*, princeps vitae, prior omnium, et praecedens omnes ».

CXXI.

Quo autem pacto, tamquam *princeps vitae*, omnibus vitam impertiat, enucleatius exponit, quum de caussa deque fine missi a Patre ac descendentis Spiritus (2), ait: » Hunc promisit per prophetas (3) effundere in novissimis temporibus super servos et ancillas, ut prophetarent: unde et in Filium Dei, filium hominis factum, descendit, cum ipso assuescens habitare in genere humano, et requiescere in hominibus, et habitare in plasmate Dei, voluntatem Patris operans in ipsis, et renovans eos a vetustate in novitatem Christi ».

Cuius extiturae novitatis conscius et cupidus (4) David » hunc Spiritum petiit (5) humano generi, dicens: *et Spiritu principali confirma me* . . . Unde et Dominus (6) pollicitus est mittere se Paracletum, qui nos aptaret Deo. Sicut enim de arido tritico massa una fieri non potest sine humore, neque unus panis: ita nec nos multi unum fieri

ad annum prope *quinquagesimum* ipsemet accesserit. Ceterum vide quae disputat Massuetus Dissert. III. art. VI. §§. 70. seqq.

(1) Coloss. I. 18.

(2) Con. Haereses, lib. III. cap. XVII. §. 1. p. 208.

(3) Ioel. II. 28—29.

(4) Con. Haereses, lib. III. cap. XVII. §. 2. p. 208.

(5) Ps. L. 14.

(6) Ioh. XVI. 7.

in Christo Iesu poteramus, sine aqua quae de caelo est. Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat: sic et nos, lignum aridum existentes primum, numquam fructificaremus vitam, sine superna voluntaria pluvia ». Quam nobis iure omnes (1) pollicemur: » siquidem Dominus accipiens munus a Patre, ipse quoque his donavit qui ex ipso participantur, in universam terram mittens Spiritum-sanctum ». De qua universali missione praeclarum illud est, pergit Irenaeus (2), quod de Gedeone narratur. » Hanc enim muneris gratiam praevidens (3) Gedeon ille israelita, quem elegit Deus, ut salvaret populum Israel de potentatu alienigenarum, demutavit petitionem, et super vellus lanae, in quo tantum primum ros fuerat, quod erat typus populi, ariditatem futuram prophetans; hoc est, non iam habituros eos a Deo Spiritum-sanctum, sicut Esaias (4) ait: *et nubibus mandabo, ne pluant super eam;* in omni autem terra fieri ros, quod est Spiritus Dei, qui descendit (5) in Dominum, *Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et virtutis, Spiritus scientiae et pietatis, Spiritus timoris Dei*: quem ipsum iterum dedit ecclesiae, in omnem terram mittens de caelis Paracletum, ubi et diabolum, tamquam fulgur, proiectum ait (6) Dominus. Quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur, et ubi accusatorem habemus, illic habeamus et paracletum: commendante Domino Spiritui-sancto suum hominem, qui inciderat in latrones, cui ipse misertus est, et ligavit vulnera eius, dans duo denaria regalia, ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes ».

Quum igitur eiusmodi semper fuerit divina in homines

(1) Con. Haereses, lib. III. cap. XVII. §. 2. p. 208.
(2) Ibid. §. 3. p. 208.
(3) Iud. VI. 37.
(4) Is. V. 6.
(5) Is. XI. 2.
(6) Luc. X. 18.

oeconomia, quumque Deus (1), qui novissimis temporibus misit Unigenitum, praeterlapsis aetatibus numquam humani generis curam neglexerit; pronum est (2) concludere: «Non alium esse qui iudicat Deum, et alium qui convocat ad salutem, Patrem; nec alium, qui aeternum lumen donat, alium vero qui iubet in exteriores mitti tenebras eos, qui non habent indumentum nuptiarum. Sed unum et eumdem Dominum Patrem Domini nostri, a quo et prophetae missi sunt, indignos quidem convocare propter immensam benignitatem; eos vero qui convocati sunt inspicere; si conveniens habeant indumentum, et congruens nuptiis Filii sui: quoniam nihil inconveniens, neque malum placet ei. Quemadmodum Dominus dixit (3) ei qui curatus fuerat: *ecce sanus factus es, iam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat.* Qui enim est bonus et iustus et mundus et immaculatus, neque malum aliquid, neque iniustum, neque abominandum in suo sponsali thalamo sustinebit. Est autem hic Pater Domini nostri, cuius providentia constant omnia, et iussu administrantur omnia: et gratuito quidem donat in quos oportet, secundum autem meritum dignissime distribuit adversus ingratos et non sentientes benignitatem eius, iustissimus retributor ».

CXXII.

Quare divinae providentiae ratio comparata sic est, ut primo quidem semet prodat, suasque obeat partes *immensa Dei benignitas*, qua *indignos* attrahit, *elegit* (4) *patriarchas, visitavit israeliticum populum, gentesque advocavit;* succedat deinde iustitia, qua Deus, utpote *iustissimus retributor*, in superbos ingratosque animadvertit. Hoc ordine (5) « rationabiliter edocentur homines diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem praestante in apostasia hominis; homine autem

(1) Con. Haereses, lib. IV. cap. XXXVI. pagg. 277—281.
(2) Ibid. §. 6. p. 280.
(3) Ioh. V. 14.
(4) Con. Haereses, lib. IV. cap. XXXVI. §. 8. p. 281.
(5) Ibid. cap. XXXVII. §. 7. p. 383.

erudito per eam, quemadmodum et propheta (1) ait: *emendabit te abscessio tua ;* praefiniente Deo omnia ad hominis perfectionem, et ad efficaciam et manifestationem dispositionum: ut et bonitas ostendatur, et iustitia perficiatur ». Sicut autem eo bonitas (2) ostenditur , quod Deus *consilium bonum dat omnibus ;* ita (3) eo iustitia apparet » quod posuit in homine potestatem electionis , quemadmodum et in angelis; ut hi quidem qui obedissent, *iuste* bonum sint possidentes, datum quidem a Deo, servatum vero ab ipsis. Qui autem non obedierunt, iuste non invenientur cum bono , et meritam poenam percipient: quoniam Deus quidem dedit *benigne* bonum , ipsi vero non custodierunt diligenter illud , neque pretiosum arbitrati sunt, *sed supereminentiam bonitatis contempserunt.* Abiicientes igitur bonum et quasi respuentes, merito omnes iustum iudicium incident Dei , quemadmodum et apostolus Paulus in ea (4) epistola, quae est ad Romanos, testificatus est . . . . Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum et Apostolus testificatur in eadem epistola : et qui operantur quidem illud, gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum , cum possint non operari illud ; hi autem qui illud non operantur , iudicium iustum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud ».

Nemo igitur est *a*) , qui idcirco pereat , quod accepta divinitus facultate consequendae salutis caruerit; sed *b*) quotquot pereunt , eam ob rem pereunt ac in tantum exitium prolabuntur, quod acceptum bonum respuerint ac abiecerint. Etenim *c*) supereminentia divinae bonitatis omnes sollicite praevenit ac iuvat; neque *d*) locum antea facit punienti iustitiae , quam suas ipsa partes expleverit. Has vero *e*) sic explet, ut integra hominis libertate, utrique ordini, morali et eudaimonico consulatur. Consulatur *f*) primum ordini morali , cuius propriam nativamque rationem expressit Deus ,

(1) Irem. XI. 19.
(2) Ibid. cap. XXXVII. §. 1. p. 281.
(3) Ibidem.
(4) Rom. II. 3. seqq.

quum (1) inquiens, *quoties volui colligere filios tuos, et noluisti*, perspicue (2) » veterem legem libertatis hominis manifestavit. Quia liberum eum Deus fecit ab initio, habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie, et non coactum a Deo. *Βια* (3) *θεῷ οὐ προσεστιν. ἀγαθὴ δε γνωμη παντοτε συμπαρεστιν αὐτῷ.* Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus; posuit autem in homine potestatem electionis ». Consulatur *g*) deinde ordini eudaimonico, quod Irenaeus insigniter (4) explicat, quum iis occurrens, qui aiebant, *oportuisse, Deum neque angelos tales fecisse, ut possent transgredi, neque homines qui statim ingrati existerent in eum;* negat id ullatenus decuisse « quoniam rationabiles, et examinatores et iudiciales facti sunt, et non (quemadmodum irrationabilia, sive inanimalia, quae sua voluntate nihil possunt facere, sed cum necessitate et vi ad bonum trahuntur, in quibus unus sensus, et unus mos) inflexibiles, et sine iudicio, qui nihil aliud esse possunt, praeterquamquod facti sunt. Sic autem nec *suave* esset eis quod est bonum, neque *pretiosa* communicatio Dei, neque *magnopere appetendum* bonum, quod sine suo proprio motu et cura et studio provenisset, sed ultro et otiose insitum: ita ut essent *nullius momenti* boni, eo quod natura magis quam voluntate tales existerent, et ultroneum haberent bonum, sed non secundum electionem: et propter hoc nec hoc ipsum intelligentes, quoniam pulchrum sit quod bonum, neque *fruentes* eo. Quae enim fruitio boni apud eos qui ignorant? quae autem gloria his qui non studuerunt illud? quae autem corona his qui non eam, ut victores in certamine, consequuti sunt »?

Ne igitur tot emolumentis, tantaque gloria homines (5)

(1) Matth. XXIII. 37.

(2) Con. Haereses, lib. IV. cap. XXVII. §. 1- p. 281.

(3) Hoc Irenaei dictum ex Damasceni Parallelis descriptum edidit Halloixius in vita Irenaei, p. 501.

(4) Ibid. §. 4. pagg. 282—283.

(5) Ibid. §. 7. p. 283.

privarentur, idcirco « Dominus violentum (1) dixit regnum caelorum: *et qui vim faciunt*, inquit, *diripiunt illud;* hoc est, qui cum vi et agone vigilantes instanter diripiunt illud .... Bonus (2) igitur agonista ad incorruptelae agonem adhortatur nos, ut coronemur, et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quae per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior; quanto autem pretiosior, tanto eam semper diligamus ».

Si qui ergo sciscitentur, unde repeti tandem debeat, quod ex hominibus plures neque praemio neque corona potiantur; partim *negando*, partim *aiendo*, Irenaeo praeeunte, respondebimus: I. repeti id ex eo nullatenus posse, vel quod *a*) Deus non in omnes homines benevola voluntate feratur, vel quod *b*) non omnes homines in Christo fuerint reformati, vel quod *c*) Dei misericors benignitas non omnes necessariis idoneisque praesidiis aut modo instruat, aut antea semper instruxerit. Verum II. ex eo repeti oportere, quod *a*) Deus assequutionem finis ordini eudaimonico propositi cum custodia moralis ordinis copulaverit, quod *b*) praestituerit, ut felicitas tam doni, quam coronae praemiique vim naturamque praeferret, quod *c*) in praemiis diribendis iudicis sibi iustissimique retributoris personam imposuerit, et quod *d*) hanc propterea personam induerit, ut non minus libertati humanae naturae, quam eudaimonici ordinis perfectioni prospectum consultumque videretur.

CXXIII.

Hanc doctrinae summam, quam (3) Irenaeus, *ο εγγυς των αποστολων γενομενος*, et Polycarpi discipulus (4) tanta

(1) Matth. XI. 12.

(2) I. Cor. IX. 24. seqq.

(3) Apud Basilium de Spiritu-sancto, cap. XXIX., apud Augustinum vero con. Iulianum, lib. I. cap. III. dicitur, *non longe ab apostolorum temporibus* claruisse.

(4) Ut ipsemet Irenaeus testis est in epist. ad Florinum, quam Eusebius refert H. E. lib. V. cap. XX.

cura tradidit, tantoque studio Galliarum ecclesiis inculcavit; consequuti deinde earumdem ecclesiarum praesules doctoresque mirifica quadam animorum verborumque consensione retinuerunt. Illius enim, ne Prosperum denuo (1) commemorem, testes sunt assertoresque locupletissimi Phoebadius aginnensis, Hilarius pictaviensis, Sedulius, Salvianus, Sidonius, Valerianus, Avitus ac Caesarius. E quibus Hilarius ad verba (2) Psalmi, *memoriam abundantiae suavitatis tuae eructabunt*, sic (3) habet: « Hoc in Deo praecipuum, hoc in potente laudandum: non caelum fecisse, quia potens est; non terram fundasse, quia virtus est; non annum astris temperasse, quia sapiens est; non hominem animasse, quia vita est; sed misericordem esse, qui iustus est; sed miserantem esse, qui rex est; sed dissimulantem esse, qui Deus est. Ad id enim quod (4) dictum est, *iustitia tua exsultabunt*, tamquam necessarium (5) sequitur: *miserator et misericors Dominus est*, *patiens et multae misericordiae. Suavis Dominus universis, et miserationes eius super omnia opera eius.* Quod enim potens est, naturae suae virtus est: quod autem misericors est, salutis nostrae profectus est. Et plus est, non suis uti, sed aliis praestitisse quae sua sunt: atque ideo praestat ceteris Dei operibus misericordia, quia magnifica eius operatio virtutis suae res est, misericordia vero eius usus alienus est ».

Quam misericordiae praestantiam enarrare pergit, sive quum (6) negat, *Deum oblivisci esse suavem, aut desinere*; sive quum (7) humanam divinamque iustitiam componens, ait: « Dei iustitia iustitiae non coaequatur humanae. Neque enim naturae legi subdita est, per quam est lex statuta naturae: ut necessitatem non habeat bona non esse,

(1) Huius namque doctrinam superius, quantum satis erat, explanavimus.

(2) Ps. CXLIV. 7,

(3) Tract. in Ps. C. XLIV. n. 15. col. 568. edit. Paris. 1693.

(4) Ibid. v. 7.

(5) Ibid. vv. 8—9.

(6) Ibid. n. 13. col. 566.

(7) Ibid. n. 14. coll. 567—568.

cum iusta sit. Habet Dei iustitia miserandi voluntatem: neque tamen per miserandi voluntatem ita a se erit demutata, ne iustitia sit. Humana autem iustitia solet in id devenire, ne misericors sit; et misericordia ita se praestare, ne iusta sit. Misericordia enim (1) non erit, si miserabiliter inopi calumnianti ius opulentioris invideas, si feminae lacrymas viri praeferas contumeliae, si caeci convicia non putes arguenda. At vero e contrario misericordiam iustitia non tenebit, si furem unius nummi, ut furem ingentis thesauri plectas; cum tamen in uno nummo thesaurum habuerit qui amisit: ut adolescentem in uno tantum et eodem infami adulterio irretitum, pari in (2) morte, ut plurium adulteriorum artificem, poenarum quaestione (3) vexabis; cum tamen crimen sit mortis in utroque. Haec atque istiusmodi imperfectam faciunt et misericordiam et iustitiam humanam: Dei autem iustitiam misericordem praestat criminosorum poenis indulta patientia. Qui cum contra morem humanae impatientiae non festinat punire, miseratus est: tenens iustitiam in poena, post misericordiam non proficiente patientia; habens misericordiam in poena, post patientiam exserendo iustitiam. Non enim Deus rapit humanorum criminum occasiones, neque tamquam infirmitatis nostrae naturaeque nescius, ipsum illud ad poenam erroris et peccati nostri tempus (4) invadit: sed dissimulat et differt, et poenitentiae solatium dilatione ultionis exspectat; *suavem se omnibus praestans*, dum per misericor-

(1) Ductus seriesque orationis exigit, ut subintelligatur *iusta*.

(2) Quemadmodum Deut. XXII. 22. cautum erat, ut adulterio obstricti morte plecterentur; ita haec iustissima legum severitas apud Romanos viguit: neque auctore primum Constantino, ut sibi nonnulli visi sunt colligere posse ex Iustiniani Novella CXXXIV. cap. X., sed diu ante, ut iis plane efficitur quae habentur apud Eusebium H. E. lib. IV. cap. XVII, apud Arnobium in quarto libro contra Gentes, apud Augustinum de civ. Dei, lib. III. cap. V., et apud auctorem passionis s. Vincentii, n. 5. in Actis sinceris Martyrum, p. 392.

(3) De hisce poenarum quaestionibus confer quae leguntur in Cod. Theod. l. 4. *quorum appell.*, et apud Hieronymum, epist. XLIX. *de muliere septies icta*.

(4) Videlicet non statim punit, quod in Ps. CXXVIII. n. 8. sic effert: « Non inter exordia humanae iniquitatis est promptus ad poenam, sed desinendi a criminibus seram licet voluntatem peccatoris exspectat ».

diae et iustitiae modum, temperandae severitatis indulgentiae se reservat ».

CXXIV.

De quo habitu misericordiam inter iustitiamque divinam multo ea sunt praeclariora, quae Hilarius tradit, quum I. originem aperit creati hominis, quum II. caussas investigat, propter quas illi Deus leges tulerit, et quum III. docet, quinam ii tandem sint, in quos Deus irascitur, quosque aeternum damnat. Ad primum enim quod spectat, comprobata (1) Dei plenissima beatitate, qua nullo extrinseco bono indiget, aut indigere potest, subdit (2): « Ex huius igitur optima ac benevola beatitudine, per Dominum nostrum Iesum Christum profectae omnes sunt caelestium et invisibilium creationes, spiritalium et corporalium constitutiones; non ut profectum sibi aliquem ex his, quibus originem impertiebat, acquireret. Neque enim quisquam eo indiget, quod ex se tribuit; aut per id proficit, cui ad id quod est auctor est. Exteriora autem sunt, quae afferunt profectum; quia ea, quae inopiae medentur, aliena sunt. Deus igitur, ex quo omnia sunt, nullo eorum indiget, quibus id quod sunt esse largitus est: omnia vero ad profectum eorum quae gignerentur creavit ». Duplex igitur est origo cum hominis, tum ceterorum omnium quae creata sunt: ac principio quidem perfectissima bonitas, qua Deus in semetipso fons est inexhaustae beatitatis: deinde vero congenita benignitas, qua Deus in suimetipsius communicationem fertur, quaque creaturarum felicitatem amat.

A qua quidem nobilissima origine nullatenus ea dissidet, quae Deum excivit, ut procreatum a se hominem latis legibus regeret, vigilanterque contineret. « Hominem enim, pergit (3) Hilarius, non quod officio eius in aliquo eguerit, instituit; sed quia bonus est, participem beatitudinis suae

(1) Tract. in Ps. II. 5. n. 13. col. 33.
(2) Ibid. n. 14. coll. 33—34
(3) Ibid. n. 15. col. 34.

condidit, et rationale animal in usum largiendae suae aeternitatis vita sensuque perfecit: et hoc ex ipsius dictis absolute intelligitur. Ait (1) enim: *et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus poscit a te, nisi ut timeas, Dominum Deum tuum, et ambules in omnibus viis eius, et diligas eum, et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et custodias praecepta Domini Dei, et iustificationes eius, quae ego praecipio tibi, ut bene sit tibi*? nullum a nobis, nisi innocentiae et religionis et fidei obsequium Deus postulat. Amari se a nobis exigit, non utique amoris in se nostri fructum aliquem sui causa ipse percipiens, sed amore ipso nobis potius, quia eum amabimus, profuturo. Nam amari se, sibique nos obsequi, idcirco ut nobis bene sit, expetit, ut digni beatitudinis suae ac bonitatis suae munere per meritum amoris sui et obsequii iudicemur. Bonitatis autem usus, ut splendor solis, ut lumen ignis, ut odor succi, non praebenti proficit, sed utenti. Quod ergo sumus, profectus noster est potius, quam eius, qui nos in id quod sumus instituit: quia Deus bonorum eorum, quae in se sunt aeterna, non (2) invidens, in sensum nos atque usum beatae suae bonitatis assumit ».

Quamquam vero et creatione et legum latione eo spectaverit Deus, ut homines in sensum atque usum beatae suae bonitatis assumerentur: « nihilominus, addit (3) Hilarius, qui perfectus ac bonus est, bonitate in nos ac beatitudine sua non sine ratione ac modo usus est. Nam unicuique nostrum libertatem vitae sensusque permisit, non necessitatem in alterutrum affigens, ut unumquemque ex natura bonum malumve esse lex cogeret: sed qui nos per benevolentiam utendae beatitudinis suae creasset, profectum nobis ad id per meritum vitae innocentis honestaeque constituit. Quid autem honoris ac praemii bonitatis necessitas mereretur, cum malos nos esse vis quaedam nobis conserta non sineret? vo-

(1) Deuter. X. 12—13.

(2) Idest, *non invidus*.

(3) Ibid. n. 16. coll. 34—35.

luntati ergo permissa bonitas est, ut praemium sibi voluntas bonitatis acquireret, et esset nobis aeternae huius beatitudinis profectus atque usus ex merito, non necessitas indiscreta per legem. Et quamquam nos ad voluntatem bonitatis, idest, ad bene honesteque vivendum per spem promerendae et utendae suae bonitatis illiceret, poenam tamen devitatae et contemptae bonitatis adiecit: ut cum libertatem nobis voluntatis ad bonitatem promerendam reliquisset, quia meritum naturae necessitas non haberet, libertatem ipsam quotidie propositus e contrario poenae terror argueret. Atque ita et per rationem aequi atque iusti ad meritum praemii permissa libertas est, et per bonitatem Dei vis libertatis metu (1) constitutionis arctata est: ut bene velle meriti spes moneret, malum nolle propositae ultionis poena suaderet ». Est itaque cur sedulo distinguatur, *quid* ex sese Deus hominibus velit, ac *quomodo* illud eisdem velit. Vult enim vero ex sese Deus hominibus prorsus omnibus consortium suae aeternitatis: hac illos mente condidit: hoc illis consilio leges dixit: atque hoc proposito et praemiis eos allicit, et pòenis deterret. Sed summum hoc maximumque bonum eisdem non vult, nisi suam et ipsi operam conferant, suumque studium adhibeant. Hanc enim οἰκονομίαν providentiaeque rationem flagitare prorsus videbantur, quum *a*) ipsa hominis natura, quae libera est, et a qua summopere abhorret ut necessitate in alterutrum affigatur : tum *b*) sapiens Dei bonitas, cui nihil magis consonum est, quam ut hominis beatitas ita sit caeleste munus, ut praemii simul merito parti vim rationemque praeseferat.

Quibus, uti decet, intellectis, pronum est colligere, quos Deus tandem puniat, quosve sempiterna felicitate privet. Scilicet, inquit (2) Hilarius: « His, quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit, ultio constituta ira esse Dei creditur: non quia indemutabilis illa Dei et quieta natura

(1) Si post vocem *constitutionis* addas *poenae*, non erit cur lectio sollicitetur, scribaturque, *constitutae ultionis*.

(2) Ibid. n. 17. col. 35.

motu impetus turbidi incalescat, sed quod ille, qui (1) per constitutionem poenae maneat in poena, sentiat sibi auctorem huius constitutionis iratum. Poena enim patientis, ira esse creditur decernentis. Atque ita irascitur Deus, cum per poenae dolorem iram decreti in se sentiant esse (2) puniti: quae non per demutationem naturae in iram ex placabilitate commota est, sed ex constitutione poenae ira sit puniendis ». Ubi postquam accurate ostendit, et (3) *poenae constitutionem* in (4) Scripturis *iram* nuncupari, et (5) nullatenus Dei naturam*, quae certa atque constans est, ad aliud ex alio ira transferri*; subdit (6): « Non ergo ad iram magnanimus demutatur, sed potens iudex poenam decrevit ad culpam. Nam non convertentibus se gladium (7) vibravit, et arcum tetendit, et in eo paravit vasa mortis, et sagittas suas arsuris operatus est. Operatus autem est non ad motum repentinae irae, quae per cupiditatem ulciscendi subito accensa sit, sed operatus arsuris est, qui per impoenitentem voluntatem ipsi se constituent urendos. Et his, qui non converterentur, gladius vibratus est, non ex demutatione irae promendus ad singulos; (neque enim qui magnanimus est, per dies singulos irascitur) sed quia iudicium decrevit, gladius eius ex poenae constitutione iam promptus est. Ipsa autem poenalis iudicii spiritalia ministeria in gladio, arcu, sagittisque memorantur, quia praeparata habentur arsuris. Non enim ex motu irae temporariae praeparantur, sed ea ex decreti constitutione, temperatissima Deus bonitatis suae aequabilitate moderatus est: non occultam scilicet constitutionis ipsius huius severitatem et incognitam relinquendo, erroremque eius denuntiationibus praemonendo, et ipsam

(1) Augustinus epist. CXC. n. 10. iram Dei definit, *iustam fixamque vindictam.*

(2) *Puniti*, idest, qui puniuntur.

(3) Ibid. n. 17. col. 35.

(4) Matth. III. 7. coll. Rom. V. 10.

(5) Ibid. n. 18. col. 35.

(6) Ibid. n. 18. coll. 35—36.

(7) Ps. VII. 12. seqq.

illam, constitutam licet, longa tamen (1) ad peccati poenitentiam dilatione remorando ».

CXXV.

Quum itaque *poenalis ordo* tam *in suo sempiterno decreto*, quam *in sua temporaria exequutione* spectari possit; non minimum iuvat probe tenere, *quae illius sit ratio*, sive ad decretum sempiternum, sive ad temporariam exequutionem referatur. Hilario autem teste, si *a*) poenalis ordo ad sempiternum decretum referatur, omnino tenendum est, non aliis *parari vasa mortis*, nisi iis *qui per impoenitentem voluntatem ipsi se aliquando constituent urendos*. Sin autem *b*) idem poenalis ordo cum temporaria exequutione comparetur, indubitatum esse debet: 1) eos dumtaxat puniri, *quibus ex voluntatis libertate malitia magis placuit*: atque hos ipsos 2) nonnisi *post misericordiam patientiamque puniri*, idest, tum solum puniri, quum misericordiae patientiaeque effectus rebelli voluntatis pervicacia irritos sterilesque effecerint.

E quibus profecto est consequens: *a*) nemini ab aeterno poenas decerni, ac nemini suo tandem tempore poenas infligi, nisi quem misericordiae contemptorem Deus praenoverit, quique reipsa misericordiam deinde contempserit: *b*) tam sempiternum poenae decretum, quam temporariam illius exequutionem ad eam voluntatem pertinere, quae praescientiam comitem habet, quaeque voluntas secunda nuncupatur: propterea *c*) ad voluntatem primam et antecedentem spectare ordinem misericordiae ac praemii: neque *d*) ab hoc ordine alios excidere, quam qui perniciem exitiumque contra benevolam Dei voluntatem sibi libere struxerint. Unde Hilarius enarrans Christi apud (2) Matthaeum verba, *nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadit in terram sine volun-*

(1) Ex hac poenae dilatione Deus cum punit, et misericors et iustus ostenditur, utpote Hilario teste in Ps. CXLIV. n. 9., tenens *iustitiam in poena, post misericordiam non proficiente patientia; habens misericordiam in poena, post patientiam exserendo iustitiam.*

(2) Matth. X. 29.

tate patris vestri, principio quidem (1) monet, duos passeres de anima et corpore accipi posse, tum (2) subdit: « Sed quaerendum est, quomodo unum (3) ex illis est, quod sine voluntate Dei non cadet. Dei voluntas est, ut unum ex illis magis evolet, sed lex ex constitutione Dei profecta decernit unum ex eis potius decidere. Quemadmodum autem si evolarent, unum essent, idest, corpus in naturam animae transisset, et gravitas illa terrenae materiae in profectum et substantiam animae (4) aboleretur, fieretque corpus potius spirituale: ita peccatorum pretio venditis, in naturam corporum animae subtilitas ingravescit, et terrenam contrahit ex vitiorum sorde materiem, fitque unum ex illis quod tradatur (5) in terram ».

(1) Comm. in Matth, cap. X. n. 18. col. 657.

(2) Ibid. n. 19. coll. 657—658.

(3) Unum, quod Hilarius memorat', ad animae et corporis unitatem refertur. Solemne namque illi est docere, animam et corpus, quae modo duo sunt, quia neutrum alteri plene prefecteque subiectum est, post resurrectionem unum fore vel in gloria vel in poena: aut enim corpus animam sequuturum, ut cum illa spiritalis subtilitatis consors in caelum evolet: aut a corpore animam ad se trahendam, ut secum in terram, terrenamque gravitatem cadat. Hanc igitur ex corpore et anima unitatem vocabulis *unum ex illis* Hilarius significat.

(4) » Putandus non est Hilarius, monente Coustantio, corporeae materiae abolitionem asserere, cum velit dumtaxat terrenam gravitatem aliasque huiusmodi qualitates, quae corporibus inesse natae, animabus graves ac molestae sunt, post resurrectionem abfuturas; *ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus, quamvis in aliud resurget*, quemadmodum ipse loquitur in Ps. II. n. 41. Plura videsis p. 357. not. 6. Superiores autem sententias, *corpus in naturam animae transire*, vel *in substantiam animae aboleri*, alia quam solemus ratione intelligendas esse vel ex eo liquet, quod mox subiicitur, peccatorum *animam in naturam corporum ingravescere*: ut interim mittamus quod infra legere est n. 24, baptismo nobis praestari, *ut corpus ipsum in naturam animae, quae ex afflatu Dei venit, evadat* ».

(5) Al. *trudatur*.

CXXVI.

Quae huc perspicue redeunt, *duplicem* in Deo secerni *voluntatem* oportere, *bonitatis alteram*, qua ex sese vult Deus, ut omnium omnino hominum animae atque corpora caelum petant, ac in ea iucundissima sede aeternum beentur: *alteram iustitiae*, qua vult, ut ii pereant qui se ad extremum usque peccatis manciparint. Quo ea item pertinent quae scribit, dum commentario (1) illustrat quae facinus excitatae (2) a mortuis filiae principis comitata sunt. Scribit enim: « Ingreditur deinde Dominus domum principis, synagogam videlicet, cui in canticis legis hymnus luctuum personabat: et irridetur a plurimis. Numquam enim illi Deum in homine crediderunt; quin potius praedicari resurrectionem ex mortuis riserunt. Apprehensam (3) igitnr puellam manu, cuius apud se mors erat somnus, retraxit ad vitam. Atque ut rarus hinc esse ex lege credentium electionis numerus intelligi posset, turba omnis expulsa est: *quam utique salvari Dominus optasset*; sed irridendo dicta gestaque eius, resurrectionis non fuit digna consortio ». E quibus non discrimen modo intelligimus inter utramque voluntatem bonitatis et iustitiae; sed et illud assequimur, quae utriusque sit sive origo sive amplitudo. Intelligimus *a*) utriusque voluntatis discrimen, quum voluntas bonitatis ea sit et ab Hilario dicatur, qua Christus ex sese optat omnes salvari; voluntas contra iustitiae ea sit et ab eodem nuncupetur, qua plures Christus a consortio beatae resurrectionis repellit. Assequimur *b*) utriusque originem, quum illa ex insita Christi bonitate sua sponte emergat; haec autem hominum rebellione culpisque provocetur. Ac rursum assequimur *c*), quousque se utraque porrigat: voluntas enim bonitatis ex sese infinita est, omnesque complectitur: at voluntas punientis iustitiae eorum circumscribitur numero, qui irrisores divinorum beneficiorum censentur.

(1) Comm. in Matth. cap. IX. n. 8. col. 650.
(2) Matth. IX. 23.
(3) Matth. IX. 25.

Atque huic doctrinae iterum patrocinatur Hilarius, quum significationem investigans (1) verborum, *quia iudicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur*, inquit (2): « Differt iudicari et consolari; et differt populus et servus. In servis autem consolatio, in populo vero iudicium est. Populum Dei Israel secundum carnem nuncupatum esse quis nescit? dictum autem ab Apostolo (3) est, *qui in lege peccaverunt, per legem iudicabuntur.* Iudicabit ergo Deus populum suum; sed in servis suis consolabitur, nempe in illis de quibus Dominus (4) ait, *qui credit in me, non iudicabitur, sed transiet de morte in vitam: qui autem non credit, iam iudicatus est.* Consolabitur autem Dominus, iudicato Israel, in servis suis. In omnibus enim fidelibus (5) terrae solatium habebit ex damno ». Cuinam vero hoc damnum iudicandi perdendique populi tribui debet? subdit continuo (6) Hilarius: « Voluisset Deus populum suum, quem in patribus eorum Abraham et Isaac et Iacob elegerat, non iudicari: ob quem post diversas plagas Aegyptum afflixerat, ob quem in columna ignis et nubis adstiterat, ob quem mare diviserat, aquam e petra eiecerat, manna e caelo miserat, legem posuerat, veniam tantis sacrilegiis indulserat, tot irreligiosorum regna deiecerat, prophetas miserat, Unigenitum suum nasci hominem voluerat. Sed tot tantisque beneficiis populus ingratus, et colonus vineae primus electus, in ipsum (7) Dominum vineae parricidales manus intulit, Deum, quantum in se est, crucifixum in homine mortificans. Sed electi sunt servi, quibus vinea fructum eius reddentibus traderetur: in quibus Dominus iudicato populo suo, *pietatis suae damnum* consolaretur. Itaque consolantur eum gen-

(1) Ps. CXXXIV. 14.
(2) In Ps. CXXXIV. n. 24. col. 478.
(3) Tom. II. 12.
(4) Ioh. V. 24.
(5) Ferme diceret: una israeliticae gentis regione perdita, damnum solatur Deus adeptione totius orbis, in quo fideles habet famulos.
(6) Ibid. n. 25: coll. 478—479.
(7) Matth. XXI. 38.

tes, in martyribus et confessoribus et fidelibus suis fructus ex se commissae sibi gratiae rependentes ».

Quosnam igitur punit tandem Deus, quos abiicit ac damnat? illos ne quos ipsemet primus neglexerit, quosque nutu tantum suo improbarit ac proscripserit? immo neminem voluntate iustitiae punit, neminem damnat, nisi quem antea voluntate bonitatis, quantum ex sese erat, ad salutem perducere contenderit. Non prius ad flagella Deus manum admovet, neque homines a se prius reiicit, quam omnigenis illos beneficiis cumularit, ac *suae pietatis damna* persenserit. Antea movet caelum et terram, nihilque intentatum relinquit, quam ad supremam condemnationis sententiam prope coactus accedat. Quare 1) effectus benignitatis et clementiae iustitiam iudiciumque praevertunt: ac 2) ita praevertunt, ut universales prorsus sint; iudicium autem ac poena in eos cadunt tantum, qui sibi iram, spreta misericordia, conciliarint: unde 3) nemo est qui idcirco pereat, quod non potuerit salvari: ac propterea 4) quotquot fuerunt, sunt ac porro erunt homines, in statu quidem degerunt, degunt ac degent lapsae profligataeque naturae, sed benevola Dei misericordia erectae ac reparatae.

CXXVII.

De qua universali per Christum reparatione insignia sunt quae habet (1) aginnensis Phoebadius, inquiens: « Ergo hic Sermo, *cum* (2) *in forma Dei esset*, sapientia et ratione et spiritus ratione et spiritus virtute (3) constructus, hoc est, totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adaequavit, sed *formam servi accipiens humliavit se usque ad mortem.* Induerat enim quod servire, quod mori posset: hominem scilicet quem excitatum exhibuit ad caelum, ut secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus

(1) In lib. con. arianos §. XXI. p. 256. apud Gallandium T. V.

(2) Philipp. II. 6—8.

(3) His rite intelligendis conducet ad ista advertisse, quae scribit §. XX: « Apparet ergo unnm eumdemque venisse nunc in nomine Spiritus, nunc in appellatione Sapientiae ».

transgressione perdiderat ». Primus autem Adam omnibus transgressione perdiderat quum bona *praeternaturalia,* tum *supernaturalia:* perdiderat *a*) immortalitatem , *b*) libertatem a peccato, et *c*) copiam potestatemque comparandae salutis. Haec igitur omnia ac plane omnibus per obedientiam secundus Adam restituit.

Ac restituit 1) immortalitatem, siquidem teste (1) Phoebadio : « Quum hominem induere dignatus est , non labem aeternitati intulit ; ut Spiritum (2) in carnem mutaret, sed ut suscepto homine immortalitatem atque aeternitatem caelestis vitae praestaret. Nam etsi Apostolus (3) semetipsum *exinanisse* dicit , *formam servi* suscipiendo ; non utique sic exinanitum accipimus, ut aliud quam quod fuerat, idem Spiritus fieret: sed ut seposito interim maiestatis suae honore, humanum corpus indueret, quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur, non caecatur; et lumen illud quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur , non aufertur: sic et homo ille quem Dominus Iesus Salvatorque noster, idest , Deus Deique Filius induit; Deum (4) tamen in illo non intercepit, sed abscondit».

Restituit eadem misericordia 2) libertatem a peccato , de qua Sedulius (5) canit :

» O facilis pietas ! ne nos servile teneret
» Peccato dominante iugum, servilia summus
» Membra tulit Dominus, primique ab origine mundi
» Omnia qui propriis vestit nascentia donis,
» Obsitus exiguis habuit velamina pannis.

Quum vero et expulsum e paradiso Adamum, et miserrimam totius posteritatis sortem conditionemque deplorat, spem

(1) Tract. de fide orthodoxa, cap. VIII. pagg. 263—264.

(2) Spiritus nomine intellige μορφην του Θεου.

(3) Philipp. II. 7.

(4) Al. *divinitatem.*

(5) Carm. Pascal. lib. II. §. III. vv. 54 —59. p. 543. apud Gallandium, T. IX.

omnem fuisse praecisam (1) scribit: « Nisi pius ille rerum creator et conditor, cui proprium est veniam delictis infundere, quam poenaliter imminere, fabricam sui operis ab ipso debilem fundamento, firmius per eumdem lapidem rursus dignaretur erigere. Ne videlicet imago quae ad similitudinem Dei facta fuerat vivens, dissimilis haberetur ex morte, munusque venialis indulgentiae largiretur, ac poma (2) quae patres acerba voraverunt, filiorum obstupuere dentes, arceret, donaretque mitissimus ac placatus, ut unde mortem peccata contraxerant, inde vitae pietas enutriret immensa. Et velut rosa suavis atque mollissima de spinoso caespite nascitur nil laesura matrem, quam gratia iucunditatis obscurat: ita de stirpe nocentis Evae Marìa sacro veniente cum lumine, primae virginis luem sequens virgo dilueret, ut quae prior natura vitiis inquinata durae necis fuerat conditioni subiecta, nascente Christo per hominem, homo quoque posset renasci per Christnm, originalis maculae foeditatem vetustati corporis innovatione positurus ». Quam ob rem (3) propheta Christum dixit (4) *speciosum forma prae filiis hominum*: « ac bene omnino *prae filiis hominum speciosum* definivit, quia licet humanae susceperit incarnationis effigiem, filiumque hominis in evangelica praedicatione saepe se dixerit; peccatum nos tamen originale foedaverat, quod ipse non habuit, qui suae nos nativitatis puritate mundavit. O pietas clemens et facilis ad salutem! ne nos iugum diuturnae premeret servitutis pro conditione peccati, Dominus servi membra suscepit ».

Soluta per Christum peccati servitute, factaque libertate iustitiae, novo 3) auctum beneficio hominum genus copiam facultatemque adipiscendae salutis iure veluti postliminii rursus obtinuit. « Scio, fratres carissimi, scribit (5) arelatensis Caesarius, quod non possit ignorare sancta ca-

(1) Paschalis operis lib. II. cap. I. p. 574.
(2) Ierem. XXXI. col. Ezech. XVIII.
(3) Ibid. cap. III. p. 575.
(4) Ps: XLIV. 3.
(5) Hom. XIII. p. 20. apud. Gallandium, T. XI.

ritas vestra, Adam patrem nostrum inter paradisi delicias fuisse collocatum; sed, persuadente diabolo, Dei praecepta contemnens, in istius mundi miserias velut de superiori loco ad inferiorem fuisse deiectum. Supernum ergo est paradisus, infernum est hic mundus. Aliud infernum est, in quo post mortem peccatores et impii demerguntur. Nam quod duo sunt inferni, propheta hoc evidenter ostendit (1) dicens: *Deus, qui eripuisti animam meam ex inferno inferiori.* Non enim diceret inferiorem infernum, nisi esse et superiorem sciret. Deus autem noster (2) miserator et misericors, patiens et multum misericors, quando nos in Adam patrem nostrum de altitudine paradisi iusto iudicio suo in infernnm mundi istius deposuit, pro ineffabili pietate ad inferiorem infernum nos ruina pervenire noluit; sed quodammodo inter paradisum et inferiorem infernum velut in medium collocavit, ut si poenitentiam vellemus agere, ad altitudinem principalis patriae mereremur ascendere; si vero in illa tyrannide superbiae per quam suadente diabolo cecidimus, velimns iugiter permanere, ad inferioris inferni profunda, unde iam reditus esse non possit, peccati pondere premeremur. Haec ergo, fratres carissimi, non transitorie, sed cum grandi timore ac tremore considerantes, intelligamus nos in isto superiori inferno per Dei misericordiam positos, ut magis ad illum qui nos creavit desideremus bonorum operum gradibus remeare, quam cum illo qui nos decepit ad inferioris inferni profunda descendere. Et quia positi sumus tamquam inter aquam et ignem, velut inter summum malum, qnasi inter ruinam inferioris inferni et altitudinem paradisi, audiamus Dominum in Scripturis cum admirabili pietate (3) clamantem: *posui te inter mortem et vitam. Elige vitam, ut vivas* ».

CXXVIII.

Quae sunt prorsus egregia, ut fieri satis possit percun-

(1) Ps. LXXXV. 13.
(2) Ioel. II. 13.
(3) Deut. XXX. 19.

clantibus, quae humani generis conditio, quive status existimari debeat. Etenim 1) si hominum genus ad Adamum referas, tecumque reputes quid illud nativitate sit, quamve a suis progenitoribus hereditatem acceperit; nihil succurret infelicius, nihilque ad misericordiam concitandam validius. Est enim nativitate sua lapsum ac deiectum, donisque privatum omnibus, quibus et a corruptione immune, et Deo carum, sempiternaeque heres beatitatis reddebatur. Sin autem 2) ad benevolam misericordemque Dei in Christo dispositionem illud referas, ac ipse tecum consideres, quid in Christo recuperarit; haud facile gestientem laetitia animum continebis. In Christo enim ac per Christum *a*) homines *actu* recuperarunt facultatem vincendi peccati, consequendae adoptionis, divinaeque similitudinis instaurandae: iidem vero *b*) *spe* recuperarunt omnibus cumulatam numeris felicitatem, plenamque mortis corruptionisque victoriam.

Unde nihil sive ad dicendum verius, sive ad cogitandum suavius, quam omnes omnino homines fuisse per Christum in libertatem assertos: quam detrimenta omnia terestris Adami crimine illata caelestis ope ac praesidio fuisse deleta: et quam iis dumtaxat primum Adamum obesse, qui secundi beneficia ingrati contempserint. «Omnem hominem, inquit (1) Valerianus cemeliensis antistes, Deus non solum ad libertatem vocavit, sed etiam in summa rerum dignitate constituit. Ipse autem sibi servitium indicit, qui invitus servit. Nam si voluntati servitium accommodes, non te famulum Dei invenies esse, sed filium. Nam ita dicit (2) propheta voce Domini: *ego ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens* ». Quam libertatem dignitatemque nobis Christus comparavit, ut de eo loquens Apollinaris Sidonius in carmine eucharistico ad Faustum reiensem episcopum (3) significat, canens:

» Postremo mortem, sed surrecturus, adisti,

(1) Homil. III. §. II. p. 129. apud Gallandium, T. X.
(2) Ierem. XXXI. 9. coll. II. Cor. VI. 16.
(3) Carm. XVI. vv. 50—64. p. 605. apud. Gallandium, T. X.

» Eripiens quidquid veteris migraverat hostis
» In ius, per nostrum facinus, cum femina prima
» Praeceptum solvens culpa nos perpete vinxit.
» Qui cum te interitu petiit, nec reperit in te
» Quod posset proprium convincere, perdidit omne,
» Quod lapsu dedit Eva suo: chirographon illud,
» Quo pervasus homo est, haec compensatio rupit.
» Expers peccati pro peccatoribus amplum
» Fis pretium. veteremque novus vice fenoris Adam
» Dum moreris de morte rapis: sic mortua mors est,
» Sic sese insidiis quas fecerat ipsa, fefellit.
» Nam dum indiscrete petit insontemque reosque,
» Egit ut absolvi possent et crimine nexi.

Ac nemini sane huius consequendae absolutionis copia subtrahitur. « Uvae quidem adhuc asperae viridisque, scribit (1) viennensis Avitus, non vinum sed virus intra paradisum Adam in sui nostrique perniciem degustavit; et quia parentes comederant uvam acerbam, dentes filiorum obstupuerunt. Sed praevidens Ezechiel originale debitum Christo solvente vacandum, sic (2) ait: *vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra proverbium illud in Ierusalem: patres comederunt uvam acerbam, obstupescent dentes filiorum.* Iam tibi non nocet quidquid esset Adam quod concupivit superbe, quod praesumpsit illicite, quod desideravit incaute: tu tibi de tuo esu stuporem dentium metue, tu tactum appetitus ab inutili aviditate restringe ».

CXXIX.

Quod necessarium plane officium ut omnes explerent, venit Salvator in hunc mundum, et immensa quadam caritate ad se omnes pertraxit. Etenim, Salviano (3) auctore, ideo Christus ex Apostoli (4) testimonio « moriendo pro no-

(1) Serm. Fer. tert. in Rogationibus, p. 798 apud Gallandium, T. X.
(2) Ezech. XVIII. 3.
(3) De gubernat. Dei, lib. IV. §. X. p. 23. apud. Gallandium, T. X.
(4) Rom. V. 8—9.

bis commendare voluit omnibus caritatem suam, ut nos ad reddendam pietatem tantae vicissitudinis pietatis suae traheret exemplo. Et sicut illas naturae admirabiles gemmas ferunt, quae ferro propius admotae durissimum licet chalybem affectu quasi spirante suspendunt; ita etiam ille, idest, summa et clarissima regnorum caelestium gemma , hoc scilicet voluit ut dum se licet durissimis nobis descendens de caelo propius adiungeret, affectui suo nos quasi amoris sui manibus admoveret; ut agnoscentes utique dona sua ac beneficia, intelligeremus quid nos pro Domino tam bono facere conveniret, cum ille pro malis servis tanta fecisset; et compleretur hoc quod Apostolus (1) dicit , ut mortificaremur caritate illius tota die, et neque tribulatio, neque angustia, neque persecutio, neque fames, neque nuditas , neque gladius posset nos separare a caritate Dei , quae est in Christo Iesu Domino nostro ». Si qui vero obfirmati adeo sint animi, ut neque tantae caritatis igne mollescant , hi profecto scribit Salvianus immerito conqueruntur, quod severiorem quam vellent, Deum experiantur. « Quid querimur, clamat (2) ille , quod dure agat nobiscum Deus ? multo nos cum Deo durius agimus. Exacerbamus quippe eum impuritatibus nostris, et ad puniendos nos trahimus invitum. Cumque eius naturae sit mens Dei atque maiestas, ut nulla iracundiae passione moveatur; tanta tamen in nobis peccatorum exacerbatio est, ut per nos cogatur irasci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati suae, ac manus quodammodo adferimus misericordiae suae. Cumque eius benignitatis sit ut velit nobis iugiter parcere, cogitur malis nostris scelera quae admittimus vindicare. Ac sicut illi solent qui munitissimas urbes obsident, aut firmissimas arces urbium capere et subruere conantur , omnibus absque dubio eas et telorum et machinarum generibus oppugnant; ita nos ad expugnandam misericordiam Dei omni peccatorum immanium scelere, quasi omni telorum genere, pugnamus; et iniuriosum nobis Deum existimamus , cum ipsi iniuriosissimi Deo simus . . ? Quid

(1) Rom. VIII. 36.

(2) De gubernat. Dei, lib. IV. §. VIII. p. 21.

ergo de poenarum acerbitate querimur? unusquisque nostrum ipse se punit ».

Nihilominus eo usque mitis et suavis est Deus, et fusus pro nobis Christi sanguis eo usque apud ipsum valet, ut quamdiu praesentem vitam degimus, sive in nos paullo acerbius animadvertat, sive nos lenius commodiusque habeat; nostram semper salutem et exoptet et quaerat. « Tanta est, inquit (1) Salvianus misericordia Dei, ut etsi nos pati vult aliqua de piaculis nostris, nolit tamen cuncta tolerare: quia castigat malos, non reddit mala; et agnoscere nos peccata nostra mavult quam sustinere. Scilicet ut piis ac salubribus flagellis ostendat nobis quae ferre mereamur, iuxta illud scilicet beati Apostoli dictum quo (2) ait: *ignoras quoniam bonitas Dei ad poenitentiam te adducit? secundum duritiem autem tuam et cor impoenitens thesaurizas tibi iram in die irae.* Et vere ita agimus, ut dicit Apostolus. Deus enim nos vocat ad poenitentiam, sed nos thesaurizamus iram. Deus nos invitat ad veniam, sed nos quotidie cumulamus offensam. Vim Deo facimus iniquitatibus nostris, ipsi in nos iram divinitatis armamus. Cogimus ad ulciscendas criminum nostrorum immanitates nolentem Deum. Prope est ut eum non permittamus ut parcat. Nam cum in eum nullum umquam iniustitiae signum cadere aut apparere possit, sic agimus ut si enormitates nostrorum scelerum non ulciscitur, iniustus esse videatur ».

CXXX.

Neque tantum flagellis, sed ipsis quoque temporariis beneficiis eodem spectat Deus, nostramque semper salutem habet propositam. « Nobis licet indignis, addit (3) Salvianus, interdum tribuuntur bona: quia bonus Dominus, quasi indulgentissimus pater, etsi nos nonnumquam sinit pro peccatis nostris humiliari, non diu tamen patitur adfligi; et

(1) De gubernat. Dei, lib. V. §. IX. p. 31.

(2) Tom. II. 4—5.

(3) De gurbenat. Dei, lib. VI. §. XVI. p. 39.

ideo nunc asperis rebus castigat suos pro disciplina, nunc tranquillis favet pro indulgentia. Sicut enim optimi ac peritissimi medici dissimilibus morbis curas dispares praestant, atque aliis per dulcia medicamina, aliis per amara succurrunt, et quosdam curant cauteriorum adustione, quosdam malagmatum placabilitate, aliis adhibent duram ferri prosectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem; et tamen diversissimis licet curis eadem salus quaeritur: ita etiam Deus noster, si quando nos plagis austerioribus coercet, quasi cauteriis ac sectionibus curat; quando autem rebus prosperis refovet, quasi oleo ac malagmatibus consolatur. Per diversam enim medicaminum opem ad unam nos vult perducere sanitatem ».

Quum enim (1) pergit « sint omnia ditionis sacrae, et nutus Dei omnia moderetur; quidquid malorum quotidie poenarumque perferimus, censura est divinae manus: quam utique censuram nos inardescere facimus et peccatis nostris iugiter commovemus: nos caelestis irae ignem accendimus, et excitamus incendia quibus ardeamus. Ut recte utique, quoties mala ista perferimus, etiam ad nos dici illud propheticum (2) possit: *ite in flammam ignis quam accendistis*: Ac per hoc, iuxta sententiam (3) sacram, ipse sibi parat peccator quisque quod patitur. Nihil est itaque quod calamitatibus nostris Deo imputare possimus. Nos calamitatum nostrarum auctores sumus. Deus enim pius est ac misericors, et qui, ut (4) scriptum est, neminem vult perire vel laedere. Nos ergo adversum nos omnia facimus. Nihil itaque, nihil est in nos crudelius nobis: nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus. Sed videlicet adversum me ipsum dicere videor, qui cum superius dixerim ob peccata nostra nos puniri a Deo, nunc dicam nos puniri a nobis ipsis. Utrumque verum est. A Deo quippe punimur; sed ipsi facimus ut puniamur. Cum autem punire nos ipsi facimus,

(1) De gubernat. Dei, lib. VIII. §. I. p. 49.
(2) Is. L. 11.
(3) Ps. VII.
(4) I. Tim. II. 4.

cui dubium est quin ipsi nos nostris criminibus puniamus? quia quicumque dat caussam qua puniatur, ipse se punit, secundum (1) illud: *funibus peccatorum suorum unusquique constringitur.* Ergo si funibus peccatorum suorum perversi homines alligantur, ipse se absque dubio alligat peccator quisque, cum peccat ».

CXXXI.

Quae quum ita sint, operae pretium arbitror singulatim exquirere, quaenam postulari merito possint, ut I. salutifera Dei voluntas universalis credatur: ac ut II. humani generis status non antea lapsus et perditus quam erectus reparatusque existimetur. Utroque enim capite, uti par est, definito, tractatio quam prae manibus habemus, nova lucis accessione splendidius enitescet.

Iamvero ut a primo ordiar, nemo nisi errando neget, voluntatem Dei salutiferam merito universalem censeri, si *a*) ea tantum pateat, quantum insita Dei clementia ac benignitas patet; haec autem *b*) neminem praetereat, neminem suis beneficiis non ornet, et ad salutis assequutionem promoveat. Vel enim indicia ista sunt, quae universalem illius amplitudinem demonstrant; vel omnia desunt indicia, signaque omnia, e quibus eiusdem universalitas deprehendi possit. Porro gallicani patres uno ore confirmant, *a*) voluntatem salutiferam ex insita Dei benignitate clementiaque prodire, nec *b*) aliis contineri finibus quam qui universalem prorsus infinitamque Dei benignitatem et clementiam circumscribunt. Testantur ergo universalitatem inter eas eminere dotes, quibus salutifera Dei voluntas commendatur ac refulget.

Ex hac autem illius dote nullo plane negotio colligitur, quid de eo iudicari oporteat, quod altero nobis loco exquirendum proposuimus: cuiusmodi nimirum censeri status debeat, in quo Adae posteritas, humanumque genus versatur. Iudicari namque omnino debet, statum hunc esse ex sese quidem lapsum ac perditum, sed ex Dei misericordia

(1) Prov. V. 22.

erectum ac reparatum. Quemadmodum enim lapsus ac pernicies cum Adami praevaricatione cohaeret; ita reparatio ac medicina ab universali salutifera voluntate divelli separarique non potest. Quod gallicani patres eo sententiarum pondere, eaque verborum perspicuitate unanimes tradunt, ut validius nihil, nihilque evidentius in votis esse debeat.

Tradunt enim misericordi ac salutifera voluntate incitatum permotumque Deum decrevisse, ut *a*) iacentem profligatamque hominum naturam Unigenitus assumeret, assumptamque e duplici servitute peccati mortisque eximeret. Ita vero *b*) ex utraque servitute illam eximeret, ut in duplicem vicissim libertatem assereret: ac in libertatem primum iustitiae, qua Adae posteris facultas esset instaurandae divinae similitudinis, quam prodegerant: in libertatem deinde vitae, qua possent ad incorruptionem, beatamque immortalitatem contendere. Eum propterea ordinem *c*) divinitus fuisse selectum, in quo originalis praevaricatio iis obesset tantum, qui praesidia reparationis negligerent. Quo sane ea redeunt, quae Phoebadius, quae Hilarius, Salvianus, Sidonius, Valerianus, Avitus, Sedulius et Caesarius arelatensis docent, Scripturaeque testimoniis, ductisque ex ipsamet divina natura argumentis confirmant. Atqui talia haec sunt, quae aut omni funditus sensu vacant, aut hanc certissime doctrinam referunt: utramque mortem et corporis et animae, quam sibi hominum genus infelicissima praevaricatione conscivit, divina intercedente misericordia, fuisse per Christum reparatam, hominesque propterea eo in statu versari, qui status reparationis ac salutis dici credique debeat.

CXXXII.

Fuit igitur, cur gallicani antistites, qui praeside Caesario (1) arelatensi, anno Christi DXXIX. ad arausicanam secundam synodum Bonifacii suffragio (2) munitam conve-

(1) De quo egregia scribit Gennadius, cap. LXXXVI.

(2) Huius confirmationis inter alios meminit Cyprianus diaconus in priore libro vitae s. Caesarii.

nerunt, initio quidem (1) definirent: » Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod (2) accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere ». Tum vero continuo (3) subderent: » Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus ». Haec enim sive plurium, sive pauciorum, sive etiam unius divina ad malum tam culpae quam poenae praedestinatio vehementissime abhorret quum *a*) ab universali salutifera Dei voluntate, et ab ordine universalis per Christum reparationis, tum *b*) ab ea lege, quam sibi Deus in infligendis poenis sanctissime custodiendam praescripsit.

Si enim de poenis sempiternis sermo sit, hanc sibi Deus tulit legem, ut tanta poenae atrocitate mulctaret neminem, qui sibi ignem protracta ad extremum usque impoenitentia non succenderit. Qua de re Alcimus Avitus respondens Gundobaldo regi, sic (4) habet: » Poenitentiam, quam proprie (5)

(1) Concil. aransic. II. can. XXV. col. 717. T. VIII. Concil. edit. Florent. 1762.

(2) Al. *post acceptam baptismi gratiam*, vel, *sed acceptam baptismi gratiam.*

(3) Ibid. coll. 717—718.

(4) Epist. IV. p. 711. apud Gallandium, T. X.

(5) Gallandius his verbis hanc subiicit animadversionem. » Momentaneam Faustus quoque appellarat, Paulinus subitam. *Percunctator,* inquit, *accedo. Sum peccatis carnalibus involutus, omnia quaecumque potest criminosus exerceo: cum diem humanae sortis implevero, poenitentiam subitam sum consecutus: si excludat pro parte peccatum, an ad integrum, opto cognoscere.* Hanc Faustus inutilem esse respondit. Quod falso dici docet Avitus, et ante Avitum in eadem Galliae provincia docuerat Gennadius massiliensis ecclesiasticorum dogmatum cap. XLVIII. *Poenitentia,* inquit, *aboleri peccata indubitanter credimus, etiamsi in ultimo vitae spiritu admissorum poeniteat, et publica lamentatione peccata prodantur: quia propositum Dei quo decrevit salvare quod perierat, stat immobile. Et ideo quia voluntas eius non mutatur, sive emendatione vitae, si tempus conceditur, sive supplici confessione, si continuo vita exceditur, venia peccatorum fideliter praesumitur ab illo qui non*

momentaneam nominastis, idest in aegritudine quasi sub momento mortis acceptam, nihil aut nulli prodesse, adversa veritati et admodum cruda definitio est. Apud divinam quippe misericordiam vel ipsa humilitas confitentis dici non debet fructu carere. Quia cum legimus, quod qualitate vitae anterioris abolita, quia plerumque contingit et peccare iustos, et resipiscere peccatores, in ea quis via iudicetur qua obitus sui tempore fuerit deprehensus, incunctanter credenda est vel ipsa correctionis voluntas placere, si vera sit. Sed totum apud caelestem clementiam fidei qualitate pensatur. Unde et inter illos operarios quos (1) in evangelio legitis esse conductos pro devotionis ardore, mercedem prioribus exaequatam etiam qui tardius venerant sortiuntur. Sicut et ninivitarum brevissima poenitudo, omnem indulgentiae summam triduo fervente mercata, gladium peccatricis urbis cervicibus imminentem, quem iam ictui destinato per manum Ionae prophetae (2) dies statuta vibraverat, repagulo consonae satisfactionis obtudit. Contradicant autem exemplis huiusmodi, quos verius reddit appetita superbia turgidos, quam conscientia illibata securos ». Quibus consentanea tradit (3) arelatensis Caesarius, dum multiplices explanans poenitentiae modos, ait: « Secundus modus est, ut etiam si aliquis, quamdiu vixerit, non solum parva sed forte etiam capitalia committat peccata, et tamen mala ipsa ignoranter quasi spe poenitentiae agat, nec ideo animam suam ad peccata relaxat, ut ad illam subitaneam poenitentiam se reservet, et in transitu suo cum grandi humilitate et cordis contritione, rugitu vel gemitu ipsam poenitentiam petat, et hoc definitissime in corde suo deliberet ut si evaserit, quamdiu vixerit, toto corde et totis viribus fructuosam poenitentiam agat, et quidquid se male tulisse cognoscit, ad inte-

vult mortem peccatoris, sed ut convertatur a perditione poenitendo, et salvatus miseratione Domini vivat. Si quis aliter de iustissima Dei pietate sentit, non christianus sed novatianus est ».

(1) Matth. XX. 9.

(2) Ionae III. 10.

(3) Homil. II. p. 4. apud Gallandium T. XI.

grum reddat, ut secundum illud propheticum rapinam restituat, et omnibus inimicis suis toto corde indulgeat, et de substantia sua unam portionem Christo et sibi cum filiis suis faciat, et in ipsa infirmitate sua quantum potest largas eleemosynas erogare praecipiat; si haec fideliter humili et contrito corde implere voluerit, et possumus et debemus credere quod ei Dominus omnia dignetur peccata dimittere, secundum (1) illud propheticum : *peccator in quacumque die conversus fuerit, omnes iniquitates eius oblivioni tradentur.* Et illud: *in quacumque die conversus ingemueris, salvus eris* ».

Sin vero, quod erat alterum distributionis membrum, de iis sermo sit poenis, quae temporariae nuncupantur; his quidem suae iustitiae consulit Deus, latisque a se legibus prospicit, sed propositam ex aequo habet eorum quos punit emendationem ac salutem. Quoties enim, uti gallicani patres affirmant, temporariis in nos poenis animadvertit, toties amantissimi instar patris ac peritissimi medici de nostra salute solliciti, castigat ut corrigat, increpat ut excitet, ac urit ut aeternum beet.

CXXXIII.

De qua sincera ac in omnium prorsus hominum salutem propensissima Dei voluntate praeteriri tandem silentio non debent, quae Galliarum praesules occasione erroris a Lucido presbytero disseminati solemni iudicio (2) significa-

(1) Ezech. XXXIII. 12—16.

(2) Hoc iudicium latum fuit in Synodo arelatensi, anno Christi CDLXXV., Simplicio Romano Pontifice, et Eurico Vesogothorum in Gallia rege. De hac Synodo Philippus Labbeus sic habet T. VII. col. 1012. edit. Florentiae 1762: « Iacobus Usserius Armacanus in Hibernia calvinistarum antistes cap. XIII. libri, quem anno MDCXXXIX. de britannicarum ecclesiarum antiquitatibus vulgavit, eiusque seduli exscriptores ianseniani nostri parisienses in apologia iansenianarum haereseon anno MDCXLIII. vulgata concilium hoc arelatense, geminasque Fausti reiensis episcopi ac Lucidi presbyteri epistolas criminari sunt aggressi. Verum infelici plane successu, ut per otium disces ex libris de haeresi ianseniana ab apostolica sede merito proscripta, quos r. p. Stephanus Dechamps bituricus cum maxima catholicorum omnium approbatione, anno MDCLIV.

runt. Quum enim ipsi, ac (1) nominatim Auxanius, Faustus, Paulus, Eutropius, Pragmatius, Patiens, Euphronius, Megethius, Claudius, Leucadius et Iulianus epistolam Fausti ad Lucidum sua auctoritate firmarint, relectamque sua subscriptione munierint; nihil evidentius quam communem ex ea sententiam rite colligi atque constitui. In ea porro ex ordine (2) anathema dicitur *a) illi qui per Dei praescientiam in mortem deprimi hominem dixerit: illi b) qui dixerit, illum qui perit, non accepisse ut salvus esse posset, idest, de baptizato, vel de illius aetatis pagano, qui credere potuit et noluit: illi c) qui dixerit, quod vas contumeliae non possit assurgere, ut sit vas in honorem:* ac item *illi d) qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.*

Tum omnium nomine (3) subditur: « Nos autem per illuminationem Christi veraciter et confidenter asserimus, et eum qui perit per culpam, salvum esse potuisse per gratiam, si gratiae ipsi famuli laboris obedientiam non negasset: et eum qui per gratiam ad bonae consummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desidiam, et perire potuisse per culpam ». Quae illico (4) his confirmantur: « Gravem namque in auctorem retorquemus invidiam, si dicamus quod ei possibilitatem capessendae saluti noluerit dare qui petiit, ei dumtaxat, qui capere iam possit arbitrii libertatem: cum minime negare possimus; quod mandati praevari-

publici iuris fecit. Consule sis cum libri I. disputationis VII. cap. VII., tum libri II. disputationis itidem VII. caput primum, ubi omnia heterodoxorum illorum adversus orthodoxos tractatores argumenta fracta prorsus ac contrita deprehendes ». Ac fracta itidem contritaque deprehendes apud Dionysium Petavium, de Incarnat. lib. XIII. cap. VII.

(1) Eo quod nomen Leontii, qui arelatensi Synodo praefuit, hisce in litteris desideretur, suspicatur Norisius Hist. Pelag. lib. II. » hanc undecim episcoporum subscriptionem non spectare ed Synodum arelatensem, sed peractam fuisse in quodam privato eorumdem pro dedicanda basilica, vel alio quopiam congressu ». Cf. Pagium ad annum Christi CCCCXC. n. 14.

(2) Epist. Fausti ad Lucidum, coll. 1008—1009. T. VII. Concil.

(3) Ibid. col. 1009.

(4) Ibidem.

catorem in iudicii sui examinatione damnabit. Qui enim non est obnoxius de suscepto, nescio quomodo eius possit esse de perdito. Ac sic peccantes in Deum, cuius in primis incautius asseruimus gratiam, in postremis eius videbimur impugnare iustitiam ». Sic igitur comparatus credi debet providentiae ordo, quo hominum genus administratur et regitur: ut *a*) misericordia subveniente, nemini qui rationis, quique libertatis sit compos, *possibilitas capessendae salutis* denegetur, qua possibilitate fiat ut qui per culpam periit, idem potuerit salvari per gratiam: deinde vero *b*) ut distribuente iustitia nemo condemnetur, qui sua culpa non id abiecerit, quod ad salutem consequendam accomodatum divinitus acceperit.

Quae quidem Lucidus et probavit, et ceu totidem necessarias veritates professus est, sive quum (1) post omnes episcopos datis a Fausto litteris subscripsit, sive quum (2) in libello supplici, quem obtulit *Dominis beatissimis et in Christo reverentissimis patribus Leontio, Euphronio, Fonteio, Viventio, Mamerto, Patienti, Veriano* (3), *Auxanio, Fausto, Paulo, Megethio, Graeco, Eutropio, Leontio, Claudio, Marcello, Croco, Basilio, Claudio, Ursino, Praetextato, Pragmatio, Theoplasto, Leocadio, Viventio, Iuliano, Amicali, Ioanni, Opilioni et Licinio episcopis*, aperte damnavit: *a*) *qui dicit, quod praescientia Dei hominem violenter compellat ad mortem, vel quod cum Dei pereant* voluntate qui pereunt: b) *qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam praedestinatos:* c) *qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primamDei gratiam, idest, per legem naturae, in adventum Christi fuisse salvatos:* et d) *qui dicit quod Christus et Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit.* Ista namque omnia, pergit (4), *quasi impia et sacrilegiis repleta condemno.* » Ita autem assero gratiam Dei, ut annisum hominis et conatum gratiae semper adiungam, et libertatem voluntatis humanae non extinctam, sed attenuatam et infirmatam

(1) Ibid. col. 1010.

(2) Ibidem.

(3) Al. Veranio.

(4) Ibid. coll. 1010---1011.

esse pronunciem: et periclitari eum qui salvus est, et eum qui periit, potuisse salvari. Christum etiam Deum et Salvatorem nostrum, quantum pertinet ad divitias bonitatis suae, pretium mortis pro omnibus obtulisse: et quia nullum perire velit, qui est Salvator omnium, maxime fidelium, dives in omnibus qui invocant illum. Et quia in tantis rebus conscientiae satisfaciendum, memini me ante dixisse, quod Christus pro his tantum, quos credituros praescivit, advenisset, sententias dominicas sequens, quibus ait sic: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam redemptionem dare pro multis:* et illud: *hic est calix sanguinis mei novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum:* vel illud Apostoli: *sicut semel statutum est hominibus mori, ita et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Nunc vero sacrorum testimoniorum auctoritate, quae abunde per spatia divinarum inveniuntur scripturarum, ex seniorum doctrina ratione patefacta, libens fateor Christum etiam pro perditis advenisse, quia eodem nolente perierunt. Neque enim fas est circa eos solum qui videntur esse salvati, immensae divitias bonitatis ac beneficia divina concludi. Nam si Christum his tantum remedia attulisse dicimus, qui redempti sunt, videbimur, absolvere non redemptos, quos pro redemptione contempta constat esse puniendos. Assero etiam, per rationem et ordinem saeculorum alios lege gratiae, alios lege Moysis, alios lege naturae, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos: tamen ex initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione sacri sanguinis non absolutos ».

CXXXIV.

In controversia itaque sane maxima de ordine, deque salutis οἰκονομίᾳ distinctione opus est, ne in transversum abrepti ab eo quod verum est, quodque divinitus revelatum excidamus. Ac distingui initio debet *caussa princeps* salutis ab eiusdem *caussa secunda et obnoxia*: tum vero distingui *effectus* debent, qui *proprii* sunt caussae principis quique *ex con-*

centu utriusque caussae principis et obnoxiae expectari debent.

Etenim *a*) princeps salutis caussa ipsa est benevola ac misericors Dei in Christo et per Christum voluntas: caussa autem *b*) subiugis ac secunda eorum libera electione continetur, qui salute potiuntur.

Porro *c*) caussa princeps ex sese 1) universalis est quum tempore, tum eorum quos complectictur numero: universalis est tempore, quia aetate prorsus nulla homines neglexit: est autem universalis eorum ad quos porrigitur amplitudine, quia neminem umquam praeteriit. Neque universalis solum est, verum etiam 2) efficax et fecunda, utpote quae semper ac omnibus possibilitatem consequendae salutis impertierit, ac ita impertierit, ut qui sua culpa, contemptaque redemptione perierunt, iidem cooperatione cum gratia salvari et potuerint et ex insito Dei beneplacito prorsus debuerint.

Tales quum sint effectus, qui sua sponte ex principe salutis caussa proficiscuntur, et ab humanis studiis curisque nullatenus dependent; effectus contra *d*) salutis, quae actu reque ipsa obtineatur, ex concentu atque harmonia utriusque caussae tam principis quam subiugis expectetur oportet. Constituit namque Deus, 1) sic omnibus *misericordia* adesse, ut salutem consequi omnes possint, si velint: at ex aequo 2) constituit, *iustitia sua* iis dumtaxat coronam salutis rependere, qui suos conatus, suamque industriam praevenienti gratiae subiunxerint.

Quocirca aliud plane est interrogare, quousque pateat *ordo ac possibilitas salutis*, *quantusve* sit *eorum numerus, qui salvantur*. Ordo enim ac salutis possibilitas *e*) respondet amplitudini divinae misericordiae, ab una pendet caussa principe, atque adeo est penitus universalis. Numerus autem *f*) eorum qui salvantur, respondet distribuenti iustitiae, ac ita pendet a caussa principe ut a cooperatione pariter secundae obnoxiaeque caussae dependeat.

Quare 1) ordo salutis credi debet simpliciter universalis: ac 2) universalis item credi simpliciter debet reparatio: nullatenus vero 3) ex eorum qui salvantur numero fas est extensionem ordinis salutaris, amplitudinemque reparationis dimetiri.

CXXXV.

Cum his autem ea fuit conspiratio doctrinae, quam Italiae praesules scriptoresque professi sunt, ut Galliae Italiaeque fides ad eamdem expressa normam iure merito videatur. Sane ab aetate apostolica ad seculum usque sextum, ne unum quidem reperire licet italum doctorem, cuius non ista fuerit constans fides, rataque sententia: I. Deum esse natura substantiaque sua bonum ac benevolum, nulloque verius quam clementissimi patris nomine compellandum: II. congenita sibi clementia nemini caussam esse mortis ac ruinae: immo III. non antea in homines severitate iustitiaque animadvertere, quam se in illos pium misericordemque demonstrarit: ipsam propterea IV. severitatem iustitiamque, quamdiu homines mortalem vitam degunt, sic ab eo temperari, ut utraque *medicina* satius quam *poena* censeri debeat, ac fructus potius voluntatis quae amat opemque suggerit, quam voluntatis quae irascitur iraque saevit: huic misericordi voluntati V. tribui consilium propositumque oportere, quo ad adventum usque Christi poenitentiam gentium expectavit, quo novissimis temporibus Unigenitum suum in hunc mundum misit, et quo decrevit, ut qui Deus erat super omnia benedictus in secula, sibique ὁμοούσιος, idem homo fieret ac nobiscum natura cognatus, servilem indueret formam, ac in ea factus obediens usque ad mortem, crucis passionem subiret, divinumque sanguinem profunderet: illumque VI. profunderet, ut omnibus mederetur, mundum lavaret, omnes e tenebris eximeret, ad Dei regnum revocaret, illata damna sarciret, ac novus Adam potestatem assequendae salutis culpa ac scelere prioris amissam restitueret: quo VII fieret, ut quotquot pereunt, non ideo in tantam perniciem offendant, quod vitare illam nequiverint, sed quod luci praetulerint tenebras, vitamque morti posthabuerint.

Quae sane omnia ut eo ordine, quo proposui, expoliam atque confirmem, primum omnium in medium adducam Ambrosium, cuius eximias laudes celebrarunt (1), Basilius,

(1) Epist. LV. ad ipsum Ambrosium data.

Hieronymus (1), Rufinus (2), Augustinus (3), Paulinus (4), Cassianus (5), Prosper (6), Theodoritus (7), Idacius (8), Vigilius tapsensis (9), Gelasius (10), Marcellinus (11), Gregorius (12), Cassiodorius (13), et (14) Isidorus, quique ad verba (15) psalmi, *bonus es Domine, et in bonitate tua doce me iustitias tuas*, scribit (16) : « Proprium Dei est ut bonus sit. Denique in evangelio (17) habes , quia *arbor bona fructus bonos facit*. Fructus eius angeli sunt : fructus eius homines sunt , hoc est , rationabiles , sancti , si Domini praecepta custodiunt ; fructus eius sunt ii qui nascuntur in terris : fructus eius sunt virtutes hominum. Merito ergo arbor bona bonos fructus facit ». Cuius congenitae infinitaeque bonitatis et illud argumentum est, subdit Ambrosius, quod (18) nobis *permiserit* Deus *ut patrem vocemus, cuius servum esse virtutis est*, quodque *ex clementia* (19) qua omnes prosequitur, sibi *Dei nomen appellationemque* in primis vindicavit.

(1) Ad Eustochium epist. XXII, cap. X, apolog. adver. Iovinianum , et apolog. I. cap. I. adversus Rufinum.

(2) In Hieronymum, invectiva II.

(3) Confess. lib. V. cap. XIII., lib. VI. capp. I—III--VIII. , de gratia Christi, cap. XLII., et con. Iulianum, lib. I. cap. III.

(4) Epist. ad Alypium , quae est apud Augustinum epist. XXIV, al. XXXV.

(5) De incarnat. lib. VII.

(6) In Chron. Coss. Grat. V. Theod. I.

(7) Polymorphi dialog. I.

(8) In Chron. Grat. III. et Equit. Coss.

(9) Con. Eutychem, lib. III.

(10) Ad dardanos epist. XIII.

(11) In Chron. Coss. Arcad. IV. et Honor. III.

(12) Praefat. comment. in Ezechielem.

(13) De divinis lectt. cap. XX.

(14) De officiis ecclesiast. lib. II. cap. XXV.

(15) Ps. CXVIII. 68.

(16) Exposit. in Ps. CXVIII. n. 15. coll. 1083—1084. opp. T. I. edit. Paris. 1686.

(17) Matth. VII. 17.

(18) De benedictionibus patriarcharum , cap. IV. n. 17. col 518. opp. T. I.

(19) De Noe et Arca, cap. XIII. n. 47. col. 246. opp. T. I.

Consentit (1) Hieronymus, verbaque (2) Pauli, *benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus, in Christo*, commentario (3) explanans, inquit: « Quomodo secundum substantiam atque naturam Deus bonus, nos communione sui effecit bonos, et loquitur (4) ad Israel, *sancti estote, quoniam ego sanctus sum:* ita ipse benedictus nos praestet esse benedictos ». Alibi (5) vero: « Deus, scribit, natura misericors est, et paratus ut salvet clementia, quos non potest salvare iustitia: nos autem vitio nostro paratam misericordiam, et ultro se offerentem perdimus et relinquimus. Et non (6) dixit, *qui faciunt vanitates* (vanitas quippe vanitatum, et omnia vanitas), ne damnare videretur universos, cuncto generi humano misericordiam denegare; sed *qui custodiunt vanitates*, sive mendacium, qui transierunt in affectum cordis: qui non solum faciunt, sed ita custodiunt vanitates, quasi diligant, et thesaurum invenisse se putent. Simulque cerne magnanimitatem prophetae, in profundo maris, in ventre tantae bestiae aeterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum, generali sententia philosophatur.

(1) Quem italis doctoribus propterea cennumero, quod diu Romae fuerit, ac inter illustriora Urbis decora merito censeatur. De eo in carmine de ingratis Prosper cecinit:

» Tunc etiam Bethlei praeclari nominis hospes,
» Hebraeo simul et Graio, Latioque venustus
» Eloquio, morum exemplar, mundique magister,
» Hieronymus libris valde excellentibus hostem
» Dissecuit, noscique dedit, quo turbine veram
» Vellent exortae lucem obscurare tenebrae.

(2) Ephes I. 3.

(3) Comm. in epist. ad Ephes. lib. I. cap I. col. 546. opp. T: VII. edit. Veronae 1737.

(4) Levit. XX. 7., Deut XI—XVIII.

(5) Comm. in Ionam, cap. II. col. 413. opp. T. VI.

(6) Ionae II. 9. *qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquent.* Victorius ad normam Vulgati edidit, *derelinquunt*, cui lectioni in commentario Hieronymus suffragatur.

Misericordiam, inquit, *suam derelinquent.* Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum: *misericors enim* (1) *et miserator Dominus, patiens et multae miserationis*: tamen eos qui custodiunt vanitates, non relinquit, non detestatur, sed expectat ut redeant: illi vero stantem misericordiam et ultro se offerentem sponte propria *derelinquunt* ». Qua imagine perculsus (2) Hieronymus, exclamat: *o quanta clementia Dei*! ipsum vero Deum non alio libentius titulo (3) insignit, quam *medici sapientissimi et clementissimi.*

Quare Chromatius aquileiensis praesul Hieronymo aeque ac (4) Ambrosio, Iohanni Chrysostomo, Heliodoro ac Rufino amicitiae foedere coniunctissimus, orandi modum a Christo praescriptum (5) expendens, ait: « Hanc itaque orandi formam Dominus discipulis suis ad spem salutis humanae constituit, dicendo; *Pater* (6) *noster, qui in caelis es.* Quanta Domini circa nos dilectio! qnanta misericordia eius et pietas, quae nobis tantae gratiae munus indulsit, ut licenter Dominum ac Deum nostrum, servi *Patrem* dicere audeamus! quo vocabulo non iam tantum servos, sed etiam filios nos Dei esse demonstrat. Et cum ad gratiam satis superque sufficeret, ut vel servi dici tantummodo mereremur, in tantum caritas Dei exabundavit, ut non solum servi, sed et filii Dei per adoptionem vocemur ».

CXXXVI.

Quemadmodum enim si Deus secum ipse comparetur, quod primum mentem animumque occupat, est ratio του

(1) Ps. CXLIV. 8.

(2) Comm. in Osee. lib. I. cap. II, col. 26. opp. T. VI.

(3) Comm. in Abacuc, lib I. cap. I. col. 591. opp. T. VI.

(4) Confer quae de Chromatio litteris consignarunt Baronius ad annum 388. n. 84.: Fontaninius Hist. litt. aquil. lib. III. cap. III., et Bernardus de Rubeis, Monum. ecceles. aquil. cap. X.

(5) In s. Matthaei evang. Tract. XIII. §.I. p. 347. apud Gallandium, T. VIII.

(6) Matth. VI, 9.

ὀντος, qua ipse est (1) crediturque ὁ ὢν : ita si ad ea quae effecta productaque sunt, referatur, quod primum succurrit, est ratio της ἀγαθοτητος *bonitatis*, qua et sibi bonus est, ceterisque beneficus. Hinc *patris* nomen, quod ipsi una omnium consensione tribuitur; hinc quod (2) Synesius affirmat: «Bonum Deum praedicant omnes ubivis terrarum populi tam sapientes, quam imperiti, idque universi mutuo consensu atque una voce profitentur: licet, quod ad alia pertinet, variis de Deo sententiis discrepent, et incorruptam eius atque individuam naturam opinionum diversitate partiantur». Atque hinc (3) Philonis, Pseudo-Dionysii (4) et (5) Iohannis Damasceni praeclara sententia: princeps Dei nomen comparate ad creaturas esse *τἀγαθον, οὐ τι ἀγαθον ἀλλ' ἁπλως ἀγαθον, ipsummet bonum, non bonum certi generis, sed absolute bonum,* proindeque *Deum esse ἀγαθοτητος του αἰτιου ὀνομα, nomen bonitatis principii.*

Haec autem *bonitas* si prae perditis depravatisque hominibus consideretur, novam veluti faciem praefert, ac vim naturamque induit *misericordiae*, qua Deus dextram lapsis porrigit, aegris medicinam offert, deviosque reducit. Sed omnes ne reducit, vel sunt contra quos aspernatur et abiicit? omnibus ne medetur, vel sunt contra quos neglectos deserit? non ego meis, sed eorum respondebo verbis, qui fidem professionemque italicarum ecclesiarum suis operibus consignarunt. Hos itaque si audimus, talis fuit catholicae Italiae persuasio ac sententia: «Deum omnibus esse benevolum, plenam esse terram misericordia eius, nemini esse mortis caussam, omnes redimere, omnes salvare, illosque etiam qui fugiunt prope venari, omnium adire animos, omniumque mentes, ni repellatur, subire, sua in omnes beneficia erogare, ac ita velle omnium salutem, ut non prius obsequatur irae ac iustitiae, quam clementiae bonitatisque partes omnes expleverit».

(1) Exod. III. 14.
(2) Orat. de regno, p. 9.
(3) Allegoriarum lib. II.
(4) De div. nominibus, cap. IV.
(5) De fide orthod. lib. I. cap. XII.

CXXXVII.

Et re sane vera divitias expendens divinae bonitatis Ambrosius inter cetera (1) scribit: « Accipe aliud, *quam bonus*, inquit (2), *Deus Israel rectis corde*! non ergo omnibus bonus est Deus ? ille quidem omnibus bonus est, quia Salvator est omnium , maxime fidelium : et ideo venit Dominus Iesus, ut salvum faceret quod perierat: venit enim ut peccatum mundi tolleret, vulnera nostra curaret. Sed quia non omnes medicinam expetunt , sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis ulceris, ideo volentes curat, non adstringit invitos. Accipiunt igitur sanitatem qui medicinam expetunt: illi autem qui refutant medicum nec requirunt, bonitatem medici quam non experiuntur, sentire non possunt. Qui autem curatur, etiam sanatur; ideoque his bonus est medicus, quos sanavit. His igitur bonus est Deus, quibus peccata donavit: qui autem insanabile peccatum habet mentis suae ulcere, quomodo potest medicum bonum aestimare, quem refugit ? pulcre itaque Apostolus , ut praemisimus , explanavit (3), quia et omnibus bonus est Deus, *qui vult omnes homines salvos fieri*; et maxime fidelibus divinae bonitatis praerogativa servatur , quibus et voluntas Dei opitulatur et gratia ». Quae tamen praerogativa non impedit, quominus propheta (4) verissime dixerit: *misericordiae tuae, Domine, plena est terra , iustificationes tuas doce me.* Etenim Ambrosio (5) interprete : « Plena est terra misericordiae Domini , quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes sol oriri iubetur. Et hic quidem sol quotidie super omnes oritur. Mysticus autem sol ille iustitiae omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, et omnibus resurrexit: ideo autem passus est ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem

(1) De interpellatione David, lib. IV. cap. II. n. 4. coll. 663--664. opp. T. I.

(2) Ps. LXXII. 1.

(3) I. Tim. II. 4.

(4) Ps. CXVIII. 64.

(5) Exposit. in Ps. CXVIII. n. 57. col. 1077. Opp. T. I.

non credit in Christum, *generali beneficio* ipso se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore eius se ipse fraudavit: sed quod solis est, praerogativam suam servat: quod imprudentis est, *communis* a se *gratiam lucis* excludit. Super omnes pluvia est, et hoc divinae misericordiae deputatur; quia pluit super iustos et iniustos ».

Ne qui vero calviniana aut ianseniana infecti lue haec ausint a legitima significatione detorquere, et quae de universali deque actuosa quum pretii tum gratiae oblatione dicuntur, ad universalem ac ex sese infinitum valorem redigere; duo maxime efficiunt, quorum alterum ipsa verborum potestate ac totius orationis serie ductuque continetur, alterum autem iis constat, quae illico (1) Ambrosius subtexit, inquiens: « Fortasse dicas, qua ratione non dictum est, misericordiae Domini plenum est caelum? quia sunt etiam spiritales nequitiae in caelestibus: sed non illae (2) ad commune ius indulgentiae Dei, remissionemque pertinent peccatorum, quibus ignis servatur aeternus: et illa quae caelestium vel potestatum vel ministeriorum sunt, licet auxilio Domini fulciantur; tamen non tanta eius indigent misericordia, quanta ea quae sunt inferiora atque terrena; non enim illa carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra ». Audin spiritales nequitias reiectas exclusasque a remissione peccatorum, eisdemque negatum commune ius indulgentiae, quod hominibus universis impenditur? audin immane discrimen, quo ad reparationem quod spectat, spiritales nequitiae ab hominibus seiunguntur? atqui fallacia haec essent ac omnino praepostera, si valore ex sese oblationis inspecto, nulla eorum fructuum, qui ex eo dimanant, ratio haberetur.

(1) Ibid. n. 58. coi. 1077.

(2) Al. *ad communem eius indulgentiam, remissionemque pertinent peccatorum.*

CXXXVIII.

Quam in primis habendam esse declarat (1) Ambrosius, quum ad verba (2) psalmi, *miserationes tuae multae nimis, Domine*, scribit: « Etsi longe est a peccatoribus salus, tamen nemo desperet, quia multae sunt misericordiae Domini. Qui enim suo peccato pereunt, misericordia Domini liberantur. *Miserebor*, inquit (3), *cui misertus ero*. Palam apparuit non quaerentibus, vocavit refugientes, congregavit ignaros, pro omnibus se obtulit passioni. Num ergo multum misericors? misericordia enim hominis in proximum suum: misericordia Domini *in omnem carnem;* ut *omnis caro* ad Dominum adscenderet, illa Domini miseratione donata ».

Cuius misericordiae incredibilem benignitatem multo etiam illustrius (4) explanat, quum collatis simul (5) testimonis, *quia non repellet Dominus plebem suam*, et *nunc autem repulisti et confudisti nos*, pergit: « Cum sit Deus appropinquans, non elonginquans, sicut habet (6) scriptura veteris testamenti; utique qui appropiat, non repellit. Est enim misericordiae divinae, ut nulli causa sit mortis, et omnes putet esse redimendos. Sed vide ne ille repellatur, qui se elongat a Domino, sicut dicit (7) David: *quoniam ecce qui se elongant a te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te*. Quid est, abs te fornicantur? quia turpitudinis suae ludibriis te relinquunt, et a te recedunt, et a praeceptis tuis devii sunt. Denique alibi (8) habes scriptum: *adulteros autem iudicat Deus* disperdens eos a se. Repulisti ergo, hoc est, alienando abs te perdidisti eos. Ergo qui se a Domino separat, ipse a Domino separatur: et qui non cognoscit Dominum, a Domino non cognoscitur: et qui ignorat, ignoratur,

(1) Exposit. in Ps. CXVIII. n. 29. coll. 1229-1230. opp. T. I.
(2) Ps. CXVIII. 156.
(3) Exod. XXXIII. 19.
(4) Enarrat. in Ps. XLIII. n. 25. col. 898. opp. T. I.
(5) Ps. XCIII. 14. coll. Ps. XLIII. 10.
(6) Hierem. XXIII. 23.
(7) Ps. LXXII. 27.
(8) Hebr. XIII. 4.

sicut ipse Dominus (1) dixit: *discedite a me omnes operarii iniquitatis, nescio vos.* Non enim scire dignatur iniustitiae ministros et iniquitatis auctores. Peccator ergo non repellitur; quia ipse se repellit. Hoc igitur genere (2) dicit: *nunc autem repulisti et confudisti nos* ».

Tantum vero abest, ut Deus alicui sit caussa mortis, vel a se quemquam repellat, ut inquirens (3) Ambrosius in vim sententiamque verborum Dei (4) ad proto-parentem, *Adam ubi es*? principio scribit: « Utique quasi absentem requirit, neque enim diceret, *ubi es*, si eum in se manere cognosceret ». Tum e vestigio subdit: «Sed quis eum absentem fecerit, audiamus. *Absconderunt se*, inquit (5), *ambo a facie Domini.* Omnes videt Christus: sed qui se abscondit, absconditur; quoniam qui ignorat, ignoratur. Cognoscit enim eos Dominus, qui sunt ipsius. Ille *omnes* suos vult esse, *quos condidit et creavit.* Utinam, tu homo, non fugias, et te ipse a Christo non abscondas. Ille etiam fugientes requirit, et absconditos non vult perire; sed clamat dicens: *Adam ubi es*? hoc est, homo ubi es? ego te in lumine posui, tu tenebras requisisti ».

Inter divinas namque dotes nulla ea splendidius refulget, qua (6) *Deus dicitur appropians, non repulsor appropinquantium.* « Omnibus enim vult salutis causa esse, non mortis. Denique neminem repellit, nisi qui se ab eius conspectu putaverit sequestrandum». Hoc enim (7) pacto « caelestis servatur praerogativa clementiae; quia nullum repellit, sed quicumque noluerint peccata propria confiteri, ipsi discedunt a Domino Deo nostro ».

Quod nisi discesserint, illis semper benignus aderit. Etenim, inquit (8) Ambrosius: « Quum de sole dubitare ne-

(1) Matth. VII. 23.
(2) Ps. XLIII. 10.
(3) Enarrat. in Ps. XXXIX. n. 20. col. 865. opp. T. I.
(4) Gen. III. 9.
(5) Gen. III. 8.
(6) De interpellat. David, lib. IV. cap. XI. n. 29. col. 672. opp. T. I.
(7) Exposit. in Ps. CXVIII. n. 31. col. 1167. opp. T. I.
(8) Ibd. coll. 1219--1220.

queamus, quod procedente die toto orbe radios diffundat suos, et omnibus lumen infundat, quem etiam illi qui videre non possunt, sentiunt tamen aeris ipsius fotu esse praesentem: ubi enim deest calor illius? quo radii eius non perveniunt, cum discussis noctis aut nubium tenebris, illuminat terras? in caelo fulget, in mari rutilat, fervet in terris. De sole ergo cum dubitare nequeamus, quod ubique resplendeat: de Deo dubitabimus, quod ubique fulgeat splendor gloriae eius, et imago substantiae? quid non penetrat Verbum Dei, splendor aeternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quae non potest iste sol penetrare? . . . . . Penetrat ergo animam, et quasi candor aeternae lucis illustrat. Sed quamvis diffuse per omnes, et in omnes, et supra omnes potestates sit; quia omnibus ortus ex Virgine est et bonis et malis, (sicut et solem suum oriri iubet super bonos et malos) illum tamen fovet qui appropinquat sibi. Sicut enim a se fulgorem solis excludit, qui fenestras domus suae clauserit, locumque tenebrosum, in quo diversetur, elegerit: ita qui se averterit a sole iustitiae, non potest splendorem eius adspicere: in tenebris ambulat, et in omnium luce ipse sibi causa est caecitatis. Tuas igitur illi aperi fenestras, ut tota domus tua veri fulgore solis illuceat: aperi oculos tuos, ut videas orientem tibi solem iustitiae . . . . . Numquid si quis ostia domus suae claudat, solis est culpa quod non illuminet domum eius? ergo si quis peccatorum suorum repagulis obserandam mentem propriam iudicaverit et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiae caecitatem; causari poterit quod sol iustitiae noluerit intrare, aut infirmitatem luminis caelestis arguere? pulsat ianuam tuam Dei Verbum. *Si quis mihi aperuerit*, inquit, (1) *intrabo*. Si quis ergo non aperuerit, numquid non ingredientis, et non magis non aperientis est culpa »?

CXXXIX.

Quibus Ambrosii testimoniis in summam redactis effi-

(1) Apoc. III. 20.

citur, ita comparatum esse Deum, ut neminem repellat, abiiciat neminem, ac nemini prorsus caussa sit perditionis et mortis. Immo et alterum efficitur, omnibus sua sponte Deum adesse, omnium subire mentes, animosque pervadere, ac omnibus potestatem facere, qua et peccatorum veniam et salutis consequutionem nanciscantur. Vult enim omnes salvari, neminem vult perire, ac omnes propterea universali actuosaque benevolentia prosequitur. Neque idicirco aut omnes salvantur, aut nemo perit. Ut enim ipsa obtineatur salus, extremaque pernicies evitetur, duo plane neccessaria sunt: facultas inprimis, qua vinci malum possit, ac id quod rectum sanctumque est, praestari: liberum deinde studium, quo accepta facultas, uti par est, adhibeatur.

Atqui copia quidem ac facultas vincendi mali, honestique sectandi omnibus suppetit, nemini deest; sol enim iustitiae omnes illuminat, omnesque calefacit: sed plures sibi desunt, oculos luci obstruunt, ac pulsantem vocantemque repellunt. Ratio igitur cur plures pereant, in voluntate sita est, sed hominum, non Dei: hominum, inquam, qui acceptis beneficiis abutuntur: non autem Dei, qui nihil reliquum facit, ut omnium se patrem, piumque servatorem demonstret. Punit utique Deus, irascitur, damnat; sed quum bonus sit omnibus, in eos dumtaxat animadvertit, qui bonitati repugnant. Sic vero in eos, quamdiu praesentem vitam vivunt, animadvertit, ut inflictis poenis illorum sibi propositam salutem habeat, non ruinam. « Semper Deus bonus est, inquit (1) Ambrosius, ideoque et Paulus (2) ait: *vide ergo bonitatem et severitatem Dei*; bonitas enim *in omnes* est, severitas *in paucos*. Denique subdit (3) idem Apostolus: *in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem.* Si enim non cecidissent, utique uterentur et ipsi bonitate Dei. Nam et tibi ideo bonus est, quia permanes: quod si non permanseris in bonitate, et tu excideris. Non ergo Deus propterea bonus esse desistit, quia tu lapsus es, et indiges

(1) Exposit. in Ps. CXVIII. n. 7. col. 1081. opp. T. I.
(2) Rom. II. 22.
(3) Rom. II. 22.

severitate. Siquidem et *severitas* Dei *in bonitatem* recurrit; ut unusquisque castigatus pedem referat a peccatis, et ad virtutum tramitem, bonamque conversationem recurrat. Denique docet de illis qui ceciderunt (1) Apostolus: *quia si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potens enim est Deus iterum inserere illos*; ut quemadmodum deserta virgulta, ita et homines velut caudicibus quibusdam virtutis inserti, bonorum fructus possint ferre meritorum. Accuses necesse est medicum crudelitatis, quia putrefactas vulnerum fibras ferro putaverit exsecandas; quia noxia et serpentia ulcera igni adusserit, ne virus in ulteriora proserperet: vel quia magister discipulum verberaverit negligentem, ut metu verberum induceret diligentiam. Castigare enim amantis est, non exsecrantis; et ideo bonitatis est, non crudelitatis. Recte ergo et Dominus ubique est bonus, et cum remittit flagitia, et cum peccata castigat. *Castigat* (2) *enim Dominus quem diligit* ».

CXL.

Iamvero si Deus in praesenti vita nonnisi diligendo castigat, suumque amorem poenis ipsis manifestat; erunt ne qui ambigant, utrum quotquot sumus homines in ordine versemur reparationis ac salutis? in ordine quem benevolentia delegerit, cui praesit pietas, et quem misericordia administret? nemo prorsus erit, cui sana sit mens, quique fide dignum habeat Paulinum nolanum antistitem, cuius eximias praeclarasque dotes (3) Ausonius, Prudentius (4), Hieronymus (5), Ambrosius (6), Augustinus (7), Sulpicius Seve-

(1) Ibid. v. 23.
(2) Hebr. XII. 6.
(3) Epistt. XX--XXI--XXIII—XXIV. XXV. ad Paulinum.
(4) Con. Symmachum, lib. I.
(5) Epistt. XIII—CIII. ad Paulinum, et epist. XXXIV. ad Iulianum.
(6) Epist. XXX. al. XXXVI. ad Sabinum.
(7) In pluribus ad Paulinum litteris, de civ. Dei, lib. I. cap. X, et lib. de cura pro mortuis gerenda ad eumdem scripto.

rus (1), Eucherius (2) Sidonius Apollinaris (3), Gennadius (4) et Cassiodorius (5) effusis laudibus celebrarunt.

Eo namque (6) auctore « Christus omnibus (7) dicit, *venite ad me onerati et laborantes, et invenietis requiem animabus vestris. Omnem* enim, quantum in ipso est, *hominem* (8) *salvum fieri vult*, qui fecit omnes. Nam et idcirco descendit ad nos, ut ad illum ascenderemus; ideo conformatus est corpori carnis nostrae, quae peccato serviebat, ut nos conformaret corpori carnis suae, quae peccatum non fecit, ut vere *ad originalem gloriam reformemur*, si divinam similitudinem Christi imitatione capiamus. Nam in Adamo solam nobis imaginem (9) remansisse, ipsa, quae opificium divinae manus narrat, Genesis (10) ostendit: in qua similitudo cum imagine Dei, in ipso adhuc hominis faciendi molimine nominatur: sed capite subsequenti, quo iam factus homo tantum ad imaginem Deí scribitur, similitudinem quasi peccaturo fuisse subtractam indicat profecto futuri praescientia; ut reservaretur hominibus in Christo, qui per obedientiam pietatis suae reconciliavit Patri *mundum*, quem inconciliaverat (11) primi parentis inobedientia. Et ideo similitudinem Dei, quam servus in cupiditatem dominicae aequalitatis clarus amiserat, ipse (12) Dominus in formam servi exinanitus recepit: et homo qui in superbia sua (13) per

(1) Vita s. Martini capp. XXI—XXVI.

(2) Epist. paraenetic. ad Valerianum.

(3) Epistt. lib. IV. epist. III., et Carm. IX.

(4) De scriptt. ecclesiat. cap. XLVIII.

(5) Institutt. div. scriptt. lib. I, cap. XXI.

(6) Epist. XXIV. ad Severum, col. 153. edit. Veronae 1736.

(7) Matth. XI. 28.

(8) I. Tim. II. 4.

(9) Tradit Paulinus doctrinam multis omnino patribus communem, qua et *imago a similitudine* distinguitur, et haec Adae crimine perdita, illa superstes affirmatur.

(10) Gen. I. 26. col. II. 7.

(11) II. Cor. V. 19. coll. Rom. V. 19.

(12) Philipp. II. 7.

(13) Gen. III. 6.

fraudem zabuli ceciderat, in humiliatione Domini altissimi, prostrato zabulo, per fidem ipsius in Domini humilitate resurrexit ».

Cuius divinae liberalitatis vim atque copiam denuo (1) explanans, inquit: « Patent thesauri bonorum illius, et divitiae bonitatis eius in promptu sunt, ut unusquisque non exspectet accipere, sed ultro sibi rapiat quantum velit. In hoc enim nos fecit bonus Dominus et Pater sanctus, ut nostro bono essemus boni. Nam (2) quo ille indigeret extrinsecus bono, qui totus ipse quantus est, bonitas et beatitudo est? ob hoc, quantum in ipso est, *omnem* (3) *hominem vult salvum fieri*, quia in omni homine opus suum diligit; et impense tibi largus est de suis opibus, si tu tibi ipse non sis invidus et avarus de iis quae Deus tua fecit, non ut causa tibi ad mortem, sed ut pretium ad vitam forent. O abundantia bonitatis Dei! vult foenerari ex iis, quae ipse largitus est: cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram », Commemoratis vero eximiis (4) beneficiis « quibus Deus semper ita spem nostram fovet, ut sollicitudinem non relaxet; ita infirmae carni consulit, ut spiritus promptus esse non desinat » subdit (5): « velle Deum ut haec eadem pietatis suae munera *toto mundo* agantur ».

CXLI.

Quae quidem omnia si mente animoque reputentur, perspicuum erit: I. eam a Paulino probari divinam voluntatem, quae *prima ac antecedens* nuncupari solet. Illius enim toties meminit, illamque toties probavit, quoties hanc formulam repetit: *Deum, quantum in ipso est, omnem hominem velle salvum fieri*. Perspicuum deinde erit II duplicem ab ipso praecipuam insignioremque dotem huic primae et an-

(1) Serm. XXXVI. de gazophylacio, n. 6. coll. 215—216.
(2) Ps. XV. 2.
(3) I. Tim. II. 4.
(4) Epist. XLIX. ad Macarium, n. 6. col. 280.
(5) Ibid. n. 7. col. 281.

tecedenti voluntati adscribi, *amplitudinem* nimirum *universalem, insitamque efficaciam*, e qua media praesidiaque sponte defluunt, quibus hominum generi illata damna reparentur, copiaque fiat obtinendae beatitatis. Ac illi sane III. Paulinus adscribit amplitudinem universalem, sive quum *a*) tradit, Deum, quantum in ipso est, *omnium hominum* ambire salutem: sive quum *b*) illi *totum* obiectum *mundum* testatur: sive quum *c*) illius originem reserat, neque aliam ab eo amore esse docet, quo Deus omnium *pater* creditur, et quo *in omni homine opus suum diligit*. Tum IV. illi ex aequo adscribit multiplicem efficaciam, qua factum est, *ut Unigenitus ad nos descenderet*, nostrasque infirmitates susciperet *ut nos ad illum ascenderemus, et ad originalem gloriam reformaremur*. Idcirco autem V. Paulino auctore, neque omnes ad Deum ascendunt, neque ad originalem gloriam omnes reformantur, quia *a*) licet Deus nobis *largus sit de suis opibus*; *nos tamen nobis ipsis sumus invidi et avari de iis, quae ipse nostra fecit*: et quia *b*) statutae ab ipso legi refragamur, qua voluit, *ut ipsum nobis debitorem donorum suorum libera cooperatione efficeremus*.

A quibus ea minime dissident, quae Hieronymus semel iterumque confirmat. Expendens namque divina apud Ezechielem (1) verba, *numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a vis suis, et vivat*, scribit (2): « Ergo Domini voluntatis est, omnes salvos (3) fieri, et ad notitiam veritatis venire. Ubiquumque autem Dei videtur severa el truculenta sententia, non homines sed peccata condemnat ». De hac autem benevola Dei voluntate simillima tradit, quum utroque (4) verborum apud Oseam praestituto sensu, tam litterali (5), quam iuxta ἀναγωγήν, pergit (6): « Iuxta tropologiam istud erui, velle Deum et haereticos salvari, et ecclesiasticos peccatores, *et omnes*

(1) Ezech. XVIII. 23.
(2) Comm. in Ezech. lib. VI. cap. XVIII. col. 215. opp. T. V.
(3) I. Tim. II. 4.
(4) Osee. XI. 12.
(5) Comm. in Osee, lib. III. cap. XI. coll. 132—133. opp. T. VI.
(6) Ibid. col. 133.

suo vocabulo nuncupari ». Si enim, alibi (1) ait « gentibus pepercit, quae legi eius credere noluerunt, et qui superflui et reliqui de populo sunt relicti, iniquitates suas eis noluit imputare, nec in testimonium iusti supplicii eorum intulit iram suam; quid faciet de grege suo, qui pascitur in medio Carmeli et in Basanitide et in Galaad ? volens enim misericordiam est, et revertens miserebitur nostri, et gravia peccata nostra, et iniquitates quae sedent super (2) talentum plumbi, ipse portabit, et demerget in mare, et parere non faciet. Dabit veritatem Iacob, et misericordiam Abraham: ut supplantatori populo et novello et semper in lucta posito, reddat in Christo veritatem suam, et multitudini gentium (*Abraham* quippe vocatur *pater multarum gentium*) tribuat misericordiam, sicut iuravit eis, qui patres extiterunt fidei nostrae secundum dies antiquos: *quod de tota hominum multitudine alios salvet in veritate, alios in misericordia* ». Nemo enim facultate adipiscendae salutis privatur, nisi qui ea semetipsum privarit.

Quod in commentario ad ista (3) Pauli verba, *in quo et sorte vocati sumus, praedestinati secundum propositum eius qui universa operatur secundum consilium voluntatis suae*, praeclare Hieronymus (4) edicit, scribens: « Verbum *haereditatis* et *sortis*, per quas in Christi partem venimus, ostendit nos de alia potestate ad aliam transmigrasse: et secundum illud quod in Deuteronomio (5) scriptum est, *quando dividebat Altissimus gentes, quum disseminaret filios Adam*, de angelorum ditione ad partem Domini esse translatos. Et illi quidem aliena, et sibi vel commissa vel usurpata tenuerunt. Iste vero (6) recepit sua, et ascendens in altum captivam duxit captivitatem, idest, eos qui ante capti fuerant in perditionem, ipse cepit ad vitam, ut reduceret in excelsum:

(1) Comm. in Michaeam, lib. II. cap. VII. coll. 530—531. opp. T. VI.

(2) Zach. V.

(3) Ephes. I. 11.

(4) Comm. in epist. ad Ephes. lib. I. cap. I. coll. 557—558. opp. T. VII.

(5) Deuter. XXIII. 8.

(6) Ps. LXVII.

et quodammodo est capta captivitas dum per secundam captivitatem qui prius capti fuerant, liberantur. Considerandum quod et hic προορισμος et προθεσις, idest, *praedestinatio* et *propositum* simul posita sint, iuxta quae operatur omnia Deus secundum consilium voluntatis suae. Non quo omnia quae in mundo fiant, Dei voluntate et consilio peragantur: alioquin et mala Deo poterunt imputari; sed quo universa quae facit, consilio faciat et voluntate, quod scilicet et ratione plena sint et potestate facientis. Nos homines pleraque volumus facere consilio : sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullus resistere potest, quin omnia, quae voluerit, faciat. Vult antem ea quaecumque sunt plena rationis atque consilii, *vult* (1) *salvari omnes, et in agnitionem veritatis venire.* Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, ut quum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium ».

CXLII.

Voluntas igitur salutifera non est *uniusmodi* sed *duplex*, *pro duplici* qui ex ea pendet *effectu*, proque *duplici veluti termino* quem respicit. Neque enim integrum est dubitare, quin duo sint qui ex ea pendent effectus ac duo sint termini, ad quos eadem refertur. Inprimis enim ex ea pendet *reparati ordinis institutio*, qua cum apta nexaque sunt media universa, quae ad consequendam reparationem necessasaria sunt ac sufficiunt. Ex ea deinde pendet ipsa collatio praemii, quo ultimus idemque praestantissimus reparati ordinis fructus continetur. Quare duplicem quoqne terminum salutifera voluntas propositum habet, e quibus unus priori effectui respondet, complectiturque quum reparati ordinis institutionem, tum praeparationem sempiternam ac temporariam eorum beneficiorum erogationem, sine quibus obtineri salus non potest, et cum quibus certissime potest. Alter ve-

(1) I. Tim. II. 4.

ro terminus ita posteriori effectui respondet, ut salutis consequutione, immortalisque coronae praemio absolvatur.

Iamvero quod ad priorem effectum, prioremque terminum spectat, salutifera voluntas est *a*) caussa princeps et adaequata, itemque *b*) caussa universalis, e qua suam ex aequo ducunt originem et reparatio universalis, et universalia beneficia, quibus hominum generi facultas adipiscendae beatitatis confertur.

Ad posteriorem vero effectum, posterioremque terminum quod attinet, salutifera voluntas est quidem *a*) caussa princeps, sed *b*) pariter non est caussa unica et adaequata. Quum enim *c*) quaecumque vult Deus, *ea velit plena rationis atque consilii*; idcirco vult *ut nullus absque propria voluntate salvetur*, ac *vult nos*, ipso praeeunte, *bonum velle*, *ut quum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consilium.* Eiusmodi propterea voluntas *d*) conditione affecta est et cum libera hominum cooperatione eo usque conserta, ut suo privetur effectu, nisi caussa subiugis cum principe ac suprema amice conspiret. Usuvenit autem *e*) ut homines, quin praeeuntem sequantur Deum, ab eo longissime discedant, neque discedant solum, sed in miserrimo divortio ad extremum usque rebelles perseverent. Quo dum se crimine *f*) obstringunt, ipsi sibi mortem creant, ac ipsi sibi caussa sunt, ne salutaris divini consilii fructum capiant.

Ad Deum enim quod pertinet, omnibus ipse dulcis est ac suavis: et si quando in praesenti hac mortalitate homines punit, eo spectat, ut minis saltem poenisque eos servet, quos mollire sibique adiungere benefactis non potuit. Cuius doctrinae non uno in loco testis ac locuples auctor est Hieronymus. Auctor illius est, ubi (1) occassione alexandrinae interpretationis ait: « Porro quod LXX. transtulerunt, *irritantes me*, sive (2) *in amaritudinem convertentes*, illud significat, quod Deus benignus et dulcis natura nostris vitiis mutetur in amaritudinem. Sicut enim sanctis (3) dicitur, *gus-*

(1) Comm. in Ezech. lib. I. cap. II. col. 24. opp. T. V.

(2) Ex originali hebraico textu vertit Hieronymus *quae* (gentes apostatrices) *recesserunt a me.*

(3) Ps. XXXIII. 9.

tate et videte, quoniam suavis est Dominus; sic peccatores eum amarum sentiunt. Unde et Apostolus (1) bonitatem et severitatem Dei super sanctos et peccatores refert. Et de peccatoribus qui iacebant, scriptum (2) est: *Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos, Dominus solvit compeditos.* Sanctis vero stantibus praemia pollicetur ». Auctor eiusdem est, ubi (3) de Deo loquens, scribit: « Quod autem (4) dicit, *non parcet oculus meus super te, et non miserebor,* quasi clementissimus medicus incidere cupiens putridas carnes, et cariosa vulnera adurere cauterio, non parcit *ut parcat:* non miseretur *ut magis misereatur*; ne quid putridum vivasque carnes sui vicinia corrupturum, remaneat in corpore. *Percutit* (5) *autem Dominus quem diligit, et castigat omnem filium quem recipit.* Cuius intelligentiae illud (6) est, *ego percutiam, et ego sanabo.* Omnis enim medicina ad tempus habet amaritudinem; sed postea fructus doloris sanitate monstratur». Perstat in eadem sententia Hieronymus, et verba enarrans (7) alexandrinae versionis, scribit: «In eo autem quod ipsi (8) similiter transtulerunt, *floruit virga,* illo testimonio (9) uti possumus: *ne auferas virgam a filio tuo.* Et (10) Apostolus: *quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis?* sed et Deus ore psalmistae (11) resonat: *visitabo in virga iniquitates eorum, et in flagellis peccata eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eis.* Ideo ergo Dominus visitat et percutit, ut oriatur et pateat omnis superbia, quae diu latebat inclusa; et suscitetur iniuria contra ortam et germinantem superbiam, conteraturque for-

(1) Rom. II.
(2) Ps. CXLV. 8.
(3) Comm. in Ezech. lib. II. cap. VII. col. 64.
(4) Ezech. VII. 4.
(5) Hebr. XII. 6.
(6) Deuter. XXXII. 39.
(7) Comm. in Ezech. lib. II. cap. VII. col. 68.
(8) Nam et ipse Hieronymus ex habraeo fonte reddit, *floruit virga.*
(9) Prov. XIII. 13.
(10) I. Cor. IV. 21.
(11) Ps. LXXXVIII. 33—34.

titudo iniqui, non cum perturbatione, neque cum festinatione. *Finis* enim florentis virgae, *sanitas* est atque *correctio,* quae non eorum merito venit qui corripiuntur, nec pulcritudine quam in se non habent, *sed misericordia* Domini ».

CXLIIII.

Cuius. proprium istud esse, ut etiam quum saevit, amet, nostramque, quamdiu vivimus, salutem requirat, confirmare (1) pergit Hieronymus ubi Dei apud Ezechielem verba (2) sic explanat: « Ne putetis cogitationes vestras quibus contra me blasphematis posse compleri; dicitis enim, nolumus esse sub Domino, nec populum illius appellari: sed sicut cunctae in toto orbe sunt nationes, et unaquaeque gens suo vivit arbitrio, ut colat ligna et lapides et idolis serviat, etiam nos una gens erimus e pluribus. Ad quae respondet Deus, iuratque per semetipsum et dicit: non vos relinquam neque contemnam, ut fugaces servos domini negligentes solent contemnere; sed ad meum retraham imperium, et brachio extento ac percutiente ac furore effuso in pristinam vos redigam servitutem, et regnabo super vos: ut velitis nolitis, me habeatis regem, et sentiatis regem iratum, *cuius clementiam neglexistis* ». Quae tamen sibi non parcit, neque ullas omittit partes, quibus hominum pervicaciam edomet ac vincat. Consequentibus enim Dei (3) verbis, hunc Hieronymus (4) commentarium subiicit: « Nec vos, ait, patior esse in gentibus, nec aeterna captivitate retineri; sed educam de populis, et congregabo de terris in quas vos ad serviendum

(1) Comm. in Ezech. lib. VI. cap. XX. col. 235.

(2) Quae talia sunt, Ezech. XX. 32--33: « Neque cogitatio mentis vestrae fiet, dicentium, erimus sicut gentes, et sicut cognationes terrae, ut colamus ligna et lapides. Vivo ego, dicit Dominus Deus, quoniam in manu forti, et in brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos ».

(3) Haec ita se habent Ezech. XX. 34: « Et educam vos de populis, et congregabo vos de terris in quibus dispersi estis: in manu valida et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos ».

(4) Ibidem col. 235.

hostilis necessitas huc illucque dispersit. Haec autem faciam, non ut perdam vos et deleam, *sed ut rex vester sim. Ex quo intelligimus etiam eam quam appellant haeretici Creatoris crudelitatem, sonare clementiam: dum ad hoc irascitur et desaevit et totum effundit furorem, ut retrahat eos ad regnum suum, qui daemonum tyrannidem ad serviendum elegerunt* ». Nihil enim verius, quam quod de Deo Hieronymus (1) testatur:» Non parcit ut parcat, crudelis est ut misereatur, nec considerat patientis dolorem, sed vulneris sanitatem, iuxta illud (2) evangelicum, magis volens unum perire membrum quam totum corpus interfici ».

Cui misericordi oeconomiae illud etiam tribui debet, quod relatis Amosi (3) verbis, *non faciet Dominus Deus verbum*, *nisi revelaverit secretum suum*, sive *correptionem suam servis suis prophetis*, Hieronymus (4) subdit: « Non quo omnia Deus revelet prophetis, quae in caelo faciat, vel ante iam fecerit; sed quae facturus in terris sit. Revelavit Noe (5) servo suo quod esset inducturus diluvium. Revelavit (6) Abraham et Lot servis suis quod arsurus esset Sodomam et Gomorrham, Adamam et Seboim. Revelavit (7) Joseph interpretationem somnii septem annorum famis in Aegypto, et (8) Jonae prophetae subversionem Ninivae: *ut* qui audirent ventura supplicia, *aut agerent poenitentiam et tormenta vitarent*, *aut contemnentes iustius punirentur.* Ita et nunc Dominus revelat per Amos servum suum et prophetam, quid facturus sit decem tribubus, ut si fuerint ad meliora conversae, et idola deseruerint, de imminenti periculo liberentur. *Et nota quod clemens et benignus Deus semper futura praenuntiat*, *ne cogatur inferre supplicia.* Et quod haeretici calumniantur in Creatore, quasi severo et truculento, cru-

(1) Comm. in Ezech. lib. VII. cap. XXIV. col. 276.
(2) Matth. V.
(3) Amos. III.
(4) Comm. in Amos, lib. I. cap. III. coll. 255—256. opp. T. VI.
(5) Gen. VI.
(6) Gen. XVIII.
(7) Gen. XLI.
(8) Jonae III.

deli et tantum iudice, eo quod nullum sit malum in civitate quod ille non faciat: *hoc nos referimus ad magnitudinem misericordiae, quod non inferat poenas, nisi ante praedixerit. Qui autem praedicit, non vult punire peccantes* ».

CXLIV.

Ita ne vero Deus non vult punire peccantes? at illos reipsa punit, ac profecto *volens, non nolens* punit. Quo igitur pacto dicitur *non velle* punire peccantes? quod scilicet *a*) non antea suum exerceat rigorem, quam *misericordiae magnitudine* obiectis intentatisque minis sategerit, ne peccantes in iustitiae severitatem offenderent. Quod *b*) tum etiam quum severitati obsequitur, peccantesque in praesenti vita punit, inflictis poenis salutem potius quam ultionem quaerat. Quod *c*) in illos non ex sese, suaque sponte irascitur, sed peccatorum atrocitate veluti coactus. In illos namque irascitur, poenisque *ea voluntate* animadvertit, quae *extrinseca cietur caussa*, quaeque idcirco *voluntas secunda et consequens* nuncupatur.

Voluntate siquidem prima, quaeque ex insita bonitate suam ducit originem, Deus nemini irascitur, omnes amat, eaque, uti Hieronymus (1) scribit « Creator omnium, non solum Judae et Israel, sed universarum gentium habet curam, et iuxta (2) Apostolum, ii qui sine lege peccaverunt, pereunt sine lege, et qui in lege commisere delicta, lege Domini iudicantur ». Dominus (3) enim « aequaliter cunctos homines respicit, et universas tribus Israel . . . . Quia Dominus et gentium fidem et Circumcisionis perfidiam absque acceptione ulla respicit personarum, et est aequaliter omnium Deus: aliis sententiae suae grave pondus imponens, et in aliorum sede requiescens ». Quod multo docet illustrius, quum hac sibi proposita (4) indagine, *quaeritur itaque quo-*

(1) Comm. in Amos, lib. I. cap. II. col. 240. opp. T. VI.
(2) Rom. II.
(3) Comm. in Zachariam, lib. II. cap. IX. col. 857. opp. T. VI.
(4) Comm. in epist. ad Ephesios, lib. I. cap. I. col. 554.

modo nobis Deus in (1) *omni sapientia et prudentia notum fecerit mysterium voluntatis suae*, his omnino verbis (2) respondet: « Et quidem primum simpliciter accipiendum, *quod mysterium voluntatis eius redemptio nostra sit per sanguinem Filii ipsius, et remissio peccatorum secundum divitias gratiae eius*, qua (3) abundavit in nobis ».

De hoc mysterio divinae voluntatis gemina prorsus sunt, quae in commentario ad dominicam orationem Chromatius (4) habet, scribens: « Dehinc ait, *fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.* Par quoque et heic intelligentiae ratio est. Non enim quisquam est qui obsistere et contradicere Deo possit, ne quod velit, faciat; cum voluntate eius et in caelo et in terra cuncta consistant: sed ut in nobis voluntas eius fiat, oramus. Voluntas autem Dei est, ut toto corde ei credentes, haec quae fieri praecipit, impleamus. De qua voluntate Dei Apostolus (5) testatur, dicens: *voluntas Dei est sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a carnalibus concupiscentiis.* De quo et Dominus in evangelio (6) loquutus est, dicens: *haec est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eo, habeat vitam aeternam.* Cum ergo dicimus, *fiat* (7) *voluntas tua sicut in caelo et in terra*, hoc oramus, idest, ut sicuti Dei voluntas ab angelis fideliter custoditur in caelis, ita quoque a nobis religiosa ac fideli devotione dignationis auxilium postulandum est ».

Eidem divinae voluntatis mysterio tribuendum est « quod, teste (8) Paulino mediolanensi, tamdiu Deus Pater gentes ad poenitentiam expectaverit, quousque per Filii sui adventum ad cognitionem suam ab idololatriae cultura eos revocaret ». Neque ad aliud caput revocare licet innumera



(1) Quae sunt verba Pauli, Ephes. I. 9.

(2) Ibidem col. 555.

(3) Al. *quae.*

(4) Tract. XIII. n. IV. p. 348. apud Gallandium, T. VIII.

(5) I. Thess. IV. 3.

(6) Joh. VI. 40.

(7) Matth. VI. 10.

(8) De benedictionibus patriarcharum, cap. III. n. 5. p. 36. apud Gallandium, T. IX.

tam naturalia quam supernaturalia beneficia, quibus Deus humanam familiam numquam non auxit, quaeque Zeno veronensis, egregius quarti seculi doctor, et laudibus (1) Ambrosii, Gregorii (2), Anonymi Pipiniani (3) ac (4) Ratherii insignis, his verbis (5) complexus est: « Nunc ergo videamus, unde vera caritas veniat, ubinam consistat, cui vel maxime debeatur. Utique illi, qui hominem fecit, qui ei munus perpetuae caritatis similitudinem suam tradidit, qui orbem terrae donavit, qui omnia elementa mundi cum animantibus suis eius potestati subiecit, qui ei annos, tempora, menses, noctes, dies, clarissimosque duos regalium orbium currus munerifero semper vicissitudinis delectamento servire praecepit, qui eum supradicti amoris male dulcibus venenis occisum, infernaeque sedi submersum, maiestatis suae (6) sacramento vivificatum, insuper regni caelestis participatione ditavit. O caritas, quam pia et quam opulenta! o quam potens! nihil habet qui te non habet. Tu Deum in hominem demutare (7) valuisti. Tu eum breviatum, paulisper ab maiestatis suae immensitate peregrinari fecisti. Tu virginali carceri novem mensibus religasti. Tu Evam in Mariam redintegrasti. Tu Adam in Christo renovasti. Tu sacram crucem in salutem, perdito iam mundo, providisti. Tu mortem Deum mori docendo vacuasti. Tuum est, quod cum occiditur ab hominibus Deus omnipotentis Dei filius, nullus irascitur de duobus . . . Tu

(1) Epist. V. ad Syagrium episcopum veronensem, n. 1.

(2) Dialog. lib. III. cap. XIX.

(3) In rhytmo de Veronae laudibus.

(4) De contemtu canonum. Part. I. p. 952. T. I. Spicilegii Acheriani, et in Synodica ad presbyteros, p. 377.

(5) Lib. I. Tract. II. §. IX. pagg. 24—25. edit. Veronae 1739.

(6) Quemadmodum patribus perinde est sive *sacramentum* sive *mysterium* dicere; ita solemne eisdem est Unigeniti incarnationem tam sacramenti quam mysterii nomine insignire. Qua in re Paulum habuerunt praeeuntem, I. Tim. III. 16.

(7) Licet haec specie tenus eutychiana videantur, sunt tamen apud Zenonem orthodoxa, qui nihil iis significatum aliud voluit quam Dei Filium vere hominem esse factum. Ratum namque illi erat, ut ex libri II. tractatu VIII. n. 2, et tractatu IX. n. 2. intelligimus, Unigenitum Dei filium *salvo, quod erat, meditatum esse quod non erat.*

diversos homines moribus, aetatibus, ditione, ex una natura unum spiritum, unum efficis corpus. Tu martyres gloriosos a confessione christiani nominis nullis tormentis, nulla novitate mortis, nullis praemiis, nullis amicitiis, nullis affectibus, omni sane tortore pietatis mordacitate peioribus, separari permittis. Tu, ut nudum vestias, nuda esse contenta es. Tibi fames saginatio est. Si panem tuum inops esuriens manducaverit, tuus census est, totum in misericordiam habere quod habes. Tu sola rogari non nosti. Tu oppressos vel cum dispendio tui incunctanter eripis in qualibet angustia constitutos. Tu caecorum oculus. Tu pes claudorum. Tu scutum fidelissimum viduarum. Tu melior pupillorum, plus quam uterque, parens. Tibi oculos numquam siccos esse aut misericordia permittit aut gaudium. Tu tuos ita diligis inimicos, ut inter eos carosque tibi quid distet, nemo discernat. Tu, inquam, caelestia humanis, humana caelestibus iungis arcana. Tu divina custodis, Tu in Patre (1) imperas. Tu tibi in Filio (2) obtemperas. Tu in Spiritu-sancto exsultas. Tu cum in tribus una sis, nullo pacto divideris, nulla humanae curiositatis calumnia commoveris. A paterno fonte in Filio (3) tota refunderis, nec recedis. Recte Deus diceris, quia (4) Trinitatis potentiam sola convertis ».

(1) Catholicus sensus, quo Pater *imperare* ac Filius *obtemperare* dicitur, habetur apud Zenonem lib. III. tractt. I—VI.

(2) Eatenus Pater sibi imperanti obtemperare in Filio dicitur, quatenus Joh. XIV. 10. quae Filius facit, eadem et Pater operatur.

(3) Legerem libentius *in Filium*, collatis iis quae habentur lib. II. tract. XVI.

(4) « Hic locus, scribunt Ballerinii fratres, corruptus, ut videtur, et obscurus. Deum quidem a potentia actu operatrice appellari, patet ex aliquot patrum sententiis, quas videsis apud Dionysium Petavium T. I. de theologicis dogmatibus lib. VIII. cap. VIII. Quid autem caritas Deus dicatur ratione potentiae, quam *sola* caritas *convertit*, non plane intelligas, nisi explices sic: nimirum solam caritatem, qua Deus se et nos diligit, effecisse ut is sese foras communicaturus, potentiam in mundi creatione exerceret, ut scilicet ii essent, in quibus divinae perfectiones elucescerent, quosque suae bonitatis participes faceret ».

CXLV.

Qua Zenonis uberrima vehementique oratione edocemur: 1) benevolam Dei voluntatem, quam ipse *caritatem* nominat, tam esse *opulentam* quam *potentem.* Ac esse sane 2) opulentam, quum *a*) innumera sint, quae ex ea defluunt beneficia, illaque ad utrumque ordinem naturalem supernaturalemque spectantia; et quum *b*) nemo sit hominum, quem suis beneficiis ipse non augeat, auctumque ad salutem promoveat. Esse deinde 3) potentem, quia *Deum in hominem demutare valuit*, quia *Deum breviatum paulisper ab maiestatis suae immensitate peregrinari fecit*, quia *virginali carceri novem mensibus illum religavit*, quia *Evam in Mariam redintegravit*, quia Adam in Christo renovavit, et quia *sacram crucem in salutem perdito iam mundo providit.* Tanta quum sit 4) et opulentia et potentia divinae caritatis, praeterea edocemur, quotquot sumus homines in eo omnes statu versari, qui status et *οἰκονομια* quum *reparationis tum spei* dici credique debeat.

Ac necessarium profecto fuit, ut *primo omnium spes nobis proponeretur futurorum*, *sine qua nec praesentia quidem ipsa stare posse perspicimus.* Etenim, subdit (1) Zeno: « Tolle spem, torpet humanitas tota. Tolle spem, artes virtutesque universae cessabunt. Tolle spem, et interempta sunt omnia. Quid facit ad litteratorem puer, si litterarum non sperat fructum? quid ratem profundo gurgiti nauta committit, si ei numquam lucrum, numquam portus desideratus occurrit? quid miles, non dicam horridae hiemis aut torridae aestatis iniurias, sed seipsum contemnit, si gloriae spem futurae non gerit? quid agricola semina spargit, si sudoris sui praemium non colligit messem? quid christianus credit in Christum, si promissum sibi ab eo perpetuae felicitatis tempus non credit esse venturum »?

Quare ne humanae vitae rationes funditus subverterentur, ipsaque torperet humanitas; omnibus spem fecit Deus sempiternae beatitatis, suamque in omnes benevolam mise-

(1) Lib. I. Tract. II. §. I. p. 16.

ricordemque voluntatem declaravit. Qua de re insigne exhibet testimonium Hippolytus, ecclesiae (1) doctor *γλυκυτατος και εὐνουστατος, dulcissimus et benignissimus*, Irenaei (2) discipulus, ferme *γνωριμος των ἀποστολων, apostolorum* (3) *familiaris*, nobilissimis auctus encomiis (4) ab Anatolio laodicensi, Eusebio (5) caesariensi, Hieronymo (6), Andrea caesariensi (7), Cyrillo scythopolitano (8), Leontio byzantino (9), Isidoro hispalensi (10), Germano constantinopolitano (11), Johanne damasceno (12), Photio (13) ac (14) Georgio Syncello, idemque non ultimum italicarum ecclesiarum (15) ornamentum. Proposita enim contraversia, *πως ἀν* (16) *παλαι τοις μακαριοις προφηταις ἀπεκαλυψεν ὁ του θεου λογος, αὐτος παλιν ὁ του θεου παις, ὁ παλαι μεν λογος, τυχειν ἐπιζητεις; quonam modo olim beatis*

(1) Anonymus in Serm. de Pseudoprophetis, in Append. ad T. VIII. opp. Chrysostomi, pag. 79. edit. Montfauconii.

(2) Photius in Biblioth. Cod. CXXI.

(3) Palladius Hist. Lausiac. cap. CXLVIII.

(4) Praefat. ad Canonem Paschalem, apud Aegidium Bucherium de Doctr. temp. p. 439.

(5) H. E. lib. VI. capp. XX—XXII.

(1) De viris illustr. cap. LXI.

(1) In Apocalyps. XIII. 1, et XVII. 10.

(2) In vita s. Euthymii abbatis in analectis graecis editis studio Maurinorum, p. 82.

(3) Lect. III. de Sectis, p. 430.

(5) Origg. lib. VI. cap. XVI.

(2) In *μυστικη θεωρια*, T. II. Auctarii Ducaeani, p. 148.

(1) Sacr. Parallel. T. II. p. 781. edit. Lequien.

(2) Biblioth. Cod. CXXI.

(2) Chronogr. ad an. CCXV. p. 358.

(3) Cui potissimum ecclesiae adscribi Hippolytus debeat, diligenter investigant Stephanus le Moyne in proleg. ad varia sacra, capp. XXIX—XXX., Tillemontius ad Hyppoliti vitam, T. III. not. 2. p. 673, Theodoricus Ruinartius admonit. in martyrium s. Hippolyti, Albertus Fabricius in praefat. ad opp. Hippolyti, p. XI, Bollandiani in Actt. ss. T. IV. Aug. pagg. 507. seqq., Maurini auctores Hist. Litterariae Galliae, T. I. Part. I. pagg. 364. seqq., et Gallandius in Proleg. ad T. II. pag. XLIV.

(2) Monet Combefisius, visum esse Gudio legendum *ἀ*. " Sed non videtur. Quaerit quomodo revelaverit ante incarnationem Dei Verbum, qui ipse per eam Dei *παις* factus sit, idest, *servus* et *puer*. Is. XLII. 1. *ecce servus meus, suscipiam eum:* quem locum ipse Dominus de se

prophetis Dei Verbum manifestaverit, ipse (1) *rursus Dei servus, qui olim Verbum erat, scire quaeris?* his continuo verbis (2) illam expedit: « Nimirum quia Verbum το ἑαυτου εὐσπλαγχνον και ἀπροσωποληπτον, *suam misericordiam et quod minime acceptor sit personarum*, per omnes sanctos ostendit, illuminans illos atque componens, ὡς ἐμπειρος ἰατρος προς τα ἡμιν συμφεροντα, ἐπισταμενος την των ἀνθρωπων ἀσθενειαν, *velut peritus medicus, ad ea quae nobis conducunt, quippe quum noverit hominum infirmitatem.* Et quidem ignorantes studet edocere, errantes vero ad veram suam viam convertit. Atque his quidem qui fide quaerunt, facile invenitur: his autem qui mundis oculis et casto corde ostium pulsare desiderant, confestim aperit. Nullum enim suorum servorum reiicit, quasi divinorum mysteriorum indignum. Non divitem paupere pluris facit, neque pauperem pro eius tenuitate spernit. Non barbaro exprobrat, nec eunuchum quasi non virum ablegat. Non odit feminam ob primae originis inobedientiam, nec virum ob transgressionis reatum deturpat: ἀλλα παντας θελων και παντας σωζειν ἐπιθυμων, *sed omnes vult omnesque salvare desiderat.* Omnes Dei filios praestare vult, sanctosque omnes in unum hominem perfectum vocat. Nam et unus Dei Filius est, cuius etiam nos munere per Spiritum-sanctum adepti regenerationem, in unum (3) perfectum ac celestem hominem omnes occurrere optamus ».

exponit, Matth. XII. 18. *ecce puer meus, quem elegi.* Et quamvis υἱος, *Filius* ab aeterno existat ac dicatur, non tamen παις, eo quod illa vox (etsi *Filius* quandoque reddatur) minus commoda videtur, ut ad aeternam ipsam generationem, in qua nulla passio, sed perfecta aequalitas, trahatur; quum ex communi usu aliquid imperfectionis, et ut sic loquar, inferioritatis sive pro *filio* sive pro *servo* accipiatur, importet ». Hactenus Combefisius, cui ne subscribam, inde moveor quod putem, verba, αὐτος παλιν ὁ του θεου παις, ὁ παλαι μεν λογος, aptissima reddi, *ipse rursus Dei Filius, qui prius Verbum erat.* Cf. Marani opus inscriptum, *Divinitas* D. N. J. C. lib. IV. cap. XIII.

(1) Is. XLII. 1. coll. Matth. XII. 18.

(2) Demonstratio de Christo et Antichristo, §. III. pagg. 418-419. apud Gallandium, T. II.

(3) Ephes. IV. 13.

CXLVI.

Quum itaque duo maxime sint, quibus afflictae perditaeque naturae status se prodit : *ignorantia* primum, qua id quod verum, quod iustum, quodque nos decet, vel ignoramus penitus, vel subobscure tantum divinamur : ac deinde *infirmitas*, qua et proni ad id sumus quod dedecet, et ad id enerves quod sanctum est ; fieri utrique morbo medicina non potuit, quin ipsum hominum genus restitutum reparatumque videretur. Utrique autem morbo factam divinitus fuisse medicinam, iis testatur verbis Hippolytus, quae omnem funditus dubitationem convellunt.

Nihil enim hisce evidentius, quam Deum dedisse ac porro operam dare, ut ἀγνουντας *ignaros* edoceat, πλανωμενους *devios* in viam reducat, ac *periti instar medici* ἀσθενειαν *aegritudinem imbecillitatemque* roboret atque confirmet. Testis est igitur Hippolytus, exitium originali praevaricatione inductum, benignitate misericordiaque Creatoris fuisse reparatum.

Sed quonam reparationis genere ? *prorsus universali*, sive *temporis rationem* habeas, sive *eorum* spectes *numerum*, ad quos reparatio pertinet. Etenim *a*) divinum Verbum *ab acceptione personarum alienissimum* το ἑαυτου εὐσπλαγχνον *suam misericordiam* quovis tempore demonstravit, et munera peritissimi medici, humanaeque infirmitatis conscii *numquam* praetermisit. Ita vero *b*) illa numquam praetermisit, ut omnibus semper adfuerit ceu λογος φωτιζων και ῥυθμιζων προς τα ἡμιν συμφεροντα. Verbum illuminans et ad ea componens quae nobis conducunt. Adfuit protoparentibus, et idcirco neque *feminam* δια την ἐξαρχης γενομενην παρακοην, *ob primaevam inobedientiam, neque virum* δια την παραβασιν *ob transgressionem* neglexit. Adfuit universae posteritati, παντας θελων και παντας σωζειν ἐπιθυμων, *omnes volens atque omnes salvare desiderans.*

His autem insistens (1) Hippolytus, subdit : « Quod

(1) Demonstrat. de Christo et Antichristo, §. IV. p. 419.

enim Dei Verbum quum esset carnis expers, sanctam carnem ex sancta Virgine induit, tamquam sponsus sibi ipsam in crucis patibulo vestem contexens; ὅπως συγκερασας το θνητον ἡμων σωμα τη ἑαυτου δυναμει, και μιξας τω ἀφθαρτω το φθαρτον και το ἀσθενες τω ἰσχυρω, σωση τον ἀπολλυμενον ἀνθρωπον, quo nimirum mortale corpus nostrum suae miscendo (1) virtuti, et quod obnoxium corruptioni, et quod ab omni immune est corruptione, quod infirmum et quod forte est, homini qui perierat salutem praestaret ».

Unde *tria* habes luculentissime exposita: *consilium* inprimis quo *sanctam carnem ex sancta Virgine Verbum* per se *ἀσαρκον carnis expers* suscepit: *amplitudinem* deinde *extensionemque reparationis*: ac *modum* postremo, *quo* ipsa peracta fuit reparatio.

Habes *a*) consilium assumendae carnis eo spectans, ut hominum saluti consuleretur, ac *Dei gloria*, ut Hippolytus (2) addit, splendidissime patefieret.

Habes *b*) amplitudinem reparationis, illamque hisce expressam verbis: ὅπως σωση τον ἀπολλυμενον ἀνθρωπον, *ut perditum hominem servaret.* Quibus nihil *universalius*, nihilque opportunius, ut *totum humanum genus erectum reparatumque* comprobetur.

Habes denique *c*) modum peractae reparationis, illumque in eo situm, quod Verbum arctissime copulaverit το θνητον ἡμων σωμα τη ἑαυτου δυναμει, τω ἀφθαρτω το φθαρτον και το ἀσθενες τω ἰσχυρω, *nostrum mortale corpus suimetipsius virtuti, corruptibile incorruptibili, et infirmum* potenti. Sicut enim *separatione a Deo* factum est, *ut universa humanitas per protoparentes* mortalitati subderetur, in corruptionem incideret ac infirmitati succumberet; ita mirifico sapientiae bonitatisque artificio factum vicissim est, *ut intimiori cum Deo per Christum humanitatis unitione* superaretur mortalitas, profligaretur corruptio ac infirmitas plenissimo triumpho vinceretur.

(1) Verbis prima fronte *commixtionem* significantibus, non ipsam naturarum *confusionem*, sed arctissimam *unitionem* Hyppolytus docet. Cf. Thommasinum de incarnat. Verbi, lib. III. cap. V.

(2) Ibid. §. V. p. 419.

CXLVII.

Porro sin minus modum rationemque ipsam, certe reparationis amplitudinem iterum Hippolytus docet, quum hisce de Praecursore (1) constitutis : *hic iis etiam qui erant in inferno prior evangelizavit, sublatus Herodis gladio, illic factus praecursor : nempe ibi quoque indicaturus exspectandum Salvatoris descensum , qui sanctorum animas de manu mortis liberaret*; ita (2) subdit : « Ἀλλ᾽ ἐπειδὴ ἀναστασεως παντων ἀνθρωπων ἡν ὁ σωτηρ , ἐδει τον κυριον μονον ἀνιστασθαι ἐκ των νεκρων, δἰ οὑ ἡ κρισις παντι τῳ κοσμῳ εἰσελευσεται · ἱνα οἱ ἀξιως ἀγωνισαμενοι, ἀξιως και παρ᾽ αὐτου στεφανωθωσιν · ὑπο του καλου ἀγωνοθετου , πρωτου το σταδιον διηνυκοτος · του ἀναλεφθεντος εἰς οὐρανους, και ἐν δεξιᾳ του θεου και πατρος καθεσθεντος , και παλιν ἐπι τῃ συντελειᾳ του κοσμου κριτου (3) πεφανερωθησομενου. Sed quoniam Salvator cunctorum hominum resurrectionis auctor principiumque futurus erat, par fuit ut solus Dominus a mortuis suscitaretur, per quem iudicium in omnem mundum intraret; ut qui digne functi certamine essent, digne quoque ab eo coronarentur : praeclaro scilicet agonis positore , et qui primus stadium confecisset : qui in caelum receptus, in Dei ac Patris dextera sedet , ac rursus in mundi consummatione iudex manifestandus est ».

Cum quibus ista praeclare concinunt quae de ratione deque fine divinae (4) incarnationis Hippolytus ali-

(1) Demonstrat. de Christo et Antichristo , §. XLV. p. 432. Porro non uni Hyppolyto, sed aliis quoque ecclesiasticis scriptoribus hanc insedisse opinionem , quod Praecursor infernas sedes adierit , ut iustis Salvatoris adventum renunciaret ; pluribus , diligenterque ostendit Allatius in opere *de ecclesiasticis Graecorum libris* , pagg. 303. seqq.

(2) Ibid. §. XLVI. p. 432.

(3) Gudius edidit , πεφανερωμενου, sed Combefisius praetulit, πεφανερωθησομενου.

(4) Quam crebro Hippolytus et consequuti patres dicunt οἰκονομιαν, ut λογου ἐνανθρωπησιν efferant. Videsis Casaubonum ad epistolam Gregorii nysseni , pagg. 105. seqq., et Pfeiferum ac Veielium in singularibus de *Oeconomia* commentariis.

bi (1) scribit : « Non enim caro facta est per naturam deitas translata natura, ἡ σαρξ γενομενη τῃ φυσει θεοτητος σαρξ, facta videlicet secundum naturam deitatis caro; sed quod erat etiam deitati coaptata mansit, idest, caro infirma et passibilis natura et operatione, quemadmodum (2) Salvator ait: *spiritus* (3) *quidem promptus*, *caro autem infirma* : in qua operatus et passus quae erant carnis absque peccato, exinanitionem pro nobis (4) indicavit divinitatis, miraculis et carnis passionibus naturaliter roboratam. Δια γαρ τουτο γεγονεν ἀνθρωπος ο των ὁλων θεος, ἱνα σαρκι μεν παθητῃ πασχων, ἁπαν ἡμων το τῳ θανατῳ πραθεν λυτρωσηται γενος· ἀπαθει δε θεοτητι δια σαρκος θαυματουργων, προς την ἀκηρατον αὐτου και μακαριαν ἐπαναγαγῃ ζωην· ἧς ἀπεπεσεν τῳ διαβολῳ πειθομενος. Propter hoc enim factus est homo universorum Deus, ut carne quidem passibili patiens totum nostrum morti venditum redimeret genus: impassibili vero deitate per carnem mirabiliter operans, ad immortalem illud et beatam reduceret vitam, de qua ceciderat diabolo obediens. Atque sanctos intellectualium substantiarum (5) caeli ordines προς ἀτρεψιαν *ad inconvertibilitatem* mysterio suae stabiliret incorporationis. Cuius opus omnium in eum recapitulatio est. Mansit ergo etiam incarnatus secundum naturam Deus superimmensus, sibi cognatam et convenientem habens operationem: ex deitate quidem substantialiter natam, per sanctissimam vero carnem dispensatorie declaratam: ἱνα πιστευθῃ θεος εἰναι, δἰ ἀσθενους φυσει σαρκος αὐτουργων την του παντος σωτηριαν, *ut credatur Deus esse, per infirmam natura carnem per se operans universitatis salutem.*

Quo igitur σωματωσεως, *incorporationis* opere spectavit Unigenitus? eo nimirum, ut *a*) per illud ipse esset των ὁλων

(1) De Theolog. et Incarnat. con. Beronem et Heliconem, §. II. pagg. 466—467.

(2) Matth. XXVI. 42.

(3) Το πνευμα, ex recepta patribus loquendi consuetudine, idem valere arbitror ac το νοητον in Christo, eiusdem το θειον και την θειαν φυσιν: την σαρκα vero idem ac το ὁρωμενον.

(4) Graece est, ἐπιστωσατο, *probavit, persuasit.*

(5) Crederem respexisse Hippolitum ad verba Pauli, Ephes. I. 10.

εἰς αὐτον ἀνακεφαλαιωσις, *omnium recapituatio* : ut *b*) την του παντος σωτηριαν, *universitatis salutem* per se absolveret: ut *c*) ἁπαν ἡμων το τῳ θανατῳ πραθεν λυτρωσηται γενος, *totum nostrum genus morti venditum redimeret*: ut *d*) illud ex morte, in quam diabolo morem gerens offenderat, προς την ἀκηρατον και μακαριαν ἐπαναγαγη ζωην, *ad immortalem beatamque vitam revocaret* : ut denique *e*) παντων ἀνθρωπων ὁ σωτηρ, *omnium servator hominum* crederetur ac esset. Atqui vel ista sufficiunt, ut *universalis reparatio* comprobetur, vel ne conceptis quidem votis desiderari formulae sententiaeque possunt, quae illam persuadeant ac demonstrent.

CXLVIII.

Nisi cui forte splendidiora haec videantur, quae descripta (1) humani generis ruina, Zeno veronensis subtexit (2), inquiens : « Haec cum diu sic haberentur, solertissimus ille artifex rerum filius Dei, cuius *sapientia* non habet finem, nec *fortitudo* mensuram, *amore imaginis suae* de caelo descendit: uteri virginalis illustrat hospitium; ibidemque in homine includit (3) Deum. Utitur (4) et figura et conditione mortali. Iustitiam docet immortalitatis esse comparatricem: factis praecepta cosummat. Postremo suscepit mortem, ut ea devicta, resurgens homini per hominem, quem gerebat, et spem vincendae mortis adferret, et eum ad praemia immortalitatis admitteret. Sic factnm est, ut (5) quomodo per unius

(1) Lib. I. Tract. XII. §. II. pagg. 86—88.

(2) Ibid. §. III. p. 88.

(3) Lib. II. Tract. IX. §. I· de divina loquens Unigeniti natura docet Zeno, talem eam esse « quam mundus mundique non capit magnitudo». Ecquid igitur sibi volunt quae heic legimus, *in homine includit Deum?* istud unum sibi volunt, filium Dei esse vere hominem factum; quod lib. II. tract. VIII. §. II. luculentissime his verbis edicitur : « Dei filius tempore constituto, dissimulata interim maiestate, ab aetherea sede profectus, in praedestinatae Virginis templo sibimet castra metatur, quibus latenter infunditur in hominem gigniturus, ibidemque *salvo quod erat*, meditatur esse quod non erat ».

(4) His simillima scripserat Lactantius, lib. VI. cap. X. n. 1.

(5) Rom. V. 18.

damnationem in omnes homines damnatio, sic per unius iustificationem in omnes homines iustificatio aeternae decurreret vitae. Videtisne iam manifeste in homine suscipiendo fuisse providentiam, in passione sacramentum, in resurrectione summum bonum » ?

Utique videmus 1) *in homine suscipiendo fuisse providentiam*, fontemque ipsum, nobilemque huius providentiae originem in compertis exploratisque habemus. *Amor* enim, quo *suam* Unigenitus *imaginem* prosequutus est, effecit ut descenderet ipse de caelo, uteri virginalis illustraret hospitium, humanamque *οἰκονομιαν* ad crucem usque compleret. Eo autem providentiae ordine illam compleret, ut *solertissimi instar artificis* suum opus non abiiceret, sed lapsum *sapienter* repararet, ac venditum captivatumque in libertatem *fortiter* assereret.

Videmus 2) *passionis mortisque sacramentum* eo pertinens, ut triumphus de morte ab omnibus referendus in capite adumbraretur, illius omnibus *spes* fieret, omnesque sibi *praemium immortalitatis* pollicerentur.

Videmus tandem 3) *in resurrectione summum bonum*, quo universalis reparationis plenissima obsignatio continetur. Cuius per Christum universalis reparationis testis accedit quavis exceptione maior Hieronymus, qui prolatis Scripturae (1) verbis, *ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, atque, hoc eisdem commentario (2) subiecto, *sanguis autem ipse est pretiosus in quo redimimur in passione Domini Salvatoris, cuius carnibus alimur et cruore potamur*, vix aliquot interpositis (3), pergit : « Suscepit enim corpus humanum, et per peccatum destruxit peccatum, qui pro nobis dolet, et portat infirmitates nostras: deinde pro *domo sua*, quod in LXX, scriptum est, sed in Hebraico non habetur : idest, pro ecclesia, et pro omni populo terrae, *universo* videlicet *humano genere. Salvator est enim omnium hominum, et maxime*

(1) Ioh. I. 29.
(2) Comm. in Ezech. lib. XIV. cap. XLVI. col. 571. opp. T. V.
(3) Ibid. coll. 571—572.

fidelium, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non solum pro nostris, sed pro omni mundo ».

CXLIX.

Quare nemo periit protoparentum culpa, qui non fuerit Unigeniti oeconomia restitutus. Apposite Paulinus nolanus praesul, ubi (1) de ipso canit :

» Quo numine viso
» Et Patrem vidisse datum, contagia nostra
» Qui tulit, et diri passus ludibria leti,
» Esse iter aeternae docuit *remeabile* vitae.
» Nec solum remeare animam, sed corpore toto
» Caelestes intrare plagas, et inane sepulcri
» Arcanum vacuis adopertum linquere terris.

Neque minus alibi (2) apposite, dum scribit:

» Iustius est istas hominum lugere tenebras,
Quas facimus nobis degeneres animae,
» Immemores primos caelestis immaginis ortus,
Quam *revocat miserans* ad sua regna Pater.
» Cuius amore meos suscepit Filius artus,
Virgine conceptus, Virgine natus homo,
» Cuncta (3) gerens hominem, cunctos et corpore in uno
Cunctorum Dominus suscipiens famulos.
» Factus enim servi forma est, qui summus agebat
Forma Dei regnans cum rege Patre Deus.
» Suscepit formam servi, culpamque peremit,
Qua poenae et mortis quondam homo servus erat.
» Et libertati famulum, sub imagine servi
Nostra caro effectus restituit Dominus.

(1) Poema. V. vv. 20—25. col. 331.

(2) Poema. XXXIV. vv. 47—65. col. 667.

(3) *Cunta*, idest, *per cunta*, non infrequenti graecismo, ut pluribus illustrat Barthius, Adversar. Cemmentar lib. XIII. cap, XIV.

» Ut mihi per Christum caelestis imago redire,
Qui cruce terrenum despoliavit Adam.
» Carnem igitur mortemque meam meus ille Creator
Pertulit, et carum morte redemit opus.

Quo praestantissimo redemptionis opere, ut idem (1) ait *zabuli domus cecidit, et regnum mortis solutum est.* « Quod, vivente semper, ut vivit, Christo, et ante carnalem adventum suum in maiestate naturae suae apud Deum Patrem Deo Verbo, tamen (2) dispositis in ordinem suum seculis ab Adam usque ad Moysen, mortis potestas, licentia bacchante, regnaverat; et (3) de lege intellecto nec evitato peccato, creverat; hoc regnum rex regum, et dispensator temporum Dei Filius passione sua divisit ac diruit, Deus (4) *factus sub lege*, ut subiugatos legis solveret, *factus per mulierem*, sed mulierem sexu, virginem partu, *ut sanctificaret utrumque sexum Creator utriusque, suscipiendo virum, nascendo per feminam.* Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, *solvens*, ut (5) scriptum est, *inimicitias in carne sua, et faciens utrumque unum*, idest, hominem et Deum, quem in seipso connexuit Deus et homo Christus Iesus. In quo utriusque substantia naturae discordiam (6) posuit, et unificantis gratiae aeternum foedus agnovit. Spoliatos nos Zabuli latrocinio et vulneratos in via, praeterierat frater in levita, frater in sacerdote, quos lex nec sacrificiis redemerat nec prophetis. Sed (7) non praeterivit ille Samarites, qui propter nos huius etiam nominis suscepit iniuriam: non praeterivit, quia (8) non erat mercenarius, sed verus et bonus pastor, qui animam suam pro ovibus positurus advenerat. Hic ho-

(1) Epist. XXIII. ad Severum, n. 14 coll. 126—127.
(2) Rom. V. 14.
(3) Rom. VII. 8.
(4) Gal. IV. 4.
(5) Ephes. II. 14.
(6) Idest, *deposuit*.
(7) Luc. X. 31—32.
(8) Ioh. VIII. 48, et X. 12—18.

minem saucium praetermissum a praeviis nec curatum, miseratus accessit, et iumento suo, hoc est, Verbi incarnatione suscepit: et (1) oleo gratiae et vino passionis suae, commendatum stabulario, perfecto illi magistro (2) gentium, in duobus Testamentis denarii mercede sanavit, redditurus illi et beatae virginitatis de innumeris huius boni fructibus uberes gratias, et innumerabiles coronas, quia hoc consilium praecepto adiiciens, de suo supererogavit ».

His autem et *fons reparationis* aperitur, et *modus* declaratur, et *amplitudo* ostenditur, et *multiplex fecunditas* comprobatur. Aperitur *a*) fons reparationis, isque duplex, *amor Creatoris in suum opus*, ac *eiusdem misericordia* qua non tulit, ut illud depravatum corruptumque funditus intercideret. Ostenditur *b*) reparationis modus in eo situs, ut *nova eaque longe intimiore humanitatis cum Deo coniunctione malum ac scelus originalis separationis sarciretur.* Declaratur *c*) eiusdem amplitudo, quae *utrumque sexum*, quae *mundum*, quaeque *divinum opus* diabolico viru infectum complectitur. Multiplex tandem reparationis *d*) fecunditas explicatur, e qua repeti debet *pristinae libertatis restitutio, divinae similitudinis renovatio, ac plenus de peccato deque morte triumphus.*

CL.

Quae quidem omnia repetit, uberiusque Paulinus (3) illustrat, quum (4) ad verba, *ipse fecit nos, et non ipsi nos*, scribit: « Ipse, inquam, Dominus fecit nos, qui etiam *refecit iam ab initio* per omnia quae operatus est et loquutus in sanctis suis, *salutis nostrae*, idest, *reparationis humanae sacramenta molitus.* Nam, (5) iustum Abelem illico reparavit sancta generatio in Seth, qui ore consimili formatum ad

(1) Luc. X. 34.

(2) Hic est Paulus, ut ex hac ipsa epistola, n. 24. ex epist XXX. n. 5, et ex carm. XXII. vv. 178--353. liquet.

(3) Epist. XII. ad Amandum, n. 2. col. 59.

(4) Ps. XCIX. 3.

(5) Gen. IV. 25.

imaginem Dei retulit patrem. Inde (1) per ceteros a primo fonte decurrens permanavit vena iustitiae: et (2) quamvis interveniente diluvio, in uno quidem, attamen iusto, universitatis peremptae seminarium stetit, iam tunc operante mysterio unici Redemptoris, ut per unum reconciliatio proveniret, quia per multos offensa venisset. Sed iterum generis humani processu relabente iustitia, et crescentibus simul gentibus atque criminibus, ne rursus iniquitas hominum generis mereretur interitum, rursus (3) electus est qui pater fidei vocaretur, a quo et promissio regni et regis aeterni semen emergeret. Quod multiplicatum fide gentium Christus implevit, qui patriarchis visus, per legem praeformatus, per prophetas praeloquutus, et ipse adfuit ut adimpleret legem et prophetas; et quam lex operibus non valuerat conferre medicinam, gratia daret ».

Qua Paulini oratione *duo* perspicue continentur, ac initio quidem *una cum humani generis lapsu opus reparationis* incoepisse; deinde vero hoc nobilissimum opus *quibusdam veluti gradibus ad suum culmen fastigiumque pertigisse*. Quando vero illud, quove pacto attigerit, explanare Paulinus (4) pergit, subdens: « Iam corpus omne, idest, universum genus hominum ita pervaserat peccatum, ut neque malagma debilibus et sauciis, neque (5) ligatura prodesset: corroborata etenim vitiorum valetudine, omnem humanae opis medelam fortior remediis morbus excluserat; et ideo venit qui et venturus est, conformatus (6) corpori humilitatis nostrae, ut nos conformaret corpori gloriae suae. Quia nemo, nisi artifex, operis sui potens est, et (7) figulo tantum in argillam suam ius est. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus est ad nostra descendere, nosque suscipere in corpo-

(1) Gen. VI. 8, VII. 1.

(2) II. Petr. II. 5.

(3) Gen. XV. 13. coll. Rom. IV. 11, Gal. III. 7. Iacob. II. 21. Matth. V. 17. et Ioh. I. 17.

(4) Epist. XII. ad Amandum, n. 3. col. 59.

(5) Sap. XVI. 12.

(6) Apoc. I. 4, Philippp. III. 31.

(7) Sap. XV. 7, Eccli. XXXIII. 13, Ierem. XVIII. 6, Rom. IX. 21.

re suo, ut reficeret eadem arte vel (1) potestate qua fecerat. Venit autem non (2) in sublimitate Domini, quod erat; sed in forma servi, quod non erat. *Factus est* (3) *ut homo sine adiutorio*, qui est Dei virtus et Dominus exercituum, adiutor et protector omnium. Pro liberandis (4) est mortuus, qui erat *inter mortuos liber. Inter iniquos deputatus est,* qui iustificat impium per fidem. *Sicut ovis ad interfectionem ductus est agnus ille, qui tollit peccata mundi.* Passus est mortem, qui donat aeternitatem ».

Cui (5) consilio ac muneri tribuendum est « ut iisdem nos quibus perieramus, itineribus inveniremur, rursus ex arbore, rursus ex Virgine; sed non rursus superbia praecipitandi, verum, e contrario humilitate redituri. Nam idcirco (6) rex gloriae et dominus maiestatis *exinanivit se*, *formam servi accipiens*, et invisibilem magnitudinem suam visibili abiectione contexit, ut nos veteri illo male conceptae arrogantiae morbo foris altos, intus obtritos, in formam sublimitatis suae per formulam nostrae in se humilitatis attolleret. In hoc enim operatus est et operatur quotidie bonus Dominus, ut divinae conformationis gloriam consequamur, si nostrae in Christo conformationis exemplum sequamur, cognoscentes in Altissimi moderamine temperatum naturae nostrae modum, ut supra nos ipsius gratia provehamur, si iuxta nos nostri memores ambulemus ».

Ita namque (7) « per Christum Deo vincti et insiti sumus, ut (8) Dei arrhabonem teneamus in terra nostra Spiritum-sanctnm, quem dedit nobis; et nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi, quia intervallum istud immensum, quo a Divinis mortalia disparantur, medio et in utra-

(1) Particula *vel* loco *et* adhibetnr.
(2) Philipp. II. 7.
(3) Ps. LXXXVII. 5.
(4) Is. LIII. 7—12, I. Petr. II. 24, et Ioh. I. 29.
(5) Ibid. n. 4. coll. 59--60.
(6) Philipp. II. 7.
(7) Epist. XIII. ad Pammachium, n. 26. col. 81.
(8) II. Cor. I. 22.

que communi interventu suo, velut quodam, ut sic dixerim, ponte, continuat; ut eius tramite terrena caelestibus conserantur, cum (1) hoc corruptibile nostrum incorruptio perfuderit, et mortale nostrum, ut scriptum est, immortalitas hauserit, mortemque devictam victrix in Christo et a Christo nobis vita sorbuerit. Quod ut assequamur, non de veritate tanti boni, sed de nostri captu meriti dubitare possumus. Sed agamus quae Christus iussit, ut adipiscamur quae Christus spopondit. Veritas illius nobis adest, illi fides nostra non desit. *Omnibus* (2) *vita, omnibus via, omnibus ianua est. Nemini claudit sua regna, quibus et vim permittit inferri*».

CLI.

Rationem itaque divini consilii, divinamque in Christo et per Christum οἰκονομιαν hi omnino pervertunt ac funditus labefactant, qui *a*) docent, aliquod extitisse tempus, quo Deus humani generis curam neglexerit, inflictisque eidem vulneribus paterna pietate non consuluerit. Dominus enim, *qui fecit nos, iam ab initio per omnia quae operatus est, refecit nos, salutisque nostrae, idest, reparationis humanae semper est sacramenta molitus.*

Qui *b*) docent, primitivam labem eo usque virulentam fuisse ac fatalem, ut pereundi necessitatem intulerit. Etenim divinus artifex ita semper sui operis depravati licet atque corrupti misertus est, ut copiam illi raparandae caelestis similitudinis numquam penitus subtraxerit.

Qui *c*) docent, *sanguinem agni, qui tollit peccatum mundi*, non semper omnibus profuisse. Pro impiis enim fusus est, proque iis oblatus omnibus, quos primum ad suimetipsius imaginem, spirantemque similitudinem Unigenitus expresserat.

Qui *d*) docent, ex originali a Deo separatione tantam in hominum genus perniciem dimanasse, ut non defuerint qui ad divinam societatem adspirare deinceps non possent.

(1) I. Cor. XV. 54.
(2) Ioh. XLV. 6, Matth. XI. 12.

Etenim *intervallum immensum, quo disparata a divinis mortalia fuerunt , Christus medio et inter utraque communi interventu suo, velut quodam, ut sic dixerim, ponte continuavit.*

Qui postremo *e*) docent , aliquando fuisse , vel modo etiam nonnullos reperiri, quibus superna , absolutaque destinatione caelorum regnum occlusum existimari debeat. Christus enim *omnibus vita est , omnibus via , omnibus ianua* : *nemini claudit sua regna, quibus et vim permittit inferri.*

Et re sane vera, quae tandem caussa unigenito Dei filio praesto fuit , ut nostram sibi mortalitatem uniret ? respondet (1) Ambrosius : « Ergo *ex nobis* accepit , quod proprium *offerret pro nobis*, ut *nos* redimeret *ex nostro*; et quod nostrum non erat, ex suo nobis divina largitate conferret. Secundum naturam igitur se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam. De nostro sacrificium, de suo praemium est: multaque in eodem et secundum naturam invenies , et ultra naturam. Secundum conditionem etenim corporis in utero fuit, natus est, lactatus est, in praesepio est collocatus: sed supra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit: ut crederes quia Deus erat *qui novabat naturam;* et homo erat qui secundum naturam nascebatur ex homine ». Et (2) mox : « Didicistis igitur quia sacrificium de nostro obtulit. Nam *quae erat causa incarnationis*, nisi nt caro quae peccaverat , per se redimeretur ? *quod peccaverat igitur* , *hoc redemptum est.* Non est ergo immolata divinitas Verbi, quia non peccaverat divinitas Verbi: et ideo non est Verbi natura in carnis conversa naturam ; quia immunis peccati divinitas pro peccato, quod non fecerat, se non debebat offerre. *Hoc enim in se obtulit Christus, quod induit*: et induit, quod ante non habuit. Non igitur divinitatis suae divinitatem induit , in quo erat plenitudo divinitatis aeternae; sed carnem adsumpsit, *ut spolium carnis exueret, atque in semetipso et manubias diaboli crucifigeret, et trophaea virtutis erigeret* ».

(1) De incarnat. dominicae sacramento, cap. VI. n. 54. coll. 715-716. opp. T. II.

(2) Ibid. n. 56. col. 716.

Quibus ista (1) concinunt, quae Christum cum Aarone conferens, scribit: « Et Aaron quidem (2) semel stetit in medio eorum, obiiciens se, ne mors transiret ad viventium agmina, a funeribus mortuorum. Hic autem quasi Verbum *semper stat in singulis*, quem nos non videmus, intra nos separans rationabiles virtutes a cadaveribus passionum lethalium, et pestilentium cogitationum. Hic (3) stat, quasi qui in hunc mundum venerit, *ut aculeum mortis hebetaret, devoratorium eius obstrueret, viventibus aeternitatem gratiae daret, defunctis resurrectionem concederet* ». Neque ista (4) abludunt, quibus protoparentes innoxios cum prole depravata componit, et allatum divinitus remedium describit, inquiens: « Quod si primus ille homo, qui (5) cum Deo loquebatur in paradiso positus, labi tam facile potuit, ex terra creatus virgine, quae ad verbum Dei formata et creata recenti fuerat exortu, nondum ea parricidali caediumque concreta sanguine, flagitiis et dedecore polluta, nondum carne nostra damnata maledicto obnoxiae hereditatis; quanto facilius postea lubrica ad peccandum via maius advexit humano generi praecipitium, cum deterior tolerabiliori per vices generationis successerit? etenim (6) si magnetis lapis tantam naturae vim habet, ut ferrum ad se trahat, et transfundat se in illius speciem, ita ut plerisque experiri volentibus cum plures annulos ferreos ad eum lapidem admoverint, omnes pari teneat modo: deinde si ei annulo cui adhaeserit lapis, alium admoveas annulum, et rursus per ordinem singulis substituas; licet in omnes penetret per ordinem ex

(1) Epist. IV. ad Felicem, n. 5, col. 764. opp. T. II.

(2) Num. XVI. 47--48.

(3) Hebr. II. 14--15.

(4) Epist. XLV. ad Sabinum, nn. 13—16, col. 983.

(5) Gen. II. 15.

(6) Sumpsit hanc imaginem Ambrosius ex opere Philonis *de opificio mundi*, eaque propagationem originalis culpae adumbravit. Hac autem imagine aliquid contineri, quemadmodum maurinis editoribus visum est, quo originalis peccati contagium concupiscentia transfusum doceatur, pactumque illud repudietur, *quod excogitarunt theologi recentiores*; ne acutissimis quidem oculis dispici posse existimo.

illo lapide vis naturae, tamen priores nexu vehementiore constringit, posteriores remissiore: quanto magis humani generis conditio atque natura ex puriore statu in deteriorem lapsa est, quando nequiorem adtigit? nam si per eas species minuitur natura, quae non sunt culpae capaces; quanto magis per animos atque artus labe pollutos scelerum virtus eius hebetatur? unde quia excreverat malitia, abolita innocentia fuerat, non erat (1) qui faceret bonitatem, non erat usque ad unum: *venit Dominus, qui reformaret naturae gratiam, immo augeret;* ut (2) ubi *superabundavit peccatum, superabundaret gratia* ». Hominem (3) namque « quem Dominus tuebatur, ut opus suum, neque ut bonus parens atque auctor deserebat, *eo usque creatum fovit, ut abdicatum redimeret, eliminatum reciperet, mortuum passione Filii sui unigeniti resuscitaret.* Est ergo hominis *auctor* Deus, et *diligit* opus suum operator *bonus*, nec derelinquit *bonus pater*, quem etiam *sicut dives paterfamilias censu propriae hereditatis redemit* ».

CLII.

Novimus igitur quid Deum impulerit ad decernendam, exequendamque Unigeniti ἐνανθρωπησιν: quem sibi finem in ea decernenda, exequendaque Deus praefixerit: quamque illi amplitudinem extensionemque adsignarit. Idcirco enim, *a*) si Ambrosio fidimus, Deus *ab aeterno* Unigeniti σαρκωσιν *decrevit*, illamque *adveniente temporum plenitudine exequutus est*, quod 1) *auctor* sit hominis, quod 2) *opus suum operator bonus diligat*, et quod 3) illud utpote *bonus pater derelinquere nolit*, sed potius utpote *dives paterfamilias censu propriae hereditatis redimere voluerit.*

Eo autem *b*) incarnationem redemptionemque direxit, ut *novaretur reformareturque natura, immo augeretur*: *ut ibi superabundaret gratia, ubi superabundavit peccatum, ut aculeus mortis hebetaretur*: *ut manubiae diaboli crucifigerentur*:

(1) Ps. XIII. 1.
(2) Rom. V. 20.
(3) Ibid. n. 16. coll. 983—984.

ut quod eliminatum ac mortuum fuerat reciperetur et resuscitaretur: ut viventibus aeternitas gratiae donaretur.

Porro *c)* hoc fuisse Dei propositum, ut incarnationis redemptionisque fructus *ex sese* esset universalis, omnesque complecteretur; non uno indicio argumentoque constat. Ac iis 1) constat, quibus motus incitatusque Deus οἰκονομίαν Servatoris decrevit, decretamque perfecit. Universalia namque ista sunt, ac ex sese neminem excipiunt. Apertis deinde 2) constat verbis, quibus testatur Ambrosius, ad eos omnes pertinere redemptionem, *qui fuerant peccato abdicati, eliminati, qui inter diaboli manubias censebantur, quos sibi mors subiecerat, quique mortalem carnem gererent.* Neque minus iis 3) constat, quibus docet, *oblatum divinum sanguinem pro iis fuisse, quorum naturam Unigenitus* induit. Induit autem Unigenitus (1) *communem hominum naturam, ipsamque humanitatem.* Hanc igitur totam plenamque redemit.

Quare ubi (2) de typis crucis disserit Ambrosius, haec inter alia ex iis colligit: « Vides ergo quod in cruce Christi *omnium hominum* levatur infirmitas ». Disserens vero (3) de Virgine beatissima, scribit: « Sola erat Maria, et (4) loquebatur cum angelo. Sola erat quando supervenit in eam Spiritus-sanctus, et virtus Altissimi obumbravit eam. Sola erat, et operata est *mundi salutem*, et concepit (5) *redemptionem universorum*». Fuimus enim, inquit (6) Ambrosius « sub foeneratore duro, qui nisi morte debitoris expleri ac satiari nequiret. Venit Dominus Iesus, vidit gravi nos obli-

(1) Qua de re disputantem confer Petavium de Trinit. lib. IV. cap. IX, et de Incarnat. lib. V. cap. V.

(2) De sacramentis, lib. II. cap. IV. n. 11. col. 457. opp. T. II. Utrum vero hoc opus rite adscribatur Ambrosio, erudite quaerunt maurini editores in praefatione, qua de eiusdem operis auctore disceptatur.

(3) Epist. XLIX. ad Sabinum, n. 2. col. 992. opp. T. II.

(4) Luc. I. 28

(5) Al. *et concepit redemptorem.* "Sed, addunt maurini editores, eodem modo *redemptionem* concepisse Maria dici utique potest, quo dicitur *salutem* operata, in quantum scilicet mediatorem ac reparatorem mundo peperit. Qui quidem loquendi modus minime infrequens est apud Ambrosium".

(6) Epist. XLII. ad Marcellinam sororem, n 7. coll. 957—958.

gatos foenore. Nemo foenus suum patrimonio innocentiae suae poterat exsolvere: de meo, unde me liberarem, habere non poteram, novum genus absolutionis *mihi* detulit; ut creditorem mutarem, quia foenus unde solverem, non habebam. Debitores autem nos non natura, sed culpa fecerat; peccatis enim nostris aera gravia contraximus, ut essemus obnoxii, qui eramus liberi; debitor enim est, qui aliquid accepit de foeneratoris pecunia. Peccatum vero a diabolo est: tamquam in eius patrimonio has habet impius opes; sicut enim Christi divitiae virtutes sunt, ita diaboli opes crimina sunt. Redegerat *humanum genus* in perpetuam captivitatem obnoxiae hereditatis gravi foenore, quod obaeratus auctor ad posteros foenerata succesione transmiserat. Venit Dominus Iesus, *mortem suam pro morte omnium obtulit*, *sanguinem suum pro sanguine fudit universorum* ..... *Omnibus* (1) *dimisit, nec quisquam est, cui non relaxarit* .... Iudicavit (2) enim magis homines beneficiis alligari posse, et provocari ad ea quae sunt recta facienda, quam metu: plusque caritatem proficere, quam formidinem ad correctionem ».

Caritate (3) subiit mortem « ac unius morte *mundus* redemptus est. Potuit enim Christus non mori, si voluisset: sed neque refugiendam mortem quasi ignavam putavit, *neque melius nos quam moriendo servasset. Itaque mors eius vita est omnium.* Morte eius (4) signamur, mortem eius orantes annuntiamus, mortem eius offerentes praedicamus: mors eius victoria est, mors eius sacramentum est, mors eius annua solemnitas mundi est. Quid praeterea de eius morte dicamus, cum divino probemus exemplo, quia immortalitatem mors sola quaesivit, atque ipsa se mors redemit? non igitur moerenda mors, *quae causa salutis est publicae* ». Etenim (5) Christus « peccatum

(1) Idid. n. 8. col. 958.

(2) Ibid. n. 6. col. 957.

(3) De fide resurrectionis, lib. II. n. 46. coll. 1145—1146. opp. T. II.

(4) Hoc loco quum usus frontem ac pectus cruce consignandi indicatur, tum a precibus oblatio et sacrificium aperte distinguitur.

(5) De incarnat. dominicae sacram. cap. V. u. 39. col. 712. opp. T. II.

omnium factus, *peccata generis abluebat humani.* Postremo mortuus est, et secundo et tertio exsultans atque ovans dico, mortuus est, *ut illius mors vita fieret mortuorum* ». Neque (1) enim « legatus, neque nuntius, sed ipse Dominus salvum fecit populum suum. Solus (2) remanet, quia non potest hoc cuiquam hominum cnm Christo esse commune ut peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui (3) tulit peccatum mundi. Meruit (4) et mulier absolvi, quae recedentibus iudaeis, remansit sola cum Iesu. Elevans autem caput Iesus dixit (5) mulieri: *ubi sunt qui te accusabant? nemo te lapidavit? et illa respondit, nemo Domine. Et ait ad illam Iesus: nec ego te damnabo, vade et amodo vide ne pecces.* Vide, lector, divina mysteria, et clementiam Christi. Cum accusatur mulier, caput Christus inclinat: elevat autem ubi deficit accusator; *nullum damnari vult, absolvi omnes* ». *Et* quia hunc animum gerit « non (6) exigua *mundum suum* Christus luce complectitur, quandoquidem (7) *a summo caelo egressio eius, et occursus eius usque ad summum eius: nec est qui se abscondat a calore eius.* Omnes enim benignus illustrat, nec refutare levem, sed emendare vult: nec excludere durum ecclesia, sed mollire desiderat. Et ideo in canticis canticorum (8) eos ecclesia, in evangelio Christus (9) invitat dicens : *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* ».

CLIII.

Quae dum mecum considero, ab iis qui forte ambigerent de universali reparationis ordine, deque universali per

(1) Epist. XXVI. ad Irenaeum, n. 16 col. 897.
(2) Respicit ad ea quae leguntur Ioh. XVI. 32.
(3) Ioh. I. 29. coll. Is. LXIII. 8.
(4) Ioh. VIII. 3. seqq.
(5) Ibid. vv. 10-11.
(6) De fide resurrect. lib. II. n. 117: col: 1166.
(7) Ps. XVIII. 7.
(8) Cant. IV. 16. coll. V. 1.
(9) Metth. XI, 28,

Christum redemptione, libenter sciscitarer, quas ipsi adhibitas verborum formulas cuperent, ut dubitatione seposita, universalem utriusque ambitum profiterentur. Arbitror autem non alias ex praescripto rationis postulari ab ipsis formulas posse, nisi eiusmodi, quarum aliae sint *aientes*, universalemque reparationis redemptionisque ambitum aperte diserteque significent, aliae vero sint *negantes*, ac neminem prorsus ab utroque ordine exclusum confirment. Si enim utrumque formularum genus conspiret, aequus quisque rerum aestimator ultro dabit non potuisse universalem reparationem redemptionemque aut tradi evidentius, aut validius stabiliri. Iamvero *utrumque genus* non modo penes Ambrosium occurrit, sed *repetitum*, *inculcatumque* occurrit.

Occurrit *a*) genus formularum aientium, quibus docetur: 1) *in cruce Christi omnium esse hominum infirmitatem levatam*: 2) *Mariam mundi salutem operatam esse, et concepisse redemptionem universorum*: 3) *humanum genus fuisse a perpetua captivitate solutum*: 4) *venisse Dominum Iesum, ut mortem suam pro omnium morte offerret, suumque sanguinem pro sangiuine funderet universorum*: 5) *unius Christi morte mundum redemptum esse, ac ipsius mortem vitam esse omnium, publicamque caussam salutis*: denique 6) *Christum idcirco peccatum omnium factum, ut peccata generis ablueret humani, ac ut illius mors vita fieret mortuorum.*

Genus deinde *b*) occurrit negantium formularum, quibus edicitur: 1) *neminem esse pro quo Christus foenus non solverit, et cuius debitum non relaxarit*: 2) *neminem, quem damnari velit, quemque non malit absolvi*: 3) *neminem quem non benignus illustret*: ac 4) *prorsus neminem, quem refutet, quemque emendari non cupiat.*

Quamquam (1) ergo « non habeam unde gloriari in operibus meis possim, non habeam unde me iactem; habeo tamen cur glorier in Christo. Non gloriabor quia iustus sum: sed gloriabor, *quia redemptus sum*. Gloriabor, non quia vacuus peccatis sum, sed *quia mihi remissa sunt peccata*. Non glo-

(1) De Iacob et vita beata, lib. I. cap. VI. n. 21. coll. 451—452. opp. T. I.

riabor quia profui, neque quia profuit mihi quisquam: *sed quia pro me Christi sanguis effusus est.* Facta est mihi culpa mea merces redemptionis, per quam *mihi* Christus advenit. Propter me Christus mortem gustavit. *Fructuosior* culpa, quam innocentia. Innocentia arrogantem me fecerat, culpa subiectum reddidit ». Unde nemo est hominum, cui non possit merito (1) dici : « Accepisti pignus Christi caritatis, quoniam qui pro te mortuus est, advocatus est tibi, et sanguinis sui mercedem reservat, et qui peccatorem reconciliavit Patri, multo magis commendat innocentem, et tuetur subditum, qui adscivit noxium . . . . Sed (2) vereris dubios vitae anfractus, et adversarii insidias, cum habeas auxilium Dei, habeas tantam eius dignationem, ut (3) Filio proprio *pro te* non pepercerit. Pulcro verbo usa est Scriptura, ut Dei Patris *erga te pium propositum* declararet, qui Filium morti obtulit: et Filius mortis acerbitatem sentire non potuit. Quod in Patre fuit, *nihil sibi ipse reliquit*: *totum pro te obtulit*: quod in plenitudine divinitatis, nihil ipse amisit, *et te redemit.* Considera *affectum patrium.* Quod pietatis est, quasi morituri Filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem; *ne tibi periret fructus redemptionis.* Tantum fuit Domino *studium tuae salutis, ut propemodum de suo periclitaretur*, *dum te lucraretur.* Ille *propter te* dispendia nostra suscepit, ut te divinis insereret, coelestibus consecraret. Mire etiam (4) addidit: *pro nobis omnibus tradidit illum*; ut ostenderet *quod ita omnes diligat, ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet.* Pro quibus igitur quod super omnia est dedit, potest fieri ut non in illo universa donaverit? nihil enim excepit, qui omnium concessit auctorem. Nihil est igitur quod (5) negari posse nobis vereamur: nihil est in quo de munificentiae divinae diffidere perseverantia debeamus, cuius fuit tam diuturna et iugis ubertas; ut primo praedestinaret,

(1) Ibid. n. 22. col. 452.
(2) Ibid. n. 25. coll. 452 - 453.
(3) Rom. VIII. 32.
(4) Ibid.
(5) Ibid. n. 26. col. 453.

deinde vocaret; et quos vocaret, hos et iustificaret; et quos iustificaret, hos et clarificaret. Poterit deserere quos tantis beneficiis suis usque ad praemia prosequutus est? inter tot beneficia Dei num metuendae sunt aliquae accusatoris insidiae? sed quis audeat accusare quos electos divino cernit iudicio? num Deus Pater ipse qui contulit, potest dona sua rescindere, et quos adoptione suscepit, eos a paterni affectus gratia relegare? sed metus est ne iudex severior sit. Considera quem iudicem habeas. Nempe Christo dedit Pater omne iudicium. Poterit te ergo ille damnare, *quem redemit a morte, pro quo se obtulit, cuius vitam suae mortis mercedem esse cognoscit*? nonne (1) dicet, *quae utilitas in sanguine meo*, si damno quem ipse salvavi? deinde consideras iudicem, non consideras advocatum. Potest iste saeviorem ferre sententiam, qui interpellare non desinit, *ut paternae reconciliationis in nos conferatur gratia* »?

CLIV.

Haec autem ita se habent, ut expediri facillime *quaestio* possit ad praesentem quam versamus illustrandam tractationem accommodatissima. Quaeri enim utiliter potest, *cuiusmodi extiterit habitus Deum inter hominumque genus primaeva iam labe deturpatum atque corruptum.* Habitus ne extiterit *a*) naturae a Deo damnatae ac reiectae; an habitus potius *b*) naturae erectae ac reparatae; et siquidem hic alter extiterit habitus, an *c*) restitutionis reparationisque beneficium particulare vel contra universale existimari debeat. His namque uti par est, semel explanatis ac rite definitis, fieri nullatenus potest, *quin controversia de ordine salutis complanata mirifice videatur.*

Iamvero si Ambrosii vestigia legimus, eique fidem adhibemus, ante omnia 1) negandum est, humanum genus mortifero vulnere saucium eo ad Deum habitu, eoque modo referri, qui proprius naturae sit abiectae ac damnatae. *Facta est enim mihi culpa mea merces redemptionis, per quam*

(1) Ps. XXIX. 10.

mihi Christus advenit. Fructuosior mihi quadamtenus *culpa* fuit, *quam innocentia. Adam* (1) *ut caderet , a serpente deceptus est et flexus ab uxore. Ideo iam nullae in paradiso nuptiae , sed omnes erunt sine celebritatibus nuptiarum sicut angeli in caelo. Non dixerat* (2) *Adae ,* mecum eris *; quia sciebat illum esse casurum , ut redimeretur a Christo. Felix ruina , quae reparatur in melius. Ideo iam pius pastor, bonus negotiator gregem suum, et mercem propriam non relinquit.* Hominem namque Deus *patrio* respexit *affectu*; et *quod pietatis est, quasi morituri Filii suscepit periculum, quasi orbitatis hausit dolorem, ne homini periret fructus redemptionis.*

Tum 2) negari debet, eam esse reparati ordinis vim ac rationem, quae non totum hamanum genus, sed partem illius dumtaxat aliquam complectatur. Etenim *mire Scriptura addidit*, pro nobis omnibus tradidit illum ; *ut ostenderet quod ita omnes diligat ; ut dilectissimum sibi Filium pro singulis traderet*. Quisque propterea hominum potest ac vero etiam debet gratus exclamare : « Non gloriabor quia iustus sum, sed gloriabor quia redemptus sum. Non gloriabor quia profui , neque quia profuit mihi quisquam; sed quia pro me advocatus apud Patrem Christus est ; sed quia pro me Christi sanguis effusus est «. De quovis homine potest ac vero etiam affirmari constantissime debet : « Tanta erga te fuit Dei dignatio, ut Filio proprio pro te non pepercerit. Pulcro verbo usa est Scriptura, ut Dei Patris erga te pium propositum declararet, qui Filium morti obtulit. Tantum fuit Domino studium tuae salutis, ut propemodum de suo periclitaretur, dum te lucraretur ». Nemo autem est, licet aeternum perierit, in quem non perfectissime quadrent verba (3) Salvatoris ad Iudam proditorem : *Iuda , osculo filium hominis tradis* ? Hoc est (4): « Tradis filium hominis homo, qui *propter hominum salutem* descendit de coelo? sic enim (5) scriptum est: *filius hominis qui est in coelo, ipse est qui descendit*

(1) Enarrat. in Ps. XXXIX. n. 20. col. 865. opp. T. I.
(2) Alludit ad ea quae habentur Luc. XXIII. 43.
(3) Luc. XXII. 48.
(4) Enarrat. in Ps. XXXIX. n 17. col. 863.
(5) Ioh. III. 13.

e coelo. Filium hominis tradis, qui te ex peccatore apostolum fecit : filium hominis tradis , qui venit ut in sanguine suo *omnium* peccata dilueret » ?

Quare 3) tenendum est, institutum divina pietate reparationis ordinem esse prorsus universalem, et hominibus omnino omnibus semper adfuisse, adesse, et ad extremum usque copiam facultatemque adfuturam , qua excussis peccatorum vinculis , Dei amicitiam et Dei cum Christo primogenito hereditatem nanciscantur. Quae quum alibi (1) Ambrosius saepissime doceat, tum etiam luculenter tradit, quum relatis (2) Christi verbis , *volo* , *mundare* , subdit (3) : « Omnibus dicit Jesus, *volo*, qui (4) non vult esse peccatum. *Velle* Christi *commune in omnes* est : mundari , fidei est credentis in Christum ». Quamquam enim (5) « mala Evae successio totum hominem devoraret ; praeclara Christi hereditas totum hominem liberavit. Non *ad unum* quidem , non *ad paucos* , sed *ad omnes* testamentum suum scripsit Iesus. Omnes scripti heredes sumus non pro portione , sed pro universitate. Testamentum *commune* est , et ius *omnium* , hereditas universorum et soliditas singulorum. Novum Testamentum singuli adeunt , et omnes possident: nec minuitur heredi, quidquid a coheredibus vindicatur. Manet emolumentum integrum, et eo magis singulis crescit, quo pluribus fuerit adquisitum. Alia conditio est hereditatis humanae. Si divisa fuerint emolumenta, minuuntur: et heredis est damnum descriptio coheredis. Indivisum regnum Christi est , indivisa hereditas . . . . Audiamus (6) igitur commoda haereditatis. *Remissio peccatorum* hereditas Christi est. Certe solida per singulos, et in commune est lucrativa; quibuscumque enim

(1) Enarrat. in Ps. XXXIX. nn. 6. seqq. coll. 860—861, in Ps. XL. n. 22. coll. 875—876, in Ps. XLVII. n. 16. col. 942, et Exposit. evang. sec. Lucam, lib. V. nn. 115--116. col. 1384. opp. T. I.

(2) Luc. V. 13.

(3) In Ps. CXVIII. n. 29. col. 1003.

(4) Al. *qui non vult esse peccatorem*, cui lectioni septem mss. patrocinantur.

(5) In Ps. CXVIII. n. 41. col. 1155.

(6) Idid. n. 42. col. 1156.

collata fuerit, nulli decedit, accedit omnibus . . . . . Hereditas Christi est *resurrectio*. Hanc quisquam damnum suum dixerit, quae in uno *communis gratiae* nomen invenit? Christus enim surgens, *omnibus* ressurrexit; quoniam per hominem resurrectio mortuorum. Quomodo igitur potest singulorum esse dispendium, quae est *totius corporis et humani generis reformatio*? recitetur itaque Testamentum, et institutiones eius (1) consideremus. *Testis autem nobis et Spiritus-sanctus. Cum enim dixerit: hoc autem testamentum quod testabor ad illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, et in sensibus eorum scribam eas. et peccati et iniustitiae eorum non memorabor.* O vere testator aeternus, qui nostris cordibus leges affigit suas, et scribit in sensibus; ut nihil aliud cogitare nisi divina praecepta possimus, nihil aliud sentire nisi Dei oracula debeamus. Dedit gratiam, *reformavit naturam*, sibique qui oblivisci nihil solet, memoriam meorum abstulit peccatorum, mihi dedit (2) praeceptorum suorum ».

CLV.

Quod si *velle Christi commune in omnes est*: si *ad omnes, non ad unum neque ad paucos Testamentum Christi pertinet*: si *eo omnes scripti sunt heredes*: si *remissio peccatorum nemini denegatur*: si *ad omnes reformatio se porrigit*: et si *gratia universis impenditur*; unde tandem factum arbitrabimur, ut plures in corrupta vetustate miseri iaceant, gratiae et reparationis utilitatem amittant, ac scripti licet heredes ipsa tamen haereditate priventur? ea nimirum lege factum arbitrabimur, qua aliud plane est *facultate potiri obtinendae hereditatis*, ac aliud *ipsam hereditatem adipisci*. Potestas enim assequendae hereditatis *universalis* est, ac *omnibus omnino communis*, quia neque aliunde pendet, neque aliunde quam ex pio Dei proposito ac benevola Christi oeconomia proficiscitur. Sed hereditatis consequutio *particularis*

(1) Hebr. X. 15. seqq.
(2) Ex praecedente inciso suppleri debet *memoria*.

est, illorumque *unice propria*, qui pio Dei proposito obtemperant, et Christo servatori semel adiungunt. Potestas adeundae hereditatis est *donum* misericordia Reparatoris *universae naturae* collatum; at hereditatis possessio est *merces*, quae *singulis quibusque personis* aequissima distributione rependitur. Potestas denique adeundae hereditatis *in nobis est sine nobis*; at illius assequendae felicitas hac una nobis lege contingit, *si cum Deo libere cooperemur*.

De qua lege nihil hisce praeclarius quae (1) scribit Ambrosius: « Vides igitur quod Verbum Deus et otiosum provocat, et dormientem excitat. Qui enim venit, et ianuam pulsat, *vult semper* intrare. Sed *in nobis* est quod *non semper* ingreditur, *non semper* manet. Pateat advenienti ianua tua, aperi animam tuam, expande gremium mentis tuae; ut videat divitias simplicitatis, thesauros pacis, suavitatem gratiae. Dilata cor tuum, occurre soli lucis aeternae, *quae illuminat omnem hominem*. Et illud quidem verum lumen *omnibus lucet:* sed si quis fenestras suas clauserit, *aeterno lumine se ipse fraudabit*. Excluditur ergo et Christus, si tu mentis tuae ianuam claudas: *etsi possit intrare, non vult tamen importunus irruere, non vult invitos cogere*. Ortus ex Virgine processit ex alvo, *universa totius orbis irradians*; *ut luceret omnibus*. Capiunt, qui desiderant fulgoris perpetui claritatem, quam nox nulla interpolat. Soli enim huic quem quotidie cernimus, nox tenebrosa succedit: sol autem iustitiae numquam occidit, quia sapientiae non succedit malitia ». Quo pariter ista (2) referuntur: « Miseretur Dominus, ne quis deficiat in via. Si quis ergo defecerit, *non per Dominum Iesum, sed per se deficit*: nec habes quod adscribas Domino, qui vincit cum iudicatur. Quid enim dices ei, *qui in te contulit omnia firmamenta virtutis*? nonne ipse te genuit, nonne ipse te pavit? cibus eius virtus est, cibus eius fortitudo est. Sed si tu *negligentia tua* virtutem quam acceperas perdidisti, non *alimentorum caelestium*, sed tuae mentis tibi praesidia defuerunt. Denique Dominus sicuti super

(1) In Ps. CXVIII. n. 13. coll. 1117—1118.
(2) Exposit. evang. sec. Lucam, lib. VI. n. 74. col. 1401.

iustos et iniustos pluit: ita etiam iniustos pascit et iustos». Et (1) rursum: « Dividit ergo escas Dominus Iesus. Et *ille quidem vult dare omnibus, negat nemini; dispensator enim est omnium*: sed cum ille panes frangat et det discipulis, si tu manus non extendas tuas, ut accipias *tibi* escas, deficies in via; *nec poteris in eum culpam tuam referre, qui miseretur et dividit*: sed his dividit, qui cum eo etiam in deserto permanent, qui primo et secundo et tertio die (2) non recedunt .... Noli (3) ergo deficere a disciplina Domini neque fatigeris cum ab eo increparis. Non fatigeris nunc, ne postea fatigeris. Quid enim respondebis ei: aut quomodo te excusabis, si escae virtutem quam ministrat, amiseris? *non potes dicere quia escam non dedit, quia dat omnibus. Non potes dicere quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum et malum; ut non ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.* Multum enim refert inter eum qui necessitate invitus aliquid agit, et inter eum qui ex voluntate quod bonum est eligit: *si* (4) *enim invitus hoc ago, dispensatio mihi credita est: si volens mercedem habeo.* Consideremus ergo quia stabimus ante tribunal Christi, et si opus nostrum arserit, *non habebimus quod excusare possimus.* Dicet enim quod iam per prophetam (5) loquutus est: *populus meus, quid feci tibi, aut in quo molestus fui tibi, responde mihi.* Dicet et ei, qui in via defecerit: qua ratione defecisti in via? *nonne panes fregi: nonne benedixi: nonne iussi dari? sed cur tu accipere noluisti* »?

E quibus palam est, quid possit ac vero etiam debeat responderi sciscitantibus, qui fiat ut tot inter homines rationis compotes a salute excidant ac aeternum damnentur. Inde ne *a*) fit, quod originalis culpa, humanam stirpem infecerit, infectamque perdiderit? nullatenus, tum quia hoc nomine nemo esse incolumis posset, tum quia originali cor-

(1) Ibid. n. 76. col. 1401.
(2) Ob oculos habet Ambrosius quae leguntur Matth. XV. 32.
(3) Ibid. n. 77. coll. 1401—1402.
(4) I. Cor. IX. 17.
(5) Mich. VI. 3.

ruptelae divina in Christo et per Christum reparatio succurrit. Inde ne *b*) fit, quod reparationis ordo particularis sit, neque ad universam Adami posteritatem extendatur? nihil minus, quum Deus pro sua misericordia omnibus consuluerit, et Christus omnibus sit natus, omnibus mortuus, ac omnibus resurrexerit. Inde ne *c*) fit, quod ordo reparationis sit sterilis, neque ex eo in omnes necessaria ad salutem auxilia dimanent? minime gentium, quum et efficax ille sit, et propterea divinitus selectus, ut quaevis excusationis ansa praecidatur, omnesque facultate comparandae salutis donentur.

Qui ergo fit, ut quum omnes superna largitate possint, non omnes tamen coelesti felicitate potiantur? quum *omnibus*, ut loquitur Nicetas (1) praesul aquileiensis, *Christus sit hominis filius, quia propter nos homines homo nasci dignatus est: omnibus sit sacerdos, quia suum corpus oblationem et hostiam obtulit Deo Patri pro nobis, et per nos dies singulos* (2) *offeri dignatur: omnibus sit via, quia per ipsum pergimus ad salutem: omnibus sit vitis, quia brachiorum palmites extendens in cruce, magnum saeculo praestitit dulcedinis fructum: omnibus sit redemptio, quia olim perditos sanguinis sui pretio nos redemit: omnibus sit medicus, quia infirmitates nostras et vulnera, sua visitatione curavit*: ac (3) *omnibus sit pax, quia dissidentes in unum collegit, et Deo Patri reconciliavit;* tot nihilominus reperiantur, qui vel divinam similitudinem numquam recuperent, vel semel recuperatam tandem amittant?

Nimirum inde 1) fit, quod tributa omnibus facultas non prodest, nisi libere accipiatur, acceptaque, uti par est, libe-

(1) De diversis appellationibus Domino nostro Iesu Christo convenientibus, pagg. 330—331. ap. em. Mai, Scriptt. Vett. Nov. Collect. Tom. VII.

(2) Quibus et sacrificium eucharisticum, et eiusdem quotidiana oblatio continetur.

(3) Alias Christi appellationes recenset Nicetas, et eo quidem modo, qui non admodum ab illo diversus est, quem in eodem argumento sequuti sunt Damasus carm. XI., Phaebadius aginnensis con. arianos, cap. VI., et Orientius in collect. Pisaur. T. VI, p. 89.

re adhibeatur. Inde 2) fit, quod copia obtinendae salutis non abs re *cum alimentis* confertur, sine quibus nemo vivit, sed cum quibus ii moriuntur omnes, qui illa non apte in suam utilitatem convertunt. Inde 3) fit, quod admodum intersit inter potestatem comparandae salutis, ac illius assequendae inductam necessitatem. Porro Deus, qui omnibus potestatem impertit, neminem necessitate adstringit atque compellit. Inde demum 4) fit, quod Deus sapiens ac bonus decreverit, ut adeptio hereditatis non *doni* magis quam *praemii* vim rationemque praeferret: doni quidem, quia illius adipiscendae facultas donum est: praemii vero, quia iis solum conferri hereditas debuit, qui acceptum donum non neglexerint, sed suam cum illo curam industriamque coniunxerint.

CLVI.

Quibus ego contentus essem, et ad alias quae adhuc sunt reliquae, lustrandas ecclesias animum converterem, nisi mihi religioni ducerem ecclesiam illam tacitus praeterire, quam Irenaeus (1) *maximam et antiquissimam et omnibus cognitam* appellat: *ad quam* (2) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*: *e qua* (3) *in omnes venerandae communionis iura dimanant*: et quae sicuti Italiae, ita totius catholici nominis potissimum decus est ac validissimum firmamentum. Paucis igitur investigabo, quid romana Petri sedes, quidve romani antistites de voluntate Dei salutifera, deque humanae reparationis ordine crediderint, quid docuerint, ac quid ex iis, *tamquam* (4) *e*

(1) Con. Haereses, lib. III. cap. III. n. 2.

(2) Ibid.

(3) Ita loquuntur patres synodi aquileiensis in litteris ad Imperatores datis, quae habentur apud Ambrosium epistt. class. II. epist. II.

(4) Huiusmodi allegoria, qua romanae sedis doctrina *cum fonte*, reliquarum vero ecclesiarum dogmata *cum deductis ex eo rivis* comparantur, frequens est in ecclesiasticis monimentis, ut colligere quisque potest ex epistola Aurelii, Alypii, Augustini, Evodii et Possidii ad Innocentium, ex huius litteris ad patres synodorum milevitanae et carthaginiensis, atque ex synodica a tribus Africae conciliis ad Theodorum pon-

natali suo fonte ceterae per universum orbem propagatae ecclesiae corrivarint.

Video autem hoc inprimis apud eos invaluisse doctrinae caput, etsi christianis temporibus multo in hominum genus divina gratia fluat copiosior, numquam tamen eidem penitus fuisse subtractum, quod ad vincendam culpam comparandamque salutem necessarium esset ac sufficeret. « Semper quidem, scribit (1) magnus Leo, diversis modis multisque mensuris humano generi *bonitas divina* consuluit, et plurima providentiae suae munera omnibus retro seculis *clementer* impertiit; sed in novissimis temporibus omnem abundantiam *solitae benignitatis* excessit, quando in Christo, ipsa ad peccatores misericordia, ipsa ad errantes veritas, ipsa ad mortuos vita descendit: ut Verbum illud coaeternum et coaequale genitori in unitatem deitatis suae naturam nostrae humilitatis assumeret, et Deus de Deo natus, idem etiam homo de homine nasceretur. Promissum quidem hoc a constitutione mundi, et multis significationibus rerum atque verborum semper fuerat prophetatum; sed quantam hominum portionem figurae illae et mysteria obumbrata salvarent? nisi longa et occulta promissa adventu suo Christus impleret; et quod tunc paucis credentibus profuit faciendum, innumeris iam fidelibus prodesset effectum ».

Quod autem incarnationis sacramentum *paucis profuerit faciendum*, repeti inde non potest, quod Dei bonitas plurimos neglexerit. « Permanet (2) enim *super omnes* benignitas Dei, et *nulli* misericordiam suam denegat, cum *indiscrete universis* bona multa largiatur, eosque quos merito subderet poenis, *mavult invitare beneficiis. Dilatio enim vindictae dat locum* (3) *poenitentiae.* Nec tamen dici potest nulla ibi

tificem missa, quae in Lateranensi concilio sub Martino I. act II. lecta, comprobataque occurrit.

(1) Serm. XXIV. al XXIII. in nativit. Domini IV., cap. I. col. 78. edit. Venet. 1753.

(2) Serm. XXXV. al XXXIV. in Epiphaniae solemnitate V. cap. IV. coll. 130--131.

(3) Quibus ista concinunt ex Serm. XLIII. al. XLI. de Quadragesima V. cap. III. col. 165: « Nemo (Rom. II. 4.) *patientiam bonitatis* Dei de

esse ultio, ubi nulla conversio est: quia mens dura et *ingrata* iam sibi ipsa supplicium est, et in conscientia sua patitur quidquid *Dei bonitate differtur* ». Inde ergo repetendum est, quod neque consideremus *ineffabilem erga nos divinorum munerum largitatem*; neque nostrarum esse partium existimemus *cooperari cum gratia Dei quae operatur in nobis*. « Non enim (1) dormientibus provenit regnum coelorum, nec otio desidiaque torpentibus beatitudo aeternitatis ingeritur; sed quia, sicut Apostolus (2) ait, *si compatimur, et conglorificabimur*, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus (3) se esse testatus est: qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, et sacramento consuluit et exemplo: ut in adoptionem vocatos per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem ».

Huc igitur redit providentiae ratio qua regimur, atque huc divina oeconomia qua gubernamur. Non antea *a*) nascimur ac inter homines censemur, quam nos misericors Dei benignitas exceperit. Hac *b*) beneficiis augemur, hac ad adoptionem provehimur, atque hac ad laborem imbuimur. Qui *c*) ne nobis supra vires gravis molestusque accidat, *et* (4) *gra-*

peccatorum suorum impunitate contemnat: nec ideo illum aestimet non offensum, quia necdum est expertus iratum. Non sunt longae vitae mortalis induciae, nec diuturna est licentia insipientium voluntatum in aeternarum dolorem transitura poenarum, *si dum iustitiae sententia suspenditur, poenitentiae medicina non quaeritur* ». Ac ista pariter consona sunt ex Serm. L. al. XLIX. de Quadragesima XII. cap. I. coll. 189--190: « Quamvis (Matth. XII. 11.) *benignitas sponsi cunctos* ad communionem regiarum invitet epularum, studendum est tamen universis vocatis, ut sacrorum ciborum munere non inveniantur indigni. Abutuntur autem quidam patientia Dei, et qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi: *cum ideo differatur ultio, ut tempus possit habere correctio*. Misericordiam igitur Dei nostri, quae (Ezech. XVIII. 32--33) *non vult mortem peccatoris, sed tantum ut convertatur et vivat*, non ideo quisquam tardet amplecti, quia quod meruit, non recepit. Neque enim quidquid differtur, aufertur; *aut condemnationem evasit, qui indulgentiam non quaesivit* ».

(1) Serm. XXXV. al. XXXIV. in Epiph. solemnit. V. caq. III. col. 130

(2) Rom. VIII. 17. coll. II. Tim. II. 12.

(3) Ioh. IV. 6.

(4) Ibid. cap. III. col. 130.

tia praetendit auxilium, et obedientia mollit imperium. Intonant enim d) quotidie auribus nostris eloquia Dei , et omnis homo, quid divinae iustitiae placeat, scire convincitur. Sed quia e) iudicium illud, quo (1) unusquisque recipiet prout gesserit, sive bonum, sive malum, *iudicaturi patientia et bonitate differtur; impunitatem sibi iniquitatis infidelium corda promittunt, et putant humanorum actuum qualitates ad divinae providentiae non pertinere censuram, quasi non evidentissimis plerumque suppliciis male gesta plectantur, aut non saepe caelestium comminationum terror ostendatur: quibus utique et fides monetur, et infidelitas increpatur.* Ac tamdiu *f)* increpatur, quamdiu (2) infideles *in suis actibus vitae huius finis invenerit; quoniam in inferno nulla est correctio, nec datur remedium satisfactionis , ubi iam non superest actio voluntatis , dicente* (3) *propheta David,* quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi?

Iamvero cuiusmodi eum esse ordinem putabimus, in quo clementia ac bonitas *primas* sibi vindicant *partes*: in quo iustitia *nonnisi altero gradu succedit* : et in quo , quamdiu mortalem vitam vivimus, *ipsae functiones iustitiae misericordia temperantur* , et *ad iuvandam promovendamque salutis assequutionem diriguntur* ? putabimus ne ordinem esse *reparationis* et *salutis,* an e contrario *damnationis* et *mortis*? ne verba quidem intelligant oportet , qui non illud constantissime profiteantur. Selegit ergo Deus *reparationis ordinem* quo *nulla* hominibus incumberet *necessitas pereundi,* ac *expedita* foret *comparandae salutis potestas.*

Sed eum ne ordinem quo *omnibus plane hominibus* tam felix potestas suppeteret ? docet, ingeminatque Leo , *humano generi bonitatem divinam semper consuluisse , et plurima providentiae suae munera omnibus retro seculis clementer impertiisse: super omnes Dei benignitatem permanere :* ac *nulli misericordiam denegari , qua indiscrete universis bona multa tribuuntur.* Non solum igitur reparationis ordinem elegit

(1) I. Cor. V. 10.
(2) Ibid. cap. IV. col. 131.
(3) Ps. VI. 6.

Deus, sed *ordinem* elegit *penitus universalem*; adeo ut ii tantum salutis iacturam patiantur, *qui otio desidiaque torpentes gratiae in ipsis operanti liberam cooperationem non adiungunt.*

CLVII.

De qua reparati ordinis plenissima universalitate insignia prorsus sunt quae romani praesules tradunt, quum descripta humani generis ruina, tam originem, quam media, necessitatemque restitutionis declarant. Ad aperiendam restitutionis originem ista pertinent, quae in celeberrima ad Corinthios epistola, ac olim in pluribus ecclesiis (1) recitata, Clemens (2) scribit: « Vinculum caritatis Dei (3) quis potest enarrare? magnificentiam bonitatis eius quis ut oportet eloqui sufficit? altitudo, ad quam evehit caritas, inenarrabilis est. Caritas nos Deo agglutinat. Caritas (4) operit multitudinem peccatorum. Caritas omnia sustinet, omnia (5) aequo animo fert. In caritate nihil sordidum, nihil superbum . . . Sine caritate nihil acceptum est Deo. ἐν ἀγαπῃ προσελαβετο ἡμας ὁ δεσποτης, δια την ἀγαπην, ἡν ἐσχεν προς ἡμας, το αἱμα αὐτου ἐδωκεν ὑπερ ἡμων ὁ Χριστος ὁ κυριος ἡμων, ἐν θεληματι θεου, και τὴν σαρκα ὑπερ της σαρκος ἡμων, και την ψυχην ὑπερ των ψυχων ἡμων. In caritate (6) nos assumpsit Dominus: propter caritatem, quam erga nos habuit, Christus Dominus noster, ex (7) voluntate Dei, sanguinem suum pro nobis tradidit, et carnem pro

(1) Referente Eusebio, H. E. lib. III. cap. XVI., et lib. IV. cap. XXIII.

(2) Epist. I. ad Corinthios, n. 49. col. 33. apud Petrum Coustant, edit. Paris. 1721.

(3) Laudat ista Hieronymus in comm. ad Ephes. IV. 1.

(4) I. Petr. IV. 8.

(5) I. Cor. XIII.

(6) Concinit Ephraem Syrus in tractatu περι ἀρετων και κακιων, inquiens: Δἰ ἀγαπης γαρ και ὁ θεος λογος ἐπι την γην παρεγενετο, δἰ αὐτης και ὁ παραδεισος ἠνεωκται ἡμιν, και ἀνοδος εἰς οὐρανον ἐπεδειχθη πασιν· ἐχθροι ὑπαρχοντες τῳ θεῳ δἰ αὐτης κατηλλαγημεν.

(7) Joh. III. 16. coll. I. Joh. IV. 9—10.

carne nostra, et (1) animam pro animabus nostris ». *Amor* ergo Patris, quo incarnationem decrevit, et *amor* Filii, qui corpus animamque suscepit, hominibus prospexit, conditionemque *lapsam* ac *perditam* in *erectam reparatamque* commutavit.

Cuius commutationis tanta erat necessitas, ut gravior ne cogitando quidem intelligi posse videretur. Ut enim adversus pelagianos disserit (2) Innocentius: « Quid acerbius in Dominum fingere potuerunt, quam cum adiutoria divina cassarent, causamque quotidianae precationis auferrent? hoc est dicere, quid mihi opus Deo? merito in hos dicit (3) hymnidicus: *ecce homines, qui non posuerunt Deum adiutorem sibi.* Negantes ergo auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina: qua privatus, necesse est (4) diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitae perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina! advertens (5) tandem, quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius utitur, in praevaricationem praesumptione conciderit, *nec ex hac potuit erui, nisi ei providentia regenerationis statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus*: audiat David (6) dicentem, *adiutorium nostrum in nomine Domini;* et (7), *adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Quae in cassum dixerit, si tantum in eius erat positum voluntate, quod a Domino flebili sermone poscebat ». A qui-

(1) His refelluntur ariani, qui assumptum ab Unigenito σωμα άψυχον contendebant.

(2) Epist. XXX. ad concil. milevit. n. 3. col. 897.

(3) Ps. LI. 9.

(4) Praeter hanc lectionem, cui aliquot mss. patrocinantur, alia habetur quum mss., tum Caelestini epist. XXI. cap. VII. auctoritate munita, quae praefert, *adverte tandem o pravissimarum mentium doctrina.*

(5) Haec ex hypothesi dicuntur, eoque pertinent ut significetur quid futurum esset, nisi reparatio intervenisset, minime vero quid *reipsa* contingat.

(6) Ps. CXXIII. 8.

(7) Ps. XXVI. 9.

bus ista non discrepant, quae de protoparentis pernicie ac reparatione (1) testatur, inquiens: « Liberum enim (2) arbitrium olim ille perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset invenit; suaque in aeternum libertate deceptus, huius ruinae iacuisset (3) oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia (4) relevasset adventus: qui per novae regenerationis purificationem, omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit; et eius firmans statum, quo rectius stabiliusque procederet, tamen suam gratiam in posterum non negavit. Nam quamvis redemisset hominem a praeteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi, quemadmodum posset illum et post ista corrigere, multa servavit: quotidiana praestat ille remedia, quibus nisi freti confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores. Necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adiuvante (5) vincamur ».

CLVIII.

Haec autem ab Innocentio adversus pelagianos errores solemniter definita, iisdem plane verbis ea in sylloge repetuntur, quae (6) inscribitur, *incipiunt praeteritorum sedis*

(1) Epist. XXIX. ad carthaginense concilium, n. 6. coll. 892-893.

(2) In editione Quesnelli legimus, *libero enim arbitrio olim ille perversus*. Verum huic lectioni refragantur mss. libri omnes, Augustinus ad Bonifacium lib. II. cap. IV. n. 6, Prosper con. Collatorem, cap. V. n. 15, et Caelestinus epist. XXI. n. 5, qui haec ipsa verba referunt. Innocentii mens satius *permissus*, quam *perversus* flagitare videtur; ita ut legi commode possit. *libero enim arbitrio olim ille permissus.*

(3) Cf. Augustinum ad Bonifacium con. duas epistolas pelagian. lib. II. n. 6, et Caelestinum epist. XXI. cap. IV.

(4) Al. *per suam gratiam.*

(5) Atqui non est cur nobis defuturum auxilium timeamus; *quotitidiana* namque Deus *praestat remedia.* Haec igitur dicuntur, non ut id significetur *quod fit,* sed ut oppugnata a paelagianis *gratiae necessitas* adprobetur.

(6) De hac sylloge utiliter consuluntur quae disserit Coustantius

apostolicae episcoporum auctoritates (1) *de gratia Dei*, quaeque litteris (2) Caelestini ad Gallos subiecta legitur. Repetuntur enim sive ut *a*) confirmetur, *in* (3) *praevaricatione Adae omnes homines naturalem* (4) *possibilitatem et innocentiam perdidisse, et neminem de profundo illius ruinae per liberum arbitrium posse consurgere, nisi eum gratia Dei miserantis erexerit:* sive ut *b*) stabiliatur, *neminem* (5) *etiam baptismatis gratia renovatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, et ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adiutorium Dei perseverantiam bonae conversationis acceperit:* sive ut *c*) persuasum omnibus sit, *quod* (6) *nemo, nisi per Christum, libero bene utatur arbitrio.*

Sed nemo plenius, nemo prae Leone magnificentius hoc doctrinae caput proposuit ac illustravit. Ceteris namque (7) sepositis, illius ista (8) sunt: « Verbum Dei Deus, Filius Dei, qui (9) in principio erat apud Deum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, *propter liberandum ab aeterna morte hominem, factus est homo*: ita se ad susceptionem humilitatis nostrae sine diminutione suae maiestatis inclinans, ut manens quod erat, assumensque quod non erat, veram (10) servi formam ei formae, in qua Deo Patri est aequalis, uniret: et tanto foedere naturam utramque con-

in admonitione ad epist. XXI. Caelestini, eique subnexas auctoritates, coll. 1178. seqq.

(1) Sunt editiones in quibus additur, *et libero voluntatis arbitrio.*

(2) Caelestini epist. XXI. ad episcopos Galliarum, cap. III. seqq. coll. 1189. seqq.

(3) Ibid. cap. IV. n. 5. col. 1189.

(4) Idest cum natura ipsa acceptam, etsi naturae non debitam.

(5) Ibid. cap. VI. n. 7. col. 1190.

(6) Ibid. cap. VII. n. 8. col. 1190.

(7) Cuiusmodi habentur Serm. XXIII. al. XXII. cap. III. coll. 75—76, Serm. XXIV. al. XXIII. cap. I. col. 79, Serm. XXV. al. XXIV. cap. V. col. 86, Serm. XXVI. al. XXV. cap. II. col. 88, Serm. XXXVII. al. XXXVI. cap. I. col. 136, Serm. LXX. al. LXVIII. cap. III. col. 274. et epist. XXVIII. al. XXIV. ad Flavianum, cap. II. col. 807.

(8) Serm. XXI. al. XX. cap. II. col. 65.

(9) Joh. I. 1.

(10) Philipp. II. 6.

sereret, ut nec inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumtio . . . Nisi enim esset Deus verus, non afferret remedium: nisi esset homo verus non praeberet exemplum ». Ac Leoni pariter ea debemus quae (1) sequuntur: « Deus omnipotens et clemens, *cuius natura bonitas*, cuius voluntas potentia, *cuius opus misericordia est*, statim ut nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, *praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia* inter ipsa mundi primordia praesignavit; denuntians (2) serpenti futurum semen mulieris quod noxii capitis elationem sua virtute contereret; Christum scilicet in carne venturum, Deum hominemque significans, qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis incorrupta nativitate damnaret. Nam (3) quia gloriabatur diabolus, hominem sua fraude deceptum divinis caruisse muneribus, et immortalitatis dote nudatum duram mortis subiisse sententiam, seque in malis suis quoddam de praevaricatoris consortio invenisse solatium; Deum quoque, iustae severitatis exigente ratione, erga hominem quem in tanto honore condiderat, antiquam mutasse sententiam: opus fuit secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus, *cuius voluntas non potest sua benignitate privari*, primam pietatis suae dispositionem sacramento occultiore compleret, et homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei propositum non periret ».

Quare (4) « advenientibus temporibus, quae *redemptioni hominum* fuerant praestituta, ingreditur (5) haec mundi infima Jesus Christus Filius Dei, de caelesti sede descendens, et a paterna gloria non recedens, novo ordine, nova nativitate generatus... Venit enim contagia nostra auferre non perpeti, nec succumbere vitiis sed mederi. Venit ut omnem languorem corruptionis et universa ulcera sordentium curaret animarum:

(1) Serm. XXII. al. XXI. cap. I. coll. 67—68.
(2) Gen. III. 12.
(3) Eadem prorsus habentur in epist. XXVIII. ad Flavianum, cap. III.
(4) Serm. XXII. cap. II. col. 68.
(5) Cf. epist. XXVIII. ad Flavianum, cap. IV.

propter quod oportuit, ut novo nasceretur ordine, qui novam impollutae sinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat . . . Qui statuerat deiecta erigere, confracta solidare ». Ceterum (1) « verax misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiae, sed ratione iustitiae. Nam superbia hostis antiqui non immerito sibi in omnes homines ius tyrannicum vindicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a mandato Dei spontaneos in obsequium suae voluntatis illexerat. Non itaque iuste amitteret originalem humani generis servitutem, nisi de eo, quod subegerat, vinceretur. Quod ut fieret, sine virili semine conceptus est Christus ex Virgine, quam non humanus coitus, sed Spiritus-sanctus fecundavit ».

Quum igitur (2) « persisteret improbus praedo et avarus exactor in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere, et dum vitiatae originis praeiudicium generale persequitur, chirographum, quo nitebatur, excedit, ab illo iniquitatis exigens poenam, in quo nullam reperit culpam. Solvitur itaque letiferae pactionis malesuasa conscriptio, et per iniustitiam plus petendi, totius debiti summa vacuatur. Fortis ille nectitur suis vinculis, et omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captivitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura, mors morte destruitur, nativitas nativitate reparatur: quoniam simul et redemptio aufert servitutem, et regeneratio mutat originem, et fides iustificat peccatorem ».

Post (3) « illam namque humanae praevaricationis primam et universalem ruinam, ex qua (4) *per unum hominem peccatum introivit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in*

(1) Serm. XXII. cap. III. col. 70.
(2) Ibid. cap. IV. col. 71.
(3) Serm. LII. al. L. cap. I. coll. 198—199.
(4) Rom. V. 12.

omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt ; nemo tetram diaboli dominationem, nemo vincula dirae captivitatis evaderet; nec cuiquam aut reconciliatio ad veniam, aut reditus pateret ad vitam, nisi coaeternus et coaequalis (1) Patri Deo Filius Dei, etiam hominis filius esse dignaretur, veniens (2) *quaerere et salvare quod perierat* : ut (3) sicut per Adam mors, ita per Dominum nostrum Jesum Christum esset resurrectio mortuorum ». Talibus enim (4) « vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi. Humilitas igitur Divinitatis nostra provectio est. Nos tanto redimimur pretio, nos tanto curamur impendio. Quis enim ab impietate ad iustitiam, a miseria ad beatitudinem esset recursus, nisi et iustus ad impios, et beatus inclinaretur ad miseros » ?

CLIX.

Quibus sane omnibus Clementis, Innocentii, Caelestini ac Leonis praeclaris disertisque testimoniis edocemur, ut ea inter quae certa in primis exploratae haberi debent, connumeremus : *a*) *post illam humanae praevaricationis primam universalemque ruinam* in eas hominum genus decidisse miserias, ut necessitati pereundi esset obnoxium, et *possibilitate* repetendae salutis destitutum, *nisi statum pristinae libertatis Christi Domini reformasset adventus, nisi illud gratia Dei miserantis erexisset, nisi Deus verus attulisset remedium, omnemque languorem corruptionis, universaque ulcera sordentium curasset animarum.*

Connumeremus *b*) deinde, *magnificentiam bonitatis divinae tantam esse, ut nequeat enarrari ;* huic referri in ac-

(1) His autem non absolutam, sed conditione affectam necessitatem significari, ea abunde declarant quae ex Leone nuper retulimus, et quibus docetur, *ineffabiliter multa* adfuisse Deo, quibus hominum genus repararet.

(2) Luc. XIX. 10.

(3) I. Cor. XV. 22.

(4) Serm. LII. al. L. cap. II. col. 199.

ceptis oportere, *quod nos Dominus assumpserit, quod propter caritatem, quam erga nos habuit, Christus ex voluntate Dei sanguinem suum pro nobis tradiderit, et carnem pro carne nostra, et animam pro animabus nostris; quod Deus, cuius natura bonitas, et cuius opus misericordia est, statim ut nos diabolica malignitas veneno suae mortificavit invidiae, praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praesignaverit; advenientibus autem temporibus quae redemptioni hominum fuerant praestituta, in hunc mundum descenderit, ut contagia nostra auferret, vitiis mederetur, captivitatis vasa raperet, in honorem suum ab antiquis purgatam flagitiis naturam revocaret, copiamque faceret ab iniquitate ad iustitiam, et a miseria ad beatitudinem remeandi.*

Ac propterea etiam *c*) connumeremus, statum humani generis, qui spectatis hominum operibus, *status esset ruinae ac damnationis*, interveniente Dei clementia ac bonitate, *statum esse reparationis ac salutis*. Et eius quidem reparationis, quae *prorsus universalis* sit; ita vero *efficax, actuosa, eorumque omnium fecunda*, sine quibus obtineri salus nequit, et cum quibus salutis assequutio in hominum potestate sita est; *ut ii solum damnentur ac pereant, qui beneficia divinae largitatis aspernantur.*

Sane de reparationis universalitate fas nemini erit ambigere, si nullum ea tempus excluserit, omnesque prorsus Adae posteros suo ambitu comprehenderit. Utraque enim conditione illud efficitur, ut universalis ea sit tam *tempore* quam *personis*, proindeque *absolute* sit *simpliciterque* universalis. Jamvero ad personas quod attinet, ea scribit Clemens, quae neminem plane exceptum demonstrant. Postquam enim (1) praemisit: *fratres, ita sentire nos oportet de Jesu Christo, ὡς περι Θεου, tamquam de Deo, tamquam de iudice vivorum et mortuorum; και οὐ δει ἡμας μικρα φρονειν περι της σωτηριας ἡμων, nec decet nos humilia sentire de salute nostra*; hanc illico (2) rationem

(1) Epist. II. ad Corinthios, cap. I. col. 40.
(2) Ibid. coll. 40—41.

subtexit: « Dum enim humiliter de illo sentimus, parva etiam nos accepturos speramus; et (1) dum tamquam exigua audimus, peccamus, οὐκ εἰδοτες ποθεν ἐκληθημεν, και ὑπο τινος, και εἰς ὁν τοπον, και ὁσα ὑπεμεινεν Ἰησους Χριστος παθειν ἑνεκα ἡμων, nescientes unde vocati sumus, et a quo, et in quem locum, et quanta sustinuit Jesus Christus pati pro nobis. Quam igitur ipsi rependemus remunerationem? aut quem ei fructum reddemus dignum eis quae dedit nobis? quanta (2) vero ei debemus pia? nam lucem nobis largitus est; tamquam pater nos filios appellavit; ἀπολλυμενους ἡμας ἐσωσεν, pereuntes nos servavit. Qualem ipsi laudem tribuemus, aut (3) mercedem qua compensemus quae accepimus, qui mente eramus capti, et adorabamus lapides, ligna, aurum, argentum atque aes, hominum opera; et tota vita nostra nihil aliud erat quam mors? obscuritate itaque circumdati, et tali caligine plenum habentes visum, respeximus, eam nebulam qua cingebamur, illius voluntate deponentes. Ἠλεησεν γαρ ἡμας και σπλαγχνισθεις ἐσωσεν, θεασαμενος ἐν ἡμιν πολλην πλανην και ἀπωλειαν, και μηδεμιαν ἐλπιδα ἐχοντας σωτηριας, εἰ μη την παρ' αὐτου. ἐκαλεσεν γαρ ἡμας οὐκ ὀντας, και ἠθελησεν ἐκ μη ὀντος εἰναι ἡμας. Nam miseratus est nos, et visceribus commotus salvos fecit, quum vidisset in nobis multum errorem atque interitum, nec ullam nos habere salutis spem, praeter eam (4) quae ab ipso

(1) Ita Coustantius latine reddit, quae graece sic se habent: και οἱ ἀκουοντες, ὡσπερ μικρων. Quae non immerito viris eruditis impedita et hiulca visa sunt, atque adeo supplenda sive cum Wottono, και (ἡμεις) οἱ ἀκουοντες κ. τ. λ., sive cum Birrio, και οἱ (παρ) ακουοντες κ. τ. λ., et concinnius vertenda, *quique negligenter* (haec) *audimus, quasi tenuia sint, peccamus.*

(2) In subiecta adnotatione inquit Constantius: « Seu *spiritalia*, supple *munera*. Mox enim de luce spiritali loquitur. Quocirca Vendelinus Clementis mentem minime videtur assecutus hac versione, *quantam vero ei debemus sanctimoniam* » ? atqui vertendum omnino est, *quanta vero ei debemus beneficia*; quum alexandrinis Scripturae interpretibus ὁσια crebro sint *beneficia*.

(3) Cotelerius minus dextere in hoc loco versatur reddens *mercedem compensationis eorum quae accipimus.*

(4) Rom. IV. 17, IX. 25.

est. Vocavit enim nos cum non essemus, et ex eo quod non erat nos esse voluit.

Quae ut testimonio suffragioque (1) Scripturarum confirmavit, nullis interiectis (2) pergit: « Alia quoque Scriptura (3) dicit, *quia non veni vocare iustos, sed peccatores.* *τουτο λεγει, ὁτι δει τους ἀπολλυμενους σωζειν· ἐκεινο γαρ ἐστιν μεγα και θαυμαστον, οὐ τα ἑστωτα στηριζειν, ἀλλα τα πιπτοντα.* Hoc est, quia debeat pereuntes servare. Illud siquidem magnum et admirabile est, non quae stant, sed quae cadunt fulcire· *οὑτως ὁ Χριστος ἠθελησεν σωσαι τα ἀπολλυμενα, και ἐσωσεν πολλους ἐλθων, και καλεσας ἡμας ἠδη ἀπολλυμενους.* Ita Christus pereuntia voluit servare, et servavit multos dum venit, dumque nos iam pereuntes vocavit ».

Nos igitur ii sumus, ad quos Clemens testatur procuratam Christi adventu reparationem pertinere. Sed quotnam pronomine *ἡμας*, *nos*, intelligit? *aliquot* ne solum ex hominibus, iisque fidelibus, an *omnes* e contrario homines significat? illos significat, qui essent *πηροι τῃ διανοιᾳ*, *mente capti, idololatriae addicti, multiplici errore ac morbo implicati, nulla in seipsis spe suffulti*, ac uno verbo, *ἀπολλυμενοι*, *pereuntes.* Atqui *descriptiones* sunt istae, quae universum exhibent hominum genus originali labe et consequutis deinde flagitiis innexum ac profligatum. Reparatio igitur, quae Christo debetur, ea est, quae neminem excipit, ad omnes se porrigit, ac nota indicioque universalis amplitudinis decoratur.

CLX.

Ac re sane vera, inquit (4) Leo: « Salvator noster hodie natus est, gaudeamus. Neque enim locum fas est ibi esse tristitiae, ubi natalis est vitae: quae consumto mor-

(8) Is. LIV. 1. coll. Gal. IV. 27.
(9) Ibid. capp. II—III. coll. 41—42.
(6) Matth. IX. 13, Luc. V. 32.
(2) Serm. XXI. al. XX. cap. I. col. 64.

talitatis timore, nobis ingerit de promissa aeternitate laetitiam. *Nemo* ab huius alacritatis participatione secernitur, una *cunctis* laetitiae communis est ratio : quia Dominus noster peccati mortisque destructor, *sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Gaudeat *peccator*, quia invitatur ad veniam. Animetur *gentilis*, quia vocatur ad vitam. Dei namque filius secundum plenitudinem temporis, quam divini consilii inscrutabilis altitudo disposuit, *reconciliandam auctori suo naturam generis assumsit humani ;* ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur ». Ac eo vinceretur triumpho, quo universa hominum natura repararetur. « Inter (1) omnia namque opera misericordiae Dei, quae ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quam quod *pro mundo* crucifixus est Christus. Huic enim sacramento universa praecedentium saeculorum mysteria servierunt, et quidquid in hostiarum differentiis, in propheticis signis et legalibus institutis sacra dispensatione variatum est, hoc praenuntiavit dispositum, hoc promisit implendum : ut nunc imaginibus figurisque cessantibus hoc prosit credere iam effectum, quod antea profuit credidisse faciendum ».

Neque in gratiam faciendum dumtaxat aliquorum, sed omnino omnium, ac eorum etiam qui sua perfidia aeternum periere. « Quidquid (2) enim Domino illusionis et contumeliae, quidquid vexationis et poenae furor intulit impiorum, non de necessitate toleratum, sed de voluntate susceptum est : *venit* (3) *enim filius hominis quaerere et salvare quod perierat*: et sic *ad omnium redemtionem* utebatur malitia persequentium, ut in mortis eius resurrectionisque sacramento, *etiam interfectores sui possent salvi esse, si crederent.* Unde scelestior omnibus, *Iuda*, et infelicior extitisti : quem non poenitentia revocavit ad Dominum, sed desperatio traxit ad laqueum. Expectasses consummationem criminis tui, et do-

(1) Serm. LIV. al. LII. cap. I. coll. 203—204.
(2) Serm. LIV. al. LII. cap. III. coll. 204--205.
(3) Luc. XIX. 10.

nec sanguis Christi *pro omnibus peccatoribus* funderetur; informis leti suspendium distulisses. Cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, *tot dona* torquerent, illa saltem te a praecipitio tuo sacramenta revocassent, quae in paschali coena iam de perfidia tua signo divinae scientiae detectus, acceperas. Cur de eius bonitate diffidis, qui te a corporis et sanguinis sui communione non repulit? qui tibi ad comprehendendum se cum turbis et armatorum cohorte venienti, pacis (1) osculum non negavit? sed homo inconvertibilis, *spiritus* (2) *vadens et non revertens*, cordis tui secutus es rabiem, et stante diabolo a dextris tuis, iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaveras caput, in tuum verticem retorsisti: ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua iudicem, te pateretur tua poena carnificem ».

Quod minime factum esset, si confidentiae, quemadmodum opus erat, locum desperatio permisisset. « Passio namque (3) Christi salutis nostrae continet sacramentum, et de instrumento, quod iniquitas iudaeorum paravit ad poenam, potentia Redemtoris gradum nobis fecit ad gloriam: quam Dominus Iesus *ita ad omnium hominum suscepit salutem*, ut inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus, *pro interfectoribus suis* paternae clementiae supplicaret et (4) diceret: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* ». Neque (5) mirum: « Nulli siquidem infirmorum Crucis est negata victoria: nec quisquam est, *cui non Christi auxilietur oratio*. Quae si multis in ipsum saevientibus profuit, quanto magis eos qui ad ipsum convertuntur, adiuvat? sublata est ignorantia, temperata est difficultas, et igneam illam, qua vitae regio erat (6) inclusa, romphaeam, sacer Christi sanguis extinxit. Verae luci antiquae noctis cessit obscuritas. Invitatur ad paradisi divitias populus christianus, et cun-

(1) Ioh. XVIII. 5.
(2) Ps. LXXVII. 39, *et* CVIII. 6.
(3) Serm. LV. al. LIII. cap. I. coll. 208--209.
(4) Luc. XXIII. 34.
(5) Serm. LXVI. al. LXII. cap. III. col. 257.
(6) Suspicatur Quesnellus commodius legi, *interclusa*.

etis regeneratis ad amissam patriam patefactus est reditus, *si nemo sibi illam viam facit claudi , quae fidei latronis potuit aperiri* ».

Quae sane omnibus omnino pateret, nisi essent qui sibi illam obstruerent. « Confitendum (1) namque est, quod beatus magister gentium Paulus apostolus gloriosa voce (2) confessus est, dicens: *fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Hinc enim mirabilior est erga nos misericordia Dei , quod non pro iustis neque pro sanctis , sed pro iniquis et impiis (3) Christus est mortuus: et cum mortis aculeum recipere non posset natura deitatis, suscepit tamen, nascendo ex nobis, quod posset offerre pro nobis. Olim enim morti nostrae mortis suae potentia minabatur, dicens (4) per Oseam prophetam: *o mors , ero mors tua , et ero morsus tuus inferne.* Leges enim inferni moriendo subiit , sed resurgendo dissolvit: et ita perpetuitatem mortis incidit, ut eam de aeterna faceret temporalem. *Sicut enim* (5) *omnes in Adam moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* ».

Malignitas namque (6) diaboli « fudit sanguinem iustum, qui *reconciliando mundo* et pretium esset et poculum. Suscepit Dominus, quod secundum propositum suae voluntatis elegit. Admisit in se impias manus furentium , quae dum proprio incumbunt sceleri, famulatae sunt Redemtori. Cuius etiam *circa interfectores suos* tanta erat pietatis affectio, ut de cruce supplicans Patri, non se vindicari, sed illis postularet ignosci (7), dicens : *Pater dimitte illis , quia nesciunt quid faciunt.* De cuius utique orationis potentia fuit, ut praedicatio Petri apostoli, ex iis qui (8) dixerunt : *sanguis illius super nos , et super filios nostros* ; multorum ad

(1) Serm. LIX. al. LVII. cap. VIII. col. 229.
(2) I. Tim. I. 15.
(3) Rom. V. 6.
(4) Oseae XIII. 14.
(5) I. Cor. XV. 22.
(6) Serm. LXII. al. LX. cap. III. coll. 239—240.
(7) Luc. XXIII. 24.
(8) Matth. XXVII. 25.

poenitentiam corda converteret, et (1) uno die baptizarentur tria fere millia Iudaeorum, fieretque omnium cor unum et anima una, paratorum iam pro eo mori, quem poposcerant crucifigi.

Ad hanc (2) indulgentiam traditor Iudas pervenire non (3) potuit: quoniam perditionis filius, cui diabolus (4) stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam sacramentum *generalis redemtionis* Christus impleret. Nam mortuo *pro omnibus impiis* Domino, potuisset etiam (5) *forte* hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum. Sed maligno cordi, et nunc furti fraudibus dedito, nunc parricidialibus commerciis occupato, nihil umquam documentorum misericordiae Salvatoris insederat. Impiis acceptaverat auribus Domini verba (6) dicentis: *non veni vocare iustos sed peccatores:* et *filius hominis venit quaerere et salvare quod perierat*: nec intellexerat clementiam Christi, qui non solum corporeis infirmitatibus medebatur, sed etiam vulnera debilium curabat animarum, dicens (7) paralytico: *constans esto, fili, remissa sunt* tibi *peccata tua;* dicens et oblatae sibi (8) adulterae, *nec ego te condemnabo, vade et amplius noli peccare*: ut per omnia opera sua ostenderet, *in illo adventu suo Salvatorem mundi se venisse, non Iudicem.* A quo intellectu alienatus impius traditor insurrexit in semetipsum, non iudicio poenitentis, sed furore pereuntis: ut qui vitae auctorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suae etiam moriendo peccaret »,

Idcirco autem peccaret, quod spem abiecerit (9): «Cum

(1) Actt. II. 41. coll. IV. 32.

(2) Ibid. cap. IV. col. 240.

(3) Non potuit, quia noluit, ut quae sequuntur omnia, plane demonstrant.

(4) Ps. CVIII.

(5) Haec particula *forte* in aliis editionibus desideratur. Sed quamquam adprobetur, vim illa refert non *dubitationis*, sed *gravioris cuiusdam difficultatis*, in quam se Iudas sua perversitate coniecerat.

(6) Matth. IX. 13. coll. Luc. V. 32.

(7) Matth. IX. 3.

(8) Ioh. VIII. 11.

(9) Serm. LXVII. al. LXV. cap. III. coll. 261—262.

qui venit peccatores salvos facere, *nec ipsius quidem interfectoribus suis misericordiam denegavit*, sed impiorum malum in bonum credentium commutavit: ut mirabilior fieret gratia Dei non secundum merita hominum, sed secundum multitudinem divitiarum sapientiae et scientiae Dei *misericorditer* praeparata, quando et ipsos qui fuderant sanguinem Salvatoris, reciperet (1) unda baptismatis . . . Quod itaque Dominus Iesus Christus furorem frementium pati voluit , in nullo auctor (2) eorum criminum fuit: nec egit ut hoc vellent, sed cessit ut possent: et sic usus est obcaecatae plebis insania, quomodo et perfidia traditoris, quam ab immanitate concepti sceleris, *et beneficiis revocare est dignatus et verbis*, assumendo in discipulum, provehendo in apostolum, monendo signis, consecrando mysteriis, *ut cui nihil benevolentiae deesset ad correctionem, nihil occasionis superesset ad crimen.*

Sed (3) tu, impiissime homo , . . . utiliora tibi diaboli incitamenta credebas: ut facibus inflammatus avaritiae , ad triginta argenteorum lucrum inardesceres , et quid divitiarum amitteres, non videres . . . Unde facinus commercii tui non ideo detestandum est, quia Dominum viliter aestimasti, *sed quia Redemtorem etiam tuum, ne tibi parceres, vendidisti.* Et merito tibi tua poena commissa est, quia in supplicium tuum nemo te saevior potuit inveniri».

CLXI.

Quorum ego perspicuitate ac evidentia ita percellor, ut neminem futurum pro certo habeam , qui universalem reparationis amplitudinem in dubitationem adducat. Etenim quidnam , amabo , postulari non absurde potest, ut plane universalis existimetur? an ut *a*) sententiis aientibus *omnes* reparati, *omnes* dicantur redempti? atqui inculcari passim audivimus, *generalem* esse *redemtionem*, *ad omnes* pertinere, *communem* esse, *genus humanum* ea comprehendi, comprehendi *mun-*

(1) Actt. II. 37—41.
(2) Actt. IV. 27.
(3) Ibid. cap. IV. col. 262.

dum, eiusque ambitu *infirmos omnes, elisos, perituros que* contineri.

An ut *b*) sententiis negantibus *nemo* a reparatione exceptus, ac *nemo* a redemptione alienus doceatur? atqui frequentissimus est eiusmodi sententiarum usus, et crebro ingeminatur, *neminem* a beneficio reparationis excludi, *neminemque* reperiri, cui Servatoris pietas non consuluerit.

An ut *c*) sententiis distributis omnes et singulae hominum classes iis auctae bonis, iisque erectae praesidiis exhibeantur. quibus reparatio constat? atqui nulla est classis, cui profecta ex reparatione beneficia non tribuantur. Tribuuntur enim *gentilibus*, tribuuntur *peccatoribus*, tribuuntur *Christi interfectoribus*, ac illi etiam tribuuntur, cui a proditione infame *proditoris* nomen adhaesit.

An ut *d*) comparativis sententiis eadem universalis amplitudo proponatur? atqui his quoque proponitur, sive quum reparatio per Christum cum ruina confertur, quam Adami labes invexit, sive quum iidem fines reparationi ac originali praevaricationi adsignantur.

An ut *e*) affectis exceptione sententiis ii omnes ac soli beneficio reparationis privati ferantur, qui viam sibi salutis obstruxerint, ac reditum ad caelestem patriam impedierint? atqui hasce quoque sententias semel ac iterum usurpatas accepimus.

An ut *f*) supremum hominum exitium inde maxime coarguatur, quod ab incredibili quodam divinorum beneficiorum contemptu seiungi divellique non possit? atqui ne istud quidem praetermittitur, quum eo maxime nomine accusetur Iudas, qnod *semet contra Dei voluntatem perdiderit, quod redemptorem suum, ne sibi parceret, vendiderit,* quodque semet laqueo suffocarit, *quum nihil sibi benevolentiae deesset ad correctionem, et nihil occasionis superesset ad crimen.*

An denique ut *g*) ea reseretur origo, eaque reparationis caussa, quae neque limites patiatur ullos, neque ullos fines recipiat? atqui origo quae aperitur, et caussa reparationis quae ostenditur, *ipsa est infinita Dei et Christi eius misericordia, quae tantum patet, quantum semet humana miseria protendit.* Vel igitur nihil est quod effici testibus,

quodque demonstrari testimoniis possit; vel omnino censeri demonstratum debet, ex apostolicae sedis professione ac doctrina ad universum hominum genus, omnesque prorsus homines statum beneficiumque reparationis pertinere.

CLXII.

Sic vero ad omnes pertinere, ut ne momentum quidem temporis a miserrima Adami praevaricatione defluxerit, quod beneficiis implendae tandem consummandaeque reparationis vacaverit. « Non enim, scribit (1) Leo, quia secundum inscrutabile propositum sapientiae Dei novissimis diebus (2) *Verbum caro factum est*, ideo salutiferae Virginis partus, *extremi tantum temporis generationibus profuit, et non se etiam in praeteritas refudìt aetates*. Omnis prorsus antiquitas colentium Deum verum, omnis numerus apud secula priora sanctorum, in hac fide vixit et placuit; et neque patriarchis, neque prophetis, neque cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi salus et iustificatio fuit: quae sicut expectabatur multis prophetarum oraculis signisque promissa, ita est etiam ipso munere atque opere praesentata ». Antecesserunt (3) namque « figurae, ut sequeretur effectus; et adventu rerum nuntiatarum finita sunt officia nuntiorum, sic reconciliatione humani generis temperata, *ut salus quae in Christo est, nullis saeculis sub eadem iustificatione defuerit*; et ad hoc dilationum profecerit ratio, ut quae diu credita sunt antequam fierent, incunctanter honorarentur. Nam cum virtus fidei in iis (4) quae visui non subiacent constituta sit, *indulgentius* nobiscum egit doctrina caelestis, quos in haec mundi tempora distulit, ut ad intelligentiae facilitatem, multo pluribus quam priores et vatibus uteremur et testibus ».

Opus est igitur accurate diligenterque secernere: *a*)

(1) Serm. LII. al. L. cap. I. col. 199.

(2) Ioh. I. 14.

(3) Serm. LXIX. al. LXVII. cap. II. coll. 268—269.

(4) Hebr. XI. 1.

quando primum expleta reparatio fuerit, et quando suam illa virtutem explicare inceperit: tum vero *b*) cuiusmodi statui discrimen debeat inter homines, qui ante vel post expletum reparationis sacramentum mortalem vitam degerint. Ad illud enim quod spectat, in promptu est responsio: non antea opere ipso expletam fuisse reparationem, quam plenitudo temporum advenisset; nihilominus nullis seculis ea defuisse beneficia, quorum perfecta absolutaque reparatio fons extitit ac uberrima origo. Ad alterum vero quod pertinet, tenendum est: *indulgentius* quidem cum iis actum esse ac porro agi, qui post temporum plenitudinem vixerunt ac vivent; necessaria tamen comparandae salutis praesidia iis etiam adfuisse, qui elapsis antea seculis mortalis vitae stadium absolverant.

Quae quidem omnia Leo insigniter explanat, quum excitatis (1) auditoribus *ad promissam fidei intelligentiam*, iisdemque commonefactis, *ne contenti sint facti ordinem nosse, nisi etiam ipsam rationem impensae sibi pietatis inspexerint; ut auctorem suum humana natura, sciendo quantum ab eo sit dilecta, plus diligat;* continuo (2) addit: « Miserendi nostri caussam Deus *nisi in sua bonitate* non habuit, et mirabilior est secunda hominum generatio quam prima conditio; quia plus est in novissimis saecnlis reparasse Deum quod perierat, quam a principio fecisse quod non erat. Libertatem itaque innocentiae naturalis, quam primorum parentum praevaricatione perdidimus, nulla per se sanctorum praecedentium merita receperunt: quia lata in transgressores sententia omnem progeniem captivae posteritatis obstrinxit, et nemo extitit exsors a damnatione, quia nullus fuit liber a crimine. Sed redemtio Salvatoris destruens opus diaboli et rumpens vincula peccati, ita magnae pietatis suae *disposuit* sacramentum, ut usque ad consummationem quidem mundi praefinita generationum plenitudo decurreret, *sed renovatio originis per iustificationem indiscretae fidei ad omnia retro saecula pertineret.* Incarnatio quippe Verbi, et oc-

(1) Serm. LXVI. al. LXII. cap. I. col. 255.
(2) Idid. coll. 255—256.

cisio ac resurrectio Christi, universorum fidelium salus facta est, et sanguis unius iusti hoc nobis donavit, qui eum *pro reconciliatione mundi* credimus fusum, quod contulit patribus, qui similiter credidere fundendum ».

Quare alio rursum sermone, explicata primum his verbis (1) tam amplitudine, quam incarnationis necessitate: « Ut ergo ad aeternam beatitudinem ab originalibus vinculis, et a mundanis revocaremur erroribus, ipse ad nos descendit, ad quem nos non poteramus ascendere: quia etsi multis (2) inerat amor veri, incertarum tamen opinionum varietas fallentium daemonum decipiebatur astutia, et falsi nominis scientia in diversas compugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur. Ad auferendum autem hoc ludibrium, quo captivae mentes superbienti diabolo serviebant, non sufficiebat doctrina legalis, nec per solas cohortationes propheticas poterat natura nostra reparari; sed adiicienda erat veritas redemtionis moralibus institutis, et corruptam ab initio originem novis renasci oportebat exordiis. Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quae et nostri generis socia, et nostrae contaminationis esset aliena: *ut hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit nativitate ac passione deleri, ad omnium generationum saecula pertineret*: *nec turbarent nos, sed potius confirmarent mysteria pro temporum ratione variata, cum fides, qua vivimus, nulla fuerit aetate diversa* ». Nulla interiecta (3) mora, subdit: « Cessent igitur illorum querelae, qui impio murmure divinis dispensationibus obloquentes, de dominicae nativitatis tarditate caussantur, *tamquam praeteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi aetate sit gestum*. Verbi enim (4) incarnatio hoc contulit faciendum, quod factum; *et sacramentum salutis humanae nulla umquam antiquitate cessavit*. Quod praedicaverunt apostoli, hoc annuntiaverunt prophetae: nec

(1) Serm. XXIII. al. XXII. cap. III. coll. 75—76.

(2) Sine quo humana natura non infecta, ac praeternaturalibus et supernaturalibus spoliata donis, sed funditus perdita censenda esset.

(3) Ibid. cap. IV. col. 76.

(4) Cum his consentiunt quae disserit Augustinus epist. XLIX. ad Deogratias, quaest. II.

sero est impletum, quod semper est creditum. *Sapientia* vero et *benignitas Dei* hac salutiferi operis mora, capaciores nos suae vocationis effecit: ut quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat saecula praenuntiatum, in his diebus Evangelii non esset ambiguum: et nativitas Salvatoris, quae omnia miracula, omnemque humanae intelligentiae erat excessura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto praedicatio eius et antiquior praecessisset et crebrior. Non itaque novo consilio Deus rebus humanis, *nec sera miseratione* consuluit; *sed a constitutione mundi unam eamdemque omnibus caussam salutis instituit.* Gratia enim Dei, qua semper est universitas iustificata sanctorum, *aucta* est Christo nascente, *non coepta*: et hoc magnae pietatis sacramentum, quo totus iam mundus impletus est, *tamen potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti sint, qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum* «.

Duplici ergo potissimum dote parta Christi sanguine humani generis reparatio excellit ac fulget: *universalitate* inprimis *personarum*, qua omnes singulosque homines comprehendit: ac *universalitate* deinde *temporum*, qua aetates omnes complexa sic est, ut ne unam quidem suis vacuam gratiis praeterierit. Neque enim *ad promissam fidei intelligentiam* eos conscendisse existimare possumus, qui vel *a*) opus ipsum expletae redemptionis ab eiusdem virtute non distinguunt: vel *b*) iisdem cancellis opus eiusque virtutem circumscribunt: vel *c*) moram expletae consummataeque redemptionis non sapientiae ac benignitati, sed severitati iustitiaeque tribuendam arbitrantur. Quamquam enim extremis solum temporibus Unigenitus in mundum venerit, mortem obierit, ipsumque reparationis opus fuso sanguine consummarit; illius nihilominus virtus nullas aetates praeteriit, nullasque suis donis privavit. Et quamquam sera forte dici possit nativitas ac mors reparatoris; sera tamen neque dici, neque credi debet misericordia reparantis. Siquidem *a constitutione mundi unam eamdemque omnibus caussam salutis instituit.* Quemadmodum vero *misericordiae* fuit, nemini umquam necessaria auxilia denegare; ita *sapientiae*, *benignita-*

tisque fuit quibusdam veluti gradibus humanam familiam educare, provehere, et ad quoddam perfectionis veluti fastigium adducere. Quod quidem dilato reparationis opere institutor ac reformator hominum praestitit; *gratia namque Dei qua semper est universitas iustificata sanctorum, aucta est, Christo nascente non coepta.*

CLXIII.

Quibus edocemur praeter utramque universalitatem personarum ac temporum, *tertiam* quoque *dotem efficaciae et fecunditatis* ordini reparationis convenire. Sane huic stabiliendae comprobandaeque doti pleraque omnia ex iis conducunt, quae hucusque descripsimus: conducit et ipsum reparationis nomen, quod ab efficacia seiunctum ne concipi quidem animo potest: tum alia conducunt omnino luculenta, quae romani praesules contestantur. Hos inter Clemens de iis sermonem habens, quae in nostram utilitatem Christus praestitit ac (1) praestare pergit, ait: « Haec est via, carissimi, in qua invenimus salutare nostrum Iesnm Christum, *τον ἀρχιερεα των προσφορων ἡμων, τον προστατην και βοηθον της ἀσθενειας ἡμων*, pontificem (2) oblationum nostrarum, patronum et auxiliatorem infirmitatis nostrae. *Δια τουτου ἀτενισωμεν* (3) *εἰς τα ὑψη των οὐρανων, δια τουτου ἐνοπτρισωμεθα την ἀμωμον και ὑπερτατην ὀψιν αὐτου, δια τουτου ἠνεωχθησαν ἡμων οἱ ὀφθαλμοι της καρδιας, δια τουτου ἡ ἀσυνετος και ἐσκοτωμενη διανοια ἡμων ἀναθαλλει εἰς το θαυμαστον αὐτου φως, δια τουτου ἠθελησεν ὁ δεσποτης της ἀθανατου γνωσεως ἡμας γευσασθαι· ὁς ὠν ἀπαυγασμα της μεγαλωσυνης αὐτου, τοσουτῳ μειζον ἐστιν ἀγγελων, ὁσῳ διαφορωτερον ὀνομα κεκληρονομηκεν.* Per hunc in altitudines caelorum oculos defigemus; per hunc speculabimur expertem labis et supremum illius vultum; per hunc (4) aperti sunt oculi cordis nostri;

(1) Epist. I. ad Corinthios, cap. XXXVI. coll. 26--27.

(2) Hebr. IV. 15, VIIi. 1—3.

(3) Wottonus, alii malunt legere *ἀτενιζομεν*, *aspicimus*, ac mox, *ἐνοπτριζομεθα*, *speculamur*.

(4) Ephes. I. 18.

per hunc (1) insipiens et obscurata mens nostra in admirabilem eius lucem assurgit; per hunc voluit Dominus, ut immortalem scientiam gustaremus, qui (2) cum sit splendor maiestatis eius, tanto maior est angelis, quanto differentius nomen hereditavit. Ita quippe (3) scriptum est *qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis.* De filio autem suo sic dixit (4) Dominus: *filius meus es tu, ego hodie genui te; postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam* et possessionem tuam *terminos terrae.* Et iterum (5) dicit ad eum: *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Τινες οἱ (ἐχθροι αὐτου); οἱ φαυλοι και ἀντιτασσομενοι* (6) *του Θεου τῳ θεληματι το θελημα ἰδιον.* Quinam sunt inimici eius? qui pravi sunt, quique divinae voluntati suam voluntatem opponunt ».

Nullum itaque contraximus morbum, cui Deus per Christum medicinam non adhibuerit; nullumque amisimus ornamentum, quod nobis Deus per Christum non restituerit. Nobis enim *scientiam* restituit *contra ignorantiam*, *virtutem contra infirmitatem*, et *coniunctionem societatemque cum summo vero, summoque bono contra separationem, qua ab eo praevaricando discessimus.* Unde Clemens nos provocans ad considerandum (7) *της ἁγιας κλησεως ἡμων κανονα*, *sanctae vocationis nostrae canonem*, inquit: « Videamus quid bonum, quid gratum, acceptumque sit coram eo qui fecit nos. *Ἀτενισωμεν εἰς το αἱμα του Χριστου, και ἰδωμεν, ὡς ἐστιν τιμιον τῳ θεῳ αἱμα αὐτου, ὁ τι δια την ἡμετεραν σωτηριαν ἐκχυθεν παντι τῳ κοσμῳ μετανοιας χαριν ὑπηνεγκεν. ἀνελθωμεν εἰς τας γενεας πασας, και καταμαθωμεν, ὁτι ἐν γενεᾳ και γενεᾳ μετανοιας τοπον ἐδωκεν ὁ δεσποτης τοις βουλομενοις ἐπιστραφηναι ἐπ' αὐτον.* Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, et

(1) Rom. I. 21. I. Petr. II. 9, Cf. Clementis alexandrini strom. lib. IV. §. XVII.

(2) Hebr. I. 3--4. coll. Sap. VII. 26.

(3) Ps. CIII. 4. coll. Hebr. I. 7.

(4) Ps. II. 7--8. coll. Hebr. I. 5,

(5) Ps. CIX. 1. coll. Hebr. I. 13.

(6) Simplicius Wottonus legit, *και ἀντιτασσομενοι τῳ θεληματι του θεου.*

(7) Epist. I. ad Corinth. cap. VII. coll. 12--13.

quam pretiosus Deo sit eius sanguis, consideremus, *qui propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam obtulit*. Reccurramus *ad omnes mundi aetates* , et discamus quod *in generatione et generatione*, volentibus ad ipsum converti, Dominus poenitentiae locum concesserit. Noe (1) poenitentiae praeco fuit, et qui ei obtemperarunt, salvati sunt. Ionas (2) ninivitis excidium praedicavit; illi autem, peccatorum poenitentiam agentes , precibus Deum placarunt , et salutem consecuti sunt, licet alieni a Deo essent. *Οἱ* (3) *λειτουργοι της χαριτος του θεου δια πνευματος ἁγιου περι μετανοιας ἐλαλησεν, και αὐτος δε ὁ δεσποτης των ἁπαντων περι μετανοιας ἐλαλησεν μεθ' ὁρκου · ζω γαρ ἐγω, λεγει κυριος, οὐ βουλομαι τον θανατον του ἁμαρτωλου, ὡς την μετανοιαν*. Ministri divinae gratiae per Spiritum-sanctum de poenitentia sunt locuti: ipseque omnium Dominus de poenitentia non sine iuramento olocutus est (4): *vivo, inquit Dominus, nolo mortem peccatoris, sicut poenitentiam* . . . . *Παντας οὐν τους ἀγαπητους αὐτου βουλομενος μετανοιας μετασχειν , ἐστηριξε τῳ παντοκρατορικῳ βουληματι αὐτου*. Intentionem igitur suam, omnes dilectos suos poenitentiae participes fieri , omnipotente sua voluntate firmavit. *Διο ὑπακουσωμεν τῃ μεγαλοπρεπει και ἐνδοξῳ βουλησει αὐτου, και ἱκεται γενομενοι του ἐλεους και της χρηστοτητος αὐτου, προσπεσωμεν και ἐπιστρεψωμεν ἐπι τους οἰκτιρμους αὐτου , ἀπολιποντες την* (5) *ματαιοπονιαν, την τε ἐριν, και το εἰς θανατον ἀγον ζηλος*. Quare (6) magnificae eius et gloriosae voluntati obsequamur, et suppliciter misericordiam et benignitatem eius implorantes, relictis vanis operibus, contentione et aemulatione quae ad mortem ducit, ad miserationes eius advolvamur et convertamur ».

Voluntate igitur prima et antecedente, quae ad id refertur , ac circa id versatur , quod est ex sese *καλον και*

(1) Gen. VII. coll. II: Petr. II. 5.
(2) Ionae. III.
(3) Epist. I. ad Corinth. cap. VIII. col. 13.
(4) Ezech. XXXIII. 11. coll. XVIII. 30
(5) Commodius forte legeris *ματαιολογιαν*, quemadmodum suspicari ex iis licet, quae in epist. ad Philippenses, cap. II. Polycarpus scribit.
(6) Epist. I. ad Corinth. cap. IX. col. 13.

τερπνον και προσδεκτον ἐνωπιον του ποιησαντος ἡμας, *pulchrum et iucundum et acceptum coram opifice nostro* numquam eo non spectavit Deus, ut παντι τῳ κοσμῳ, *mundo universo*, universaeque Adami posteritati *gratia poenitentiae* adesset. Eadem voluntate, eodemque consilio δια την ἡμετεραν σωτηριαν, *propter nostram salutem* suum Christus sanguinem profudit. Neque alia mente Deus *aetatibus omnino omnibus* misit, *qui poenitentiam annuntiarent*. Immo hac ipsa mente, ac ut spem hominibus adderet, non sine iureiurando testatus est: *vivo ego, nolo mortem peccatoris, sicut poenitentiam.*

In qua non benevola minus quam plena efficaciae erga homines voluntate tamdiu perseverat Deus, quamdiu homines ipsi in praesenti mortalitate versantur. Quod Clemens insigni, disertaque oratione (1) tradit, inquiens: « Qnamdiu ergo in terris degimns, poenitentiam agamus; lutum quippe sumus in manu artificis. Quemadmodum enim figulus, si vas fecerit, illudque in manibus eius distortum fuerit aut contritum, rursus illud refingit; sin vero illud in fornacem ignis mittere praefiniverit, non amplius ei succurret; οὑτως και ἡμεις, ἑως ἐσμεν ἐν τουτῳ τῳ κοσμῳ, ἐν τῃ σαρκι ἁ ἐπραξαμεν πονηρα, μετανοησωμεν ἐξ ὁλης της καρδιας, ἱνα σωθωμεν ὑπο του κυριου, ἑως ἐχομεν καιρον μετανοιας. μετα γαρ το ἐξελθειν ἡμας ἐκ του κοσμου, οὐκετι δυναμεθα ἐκει ἐξομολογησασθαι ἠ μετανοειν ἐτι: ita et nos, quamdiu in hoc mundo sumus, peccatorum quae in carne gessimus, ex toto corde poenitentiam agamus, ut a Domino salvemur, dum poenitentiae tempus habemus. Postquam enim e mundo exivimus, non amplius (2) possumus ibi confiteri, aut poenitentiam agere ».

CLXIV.

Quum igitur primum nascimur, ulnis misericordiae ex-

(1) Epist. II. ad Corinth. cap. VIII. col. 44.

(2) » Hinc, monet Coustantius, praevertitur Origenis error, quo, ut loquitur Iustinianus T. V. concil. Lab. p. 666., *omnium impiorum hominum, et praeterea daemonum poenam finem habituram esse, restitumque iri tum impios homines, tum daemones in pristinum ordinem suum* censuit. Haec enim sine praevia poenitentia admitti nequeunt «.

cipimur; neque iis antea deserimur, quam ad extremum usque rebelles perstiterimus. Quod quum Caelestinus probe nosset, ad episcopos provinciae viennensis et narbonensis in haec verba (1) scripsit: « Agnovimus poenitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animae suae cupiunt remedio subveniri, *Horremus*, fateor *tantae impietatis aliquem reperiri*, ut de Dei pietate desperet: quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, et periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere quo se ille expediri desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? cum Deus ad subveniendum paratissimus, invitans ad poenitentiam, sic (2) promittat: *peccator*, inquit, *quacumque die conversus fuerit, peccata eius non imputabuntur ei*. Et (3) iterum: *nolo mortem peccatoris, sed tantum convertatur et vivat*. Salutem ergo homini adimit, quisquis (4) mortis praeteriti tempore poenitentiam denegarit. Et desperavit de clementia Dei, qui eum ad subveniendum morienti sufficere vel momento posse non credidit. Perdidisset latro (5) praemium in cruce ad Christi dexteram pendens, si illum unius horae poenitentia non iuvisset. Cum esset in poena, poenituit, et per unius sermonis professionem habitaculum paradisi Deo promittente promeruit. Vera ergo ad Deum conversio in ultimis positorum, mente potius est aestimanda, non tempore, propheta hoc taliter (6) asserente: *cum conversus ingemueris, tunc salvus eris*. Cum ergo sit Dominus cordis inspector, quovis tempore non est deneganda poenitentia postulanti, cum illi se obliget iudici, cui occulta omnia noverit revelari».

Hisce simillima (7) apud Ivonem et (8) Gratianum le-

(1) Epist. IV. cap. II. n. 3. col. 1068.
(2) Ezech. XXXIII. 15.
(3) Ibid. cap. XVIII. 23.
(4) Idest, *quisquis mortis tempore poenitentiam praeteriti denegarit*.
(5) Luc. XXIII. 42.
(6) Ezech. XVIII--XXXIII.
(7) Decret. P. XV. cap. XLIII.
(8) Decret. Dist. XXVI. q. VI. c. XII.

guntur Iulio tributa ; atque hisce simillima habet (1) Leo ad Theodorum foroiuliensem episcopum scribens : « His autem qui in tempore necessitatis, et in periculi urgentis instantia, praesidium poenitentiae, et mox reconciliationis implorant , nec satisfactio interdicenda est , nec reconciliatio deneganda : quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniae moras vera conversio, dicente (2) Spiritu Dei per prophetam: *cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et (3) alibi : *dic tu iniquitates tuas prior , ut iustificeris.* Et (4) iterum: *quia apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrimas gemitusque negligere , cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente (5) Apostolo *: ne forte det illis Deus poenitentiam, ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem* ».

Quum vero tanta sit Dei pietas, ac eo usque longanimis misericordia, ut homines, quamdiu vivunt, numquam penitus abiiciat ac deserat; erunt ne qui ambigant, vel de instituto salutis ordine, vel de eiusdem fecunditate ac efficacia ? praesertim quum nemo sit hominum, quem Leo his compellandum verbis (6) non existimet : « Tibi quondam abiecto, tibi extruso a paradisi sedibus, tibi per longa exilia morienti, tibi in pulverem et cinerem dissoluto, cui iam non erat spes ulla vivendi, per incarnationem Verbi *potestas* data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, recognoscas parentem, liber efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium: ut qui ex corruptibili carne natus es, ex Dei Spiritu renascaris, et obtineas per gratiam , quod non habebas per naturam: ac si te Dei filium per spiritum adoptionis agnoveris , Deum pa-

(1) Epist. CVIII. al. LXXXIII. cap. IV. col. 1175.
(2) Is. XXX. 15 ex interpret. alexandrina.
(3) Is. XLIII. 26. ex eadem interpretatione.
(4) Ps. CXXIX. 7.
(5) II. Tim. II. 25.
(6) Serm. XXII. al XXI. cap. V. col. 71.

trem audeas nuncupare ». Sicut (1) enim « Adam praecepta Dei negligens peccati induxit damnationem; ita Iesus factus sub lege reddidit iustitiae libertatem. Sicut ille diabolo obtemperans usque ad praevaricationem, meruit ut in ipso omnes morerentur; ita hic Patri obediens usque ad crucem, fecit ut in ipso omnes vivificarentur. Sicut ille cupidus honoris angelici, naturae suae perdidit dignitatem; ita hic infirmitatis nostrae suscipiens conditionem, propter quos ad inferna descendit, eosdem in caelestibus collocavit. Postremo sicut illi per elationem lapso (2) dictum est, *terra es, et in terram ibis*; ita huic per subiectionem exaltato dictum (3) est, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* ».

Assumpta namque ab Unigenito (4) humana natura: « Redit in innocentiam iniquitas, et in novitatem vetustas: in adoptionem veniunt alieni, et in hereditatem ingrediuntur extranei. De impiis iusti, de avaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiunt esse caelestes. Quae autem est ista mutatio, nisi dexterae Excelsi? quoniam (5) venit Filius Dei dissolvere opera diaboli, et ita se nobis, nosque inseruit sibi, ut Dei ad humana descensio, fieret hominis ad divina provectio ». Ideo (6) enim « Verbum caro factum est, ut de utero Virginis sumeretur natura passibilis, et quod in Filium Dei non poterat perpetrari, in filium hominis posset admitti. Nam licet in ipso ortu coruscarent in eo signa deitatis, et omnia incrementa corporalium provectuum divinis essent plena miraculis, infirmitatum tamen nostrarum susceperat veritatem, et excepta communione peccati, nihil a se humanae infirmitatis excluserat, ut et sua nobis inferret, et in se nostra curaret. *Ab omnipotenti enim medico duplex nobis miseris remedium praepa-*

(1) Serm. XXV. al XXIV. cap. V. col. 86.
(2) Genes. III. 19.
(3) Ps. CIX. 1.
(4) Serm. XXVII. al. XXVI. cap. II. col. 93.
(5) I. Joh. III. 8.
(6) Serm. LXVII. al. LXV. cap. V. col. 262.

ratum est, cuius aliud est in sacramento, aliud in exemplo; ut per unum conferantur divina, per aliud exigantur humana. Quia sicut Deus iustificationis est auctor, ita homo devotionis est debitor ». Sane (1) « Adam primus et Adam secundus unum erant carne, non opere: et in illo omnes moriuntur, in isto omnes vivicabnntur. Ille per superbiae cupiditatem iter fecit ad miseriam; hic per humilitatis fortitudinem viam paravit ad gloriam. Unde ipse (2) dicit: *ego sum via et veritas et vita.* Via scilicet in forma conversationis iustae; veritas in expectatione (3) rei certae; vita in perceptione felicitatis aeternae.

Hoc (4) magnae pietatis sacramentum sicut iudaica impietas, ita diabolica superbia nesciebat. *Si* (5) *enim cognovissent, numquam Dominum maiestatis crucifixissent.* Sed quia hostem generis humani latebat consilium misericordiae Dei, et opposito carnis velamine *Deus* (6) *in Christo mundum sibi reconcilians* tegebatur; perstitit in eum furere, in quo nihil suum poterat invenire. Nam et malignitati eius hoc magis potuisset prodesse, si parceret, et se ab effusione eius sanguinis abstineret, *per quem omnium erat solvenda captivitas, et reparanda libertas.* Sed (7) lucem tenebrae non comprehenderunt, nec mendax caecitas sapientiam potuit veritatis inspicere. Tenuit itaque dispositam mansuetudo patientiam, et cohibita famulantium sibi angelicarum virtute legionum, hausit calicem doloris et mortis, totumque supplicium transtulit in triumphum. Victi sunt errores, subactae sunt potestates, accepit novum mundus exordium: *ut damnata generatio non obesset, quibus salvandis regeneratio subveniret* ».

Ineffabilis igitur salutis nostrae reparatio, quae se *universitate* commendat; *efficacia* pariter ac *fecunditate* praecel-

(1) Serm. LXIX. al. LXVII. cap. III. col. 270.
(2) Joh. XIV. 6.
(3) Forte, *spei*, uti Quesnellus coniicit.
(4) Ibid. cap. IV. col. 270.
(5) I. Cor. II. 8.
(6) II. Cor. V. 19.
(7) Joh. I. 5.

lit. Ea namque *solvitur captivitas*, *reparatur libertas*, *originale* (1) *damnum sarcitur*, ac humanae vitae ità ratio (2) administratur « ut nec *superbiae* nobis, nec *desidiae* locus relinquatur : quia et nihil habemus, nisi quod accepimus, et iugiter admonemur, ut dona gratiae Dei non negligenter habeamus. Juste enim nobis instat praecepto, qui praecurrit auxilio; et benigne invitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam ».

CLXV.

His de doctrina, deque fide romanae ecclesiae expositis, ac pro ea qua nobis inerat facultate, explanatis; ipsa quodammodo rerum natura admonemur, ut antiochenam continuo ecclesiam interrogemus, quidve ea de voluntate Dei salutifera, deque reparationis ordine senserit, quidve statuerit, diligenter exquiramus. Neque enim reperiri aliquem arbitramur, quem fugiat, arctissimo utramque ecclesiam nexu devinciri; quum utrique unus idemque Petrus praefuerit, et antiochenam quidem aliquanto tempore rexerit, romanam vero ad mortem usque gubernarit, suisque praerogativis, summoque principatu locupletarit. Arduum vero nobis haud erit fidem professionemque antiochenae dioecoeseos invenire, inventamque in lucem proferre; siquidem et testes de ea suppetant numero plures ac auctoritate gravissimi, eiusmodi autem dicant testimonia, quae iure meritoque luculentissima videantur.

Ac orientis sanae doctoribus nihil antiquius fuit, nihilque solemnius, quam insitam Dei bonitatem, ex eaque in

(1) In appendice ad Leonis sermones efficacia reparationis his verbis exponitur, Serm. II. [cap. II. col. 407. « Qui in principio creavit per maiestatem, ultimis temporibus venit salvare per carnem. Creatio hominum, prima potentia fuit; salvatio, secunda pietas. Benignitatis motu affectus Dominus voluit ut nobis redderet misericordia quidquid abstulerat offensa. Descendit ergo ille ut nos ascenderemus, caelestia summisit, ut terrestria sublevaret: fecit se hominis participem, ut hominem faceret Dei esse consortem ».

(2) Serm. LXVII. al. LXV. cap. VI. coll. 262—263.

omnes refusam beneficentiam efferre, geminatisque sententiis universalem salutiferae voluntatis amplitudinem confirmare. Ad utrumque caput non pauca ex iis referuntur, quae Nemesius (1), christianus seculi quarti philosophus, idemque amplissimis laudibus (2) a Maximo, Anastasio sinaita (3) et (4) Mose Bar-Cepha cohonestatus, in aureo libello *περι φυσεως ἀνθρωπου*, *de hominis natura*, luculenter (5) complectitur. Eo namque (6) capite, quod *περι προνοιας*, *de providentia* inscribit, sic prorsus habet: Ἀλλως τε ἀγαθος ἐστιν ὁ θεος · ἀγαθον δὲ ὠν, εὐεργετικος · εἰ δε εὐεργετικος, και προνοητικος. Praeterea Deus bonus est: quum autem bonus sit, ad bene merendum propensus est: si ad bene merendum propensus, etiam providus ». Cui providentiae ex benignitate profectae quum alia tribui debent, tum istud in primis, quod *hominibus omnino omnibus*, ac *quovis praesentis vitae tempore* potestas divinitus fiat resipiscendi, ac salutis et immortalitatis comparandae. « Est enim (7) duplici honoris et muneris genere homo affectus, quod et ipse solus poenitentia veniam peccatorum impetrat, et eius unius cor-

(1) De Nemesio accurate agunt Johannes Fellus in praefatione ad eiusdem opusculum editum Oxonii, an. 1671, et Michael Lequien in Orient. Christ. T. II. pagg. 839—840.

(2) In opusculis theologicis et polemicis, opp. T. II. pag. 153. edit. Paris. 1674.

(3) Quaest. XVIII—XXIV. apud Gretserum, opp. T. XIV. P. II. pagg. 270—294.

(4) De paradiso, pag. 55. edit. Antuerp. 1569.

(5) In quo libello omnia sunt aurea, si ea exceperis, quibus cap. II. tradit animarum προΰπαρξιν. Quamquam enim in eamdem sententiam cum Origene antea ivissent Methodius in Convivio Virg. Orat. II. §. V., Pierius apud Photium in Biblioth. Cod. CXIX., aliique; nihilominus indubitatum nobis esse debet, quod Leo magnus epist. XV. ad Turribium, cap. X. sancit: « Catholica fides constanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum prius quam inspirarentur corporibus, non fuere, nec ab alio incorporantur nisi ab opifice Deo, qui et ipsarum est creator et corporum ».

(6) De natura hominis, cap. XLII. pagg. 417-418. apud Gallandium, T. VII.

(7) Ibid. cap. I. pagg. 357-358.

pus quamvis mortale et caducum, aeternum et immortale redditur: quorum alterum quod ad corpus pertinet propter animam, alterum quod ad animam propter corpus consecutus est. Μονος γαρ ὁ ἀνθρωπος των λογικων ἐξαιρετον ἐσχε το συγγνωμης ἐν τῳ μετανοειν ἀξιουσθαι. Solus enim homo inter omnia quae ratione sunt praedita habet hoc praecipuum, ut eius erratum poenitentia condonetur. Nam neque daemones, neque angeli per poenitentiam delictorum veniam impetrare possunt. Και ἐν τουτῳ μαλιστα και δικαιος και ἐλεημων ὁ θεος δεικνυται τε και λεγεται. In quo maxime iustus et misericors Deus et ostenditur et dicitur. Nam angeli cum nullam habeant caussam necessariam quae ad peccandum impellat, sed natura omni affectione corporis, et inopia et voluptate vacent; merito per poenitentiam ad veniam adspirare non possunt. At homo non modo rationis particeps, sed etiam animal est, et necessarii usus vitae animalis, motusque turbidi persaepe rationem attenuant atque labefactant. Quare cum ad sanitatem redit, et declinatis turbulentis animi motionibus virtutem complectitur, iusta illi misericordia, idest, venia tribuitur. Atque ut proprium eius naturae ridere est: nam et soli adest, et omni, et semper; ita in rebus non naturae lege, sed Dei erga nos beneficio constitutis proprium est hominis, prae omnibus quae ratione sunt praedita, ut per poenitentiam omni culpa liberetur. Και γαρ μονῳ ἀνθρωπῳ τουτο δεδωρηται, και παντι, και ἀει παρα τον καιρον της ἐγκοσμιου ζωης, μετα δε θανατον οὐκετι. *Nam soli homini, et omni, et semper, quoad in terris vivit, hoc datum est; post mortem vero non item* ».

E quibus duo, eaque praeclarissima consequuntur: ac illud inprimis, aliter cum angelis peccantibus, atque aliter cum lapsis hominibus semetgessisse Deum, ac porro semet gerere. Angelis enim nullam ipse fecit poenitentiae copiam, sed reos aeternum damnavit; at multo homines habuit benignius, et quamvis in uno omnes peccarint, omnibus tamen ut ad meliorem redirent mentem, tempus facultatemque concessit. Illud deinde, cum angelis ad normam egisse aequitatis ac iustitiae; cum hominibus vero longe fuisse mitiorem, ac eo usque misericordiae indulsisse, ut ordinem universalis reparationis pro iisdem

constituerit. Ad huius namque ordinis institutionem necessarium est ac sufficit, si 1) nulla hominibus, quamquam labe infectis, peccatoque obligatis, *pereundi necessitas* incumbat: si 2) omnibus ac singulis hominibus *id conferatur omne*, quo resipiscere ipsi possint, et a peccatorum vinculis liberari: et si 3) id *tamdiu* conferatur, *quamdiu* praesentem ipsi mortalemque vitam vivunt. Ista enim convenire, ac in unam veluti summam confluere nequeunt, quin ex iis ordo universalis reparationis existat.

Quid iamvero Nemesius docet, quidve testatur? docet *a*) *praerogativam* esse generis humani, ut peccatorum veniam impetrare poenitentia possit. Docet *b*) iustitiae misericordiaeque divinae tribuendum esse, quod hanc Deus humano generi praerogativam contulerit: illamque *c*) contulerit *μονῳ ἀνθρωπῳ, και παντι, και ἀει παρα τον καιρον της ἐγκοσμιου ζωης, soli homini, et omni et semper, quoad in terris vixerit.* Adeo ut *d*) exploratum (1) esse debeat, *ὡς οἱ την μετανοιαν οὐ δεχομενοι την ἐξαιρετον δωρεαν και την ἰδιαν ἀνθρωπου περιγραφουσιν, qui poenitentiam respuunt, eos praecipuum munus propriumque hominis tollere.* Est igitur Nemesius locuples auctor institutae divinitus reparationis, quae universos semper homines ita comprehenderit, ut ne unum quidem vel aliquando excluserit, vel modo excludat.

Quare non ea solum quae Deus facit, sed ea etiam quae permittit, etsi nobis plus semel neque commoda satis, neque opportuna videantur, ad hominum tamen salutem procurandam divina benignitate diriguntur. Quod pluribus eo capite (2) Nemesius tradit, quo investigat, *περι του τινων ἐστι προνοια, quarum rerum sit providentia*, et quo inter cetera (3) scribit: « *Ἀλλο τε συγχωρει των ἀτοπων τι πραχθηναι, ἱνα δια της πραξεως της δοκουσης ἀτοπου, μεγα τι και θαυμαστον κατορθωση, ὡς δια του σταυρου την σωτηριαν των ἀνθρωπων.* Alias permittit aliquid absurdi fieri, ut re, quae

(1) Ibid. p. 358.
(2) Ibid. Cap. XLIV. p. 419.
(3) Ibid. p. 424.

absurda videatur, magnam quamdam rem et admirabilem assequatur; *ut per crucem salutem humani generis* ». Quibus postremis verbis *caussa* ostenditur *meritoria* decretae universalis reparationis. Ea fuit *crux*, quam *pro omnibus* Christus ascendit: ac ea fuit *mors*, quam *pro omnibus* Christus oppetiit. De hac etiam alibi (1) Nemesius loquitur, quum argumenta recensens, quae iudaeis, christianisque persuadere providentiam debent, ait: « Χριστιανους δε και ταυτα μεν απαντα διδασκει προνοιαν ειναι · μαλιστα δε το θειοτατον και δι' ὑπερβολην φιλανθρωπιας απιστοτατον εργον της προνοιας, ἡ δι' ἡμας ενσωματωσις του θεου. Christianos autem quum haec omnia (2) docent esse providentiam; tum in primis divinissimum illud, et ob eximium amorem in humanum genus, summe incredibile providentiae opus, quo Deus se corpore, nostra caussa induit ».

Quibus nihil illustrius, sive ut *a*) *princeps* cognoscatur reparationis *caussa*, quae alia non est praeter ὑπερβολην φιλανθρωπιας, qua Deus humanum genus prosequitur: sive ut *b*) *meritoria* eiusdem *caussa* innotescat, quae est ενσωματωσις του θεου: sive demum ut *c*) illius *amplitudo* declaretur, quae non minus patet, quam ipsa semet porrigat humana natura.

CLXVI.

Nescio autem an non haec ipsa, aliaque hisce similia multo etiam inculcet validius Titus Bostrae in Arabia praesul, quem (3) Sozomenus επισημοτατον, *celeberrimum* praedicat, quemque (4) Hieronymus inter eos numerat patres « qui in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros, ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem saeculi an scientiam Scripturarum ».

Principio namque (5) statuit: « Quod pium quidem sit

(1) Ibid. p. 416.

(2) Quae nimirum iudaeis praesto sunt, ut divinae providentiae fidem adhibeant.

(3) H. E. lib. III. cap. XIV.

(4) Epist. LXX. al. LXXXIV. ad Magnum, n. 4.

(5) Con. Manichaeos, lib. I. §. II. p.269. apud Gallandium, T. V.

apud homines totis viribus confiteri, Deum non esse iniuriarum maleficiorumque auctorem, πρωτος πρεσβευσειν έσπουδακε της καθολικης έκκλησιας ό λογος, prima doctrina ecclesiae catholicae studuit profiteri ». A qua professione ne ipsum quidem Manichaeum fuisse alienum, tum aperte declarat, quum de ipso (1) scribit: « Κακιας άναιτιον άποδειξαι τον θεον βουληθεις, κακιαν προϊων άντεστησεν αὐτῳ · ἀγενητον, ὡς φησιν, ἀγενητῳ, ζωσαν ζωντι, ἀει μεν ἐπανισταμενην και μαχομενην, και οὐποτε μη, οὐχι πραγματα παρεχουσαν αὐτῳ · ἀναιρεθηναι δε προς αὐτου παντελως μη δυναμενην, ὡς ἀϊδιον τε και συμπεπληρωμενην την οὐσιαν και ἀγενητον · και καπνον, ὡς φασι, φευγων, ἐμπεπτωκεν εἰς το πυρ. Ratum illi quum esset demonstrare, non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit: ingenitum, ut ait, ingenito, vivum vivo, semper obsistens ac repugnans, et numquam non negotium ac molestias inferens; quodque ab eo funditus extingui et interire nequeat, utpote aeterna, completa ac ingenita substantia: sic *fugiens fumum*, ut est in proverbio, *in ignem incidit* ».

Hoc praestito axiomate, Deique bonitate vindicata, de collatis in humanum genus (2) beneficiis, subdit: « Τον ἀνθρωπον τετιμηκεν ὁ θεος, κατ᾽ εἰκονα ἑαυτου δημιουργησαντος αὐτον · ἵν᾽ ὡσπερ αὐτος ἐλευθεροτητι προθεσεως ζηλωτης ὑπαρχῃ θεου, οὐκ ἀδυναμια φυσεως του ἁμαρτανειν ἀπεχομενος, ἐλευθεριοτητι δε την ἀρετην τιμων. Hominem Deus honoravit condens eum ad imaginem suam: ut sicut ipse libertate naturae (3) bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset; non abstinens a peccato, quia desit naturae ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans ». Et paullo (4) inferius: « Ὁτι μεν οὐν ἀναγκαιως το ἐξειναι ἁμαρ-

(1) Ibid. §. I. p. 269.

(2) Con. Manich. lib. II. §. V. p. 299.

(3) Quo pacto accipi ista debeant, ex his patet quae ἀμεσος antecedunt: «Si dicamus non posse Deum aliquid iniustum facere, recte quidem dicimus; attamen non posse, non ad infirmitatem referimus, sed ad summam perfectionem non volendi quod iniustum est: cum enim sit secundum naturam immutabilis, immutabile est ei nolle quidquam mali facere ».

(4) Ibid. §, VI. p. 300.

τανειν εἰληφεν ἀνθρωπος, οὑτω γενομενος, ὡς οὐκ ἀν ἑτερως το καταρθουν δυνασθαι κτησαμενος· ὁπερ θεος ἀγαθος τε και ἀφθονος ὑπαρχων ἐντεθεικε τῃ φυσει· και ὁτι τεως δια γε τα παρα ἀνθρωποις ἀδικηματα· οὐδεμια ἀναγκη ὑλην ἀναρχον και κακιαν δοκειν ἀντιπαραταττειν θεῳ . . . . . δια των προειρημενων ἀποδεδεικται. Quod igitur necessario accepit homo ut posset peccare, sic a Deo factus, ut non aliter posset ex virtute vivere: id quod Deus quum sit bonus et non invidus, naturae insitum voluit: et quod propter ea quae iniuste apud homines fiunt, nullo pacto necesse sit putare, materiam principio carentem et nequitiam resistere Deo, ... superius demonstratum et conclusum est ». E quibus (1) colligit: « Ῥητεον (2) τοινυν, ὁτι (3) παρηκται προς του δημιουργησαντος ἀνθρωπος εἰς τον βιον, ἐμπορευομενος ἑτερον οὐδεν, ἡ μονην εὐσεβειαν τε και ἀρετην· ταυτα γαρ κτησαμενος μεν, καλως ἀν (4) διανηξηται τονδε τον βιον· ἀμελησας δε τουτων, χαλεπως ἀν διαβαπτισθειη πλανωμενος. Dicendum igitur est, productum esse hominem ab auctore suo in hanc vitam, ut nullum aliud negotium ageret, quam ut solam pietatem virtutemque compararet. Haec enim si acquisivisset, recte hanc vitam tranaret; his vero neglectis, periculose deceptus mergeretur ». Ille namque (5) « solus, cui accedit firma animae secundum virtutem felicitas, sive dives sive pauper sit, compos est eius, cuius caussa a Deo factus est homo: ὡς δεον παρα μεν θεου το εἰναι λαβειν, παρ' ἑαυτου δε το ἀγαθον προσγενεσθαι λαβειν, συνεργουντος θεου· βουλεται γαρ θεος και παρ' αὐτου τον ἀνθρωπον ἐχειν ἀν το λογικον ὀντα, προς ἐνδοξον παῤῥησιαν, ut iam opus sit a Deo accipere, ut sit; a se vero accipere, ut bonus sit, cooperante Deo. Vult enim Deus, ut homo quum sit rationis particeps, habeat aliquid a se ad gloriosam fiduciam ».

(1) Ibid. §. VII. p. 300.

(2) Refert ista Damascenus in sacris parallelis, apud Gallandium p. 349. T. V.

(3) Damascenus legit, παρηχθη.

(4) Apud Damascenum est διανηξαιτο.

(5) Ibid. §. VIII. p. 301.

CLXVII.

At homo sibi defuit, a proposito sibi fine aberravit, ac iustitiae iniustitiam, virtuti vero et sanctimoniae vitium impietatemque praetulit. Quid propterea consilii suscepit Deus, aut quid de hominum genere decrevit? praeclare huic quaestioni Titus occurrit, quum (1) manichaeis obsistens, qui *Legem* propter indictas poenas, iudiciorumque acerbitatem *principio malo Evangelium*, vero propter πελαγος ἀφεσεως *principio bono* vindicabant, inquit: « Si negligentia victi legere Scripturas nolint, etiam heic desinant accusare. Salvator (2) dicit: *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*: οὐδενα παρεις, μηδενα ἀπολιπων, παντας περιλαβων, *neminem praetermisit, neminem reliquit, omnes complexus est.* David vero (3) ait: *omnes gentes plaudite manibus.* Et (4) rursus: *auribus percipite omnes qui habitatis orbem, quique terrigenae et filii hominum, simul in unum dives et pauper.* παντες ἐξ εὐαγγελιου, παντες ἐκ νομου κεκινηνται· οὐδενα παραλελοιπε το εὐαγγελιον· οὐδενα ἀφηκεν ὁ νομος· ἐβοησε το εὐαγγελιον· μετανοειτε, ἠγγικε γαρ ἡ βασιλεια των οὐρανων· προς παντας ἀφηκε την ὁμιλιαν ταυτην, πταιουσι διελεγετο· ἐσφαλμενοις ὡμιλει· ἠδη θανατον ὀφειλουσιν ἐφθεγγετο· ἐλευθεριαν δια του κηρυγματος προεμνησευετο. Omnes in Evangelio excitati sunt, omnes in Lege. Neminem reliquit Evangelium, neminem Lex omisit. Clamavit (5) Evangelium, *agite poenitentiam*, *appropinquavit enim regnum caelorum.* Omnibus dimisit hanc sermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapsis sermonem habebat; cum iis qui iam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per praedicationem praeconciliabat ». Qui

(1) Ibid. lib. III. §. XV. pagg. 340—341.
(2) Matth. XI. 26.
(3) Ps. XLVI. 2.
(4) Ps. XLVIII. 2—3.
(5) Matth. III. 2.

bus simillima, et ad commendandam Dei misericordiam accommodatissima in Lege habere, iis confirmare (1) pergit, quae apud Jonam (2) leguntur, quaeque (3) per Ezechielem Deus his verbis effatur: » *Nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat: ὁ ὑπο των ἐπισταμενων ὑμνειν δοξολογουμενος, οἰκτιρμων και ἐλεημων ὁ κυριος, μακροθυμος και πολυελεος· τηλικουτον γαρ πελαγος ἐστιν οἰκτιρμων παρα τῳ θεῳ, ὡς και την ἐλαχιστην και βραχυτατην, και των πανυ φαυλοτατων προς μετανοιαν ῥοπην, μη ἀτιμητον ἐασαι*, qui ab iis qui sciunt laudes eius canere, in laudibus vocatur miserator et misericors, patiens et multae misericordiae; tam ingens enim pelagus miserationum apud Deum est, ut minimam et brevissimam etiam flagitiosissimorum ad poenitentiam inclinationem non relinquat inhonoratam ». Quod Achabi (4) historia illustrat, ex eaque colligit, *supplicii tempus idcirco fuisse protractum, ἱνα και την ἐλαχιστην ῥανιδα της μετανοιας τιμηση τῃ πρεπουσῃ τιμῃ ὁ θεος, ut etiam minimam poenitentiae adspersionem decenti honore Deus prosequeretur.*

Quum itaque possit ac vero etiam debeat *duplex humani generis status* considerari, alter *prior* ruina ac peccato, alter praevaricatione *posterior*; operae pretium fuerit novisse, *cuiusmodi* credendus sit *habitus*, qui pro utroque statu Deum inter hominesque intercessit ac porro intercedit. Quam quaestionem ea Titus evidentia explanat, ut omnem dubitationibus aditum praecludat.

Ipso namque auctore, 1) pro eo statu, qui culpam antevertit, quique integrae innocentisque naturae appellatur, Deum inter humanamque familiam non alius extitit habitus, quam *amoris* ac *propensissimae beneficentiae*: amoris quidem, quo excitus Deus *hominem ad suam imaginem condidit*, illumque *ad virtutem*, *supremamque felicitatem direxit*: pro-

(1) Ibid. §. XV. p. 341.
(2) Jonae III. 10—11.
(3) Ezech. XXXIII. 11.
(4) III. Reg. XXI. 29.

pensissimae autem beneficentiae, qua illum donis vim naturae longe superantibus honestavit, *eaque arbitrii facultate instruxit, qua ipsamet dona in materiam meriti, laudis gloriaeque redirent.*

At vero 2) pro eo statu, qui praevaricationem consequutus est, quique status dicitur naturae lapsae ac spoliatae, *amor* induit *faciem misericordiae*, ac *beneficentiae pietas* successit. Amor induit faciem misericordiae, quod *iam miseros* respiciat, et *ad indignos* referatur: beneficentiae autem successit pietas, quod *iam vulneribus medicinam* adhibeat, *captivos in libertatem* asserat, ac *perditis salutem* polliceatur.

Sed 3) *omnibus ne perditis*, adeo ut misericordia, ac ex ea profectus reparationis ordo *plane universalis* existimari debeat? Titi responsio huc redit: *a*) *neminem* esse, quem Salvator praeterierit, *neminem* quem Evangelium deseruerit: *b*) *in omnes* Salvatorem suam impendisse pietatem, *omnesque* Evangelium e somno mortis excitasse: hanc autem *c*) amoris misericordis, pietatisque beneficae indulgentiam non cum ipso incoepisse Salvatoris adventu, sed numquam non extitisse, quum ita semper comparatus fuerit Deus, *ut nollet mortem peccatoris, sed magis ut converteretur et viveret.*

Quae quidem 4) *utramque universalitatem quum temporis, tum personarum* ita reparati ordinis propriam esse demonstrant, ut de ea dubitari nullatenus possit. Unde Titus hominibus praecipit, ne sint de benevola Dei providentia ancipites, sed tuti in ea conquiescant, ac sibi ex ea optima quaeque promittant. « Quemadmodum enim, inquit (1), plerique in veros et germanos amicos non inquirunt curiose, legitimam ac germanam amicitiam hoc ipso reddentes, quod cum amicis sine curiositate versantur; *οὕτω δε και θεος μαλιστα βουλομενος ἡμας διακεισθαι προς ἑαυτον, οὐχ' ἁπασαν της ἑαυτου προνοιας σαφηνιζει την ἐνεργειαν· ἐθελει γαρ ἡμας πιστευειν αὐτῳ, οὐ μην οὐδ' ἁπασαν ἀποκρυπτει, ἀλλα δἰ ἐνιων ὑποδειγματων ὑπερειδει τροπον τινα τον ἡμετερον νουν*, sic

(1) Ibid. lib. II. §. XXIII. pag. 314.

etiam Deus, *cum maxime velit ut simus erga ipsum bene animati*, non omnem providentiae suae vim et efficentiam declarat: *vult enim ut ei credamus*: neque rursum omnem nos celat, sed quibusdam exemplis quodammodo mentem nostram sustentat ».

Quibus sustentata persuadere sibi debet, ipsa etiam quae nobis acerba tristiaque accidunt, benevola providentia administrari. « His enim (1) admonet Deus homines, eaque dispensat ac gubernat, non perturbationi irae inserviens, *ἀλλα κηδεμονιας και της των δεομενων ἐπιστροφης μεταποιουμενος*, sed curam amplectens eos convertendi, quos opus est convertere. *οὐδε γαρ φιλανθρωπιας της ἀνωτατω και ἀκριβους ἀν εἰη το ὑποκοριζεσθαι γε χρηστοτητι τα ἀνθρωπινα παθη, και τῳ ἀνεπιπληκτῳ την αὐξησιν αὐτοις ἐπιτρεπειν· τ᾽ οὐναντιον γαρ τουτο προς ἀπανθρωπιαν ὁρᾳ, εἰγε βουλομενος της κατα το φαινομενον μη ἐξιστασθαι χρηστοτητος, ἐπιβουλως συγχωροιη προς ἐκλυσιν κακιας παντη καταπιπτειν τους ἀνθρωπους*. Nec enim excellentissimae et perfectae erga homines caritatis esset, humanas aegritudines prae lenitate extenuare, et incrementum eis permittere non increpando: quin potius contra ad inhumanitatem hoc spectaret, si cum vellet non recedere ab ea lenitate quae speciem tantum habet, insidiose permitteret in dissolutionem nequitiae omnino homines decidere. Dico autem lenia praebere ratione, et ea quae acerba putantur, necessario infligere. Nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est: contra potius, si hunc ad conversionem non traduceret, paternam providentiam ac misericordiam habere non videretur. Nec enim medicus cum secat et urit ulcus serpens, inhumanus est; immo quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis ut aegrotum sanet, dolorem ex severioribus remediis inducit; tamquam interiturus sit aeger ab ulceribus, nisi hoc modo auxilietur ei; sanandus vero, sectione et ustione adhibitis ».

His autem manifestis rationum momentis, ac insignibus

(1) Ibid. lib. II. §. XIV. pagg. 306—307.

ad rem depingendam imaginibus, subiicit (1): « Quamobrem, ut hoc exemplum docet, ἀνθρωποι εἰσιν, οἱ τα γε ἀνιαρα ποιουντες καθ' ἑαυτων, μαλλον ἡ ὁ θεος · οἱ την χρειαν και τους καιρους προθεσει γε οἰκεια προκατασκευαζοντες, δια των οἰκειων παθων, homines potius quam Deus sunt, qui aspera et acerba sibi inferunt, qui usum et opportunitates temporis proposito proprio per affectus suos praeparant. Sicut enim medicus non facit, ut opus sit urere et tempus urendi, sed ulcus et medicum adducit et ustionem vocat; οὑτω δε και τα ἀνθρωπινα παθη προκαλειται των εἰς θεραπειαν συντεινοντων παρα θεου την ἐπιμελειαν, ἡκιστα γε ἀνεχομενου των ἀνθρωπων, ὡς οἰκειου ἐργου μη δια παντος προνειν, sic humanae affectiones Deum accersunt ad ea adhibenda, quae ad curationem pertinent; *qui minime patitur, quin hominibus semper tamquam operi suo provida cura prospiciat.* Commisit enim hominibus, ut haberent liberam electionem virtutis ac probitatis. Quod tamen in nobis est infirmum ad affectiones, fulcit ac firmat per ea quae interdum ad admonendum et increpandum manifesto adhibet; neque perpetuo quae austeriora et acerbiora sunt, inducens, ut necessitate et vi moeroris libertatem non excludat: neque rursus relinquens nobis appetitum segnitie omnino solutum, ne anticipationes affectionum sine curatione dimittat: ἑκατερα δε ἀῤῥητῳ σοφιᾳ προς ἀνθρωπων ὠφελειαν οἰκονομει · ἑκαστου τον δεοντα καιρον ἐπισταμενος, *utrumque sapientia ineffabili ad utilitatem hominum dispensat et moderatur, qui uniuscuiusque tempus opportunum novit* ».

CLXVIII.

Quum itaque *duo* secernantur *ordines*, misericordiae alter profusaeque clementiae, alter severitatis ac iustitiae; sic tamen se ad invicem habent, seque mutuo excipiunt, ut ille praevertat, hic subsequatur, ille sponte sua a Deo di-

(1) Ibid. §. XV. p. 307.

manet, hic ab hominibus originem occasionemque sumat, ille universalis sit ac infinite patens, hic autem limitibus adstrictus, ac eo usque adstrictus ut nonnisi proposita hominum salute, quamdiu iidem vivunt, exequutioni mandetur. Si enim bostrensem antistitem interroges, quid maxime regat, eumque poenalem ordinem temperet, quo homines in hac mortalitate plectuntur, audies, illi quodammodo praesse *a*) misericordem voluntatem, qua Deus cupit, ut homines in eum sint bene animati, ac eius benignitati confidant: praeesse *b*) paternum amorem, quo punit ut sanet, quatit ut confirmet, urit ne ulcus ad necem usque proserpat: praeesse *c*) eximiam incredibilemque φιλανθρωπιαν, qua hominum genus in praeceps ruens obiectis flagellis compescit atque cohibet: praeesse *d*) benevolam curam, qua suo operi iugiter consulit: ac praeesse tandem *e*) vigilem sollicitudinem, qua vel ipsas temporarias poenas ad hominum utilitatem dispensat. Jamvero si ne poenalis quidem ordo a bonitate ac misericordia seiungitur: si etiam quum irasci videtur, Deus amat: et si nihil, etiam cum punit, molitur quod ad hominum salutem directum non velit; erunt ne qui dubitent aut de universali reparati ordinis amplitudine, aut de benevola misericordia, quae omnes prorsus homines suo sinu foveat, suis gratiis liberet, donisque ad propriam filiorum haereditatem perducat?

Ii sane non dubitabunt, qui rem ipsam paullo rimentur intimius, qui testimonia in medium relata non oscitanter perpendant, qui secum reputent non alios perire, nisi qui utrumque ordinem misericordiae ac iustitiae, beneficiorum atque poenarum in praesenti vita contempserint, quique tandem ad ea animum advertant, quae litteris consignavit Iacobus, nisibenus antistes, summis (1) ab Athanasio, Theodorito (2), Gennadio (3), Gregorio nariekensi (4) et Dionysio (5) iacobita-

(1) Epist. ad episcopos Aegypti et Libiae, n. 8.

(2) H. E. lib. I. cap. VII, lib. II, cap. XXX., et Philoth. cap. I.

(3) De viris illustr. cap, I., et de eccles. dogmat. cap. XV.

(4) Orat. XCIX. in libro precum, edit. CP. an. 1700.

(5) In chronico ad annum Alexandri DCXLII, et Christi CCCXXXV. vel CCCXXXVI. apud Assemanum, Bibl. Orient. T. I. p. 17.

rum patriarcha, laudum encomiis ornatus, quique (1) ad nicaenam synodum των ὀρθων ὑπερμαχησων δογματων· οἱα τις ἀριστευς και προμαχος ἁπασης της φαλαγγος, *pro veris dogmatibus tamquam bellator fortissimus, et totius agminis princeps decertaturus perrexit.* Is enim (2) caritatis dotibus recensitis, oratione deinde (3) ad Deum conversa, qui illius origo est ac fons perennis, clamat: « O rex orbis terrarum, adoramus te *quia longanimis es super creaturas tuas.* Manifesti sunt ante te omnes occulta operantes, et scis cogitationes omnium hominum. Multi sunt apostatae a te, et multi blasphemant te; et accipiunt vestem pabulorum tuorum, et defraudant te in operibus tuis; *et tu beneficus et longanimis ad omnes homines.* Non iudicasti nos ante iudicium tuum; non corripuisti nos, neque reos constituisti: *et non removes beneficia gratiarum tuarum a malis* ».

Idcirco autem *beneficus* est Deus *et longanimis ad omnes homines, et beneficia gratiarum suarum neque a malis removet*, quia (4) *indubitata* est *haec veritas, quae allicit poenitentes, et aggregat iustis.* « Mundus iste, *mundus gratiae est, et usque ad consummationem finis sui, est in eo locus poenitentiae.* Appropinquat (5) tempus, quo *gratia transeat*, et veritas regnet. Poenitentia non est in tempore illo, *quia voluntate eius suo tempore gratia dominata est.* Et quum advenerit tempus iudicii, *non vult recipere poenitentes*: quia poenitentiae terminus positus est et impletus: et deinceps non amplius est ei locus ». Quod autem mundus iste mundus sit gratiae, propterea (6) « Testamentum, quod Deus (7) promisit se da-

(1) Cf. Theodoritus ll. citatis.

(2) Sermo unicus, seu epist. synodica, §. X. p. CXXX—CXXXI. apud Gallandium, T. V.

(3) Ibid. §. XI. p. CXXXI.

(4) Serm. VII. de poenitentia, §. XII. p. LX.

(5) Supremi iudicii diem, quem Christus neque ipsis apostolis. Matth. XXIV. 36, Marc. XIII. 32, Actt. I. 7, manifestum esse voluit, non longe sua aetate abesse, antiqui patres vulgo existimarunt. Ceteris sepositis legi possunt quae scribit Iustinus in altera apologia, et in dialogo cum Triphone, n. 38.

(6) Serm. XI. de circumcisione con. Iudaeos, §. XI. p. LXXXIV.

(7) Ierem. XXXI, 31. seqq. Hebr. VIII. 8—10.

turum, hoc est, ut *omnes* cognoscant ipsum a parvulo usque ad senem ». Quare (1) « iampridem, et multo ante vocatae erant gentes ex omnibus linguis in hereditatem Altissimi, quam vocaretur Israel «. Iisdem quoque numquam resipiscendi (2) tempus negavit sed *propter clementiam misericordiae suae dedit locum poenitentiae, ut homines non haberent, quid possent respondere.* Quod si hoc tempus (3) aliqnando contraxit, eidem *clementi misericordiae* (4) tribuendum est, quae non tulit, ut homines *in divina longanimitate spernenda obfirmati*, gravioribus se obstringerent culpis, atrocioresque poenas promererentur. Cum quibus ea probe concinunt, quae (5) post relatam amalecitarum caedem, memoratumque Domini ad Moisem (6) praeceptum, subdit: « Hac longanimitate sua utens Deus pepercit amalecitis, ut si forte iis auditis, quae scripta erant in libris sanctis, converterentur ad eum, et ipse eorum misereretur. Nam si conversi fuissent ad eum, fuisset illis poenitentiae locus, sicut datus est locus poenitentiae ninivitis, quando praedicata fuit super eos subversio, et ostenderunt illi poenitentiam, et aversus est ab eis furor irae. Et sicut (7) porrecta est manus gabaonitis, et non fuerunt interfecti cum chananaeis: et sicut (8) data est manus Rahabae, quia credidit; ita amalecitarum admissa fuisset poenitentia, si credidissent. Nam per quadringentos annos Deus eis pepercit. Hoc autem uni-

(1) Serm. XV. de ingressu gentium pro populo iudaeorum, §.I. p.CII.

(2) Serm. II. de dilectione. §. IX. p. XV.

(3) Ibid. §§.VIII.—IX. pagg. XIV—XV.

(4) Eiusdem doctrinae testes sunt Iohannes Chrysostomus et Theodoritus, e quibus ille Hom. XXV. in cap. VII. Geneseos de Deo scribit: « Quoniam *vidit* quotidie incurabiliter illos (homines aetate Noe) peccare, et non solum nihil ex ineffabili longanimitate sua proficere, sed et incrudescere ulcera; propterea succidit tempus, *ne maiori scilicet poenae se obnoxios facerent* ». Theodoritus vero in cap. I. Ezechielis ait: « Noe quum ad poenitentiam (Gen. VI. 3.) centum viginti annos praefinisset, conspecto iniquitatis incremento, haud expectavit sententiae finem, *ut peccati progressionem comprimeret* ».

(5) Serm. III. de ieiunio, §. VIII. p. XXIV.

(6) Exod. XII. 14.

(7) Ios. IX, 15.

(8) Ios II. 12, VI. 17.

verso tempore elapso, cum vidisset eos non fuisse conversos, irruit super eos (1) furor irae suae ».

CLXIX.

Cuiusmodi igitur censeri debet providentiae ordo, quem Deus lapsis infectisque culpa hominibus praestituit? censeri scilicet 1) ordo debet *quo Deus longanimis est in creaturas suas, ac in omnes homines beneficus.* Quo etiam non obscure pertinent quae (2) scribit Isaacus Syrus, Ninives urbis episcopus, inquiens: « Protectio Dei et providentia *in omnes homines* est, nec videtur nisi ab his, qui purgaverunt semetipsos a peccato, et mentem in Deo defixam habent. Specialiter autem manifestatur his providentia Dei, qui pro Deo incidunt in magnam tentationem: tunc ipsam sentiunt, eaque quasi oculis corporis apparet, quibus vident eam iuxta quantitatem et vim contingentis tentationis ».

Tum 2) censeri ordo debet, e quo existit, *ut mundus praesens mundus sit gratiae*, ac ita divinitus administratus, *ut numquam in eo poenitentiae locus, resipiscendique facultas penitus denegetur.* Hinc Isaaci (3) ad peccatores omnes cohortatio: « O condemnabiles confortamini spe, quaerite faciem Domini per poenitentiam; et sanctificabimini sanctificatione vultus eius, et a peccatis vestris mundabimini. Currite ad Deum o vos, qui rei estis peccatis, quia potens est dimittere peccata, et potest delere delicta. Cum iureiurando ait (4) per prophetam, dicens: *vivo ego dicit Dominus nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* ».

Censeri tandem 3) ordo debet, quo *vel ipsae temporales poenae ad hominum salutem diriguntur.* Sive enim beneficiis ornet, sive poenis animadvertat, id, quamdiu vivimus, pro-

(1) I. Regg. XV. 8.

(2) De contemtu mundi, cap. XIII. p. 7. apud Gallandium, T. XII. De Isaaco plura habet Assemanus Biblioth. Orient T. I. pagg. 207—444: eiusdem vero sermones anno 1770. iteratis curis vulgavit Nicephorus Theotokius, cuius editio nobis ad manus non fuit.

(3) Ibid. cap. XIII. p. 9.

(4) Ezech. XXXIII. 11. coll. Is. LXV. 2, Rom. X. 21, Zach. I. 3.

positum habet Deus, ut nos emendet, ad meliorem frugem adducat, correctosque beet. Ordo autem *his dotibus* insignis infinito prorsus intervallo *ab ordine damnationis* seiungitur, ac vim plane faciemque refert *ordinis reparati*, et ea quidem reparatione, quae *universalis* sit, *efficax* ac *actuosa*, suaque munera *in omnes omnino homines* profundat.

Quod nuspiam Iacobus docet praeclarius, quam dum novi Testamenti σκοπον aperit, ac finem fructusque illius oeconomiae explanat, quam nostra mortalitate suscepta Unigenitus obivit. Et σκοπον sane novi Testamenti (1) aperiens, scribit: « Nondum erat obsignatum testamentum, quod factum est per Moysem, donec adveniret hoc ultimum testamentum; quia illud primum (2) desuper nuntiatum est, hoc autem subter signaculo munitum. Et mortuus est, qui condidit testamentum, et deinde confirmata sunt duo testamenta, et fecit duo unum, et legem praeceptorum in mandatis praecepti sui abrogavit, et necessitas legis abrogata est in adventu Domini nostri: et obtulit semetipsum pro sacrificiis illis, quae erant ex lege: et traditus est ille tamquam agnus ad immolandum pro agnis propitiationis: et immolatus est *pro nobis* vitulus saginatus, ne indigeremus offerre vitulos agri. Venit et adscendit in crucem, ne requirerentur a nobis victimae et sacrificia. *Effudit sanguinem suum pro omnibus hominibus*, ne requireretur a nobis sanguis brutorum ». Quum vero (3) in eo est ut probet, nihil ad dilectionem quod attinet, Christum verbis docuisse, quod prius opere non compleverit, ait: «Fecit prius Salvator noster quod suos docuit, et re praestitit

(1) Serm. II. de dilectione, §. VI. p. XIII.

(2) Primum testamentum *superne* nuntiatum est, quia a Deo datum est per Moysem populo israelitico, non autem est *inferius* obsignatum, quia non fuit confirmatum sanguine et morte testatoris. At vero secundum testamentum Christus *subter*, hoc est, in terra sanguine et morte sua obsignavit, confirmavitque, ut insigniter traditur Hebr. IX. 15. seqq. Propterea Augustinus enarrat. in Ps. LXXXVIII. 29. de Christo ait: « Ipse mediator testamenti, ipse signator testamenti, ipse fideiussor testamenti, ipse testis testamenti, ipse hereditas testamenti, ipse coheres testamenti».

(3) Serm. II. de dilectione. §. XVII. p. XVIII.

quod deinde verbis inculcavit: nam reconciliavit *inimicitiam nostram* cum Patre, et adeo *dilexit* nos, ut innocentiam suam traderet *pro noxiis*, et *beneficus pro improbis* contumelias susciperet, et *dives pro nobis* pauper fieret, et cum esset vita, *ut pro mortuis* moreretur, et morte sua vivificaret *mortalitatem nostram*. Et Filius Domini omnium Dominus *pro nobis* (1) suscepit similitudinem servi. Et ille, cui omnia parebant, subditus (2) factus est ut *nos* absolveret a servitute peccati . . . . Et reparavit *terrenam naturam nostram*, et fecit nos (3) sal veritatis, et eripuit nos ab esu serpentis. Et vocavit nos lucem mundi, salvavit nos a potestate tenebrarum. Et ex malis bonos, et amabiles ex abominabilibus fecit ». Confortavit (4) namque « Dominus poenitentes, *non veni*, inquiens (5), *vocare iustos sed peccatores ad poenitentiam.* Et (6) iterum dicens: *gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia.* Propterea (7) pastor maiorem curam adhibuit super ovem, quae ex toto grege suo perierat, quam super illas, quae non erraverant. *Christus mortuus est pro peccatoribus, et non pro iustis* »

Quod ne umquam ex animo excideret, iterum (8) inculcat, scribens: « Ipsemet Salvator noster (9) dicit, *non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.* Dominus noster *mortuus est pro peccatoribus, et non fuit in vanum mors eius* ». Dum vero Christum Dominum cum Iosue (10) confert, haec inter cetera habet: « Iosue occidit gentes immundas, et Iesus Salvator noster evertit diabolum cum exercitu suo. Iosue fecit stare solem in caelo, et Iesus Salvator noster ob-

(1) Philipp. II. 6—7.
(2) Luc. II. 51.
(3) Matth. V. 13—14, Marc. IX. 49, Luc. XIV. 34.
(4) Serm. VII. de poenitentia, §. VI p. LVI.
(5) Marc. II. 17.
(6) Luc. XV. 7.
(7) Matth. XVIII. 12—13. coll. Luc. XV. 4.
(8) Ibid. §. IX. p. LIX.
(9) Matth. IX.
(10) Serm. XI. de circumcisione con. iudaeos §. XII. p. LXXXIV.

scuravit solem in meridie, quando crucifixus est. Iosue filius Nave salvator populi, et Iesus Salvator noster, *salvator mundi* ».

CLXX.

Quibus ad invicem comparatis, non unum est quod perspicue assequimur. Principio namque *a)* assequimur, eximia esse beneficia, quae reparationem nostram *ex amore* profectam comitantur. Neque enim *in vanum fuit mors Christi*, sed *evertit diabolum cum exercitu* suo, *salvavit nos e potestate tenebrarum*, *absolvit a servitute peccati*, *ereptosque e caligine mortis in lucem vitae revocavit.*

Illud deinde *b)* assequimur, partam Christi meritis reparationem duplici sententiarum genere universalem affirmari: ac 1) universalem affirmari *sententiis disertis*, quibus Christi sanguis *pro omnibus proque mundo* effusus perhibetur: tum vero 2) universalem affirmari *sententiis virtute aequipollentibus* quibus docetur, Christum *pro mortuis* mortuum esse, ut immortalitatem illis impertiret; beneficum *pro impiis* contumelias suscepisse, *pro peccatoribus* in cruce expirasse, *nostram terrenam naturam* restituisse, auctoremque fuisse, ut *nostra* cum Patre *inimicitia* reconciliaretur.

Assequimur *c)* tandem, *verbis* quidem differre, sed *significandi potestate* formulas consentire, quibus Christus dicitur *pro nobis* vel *pro omnibus* et *pro mundi salute* crucifixus. Hasce enim formulas *indiscriminatim* Iacobus usurpat, ostenditque se uti pronomine *nos* ut *communem naturam*, qua omnes homines sumus, non autem ut *peculiarem fidelium coetum* demonstret.

Atque haec loquendi ratio, quae in aliis quoque patrum testimoniis animadverti facile potuit, infrequens non est apud Ignatium Iohannis (1) discipulum, Polycarpi condiscipulum, ac inter apostolicos viros nulli sanctimonia, gloriaeque splendore secundum. Is enim ante omnia statuit, unum esse hominum medicum, et cuiusmodi ille sit, his ver-

(1) Cf. acta martyrii eius, cap. III.

bis (1) declarat: « Εἷς ἰατρος ἐστιν, σαρκικος τε και πνευματικος, γεννητος (2) και ἀγεννητος, ἐν σαρκι γενομενος θεος, ἐν θανατῳ ζωη ἀληθινη, και ἐκ Μαριας και ἐκ θεου, πρωτον παθητος και τοτε ἀπαθης, Ἰησους Χριστος ὁ κυριος ἡμων. Medicus autem *unus* est, et carnalis et spiritualis, factus et non factus, in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum passibilis et tunc (3) impassibilis, Iesus Christus Dominus noster ». Cum quibus ista (4) concinunt: « Τον ὑπερ καιρον προσδοκα, τον ἀχρονον, τον ἀορατον, τον δι' ἡμας ὁρατον, τον ἀψηλαφητον, τον ἀπαθη, τον δι' ἡμας παθητον, τον κατα παντα τροπον δι' ἡμας ὑπομειναντα. Eum, qui ultra tempus est, exspecta, intemporalem, invisibilem, propter nos visibilem, impalpabilem impatibilem propter nos patibilem, qui omni modo propter nos sustinuit ».

Constituta medici *unitate* ac *infinita* reparatoris *nobilitate* declarata, de *persoluto* agens reparationis *pretio*, illud *passionem Dei*, *sanguinem Dei*, ac *passionem divine-beatam* appellat. Priori appellatione utitur, quum romanos (5) alloquens, ait: « Ἐπιτρεψατε μοι μιμητην εἰναι του παθους του θεου μου. Concedite mihi imitatorem me esse *passionis Dei mei* ». Ad posteriorem ista pertinent, quibus (6) ephesios commendat: « Μιμηται ὀντες θεου, ἀναζωπυρησαντες ἐν αἱματι θεου, το συγγενικον ἐργον τελειως ἀπηρτισατε. Quum imitatores sitis Dei, ad vitam revocati (7) *per sanguinem Dei*, opus fraternitatis perfecte absolvistis ». De postrema vero nihil

(1) Epist. ad Ephesios, §. VII. p. 123. edit. Tubingae 1842.

(2) Codex Florentinus refert, γεννητος και ἀγεννητος, vetus autem interpres hanc lectionem sequutus, reddidit, *genitus et ingenitus*. Plures Athanasii codices in libello de synodis, et Gelasius in opere de duabus Christi naturis, confirmant lectionem, γενητος και ἀγενητος *factus et non factus*. Ceterum nihil verius Iacobsoni animadversione, indiscriminatim plus semel adhiberi ἀγεννητος et ἀγενητος.

(3) Supple, *post resurrectionem*.

(4) Epist. ad Polycarpum, §. III. p. 179.

(5) Epist. ad Romanos, §. VI p. 156. Anastasius sinaita in Odego, cap. XII., ἐασατε μιμητην εἰναι παθους Χριστου του θεου μου.

(6) Epist; ad Ephesios, §. I. p. 119.

(7) Passione nimirum et Christi morte.

hisce praeclarius: quibus (1) beneficia crucis extollit: « Ἀφ' οὗ καρπου ἡμεις ἀπο του θεομακαριστου αὐτου παθους, ἱνα ἀρῃ συσσημον εἰς τους αἰωνας δια της ἀναστασεως εἰς τους ἁγιους και πιστους αὐτου, εἰτε ἐν ἰουδαιοις, εἰτε ἐν ἐθνεσιν, ἐν ἑνι σωματι της ἐκκλησιας αὐτου. Ex hoc (2) fructu nos sumus *per divine-beatam passionem eius*, ut (3) per resurrectionem suam in secula elevet vexillum pro sanctis et fidelibus suis, sive in iudaeis, sive in gentibus, in uno corpore ecclesiae suae ».

Sed quinam ii sunt, pro quibus caelestis medicus, divinusque reparator tantum, tamquam insigne obtulit pretium? tradit hoc Ignatius, dum (4) sibi adprecatur » ut per martyrium adipisci possit, μαθητης εἰναι του ὑπερ ἡμων ἑαυτον ἀνενεγκοτος θεῳ προσφοραν και θυσιαν, discipulus esse illius, qui seipsum *pro nobis* obtulit Deo oblationem et hostiam ». Ac iterum tradit, dum Christum (5) exhibet « ἀληθως ἐπι Ποντιου Πιλατου και Ηρωδου τετραρχου καθηλωμενον ὑπερ ἡμων ἐν σαρκι, vere sub Pontio Pilato et Herode tetrarcha clavis confixum *pro nobis* in carne ».

Sumus igitur *nos*, quos Christus reparavit, et ὑπερ ἡμων, *pro nobis* divinam mortem, divinamque passionem subivit. Ambigi vero potest, quousque significatio pateat pronominis *nos*, ac utrum eo *omnes prorsus homines*, an solum *ex iis aliquot* designentur. Sed dubitationem non uno modo praecidit Ignatius. Illam namque *a*) praecidit, dum Christum iuxta ac Evangelium *spem communem* appellat. « Sed et prophetas, inquit (6), diligamus, quia et ipsi Evangelium annuntiaverint, et in Christum speraverint, et ipsum exspectaverint; per quem et credentes salutem consequuti sunt, Iesu Christo uniti; quum essent sancti amore et admiratione digni, a Iesu Christo testimonium adepti, και συνηριθμημενοι ἐν τῳ

(1) Epist. ad Smyrnaeos, §. I. p. 169.

(2) Ex hoc fructu *ligni*, e quo Christus pendens, eius prope *fructus* intelligitur.

(3) Is. X. 26, XLIX. 22.

(4) Epist. ad Ephesios, §. I. p. 119.

(5) Epist. ad Smyrnaeos. §. I. p. 169.

(6) Epist. ad Philadelphenses, §. V. p. 163.

εὐαγγελίῳ τῆς κοινῆς ἐλπίδος, et connumerati *in Evangelio spei communis* ». Hinc simillima prorsus loquutione tum epistolam ad Philadelphenses, quum litteras ad Ephesios absolvens, in illa sic (1) habet, ἔῤῥωσθε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῇ κοινῇ ἐλπίδι ἡμῶν, *valete in Christo Iesu, communi spe nostra;* in his vero (2) scribit, ἔῤῥωσθε ἐν θεῷ πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ, τῇ κοινῇ ἐλπίδι ἡμῶν, *valete in Deo Patre et in Iesu Christo, communi spe nostra.*

Dubitationem rursus *b*) praecidit, dum *omnia* per Christum instaurata (3) testatur, scribens : « Ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία, καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας· ἄγνοια καθῃρεῖτο, παλαιὰ βασιλεία διεφθείρετο, θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς. ἀρχὴν δὲ ἐλάμβανεν τὸ παρὰ θεῷ ἀπηρτισμένον. ἔνθεν τὰ πάντα συνεκινεῖτο, διὰ τὸ μελετᾶσθαι θανάτου κατάλυσιν. Quare soluta est omnis magia, et omne vinculum malitiae est abolitum, ignorantia destructa est, vetus regnum est labefactatum, Deo humanitus manifestato, in novitatem vitae aeternae. Initium vero nunc sumsit, quod (4) ab initio apud Deum paratum erat. Inde (5) omnia commovebantur, quia ille mortis abolitionem meditabatur ».

Ad eamdem praecidendam *c*) confert quod scribit, ideo pro omnibus orandum esse hominibus, quia omnibus spes salutis affulget. En Ignatii (6) ipsissima verba : « Καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων δὲ ἀνθρώπων ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. ἔστιν γὰρ ἐν αὐτοῖς ἐλπὶς μετανοίας, ἵνα θεοῦ τύχωσιν. Sed et pro aliis hominibus indesinenter orate. Est enim ipsis spes poenitentiae, ut Deum nanciscantur ».

Neque illam *d*) minus praecidit, quod ipsos etiam haereticos et Christi veritatem negantes, eos inter connumeret, pro quibus fundi ad Deum preces debeant. « Praemunio vos,

(1) Ibid. §. XI. p. 168.

(2) Epist. ad Ephesios, §. XX. p. 132.

(3) Ibid. §. XIX. p. 131.

(4) Intelligit adventum Christi in terris, quem ab aeterno Deus praeordinavit.

(5) In regno satanae, quod sibi excidium timeret.

(6) Epist. ad Ephesios, §. X. p. 125.

sic ille (1) ad Smyrnaeos, contra feras humana specie indutas, quos non solum oportet vos non recipere, sed, si possibile est, neque obviam eis fieri, *μονον δε προσευχεσθαι ὑπερ αὐτων, ἐαν πως μετανοησωσιν, ὁπερ δυσκολον. τουτου δε ἐχει ἐξουσιαν Ἰησους Χριστος, το ἀληθινον ἡμων ζην*, *solum vero pro eis orare, num aliquam poenitentiam agant, quod admodum difficile est.* Huius autem potestatem habet Iesus Christus, qui vera est vita nostra ». De iisdem autem paullo inferius (2) subdit : « *Τα δε ονοματα αὐτων, ὀντα ἀπιστα, οὐκ ἐδοξε μοι ἐγγραψαι. ἀλλα μηδε γενοιτο μοι αὐτων μνημονευειν, μεχρις οὗ μετανοησωσιν εἰς το παθος, ὁ ἐστιν ἡμων ἀναστασις.* Nomina vero eorum, quum sint infidelia, non visum mihi est scribere. Et absit a me, ut eorum mentionem faciam, *donec* (3) *revertantur ad passionem* (Christi), *quae est nostra resurrectio* ».

CLXXI.

Cum quibus duo apta nexaque sunt, quorum alterum *ad rem ipsam*, alterum *ad loquendi usum modumque* refertur. Ac prius quidem consectarium huc redit : *omnibus affulgere spem salutis, esse cur omnes in Christo, qui communis spes est, confidant, pro omnibus, etsi perditissimis, orandum esse, partamque Christi sanguine redemptionem non minus patere quam labes pateat Adami praevaricatione diffusa; utramque propterea universalem esse.* Hanc vero universalitatem, quo posterius consectarium spectat, *ἀδιαφορως* efferri, sive quum Christus *pro omnibus,* sive quum *pro nobis* morti addictus perhibetur.

Qua loquendi forma Barnabas (4), vel quisquis est

(1) Epist. ad Smyrnaeos, §. IV. p. 170.

(2) Ibid. §. V. p. 171.

(3) Donec credant Christum *vere* et passum et mortuum, qua *vera* morte ac passione salus nostra continetur.

(4) Barnabam auctorem epistolae laudant veteres plerique omnes, quibus inter recentiores quum alii tum nominatim patrocinantur Henke in diss. edita Ienae an 1827. *de epistolae, quae Barnabae tribuitur, Authentia*, et Rördam *in comm. de authentia epist. Barnabae,* edito Hafniae an. 1828.

alius (1) vetustissimus epistolae auctor, quae illius nomine insignitur, scripsit (2): « Propter hoc Dominus sustinuit tradere corpus suum in exterminium, *ut remissione peccatorum sanctificemur*, quod est sparsione sanguinis illius. Scriptum est enim de illo, quaedam ad populum iudaeorum, quaedam ad nos. Dicit autem (3) sic: *vulneratus est propter iniquitates nostras, et vexatus est propter peccata nostra*; sanguine illius sanati sumus. *Tamquam ovis ad victimam adductus est; et sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum*. Supergratulari (4) ergo debemus Domino, quia et praeterita nobis ostendit, et sapientes fecit, et de futuris non sumus sine intellectu. Dicit (5) autem: *non iniuste tenduntur retia avibus*. Hoc dicit, *quia iuste perit homo habens viam veritatis, scientiam, et se a via tenebrosa non continet adhuc*. Et ad hoc Dominus sustinuit pati *pro anima nostra*, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit (6) die ante constitutionem seculi: *faciamus* (7) *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* ». Ubi quisque videt, reparationis amplitudinem explicari formulis, quibus docetur, *sustinuisse Dominum tradere corpus suum in exterminium*, *ut remissione peccatorum sanctificemur*; ac denuo, *sustinuisse Dominum pati pro anima nostra*. Atqui eiusmodi formulas *universales* esse, licet eae prima fronte *adstrictae particularesque* videantur, certis argumentis comprobatur.

Sane *a*) nemo hominum perit, *nisi iuste*. Teste autem Barnaba, ii solum iuste pereunt, *qui quum habeant viam veritatis et scientiae, seipsos tamen a via tenebrosa non continent*. Quotquot ergo pereunt, viam veritatis scientiaeque habuerunt, quam sequerentur. Habere autem illam non potuerunt *nisi*

(1) Cf. Lumperi Hist. Theolog. Critic. T. I. p. 150.

(2) Epist. Barnabae, §. V. p. 6.

(3) Is. LIII. 5—7.

(4) Quum haec ad nos spectent, quemadmodum insequentia ad iudaeos referuntur.

(5) Prov. I. 17.

(6) Ille qui dixit, est Deus Pater.

(7) Gen. I. 26.

propter sparsionem sanguinis Christi. Suum igitur sanguinem pro iis etiam Christus effudit, qui pereunt.

Ad haec *b*) de incarnatione, deque eiusdem necessitate disserens (1) Barnabas, scribit: « Nisi Filius Dei (2) in carne venisset, quomodo servati fuissemus *nos homines*, videntes eum? quandoquidem ii, qui solem hunc aliquando desiturum, opus manuum eius, aspiciunt, non valent radios illius obtueri ». Eadem igitur vis, potestas eadem subest formulae, *pati pro nobis*, et *pati pro nobis hominibus*. Haec autem posterior formula est omnino universalis.

Praeterea *c*) supremi iudicii formam rationemque proponens (3), ait: « Dominus (4) *non accepta persona* iudicat *mundum*; unusquisque secundum quae facit, accipiet. Si fuerit bonus, bonitas eum antecedit; si nequam, merces nequitiae eum sequitur ».

Videretur autem Dominus *personam accipere*, si aliis faceret sectandae bonitatis potestatem, atque hanc ipsam aliis denegaret: neque videretur de iis iudicium exercere, *quae homines libere elegissent*, nisi omnibus expeditam in utramque partem tribueret facultatem. Omnibus ergo *ex aequo* facit potestatem bonitatis, ac omnes *ex aequo* subtrahit a necessitate nequitiae. Nullum vero in homines confert salutare beneficium, *nisi per Christum.* Omnibus igitur Christus meruit *immunitatem a necessitate nequitiae,* ac pro omnibus potestatem obtinuit, *qua bonitati studerent.*

De qua *d*) collata omnibus potestate, nihil iis illustrius quae Barnabas habet, quum duas describens (5) vias hominibus propositas, ait: « Ὁδοι δυο εισι διδαχης και ἐξουσιας, ἡ τε του φωτος, ἡ τε του σκοτους· διαφορα δε πολλη των δυο ὁδων. ἐφ᾽ ἡς μεν γαρ εισι τεταγμενοι φωταγωγοι ἀγγελοι του θεου, ἐφ᾽ ἡς δε ἀγγελοι του σατανα. Duae sunt viae (6)

(1) Epist. Barnabae, §. V. p. 7.

(2) Istis simillima habentur in oraculis sibyllinis, proem. vv. 10--15.

(3) Ibid. §. IV. p. 5.

(4) I. Cor. III. 8, Gal. II. 16, I. Petr. I. 17.

(5) Ibid §. XVIII. p. 37.

(6) Hisce agitur de duplici doctrina bona et mala, deque potestatibus bonis et malis, angelis nimirum ac daemonibus.

doctrinae ac potestatis: una (1) lucis, altera tenebrarum. Differentia vero multa duarum viarum. Uni siquidem praepositi sunt angeli Dei lucem praeferentes, alteri vero (2) angeli Satanae ». Etenim utriusque viae (3) conditione pluribus explanata, inferendo tandem (4) colligit: « Καλον οὖν ἔστι, μαθοντα τα δικαιωματα κυριου, ὅσα προγεγραπται, ἐν τουτοις περιπατειν. ὁ γαρ ταυτα ποιων ἐν τῃ βασιλειᾳ του Θεου δοξασθησεται· ὁ ἐκεινα ἐκλεγομενος, μετα των ἐργων αὐτου συναπολειται· δια τουτο ἀναστασις, δια τουτο ἀνταποδοσις. Aequum igitur est, ut homo edoctus mandata Domini, quotquot prius scripta (5) sunt, in eis ambulet. Qui enim ea perficit, in regno Dei gloria cumulabitur; qui vero alia (6) elegerit, simul cum suis operibus peribit. Propterea resurrectio, propterea retributio ». Extremum igitur iudicium specimen erit ac exemplar nobilissimum *retributionis*, qua singuli quique *pro sua electione* aut gloria honestabuntur, aut poenis sempiternis addicentur. Nullus autem *electioni* locus pateret, nisi *omnibus* praesto esset *facultas boni*, et nisi *omnes* immunes essent *a necessitate mali.* Eo igitur providentiae ordine regimur, quo *boni potestas omnibus suppetit, ac nemo est qui mali necessitate prematur*, Utraque autem dote vis ac ratio continetur *ordinis salutaris ac reparati.* Quotquot igitur sunt homines ad ordinem salutarem eumque reparatum pertinere credendi sunt.

CLXXII.

Cuius doctrinae habeo quem addam testem assertoremque nobilissimum, Theophilum antiochenum, cuius praecla-

(1) Cf. Origiuem de principiis, lib. III. cap. II. n. 4, et lib. I. explanatt. in epist. ad Rom. I. 24.

(2) II. Cor. XII. 7.

(3) Ibid. §§. XIX--XXI. pagg. 37--41.

(4) Ibid. §. XXI. p. 41.

(5) Ad ea respicit, qaae ipse praemiserat.

(6) Divinae scilicet voluntati contraria, quorum summam exhibet §. XX. pagg. 40--41.

ras laudes Eusebius (1) celebravit. Is enim transgressione memorata, qua se Adam obligavit, poenisque recensitis, quae (2) inde consequutae sunt, illico (3) pergit: « Atque id quidem (4) ei Deus in magni beneficii loco praestitit, ne in aevum omne permaneret obstrictus peccatis; sed quodam velut exilio damnatum eiecit e paradiso, *ut cum hac poena peccatum intra certum tempus expiasset, ac castigatus fuisset*, ἐξ ὕστερου ἀνακληθῃ, *postea revocaretur* . . . Quin etiam (5) quemadmodum vas si, postquam confectum fuerit, vitii aliquid habeat, refunditur et refingitur, ut novum et integrum fiat; idem homini mors affert: quodam enim modo confringitur, *ut sanus in resurrectione inveniatur*, *idest*, *mundus*, *iustus et immortalis*. Quod autem Deus Adamum vocat, et ait: *Adam ubi es*? ουχ ὡς ἀγνοων τουτο ἐποιει ὁ Θεος, ἀλλα μακροθυμος ὢν, ἀφορμην ἐδιδου αὐτῳ μετανοιας, και ἐξομολογησεως, non quod (6) ignoraret, ita faciebat, *sed quum sit admodum patiens*, *locum ei dabat poenitendi et confitendi* ». Mox vero quaestionem versans summa olim (7) ab haereticis contentione agitatam, tribui nec ne Creatori mors debeat, scribit (8): « Sed nobis dicet aliquis: θνητος φυσει ἐγενετο ὁ ἀνθρωπος; οὐδαμως· τι οὐν ἀθανατος; οὐδε τουτο φαμεν. ἀλλα ἐρει τις, οὐδεν οὐν ἐγενετο; οὐδε τουτο, ἐγω μεν.

(1) H. E. lib. IV: cap. XXIV.

(2) Ad Autolycum, lib. II. n. 25.

(3) Ibid. n. 26.

(4) De *morte* loquitur. Consentiunt Irenaeus con. Haeres. lib. III. cap. XXIII. n. 6, et Iohannes. Chrysostomus in Genesim, Hom. XVIII.

(5) « Similia habemus, inquit Maranus, apud Clementem epist. II. ad Corinth. cap. VIII., Originem Hom. XVIII in Ierem. p. 166., Methodium de Resurrectione p. 198., Gregorium nyssenum libro de anima et resurrectione, et Ambrosium lib. II. de fide resurrectionis ».

(6) Sicut gnostici delirabant, quum inscitiam universitatis opifici adscriberent. Unde Tertullianus con. Marcionem lib. II. cap. XXV: « Interrogabat Deus, quasi incertus, *ut daret ei locum sponte confitendi delictum, et hoc nomine relevandi* ».

(7) Inter priscos haereticos valentiniani, teste Clemente alexandrino in quarto Stromatum libro, docebant, θανατου γενεσιν ἐργον εἶναι του κτισαντος τον κοσμον. Videsis Tertullianum con. Marcionem, lib. II. capp. V—XIV.

(8) Ad Autolycum, lib. II. n. 27.

οὔτε οὖν φύσει θνητὸς ἐγένετο, οὔτε ἀθάνατος, natura mortalis factus est Adam? minime. Num immortalis? nihilo magis. Nihil ergo erat? neque etiam id dicimus. Igitur nec mortalis natura, nec immortalis factus. Nam si immortalem ab initio fecisset, Deum eum fecisset. Rursum si mortalem, videretur Deus caussa illius mortis esse. *οὔτε οὖν ἀθάνατον αὐτὸν ἐποίησεν, οὔτε μὴν θνητὸν, ἀλλὰ καθὼς ἐπάνω προειρήκαμεν, δεκτικὸν ἀμφοτέρων*. Nec immortalem igitur fecit, nec mortalem; sed ut superius diximus, capacem utriusque. Ut si ad ea ferretur, quae ducunt ad immortalitatem, observandis Dei mandatis, mercedem ab eo acciperet immortalitatem, et deus fieret; sin vero deflecteret ad ea quae ducunt in mortem, non obediens Deo, ipse sibi mortis auctor esset. *Ἐλεύθερον γὰρ καὶ αὐτεξούσιον ἐποίησεν ὁ θεὸς ἄνθρωπον· ὃ οὖν ἑαυτῷ περιεποιήσατο δι' ἀμελείας καὶ παρακοῆς, τοῦτο ὁ θεὸς αὐτῷ νυνὶ δωρεῖται διὰ ἰδίας φιλανθρωπίας, καὶ ἐλεημοσύνης ὑπακουσόντας αὐτῷ τοὺς ἀνθρώπους*. Liberum enim Deus et sui iuris hominem fecit. Quod igitur sibi ipse negligentia et inobedientia arcessiverat, *id nunc Deus redonat pro sua singulari humanitate, et in homines ipsi obtemperantes misericordia.* Quemadmodum enim homo non obediendo, mortem sibi ipse traxit; *οὕτως ὑπακούσας τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ, ὁ βουλόμενος δύναται περιποιήσασθαι ἑαυτῷ τὴν αἰώνιον ζωήν*, sic voluntati Dei obsequendo *potest qui voluerit aeternam vitam sibi conciliare. ἔδωκε γὰρ ὁ θεὸς ἡμῖν νόμον καὶ ἐντολὰς ἁγίας· ἃς πᾶς ὁ ποιήσας δύναται σωθῆναι, καὶ τῆς ἀναστάσεως τυχὼν κληρονομῆσαι τὴν ἀφθαρσίαν*. Legem enim Deus et sancta nobis praecepta dedit, quae quisquis observaverit, *potest salutem assequi, et compos resurrectionis factus hereditare incorruptionem* ».

Triplex igitur potest, immo debet habitus distingui, quo homines universi *in protoparentibus* et *per protoparentes* ad Deum referuntur. Prior *a*) ille est, quo cum Deo *creante*, suumque opus egregiis muneribus *exornante* componuntur. Hic autem *habitus* est *amoris*, *eximiaeque benevolentiae*, qua non id solum hominibus contulit quod esset cum eorum natura consertum, sed plura beneficus adiecit, quae vim omnem naturae praetergrederentur.

Alter *b*) succedit, quo hominum genus in protoparentibus lapsum ac perditum cum Deo *suae legis assertore, admissaeque praevaricationis iudice* comparatur. Hic autem habitus est *iustissimae severitatis*, qua Deus homines universos una cum protoparentibus e paradiso expulit, temporalibus poenis subiecit, praeternaturalibus donis spoliavit, et iam anima mortuos ipsa etiam corporis morte punivit.

Hunc *c*) tertius postremusque excipit, idemque divinae *φιλανθρωπιας και ἐλεημοσυνης*, *benignitatis ac misericordiae* proprius, quique inde prodit, quod visum Deo fuerit, 1) perditum opus restituere, 2) plenam illi copiam potestatemque facere ea recuperandi quae prodegerat, ipsum vero 3) poenarum temporalium ordinem ita temperare ac (1) mollire, ut ad hominum utilitatem ipsae quoque poenae conducerent.

Quis porro secum ista perpendens oculis propemodum non usurpet caelestem iustitiae cum benignitate concentum, misericordiae triumphum, reparatique ordinis institutionem? et eam quidem institutionem, qua protoparentibus primum, ac posteritati deinde universae facultas fuerit ac esse pergat ea denuo obtinendi quae amiserint, aeternamque felicitatem, e qua exciderint, repetendi?

CLXXIII.

Huc profecto redit Theophili doctrina: huc ea spectant quae ex eodem descripsimus: atque huc ista referuntur, quae narrata (2) Abelis occisione, subdit: « Ab his initiis in hunc mundum inducta mors, totum hactenus genus humanum pervasit. *ὁ δε Θεος ἐλεημων ὠν, και βουλομενος ἀφορμην μετανοιας και ἐξομολογησεως παρασχειν τῳ* Καιν, *καθαπερ και τῳ* Αδαμ, *εἰπε· που* Ἀβελ *ὁ ἀδελφος σου*; Deus autem quum *misericors* sit, et quemadmodum Adamo, ita etiam Caino adi-

(1) De hac divina lenitate in temporalibus poenis statuendis praeclare ex veterum patrum sententia disserunt triumviri doctissimi, Dionysius Petavius de opificio sex dierum, lib. II, cap. X., Iohannes Garnerius de haeresi pelagiana, diss. VII. cap III., et Bernardus De Rubeis, de peccato originali, cap. III. §§. IV—V.

(2) Ad Autolycum, lib. II. n. 29.

tum ad poenitentiam et confessionem aperire *vellet*, ita eum alloquutus est: *ubi est Abel frater tuus* »? huc pariter ea faciunt, quibus divinam commendans (1) providentiam, inquit: « Ὁ μεν τοι γε Θεος και πατηρ και κτιστης των ὁλων, οὐκ ἐγκατελιπε την ἀνθρωποτητα, ἀλλα ἐδωκεν νομον, και ἐπεμψε προφητας ἁγιους, προς το καταγγειλαι και δειξαι (2) το γενος των ἀνθρωπων, εἰς το ἑνα ἑκαστον ἡμων ἀνανηψαι και ἐπιγνωσαι, ὁτι εἱς ἐστι θεος. Deus autem *et pater* et conditor universorum *non deseruit humanum genus*, sed legem dedit, sanctosque prophetas misit, qui nuntiarent generi humano et praeciperent, *ut quisque nostrum expergefactus unum esse Deum agnosceret*. Ab iisdem edocti sumus, ut ab infando simulacrorum cultu, . . . lascivia omni et impuritate abstineamus, et quae sibi quisque fieri nolit, ea alteri ne faciat: και οὑτως ὁ δικαιοπραγων ἐκφυγη τας αἰωνιους κολασεις, και καταξιωθη της αἰωνιου ζωης παρα του θεου, sicque iustitiae cultor aeterna supplicia effugiat, aeternamque vitam a Deo consequatur ».

Eodem pertinent quae descriptis naturalis ordinis beneficiis, quibus nemo privatur, habet, dum mundum cum mari (3) conferens, ait: « In mari similitudo quaedam nobis cum mundo exhibetur. Quemadmodum enim mare, nisi fluminum et fontium appulsu aleretur, iamdudum exsiccatum ob salsuginem et adustum esset; ita mundus nisi habuisset legem Dei et prophetas, ex quibus fluunt et scaturiunt mansuetudo, misericordia, iustitia et sanctorum Dei mandatorum doctrina, iamdudum ob nequitiam et multiplicata in eo peccata defecisset. Et quemadmodum in mari sunt quaedam insulae habitabiles, aquis salubres, frugiferae, stationibus et portubus munitae, ut iis, qui tempestate iactentur, perfugio esse possint; sic Deus mundo sub peccatis fluctuanti et aestuanti dedit sanctas ecclesias, in quibus doctrina veritatis velut in insularum portuosarum stationibus asservatur, ad quas perfugiunt qui salutem consequi cupiunt, ve-

(1) Ibid n. 34.
(2) Legendum est, διδαξαι.
(3) Ibid. n. 14.

ritatis facti amatores, ac iram et iudicium Dei fugere volentes. Quemadmodum autem aliae sunt insulae saxosae, . . . inhabitatae, ad perniciem navigantium et tempestatem subeuntium appositae, in quibus naves conteruntur, et qui appellunt, penitus pereunt; ita se habent erroris doctrinae, haereses dico, ad quas qui accedunt, omnino pereunt: neque enim verbum veritatis sequuntur ducem; sed quemadmodum piratae quum naves impleverint, eas in praedicta loca impellunt, ut ibi eas perdant; idem contingit iis qui a veritate aberrant, ut ab errore pessumdentur ».

Itaque caelestis clementia, quae hominem vix lapsum erexit, humano generi semper adfuit, illudque numquam deseruit. Adfuit Caino, ac perditum fratricidam ad poenitentiam confessionemque adducere contendit. Adfuit reliquis, et dispensatione multiplici, ac incredibili quadam munerum donorumque varietate sategit, ut homines ad cultum unius Dei, abiectis idolis, proveheret, ad implenda virtutum officia excitaret, ab aeternis suppliciis eximeret, aeternaque felicitate donaret. Quod occasione israelitici populi Theophilus (1) confirmat, inquiens: « Quum autem legem eis a Deo datam populus transgrederetur, *ἀγαθος ὢν και οἰκτιρμων ὁ Θεος, μη βουλομενος διαφθειραι αὐτους, προς το δεδωκεναι τον νομον, ὑστερον δε και προφητας ἐξεπεμψεν αὐτοις ἐκ των ἀδελφων αὐτων, προς το διδασκειν και ἀναμιμνησκειν τα του νομου αὐτους, και ἐπιστρεφειν εἰς μετανοιαν, του μηκετι ἁμαρτανειν*, *benignus et misericors Deus* nolens eos e medio tollere, ad legem, quam eis dederat, illud etiam adiecit, ut prophetas eis deinceps ex fratribus suis mitteret, qui docerent et in memoriam revocarent instituta legis, et quo amplius non peccarent, eos ad poenitentiam converterent . . . . De poenitentia igitur Isaias propheta, *κοινως μεν προς παντας*, *communiter quidem omnes*, nominatim vero populum alloquitur ». Et continuo relatis (2) Isaiae, Ezechielis (3) ac (4) Ieremiae ad poenitentiam cohortationibus, sub-

(1) Ad Autolycum, lib. III. n. 11.

(2) Is. XXXI. 6, XLV. 22, LV. 6—7.

(3) Ezech. XVIII. 21. seqq.

(4) Ierem. VI. 9.

dit: « πολλα μεν οὖν, μαλλον δε ἀναριθμητα ἐστι ἐν ταις ἁγιαις γραφαις εἰρημενα περι μετανοιας, ἀει του θεου βουλομενου ἐπιστρεφειν το γενος των ἀνθρωπων ἀπο πασων των ἁμαρτιων. Multa quidem, vel potius innumerabilia sunt de poenitentia in Scripturis sanctis dicta, *volente semper Deo humanum genus ab omnibus peccatis convertere* ». Unde ergo fieri existimabimus, ut tot a peccatis numquam resipiscant, sed in iis ad extremum usque perseverent ac aeterna morte plectantur? inde nimirum repetemus, quod cum benevola Dei voluntate suam ipsi non coniungant, sed illi rebelles obsistant, ac sibi perniciem interitumque concilient.

Quare Theophilus oratione ad Autolycum conversa, his eum verbis (1) alloquitur: « Ne sis igitur incredulus, sed potius crede; nam et ego non credebam id futurum, sed nunc credo postquam haec attentius consideravi; simul quod in sacras Scripturas incidi sanctorum prophetarum, qui per Spiritum-sanctum et praeterita eodem quo gesta sunt modo, et praesentia eodem quo geruntur, praedixerunt, et futura eodem ordine quo perficientur. Cum igitur ea quae eveniunt et praedicta sunt, demonstrationem mihi exhibeant, non sum incredulus, sed credo, obtemperans Deo; ᾧ εἰ βουλει, και συ ὑποταγηθι, πιστευων αὐτῳ, μη νυν ἀπιστησας, πεισθῃς ἀνιωμενος τοτε ἐν αἰωνιοις τιμωριαις, cui tu quoque, *si vis*, obtempera, credens ei, ne si nunc incredulus fueris, credas tunc suppliciis cruciatus aeternis. Quae supplicia quum praedicta a prophetis fuissent, his minores natu poetae et philosophi furati sunt ex sanctis Scripturis, ut auctoritatem opinionibus suis conciliarent. Sed tamen hi quoque futura impiis et incredulis supplicia praedixerunt, ut testata essent omnibus; προς το μη εἰπειν τινας ὅτι οὐκ ἠκουσαμεν, οὐδε ἐγνωμεν, *ne qui dicerent, non audivimus, neque cognovimus.*

Tu quoque, si ita tibi videtur, lege studiose propheticas Scripturas, και αὐται σε τρανοτερον ὁδηγησουσι προς το ἐκφυγειν τας αἰωνιους κολασεις, και τυχειν των αἰωνιων ἀγαθων του θεου, ac lucem illarum tutiorem habebis ducem, *ut fugias aeterna supplicia, et perpetua Dei bona consequaris* ».

(1) Lib. I. n. 14.

CLXXIV.

Quibus sempiternis bonis assequendis *duplex* necessaria est *voluntas*: *divina* quae suum opus refingat, praeeat, iuvet: *humana* quae sequatur, morem gerat, suasque curas adiungat. Jamvero quum *nemini divina* desit, *pluribus humana* deest, quae quin cooperetur, repugnat, et quin sequi Deum studeat, ab eo quam longissime recedit. Humanae igitur voluntatis culpa, non divinae benignitatis defectus: acceptae facultatis abusus, non gratiae subtractum auxilium impedivit, impedit, ac porro impediet, quominus omnes aeterna fugiant supplicia, aeternaque beatitate potiantur.

Nihil enim verius, nihil ad unanimem patrum doctrinam accuratius expressum, quam quod in commentario ad (1) haec Pauli verba, *hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, Theodoritus (2) inter Orientis episcopos nulli secundus scribit: « *παντας γαρ ἀπολαυσαι βουλεται σωτηριας*. Vult enim *omnes* salutem assequi. Deinde etiam aliunde (3) confirmat quod dicit, *unus enim Deus, οὐ γαρ ἀλλως των πιστων, και ἀλλος των ἀπιστων ἐστι ποιητης, ἀλλ' εἱς ὑπαρχει δημιουργος*. Non enim alius fidelium, et alius est *effector* infidelium, sed *unus* est *creator*. *Unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. εἱς της εἰρηνης ὁ πρυτανις, ὁ ἐν ἑαυτῳ τα διεστωτα συναψας*. Unus est conciliator pacis, qui ea quae erant disiuncta in seipso coniunxit . . . . *δεικνυσι δε και το δεσποτικον παθος ὑπερ ἁπαντων γεγενημενον*. Ostendit autem Domini quoque passionem fuisse *pro omnibus* susceptam. *Qui* (4) *dedit semetipsum redemptionem pro omnibus* . . . *Παντων γαρ ὑπο την του θανατου δυναστειαν γεγενημενων, αὐτος οὐτε ὡς θεος ὑποκειμενος θανατῳ, ἀθανατον γαρ ἐχει την φυσιν, οὐτε μην*

(1) I. Tim. II. 3—4.

(2) Comm. in I. ad Tim II. 3—4. pagg. 647—648. opp. T. III. edit. Halae: an. 1771.

(3) I. Tim. II. 5.

(4) Ibid. v. 6.

ὡς ἀνθρωπος, ἁμαρτιαν γαρ οὐκ ἐποιησε του θανατου την προξενον, οἱον τι λυτρον ἑαυτον δεδωκε, και της ἐκεινου δουλειας ἁπαντας ἠλευθερωσε. Quum enim *omnes* redacti essent sub mortis potestatem, ipse qui nec ut Deus fuit morti obnoxius, habet enim naturam immortalem, sed nec ut homo, peccatum enim non fecit quod mortem affert, dedit seipsum *veluti quoddam redemptionis pretium*, et *omnes* ab eius servitute liberavit ».

Etenim (1) « *αὐτους ὁ μονογενης του θεου λογος, την του Ἀδαμ ἐνδυσαμενος φυσιν, και πασης ἁμαρτιας φυλαξας ἀμυητον, ταυτην ὑπερ ἡμων προσενηνοχε, και το χρεος της φυσεως ἀποδους, το κοινον παντων ἀνθρωπων διελυσεν ὀφλημα*, ipsum unigenitum Dei Verbum, Adami naturam iudutum, cum ab omni peccato immunem illam servasset, eam *pro nobis* obtulit, et naturae debito persoluto, *commune omnium hominum debitum dissolvit* ».

Quam impensam omnibus solutionem Theodoritus confirmat, dum (2) interrogatione proposita, *cur scripta sit de Ruth historia*, pergit inquiens: scriptam eam esse « *πρωτον μεν δια τον δεσποτην Χριστον*, primum quidem propter Christum Dominum. Ex ea enim ortus est secundum carnem. Et ideo divinus quoque Matthaeus conscribens genealogiam, virtute quidem insignes ac celebres praetermisit mulieres, Saram et Rebeccam et alias : Thamar autem et Rahab (3) meminit, et Ruth et uxoris Uriae, *διδασκων ὡς παντων ἀνθρωπων χαριν ὁ του θεου μονογενης υἱος ἐνηνθρωπησε, και ἰουδαιων και των ἀλλων ἐθνων, ἁμαρτολων και δικαιων*, docens quod *propter omnes homines* unigenitus Dei filius homo factus sit, *tum iudaeos, tum alias gentes, tum peccatores, tum iustos* ».

Neque luculenter minus ad hanc reparationis universalem amplitudinem demonstrandam ista pertinent, quae relatis psalmi (4) verbis, *ὅτι ὀργη* (5) *ἐν τῳ θυμῳ αὐτου · και*

(1) Comm. in epist. ad Rom. I. 17. p. 22. opp. T. III.
(2) Quaestt. in Ruth, interrogat. I. p. 346. opp. T. I.
(3) Matth. I. 5—6.
(4) Ps. XXIX. 6.
(5) Ita omnes ferme graeci interpretes vocem רגע transtulerunt :

ζωη ἐν τῳ ϑεληματι αὐτου, *quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius*, Theodoritus (1) subiicit: « Jure sanctis hymnum gratiarumque actionem (2) attribuit. ἐπειδη γαρ ἁπασιν ἀνϑρωποις ἐδωκε το της ἀναστασεως δωρον, οὐ παντες δε της χαριτος ἀξιοι, ἁρμοδιως τους ἀξιους εἰς τους ὑμνους ἀφιεροι. Quoniam enim *omnibus hominibus* resurgendi donum largitus est, *verum non omnes hac gratia digni sunt*, congruenter hoc beneficio dignos canendis hymnis consecrat. ἀριστην δε κομιδη πεποιηται και την ἀλλην διαιρεσιν· την γαρ ὀργην ἀπενειμε τῳ θυμῳ · ὀργην γαρ την παιδειαν καλει · την δε ζωην, τῳ θεληματι · τουτο γαρ τοι βουλεται, οὐκ ἐκεινο. ἐκεινο γαρ ἡμεις ἐπισπωμεθα. ὁ γαρ θεος φησι, θανατον οὐκ ἐποιησεν, οὐδε τερπεται ἐπ' ἀπωλειᾳ ζωντων · ἐκτισε γαρ εἰς το εἰναι τα παντα, και σωτηριοι αἱ γενεσεις του κοσμου · ἀκουομεν δε και αὐτου λεγοντος δια Ἰεζεκιηλ του προφητου · μη θελησει θελησω τον θανατον του ἁμαρτωλου, ὡς το ἐπιστρεψαι αὐτον και ζῃν; Porro *quam optimam aliam divisionem* fecit. Iram enim *indignationi* adscripsit (*iram* quippe castigationem vocat); vitam vero *voluntati*: hoc enim vult, non illud. Illud enim *nobis ipsi nos adsciscimus*. Nam Deus, inquit (3), *mortem non fecit, neque delectatur interitu viventium: creavit enim ut sint omnia, et salutares generationes mundi*. Audimus etiam ipsum (4) per prophetam Ezechielem dicentem: *numquid voluntate velim mortem peccatoris, sic ut convertat sese et vivat* »?

Mirum vero quantopere haec omnia iis illustrentur, quibus verba (5) psaltis *misericors Dominus et iustus, et Deus noster miseretur*, Theodoritus (6) explanat, inquiens: « Τας γαρ του ἐλεους πηγας τοις ἀνθρωποις προσχεει · ἐχει δε και

unde suspicio oriri posse videtur, eos legisse רגן. Commodius Hieronymus vertit, *ad momentum est ira tua*.

(1) In, Ps. XXIX. 5—6. p. 788. opp. T. I.

(2) Psalmi auctor scribens v. 5: *psallite Domino sancti eius, et confitemini memoriae sanctitatis eius*.

(3) Sap. I. 13—14.

(4) Ezech· XVIII. 23.

(5) Ps. CXIV. 5.

(6) Comm. in Ps, CXIV. 5. p. 1418. oqp. T. I.

δικαιοσυνην, τους ἀδικουντας κολαζει μεταμελεια χρησασθαι μη βουλομενους· δις μεντοι του ἐλεους μνημονευσας. ἁπαξ της δικαιοσυνης ἐμνησθη. νικα γαρ ἡ του θεου φιλανθρωπια της δικαιοσυνης την ψηφον. Fontes enim misericordiae *hominibus* profundit; habet autem et *iustitiam*, iniustos poenitentia uti *nolentes* plectit. *Bis* utique *misericordiae* mentionem faciens, *semel iustitiae* meminit. *Vincit enim Dei benignitas iustitiae sententiam* ».

CLXXV.

Ex his autem quum alia erui commode possunt, tum ista potissimum ad rem praesentem opportunissima. Ac initio quidem *a*) Theodorito distributionem probari divinae voluntatis *in primam* et *secundam*, ἀριστην διαιρεσιν ab eo dici, sic vero explicari, ut voluntas prima ea sit, quae ex insita Dei benignitate permanat, voluntas autem secunda, quae caussam ex nobis occasionemque mutuatur.

Porro *b*) voluntatem primam *salutiferam* esse ac *universalem*: salutiferam, quod Deus ea velit homines *salute* potiri: universalem, quod Deus velit *omnes prorsus homines* ad tantae felicitatis culmen pervenire.

Esse praeterea *c*) *efficacem* atque *actuosam*, quod Deus ea incitatus voluerit redemptionem sanguine Christi obtinendam, ac ita obtinendam, ut illata originali praevaricatione damna funditus repararentur.

Voluntate autem *d*) consequente nonnisi eos plecti, qui profusos misericordiae fontes, exhibitamque poenitentiae copiam non sibi minus inimici, quam Deo rebelles contempserint.

Cum quibus adamussim consentiunt, quae Anastasius praesul antiochenus, ab Anastasio sinaita, qui Μωυσης νεος a graecis recentioribus dicitur, probe (1) distinguendus, et cuius praeclara encomia (2) apud Evagrium, magnumque

(1) Cf. Fabricii Biblioth. Graec. T. IX. p. 313, Lequienii Orien. Christ. T. II. p. 734, et Pagii adnott. ad ann. 561—563—594—599.

(2) H. E. lib. IV. cap. XL., et lib. VI. cap. XXIV.

Gregorium (1) habentur, litteris consignavit. Haereticos namque refellens, qui divinam immensitatem incarnatione pessumdatam delirabant: « Sane quidem, inquit (2), non cognoverunt isti, nec intellexerunt potentiam Dei, quin potius (3) *obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Deus autem *patientissime* fert haec, *qui non vult ullos perire, sed omnes* ad poenitentiam venire: *vult* (4) enim *omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Faxit Deus, ut hoc sapiens consilium *exitum bonum* in eis assequatur, ipsis salutem consequutis secundum propositum Dei, *qui* (5) *vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt* ». De quo proposito, post Isaiae (6) verba, *ecce Virgo habebit in utero, et pariet Filium, et vocabunt nomen eius Emmanuel*, et post eiusdem super istis laudis (7) canticum, *Domine Deus meus glorificabo te, laudabo nomen tuum quoniam admirabiles res, consilium*, subdit (8) Anastasius: « Τις δε ἠν ἀρχαια βουλη του Θεου και πατρος; το σωθηναι παντας ἡμας· ὁ γαρ το εἰναι δους, πως οὐκ ἀν μαλλον το εὐ εἰναι δεδωκε, το ἰδιον ἀνακαλουμενος πλασμα ἐπι το ἀρχαιον ἐνδιαιτημα, και την της ἐντολης φυλακην, δι' ἡν ἀτελευτητος ἐν ἡμιν ἡ της ζωης ἐπαγγελια, ἡν ἀπολεσαμεν εἰκοτως, την ἐντολην μη φυλαξαντες; Quodnam vero *antiquum* erat *consilium Dei* et *Patris?* utique *omnium nostrum salus.* Qui enim dedisset ut essemus, quei non potius daturus esset ut bene essemus, figmentum suum ad antiquum domicilium *revocans* ac mandati observationem, per

(1) Epistt. lib. I. epistt. VII—XXV—XXVI., et lib. V. epist. XXXIX., itemque lib. VII. epist. XXVII.

(2) Orat. II. de incircumscripto, §. I. p. 244. apud Gallandium, T. XII.

(3) Rom. I. 21—22.

(4) I. Tim. II. 4.

(5) Rom. IV. 7.

(6) Is. VII. 14.

(7) Is. V. 1.

(8) Serm. II. εἰς τον εὐαγγελισμον της πανυμνητου δεσποινης ἡμων της θεοτοκου, *in laudatissimae Dominae nostrae Dei genitricis annuntiationem*, §. IV. p. 263.

quam vitae in nobis immortalis promissio est, quam et merito amiseramus, non servantes eiusmodi mandatum »?

Et revocavit nos enimvero ad antiquum domicilium, et per Unigeniti *οἰκονομίαν* spem amissam restituit, deiectosque animos erexit. Quamquam (1) enim « caussam huius tanti descensus perfectam ipse solus novit, et ii quibus patefecit, et hac cognitione digni fuerunt; nihilo tamen minus quantum nos assequuti sumus illorum scriptis eruditi, *caussa* fuit, *ut homo qui male perierat, salvus fieret*, qui manu Dei formatus et imagine honoratus, provide in paradiso a conditore positus fuit, *ut* (2) *operaretur et custodiret eum*, sicut iussum (3) erat: sed non custodivit semper quod ei commissum erat: per segnitiem, et aggressus ad vetita, dolo cuiusdam fallacis voluptatis inductus. Hinc illi omnis labor natus est, et malorum inundatio; quae cum resecari alioqui opus fuisset, magis tamen aucta sunt. Sic enim iis evenire solet, qui nullo ordine servato aegrotant, sic et praeceptis medicorum non sicut debent, utuntur. *In profundum* (4) igitur *malorum cum devenisset*, sicut ait Sapiens in proverbiis, *contemsit*. Unde quia ex tanta excellentia et altitudine lapsus erat, *non congruebat naturali bonitati Dei, sic lapsum sine medicina, et extra felicem statum in quo conditus fuerat, neglectum praeterire*: qui enim aliquando in purpura, ut ait (5) propheta, *altus et educatus erat, indutus est stercore* ».

Indignitate igitur rei, insitaque bonitate commotus « sapienter (6) Verbi Dei oeconomiae negotium suscepit magnus ille rex, et vere praeclari generis, ac vere liber ex omnibus qui sunt ab oriente solis: egressus enim e sua civitate *propter eum* qui inde exsulaverat, sedit super nostrum stercus in quo sedebamus exuti splendidam vestem qua eramus

(1) De div. oeconomia, Orat. III. §§. I—II. p. 246.
(2) Gen. II. 15.
(3) Legi forte debet, *iustum*.
(4) Prov. XVIII. 3.
(5) Thren. IV. 5.
(6) Ibid. §. III. p. 246.

ante transgressionem induti: et quoniam ex stercore foetido ulcera et vulnera acceperamus, quae totam naturae nostrae fabricam corrumpebant, accepit testam, ut multum putorem raderet; *purgare enim volebat vulnus et lavare.*

Sed quae ista testa est? corpus scilicet terrenum, quo peccatum nostrum emundavit *agnus* (1) *Dei* factus, *qui tollit peccatum mundi.* Hoc nobis est *magnum* (2) *mysterium, a saeculis et a generationibus in Deo, qui omnia creavit, absconditum* ».

Ut hoc expleret mysterium, nobisque mederetur, unigenitus Dei filius » venit (3) ad nos qui longe eramus, et propter caritatem suscepta sponte oeconomia, *quae bonitatem eius naturalem decebat*, carnem crassam, terrenam, et mortalem induit, exsuperantia potestatis suae usus ad occultandam gloriam, et ad assumendam carnem quam sibi univit et in qua habitavit, divinitatis propriae amplitudinem inumbratione tegens. Oportebat enim eum, qui erat inaspectabilis, *cui propositum erat venire ad eos qui secundum sensum vivebant*, aspectabilem eis fieri et similem. Quamobrem instrumentum hoc divinum sibi formavit, ut per ipsum fieret visibilis, et quod nostrae naturae erat, et naturae divinae unitum divinis actionibus ministraret: ut hac ratione omnibus qui redemptionem eius exspectabant, diceret (4): *ipse qui loquebar, adsum* ».

Quum (5) enim « totum quod ceciderat, excitare propositum ei esset, ceciderat autem *totum genus*; se totum *toti Adae* immiscuit, *vita mortuo, ut eum servaret*, in eum totum penetrans cui unitus erat, sicut anima *magni corporis, totum* animans, et *toti* vitam impartiens sensiliter ». Eramus namque (6) « omnes venditi, et facti servi mortis quae *in omnes* imperium tenebat; ipse propterea voluit pro nobis vendi: verum nos pretio voluptatis, ipse vero argenti, cum

(1) Joh. I. 29.
(2) Ephes. III. 9, Coloss. I. 26.
(3) Ibid. §. V. pagg. 246—247.
(4) Is. LII. 6.
(5) Ibid. §. XI. p. 248.
(6) Orat. IV. de passione et impassibilitate Christi, §. IX. p. 253.

fortior esset voluptate. Et nos ipsi a nobis venditi sumus; ipse vero a nobis: quia ipse non est *venditor libertatis, sed vindex.* Et honoribus quos ab eo tuleramus, ad interitum abusi sumus. Aestimatio autem (1) liberi fuit peregrinis sepultura, ut servet corpora eorum qui in terra aliena vivere desierunt; donec veniat qui corpora suscitet, *quorum animae pretioso sanguine redemtae sunt:* effusus enim est sanguis eius, ut esset pretium redemptionis (2) *pro multis.* Fortasse autem melius esset dicere *pro omnibus: omnes enim sunt, qui sunt multi* ».

CLXXVI.

Si qui ergo et ipsi *rite* cognoscere, ac aliis, *uti* decet, veram sinceramque divinae providentiae in hominum genus rationem enarrare velint; hi secum statuant oportet: 1) divinum de servandis hominibus consilium *non aliud ante, ac aliud post humanitatis praevaricationem,* ad rem ipsam substantiamque quod attinet, extitisse. Sicut enim ante praevaricationem voluit Deus hominum salutem; ita post praevaricationem voluit, *ut ne unus quidem periret, sed omnes ad poenitentiam conversi sempiterna felicitate fruerentur.*

Nihilominus 2) inter utrumque divinum consilium *id discriminis* intercessit, quod ante praevaricationem consilium fuerit *bonitatis*, post praevaricationem vero consilium *benignae iustaeque misericordiae.* Misericordiae quidem, quod *miseros* ac *multiplici confectos vulnere sanieque madentes* respexerit: misericordiae autem benignae pariter ac iustae, quod *ex naturali Dei benignitate prodierit*, *eamque Redemptoris οἰκονομίαν decreverit*, *qua laesa divinae iustitiae iura perfectissime sarcirentur.*

Ac venit sane 3) Redemptor, iustitiae effuso *pro omnibus* sanguine satisfecit, hominem a Deo divulsum *iterum* cum Deo *in semetipso* copulavit, *mortuae humanitati vitam indi-*

(1) Matth. XXVII. 7.
(2) Matth. XX. 28.

dit, totumque genus, ceu magnum quoddam corpus lavandum abstergendumque informavit.

Quibus illud 4) consequutus est, ut (1) *totum mundum servitute liberaret; universumque genus nostrum reum mortis, quia* (2) omnes peccaverunt : stimulus autem mortis peccatum est : ad utramque vitam tam animi quam corporis revocaret. Indubitatum namque esse debet, quod Eustathius praesul antiochenus, *ὁ πολυς ἐν θεολογια, και προσομυλητης και μαρτυς και κορυφαιος της ἐν Νικαια συνοδου διδασκαλος, theologia excellens et* concionator et martyr et nicaenae synodi summus doctor, ut Anastasius sinaita (3) de eo loquitur, disertis plane verbis (4) de Unigenito affirmat : « *οὑτος δε δικαια κρισει σοφωνιζων ἁπαντας θρονου μεν οὐρανοθεν ἐχεται της ἀιδιου βασιλειας, ὀξεια δε τιμωρειται δικη τους ἀδικους.* Hic iusto iudicio caelitus *omnibus mentem dans meliorem* thronum perpetui regni obtinet, et celeri sententia punit iniustos ». Non antea tamen quam illis meliorem indiderit mentem, illosque a servitute exemerit, atque in libertatem vindicarit. Quaerens enim Eustathius, quo accipi sensu debeat, quod de Christo scribitur, eum fuisse sub lege, inquit (5): « Neque vero Verbum subiacebat legi, ut opinantur sycophantae, quum ipse lex sit : neque Deus indigebat sacrificiis purgantibus, qui solo nutu omnia purgat et sanctificat. *ἀλλ᾽ εἰ και ἐκ της παρθενου το ἀνθρωπινον ὀργανον ἀναλαβων ἐφορεσε, και ὑπο νομον ἐγενετο, κατα τας των πρωτοτοκων ἀξιας καθαρισθεις, οὐκ αὐτος δεομενος της τουτων χορεγιας ὑπεμενε τας θεραπειας, ἀλλ᾽ ἱνα της του νομου δουλειας ἐξαγοραση τους πεπραμενους τη δικη της ἀρας.* Sed quamvis assumptum ex Virgine humanum organum gestavit, et sub lege factus est,

(1) Orat. IV. de passione et impassibilitate Christi, §. III. p. 252.

(2) Rom. III. 23. coll. I. Cor. XV. 56.

(3) Anagog. Contemplatt. in Hexahem. lib. IV. Iisdem praeconiis Eustathium ornant Chrysostomus in Encomio eiusdem, §. II, Hieronymus de viris illustr. cap. LXXXV, et Sozomenus H. E. lib. II. cap. XIX.

(4) Con. Origenem, de engastrimytho, §. XIX. p. 364. apud Gallandium, Tom. IV.

(5) Ex sermone in illud, Κυριος ἐκτισε με ἀρχην ὁδων αὐτου, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, pagg. 374 – 375.

primogenitorum ritu (1) purgatus: non quod ipse hoc remedio indigeret, has observationes sustinuit; *sed ut a legis servitute eos redimeret, qui venumdati erant condemnationi maledicti* ».

Enimvero, inquit (2) Basilius seleuciensis: « Terrarum reges hostili subiugato exercitu in odiosiorem servitutem rebelles vi mittunt, et spiritum submittere captivos cogunt mutata vitae ratione, audaciae poenas exposcentes. *ὁ δε Χριστος ὁ ἀληθινος βασιλευς, πολεμῳ νομῳ και οἰκονομιας σοφιᾳ, την του διαβολου τυραννιδα κρατησας, τους ὑπ' ἐκεινου κατα δεσποτου φρονησαντας, εἰς ἐλευθεριαν καλει, και προς βασιλειας ἀπολαυσιν μεταπεμπεται.* Christus vero rex verus belli artibus et incarnationis sapientia quum diaboli tyrannidem oppressisset, *eos qui sub eo contra Dominum senserant, vocat in libertatem, et ad regnum fruendum arcessit.* Tranquillo ille quidem aspectu, expansis manibus, et ad se redeuntibus, humanisque vocibus (3) attrahit, dicens: *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. πελαγος φιλανθρωπιας γενομενος κεχυμενῳ ῥοθιῳ κατακλυζει τους ἁπαντας.* Factus Christus *humanitatis pelagus*, profusis aquis, *omnes inundat.*

Venite ad me *omnes* qui laboratis, qui diaboli aciem contra me muniveratis, me cum bonis meis deliciisque utimini: qui bellis in me excitatis estis fatigati, quietem, me dante, capite, diabolicam servitutem meo mutate regno: vos ille instructa in me acie delassavit, armavit vos hostis legis violatione, . . . nec vobis mecum pugnantibus remissio fuit ulla. *ἀλλ' ἰδου παρειμι προς ὑμας καλουμενος· δευτε προς με παντες οἱ κοπιωντες και πεφορτισμενοι.* Sed ecce adsum, vos compello: *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis* ».

Neque vero tum primum Servator hominibus adfuit, sed illos suo semper auxilio iuvit, suaque ope protexit. E-

(1) Luc. II. 21. seqq.

(2) Orat. XXIX. in illud, *venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos*, pagg. 156—157. edit. Paris. 1622.

(3) Matth. XI.

tenim (1) « ἀρχαιος οὗτος της φιλανθρωπιας ὁ νομος, ἀει ταις των ἀνθρωπων γενεαις παροδευσας. εἰ γαρ μη ταυτην ἐξ ἀρχης την φιλανθρωπιαν ὁ θεος προεβαλλετο, οὐκ ἀν φυσις ἐκ παρακοης ἀρξαμενη προηλθεν· ἀλλ' ἐμεινεν ἀν μεχρι του πρωτου, vel ab ipsis primordiis haec lex benignitatis humanas *semper* generationes comitata est. Nisi enim Deus a principio clementiae scutum suis obiecisset, numquam natura quae ab inobedientia initium ceperat, ulterius fuisset progressa, sed in ipso primo homine constitisset ». Quod (2) enumeratis beneficiis, quibus Deus protoparentes locupletavit, tum eorum praevaricatione descripta, Basilius confirmat, atque illico (3) subdit: « Tam audax facinus extrema supplicia deposcebat. Adamus autem ictus conscientia, fuga condemnationem firmabat, et rectis Deum oculis non sustinens fugitans occulebatur. τι οὐν; ἀθροον ἐπιφανεις ὁ δεσποτης, ὠφθη της ἐλπιδος φιλανθρωποτερος, και πατρικην, οὐ δικαστικην προς αὐτον ἀπεφθεγγετο ῥησιν. Ἀδαμ, το φιλοτιμημα ἐπιζητω, το της ἐμης ἀξιας ἐμψυχον ἀγαλμα. Quid ergo? confestim Dominus apparuit, ac multo visus est benignior quam speraretur, vocemque patris non iudicis ad eum direxit. *Adamum amores meos requiro, animatum meae dignitatis simulacrum.* Novi (4) diaboli contra te machinamenta, novi invidentiam, qua sauciatus excidisti . . . . ; ἀλλα φανηθι μονον, και του λυπουντος δεχου την ἰασιν· κομιζου του πταισματος ἐν μετανοιᾳ το φαρμακον. που εἰ; sed te dumtaxat praesentem siste, *et mali remedium cape: cape lapsus tui repositum in poenitentia pharmacum.* Ubi es? talia quidem cum uno peccatore disserebat; νυνι δε γενεσιν ὁλοις ἀνθρωπων τας της φιλανθρωπιας συνευρυνει φωνας· δευτε προς με παντε οἱ κοπτωντες και πεφορτισμενοι. καλως παντες. μηδεις μικρολογιας καταγινωσκετω δεσποτου. ἀνεκλειπτος παρ' ἐμοι φιλανθρωπιας πηγη, και παν εἰδος ἁμαρτιας παρασυρειν ἰσχυουσα . . . . νευσατε μονον προς ἐμε, και την θεραπειαν κομισασθε. παρ' ὑμιν τα

(1) Ibid p. 157.
(2) Ibidem. p. 157.
(3) Ibidem.
(4) Ibid. p. 158

ἁμαρτήματα, παρ' ἐμοὶ τὰ ἰάματα· παρ' ὑμῖν τὰ τραύματα, παρ' ἐμοὶ τὰ φάρμακα. μετάνοιαν ἐπιζητῶ μόνον, καὶ θεραπεύω τὸ ἕλκος. δείξατέ μοι τὴν τοῦ τρόπου μεταβολὴν, καὶ κομίσασθε τὴν τοῦ λυποῦντος ἀπαλλαγήν. nunc autem *ad omne hominum genus* eam humanitatis plenam vocem emittit: venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis. Praeclare, *omnes*. Nemo angustioris orationis Dominum accuset: *indeficiens apud me est clementiae fons*, et omnes scelerum formas potens evertere . . . In me dumtaxat propensi estote, *et curationem referte. Apud vos crimina, apud me medicamenta: apud vos vulnera, apud me pharmaca.* Solam poenitentiam quaero, et ulcus sano. Ostendite mihi mutatos mores, et a molestia liberi estote ». Neque sint qui dubii tergiversentur; sic enim, Basilio (1) interprete, loqui pergit Servator: « οὐ στενοχωροῦμαι τοῖς πλήθεσιν οὐκ ἀποκάμνω τοὺς πάντας ὑποδεχόμενος. οὐχ οὕτω μου μικρὸν τῆς φιλανθρωπίας τὸ πέλαγος, ὡς τοῖς εἰσρέουσι τῶν ἁμαρτωλῶν ποταμοῖς στενοχωρεῖσθαι· ἔχω τόπον ἀναπαύσεως τῆς οἰκουμένης· φωνὴν γὰρ δεσποτικὴν ἄπρακτον μένειν ἀδύνατον· δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες. Non coarctor multitudine, neque fatisco, licet omnes recipiam. *Non tam exiguum benignitatis meae pelagus est*, ut licet inundent facinorosorum torrentes, in angustum adducatur. *Ego quietis locum terrarum orbem possideo. Domini namque vox manere inefficax non potest*, venite ad me omnes qui laboratis ».

CLXXVII.

Haec autem Basilii animo tam alte insederant, ut non ea solum frequenter repetat, sed et amplificet et exornet. Repetit ac vero etiam illustrat, quum deplorata (2) protoparentum ruina, subdit: « Ridebat forte diabolus, quum Dei imaginem dedecore conspurcasset . . . Οἰκτείρας δὲ τὴν ἀπάτην θεὸς πρὸς διόρθωσιν ἔτρεχεν. Sed misertus erroris Deus,

(1) Ibid. p. 139.

(1) Orat. III. in Adamum, p. 17.

ad erigendum currebat. Currebat autem non mutatione loci, sed imagine quadam terribili praesentiam contestatus. Illi terrore percussi, seipsos transgressionis accusatores ac testes exhibentes, exilio suo suffragantur. Deus vero territans incessu strepenti compellat humanissime : *Adam, Adam ubi es? ὢ φιλανθρωπιας δεσποτου. ὡς ἀγνοων ζητει, ὃν αὐτος ἐφυγαδευσε, και ὡς οὐχ ὁρων καλει ὁ τοις πασι παρων.* Ἀδαμ, Ἀδαμ, *που εἶ; που μοι των ἐμων χειρων το πλαστουργημα; που της ἐμης ἀξιας ὁ ἐμψυχος ἀνδριας; που της ἐμης φυτουργιας ὁ φυλαξ;* Ἀδαμ, Ἀδαμ, *που ει; θρηνωδης ἐκ φιλοστοργιας ἡ κλησις · που εἶ; . . . δειξον τῳ ἰατρῳ το της παραβασεως ἑλκος · δειξον την πληγην της γυμνωσεως. ἐχω γαρ φαρμακα του τραυματος ἰσχυροτερα. ἐχω βοηθηματα, δι' ὧν θεραπευω τα του ὀφεως δηγματα.* O Domini in homines amorem! veluti inscius quaerit quem ipse fugabat, et tamquam non videns qui rebus adest omnibus, compellat : *Adam, Adam, ubi es?* ubi mihi manuum mearum opus? ubi animata meae dignitatis imago? ubi mei paradisi custos? *Adam, Adam, ubi es?* ex immenso amore compellatio lamento adsimilis, *ubi es?* . . . Ostende medico transgressionis ulcus : ostende plagam nuditatis : medicamenta habeo vulnere potiora : habeo subsidia quibus serpentis morsum curem ».

Repetit ac illustrat, quum relata iudicis in Satanam ac protoparentes sententia, continuo (1) infert : « Hanc sententiam progenitores damnationis suae tulerunt. *συ δε μη ῥιψῃς τας της σωτηριας ἐλπιδας. οὐ γαρ ἐστησεν ὁ θεος ἀχρι της καταρας τα πραγματα · οὐκ ἀφηκε χρηστης ἐλπιδος ὁ θεος την φυσιν χηρευσασαν.* Tu vero ne salutis spem abieceris : non enim exsecrationi creaturam Deus obnoxiam fecit, neque bona spe interim naturam orbavit. *Χριστου γαρ παρουσια της του πρωτοπλαστου λαιμαργιας ἰσχυροτερα · και της των ἀνθρωπων δια παρανομου βρωσεως ἀπατηθεισης, την των ἀνθρωπων ἀπαρχην ὁ μονογενης ἐνεδυσατο · και τον δευτερον* Ἀδαμ *περιβαλλεται, φαρμακοις ἐναντιοις θεραπευων τα τραυματα.* Namque Christi praesentia longe potentior est protoplasti voracitate, et hominum genere per gulam nefariam in frau-

(1) Ibid. p. 18.

dem inducto, Unigenitus contrariis medicamentis curans vulnera, de homine corpus, in quod se insinuaret, delibavit, et secundum Adamum sibi circumiecit ».

Ingenita bonitate, meritisque extituri Redemptoris factum est, ut numquam Deus poenitentiae copiam subtraxerit: immo factum est, ut homines modis quibus posset omnibus ad poenitentiam provocarit. Quod Basilius tum splendide (1) testatur, quum ea expendit quae septimo Geneseos capite narrantur, quumque nominatim ista considerat: *adhuc enim, et post dies septem ego diluvium inducam.* Scribit (2) enim: « *ἀπληστον γαρ προς φιλανθρωπιαν το θειον και ποσας προφασεις ἐπινοει σωτηριας, εἰπου τον σωζεσται βουλομενον εὑρῃ*, hominum amore expleri nequit Deus, nullasque non excogitat salutis occasiones, si quem forte salutis cupidum inveniat. *Adhuc enim et post diem septem.* Sufficit mihi, inquit, vel breve tempus ad peccatorum salutem. Tantum ad poenitentiam animum inclinent, et sententiam retracto, minasque abiicio, si eos ex animo consilia priora repudiare animadvertero ». Incredibilis namque est (3) *φιλανθρωπιας ὑπερβολη*, *benignitatis excessus*, quo Deus homines prosequitur, et (4) *ὁ της χρηστοτητος πλουτος πλημμυρων*, *exundans bonitatis opulentia*, qua (5) « ut vidit Ninivem aegrotantem, *ὁ φιλανθρωπος δημιουργος πεμπει τον Ιωναν ἰατρον του νοσηματος*, humanissimus creator mittit Jonam, qui morbo medeatur. Nam etsi animam oderat improbe viventem, *ἀλλ᾽ ἐλει νοσῳ ἠλλοιωμενην την φυσιν, και γνωριζει της οἰκειας χειρος το πλαστουργημα*, naturam tamen morbo immutatam perversamque miseratur, suarumque manuum opus recognoscit. Credita igitur prophetae mali curatione, mandat aegros ante adeat, quam morbus ingravescens mortis suffragium confirmet ».

Praesensit id Jonas, atque ita secum rationes (6) sub-

(1) Orat. V. in Noe, pagg. 26—27.
(2) Ibid. p. 28.
(3) Ibidem.
(4) Orat. XII. in Jonam, p. 67.
(5) Ibid. pagg. 67—68.
(6) Ibid. p. 68.

duxit: « Suspicor comminationem in clementiae matrem evasuram. Nam cur eversionem praenunciat, si veram vult animadversionem? si punire vult, cur admonet periculi? cur oraculo plagam antevertit? ἀλλ' οἶδα του φιλανθρωπου την τεχνην, ὀργην σχηματιζεται, λυσαι την τιμωριαν προ πειρας βουλομενος, sed novi Dei hominum amantissimi artes, iram simulat, studetque eos ante exsolvere poena, quam experiantur ». Quare carne indutus (1) de semetipso dixit, *ego sum pastor bonus.* « Ad nostrum (2) ergo pastorem Christum respiciamus: εἰδωμεν αὐτου την φιλανθρωπον τεχνην, τῃ πραοτητι νικωσαν των προβατων την ἡμεροτητα, videamus eius artes plenas humanitatis, quaeque ipsam ovium vincunt mansuetudinem. χαιρει τοις παρουσι, και ζητει το πλανωμενον. οὐ παραιστειται ναπας περιϊεναι και ὑλας· κρημνους περιερχεται· και τῳ πλανωμενῳ πλανην μεριζεται. καν εὑρῃ καμνον, οὐ μισει δια τον τροπον, ἀλλ' οἰκτειρει δια το παθος· και τους ὠμους ὑποβαλων, οἰκειῳ μοχθῳ θεραπευει του προβατου τον πονον. Laetatur praesentibus, et quod exerrat, quaerit. Montes, sylvasque obire non renuit: adit praecipitia, cumque deerrante venit in partem erroris. Nec ob mores odio inflammatur, etsi morbidam comperiat; sed mali commiseratione movetur, et subiiciens humeros proprio labore ovicu-lam curat laborantem ». Quid ergo potest esse reliquum, nisi ut singulis quibusque (3) dicatur: « προ της δικης τον δικαστην δωροδοκησον. δος αὐτῳ φιλανθρωπιας προφασεις· δος αὐτῳ της συγγνωμης τας ὑλας. μη τας ἐναντιας αὐτου φωνας ἀναμεινωμεν. Ante iudicium iudicem donis occupa. Largire illi exercendae benevolentiae occasiones: suggere ignoscendi materiam. Ne hostiles eius voces exspectemus ».

Quod eo satagendum est diligentius, quo veriora sunt quae occasione (4) verborum Christi, *non est meum dare vobis*, Basilius docet atque confirmat. Postquam enim Scri-

(1) Orat. XXVI. in illud, *ego sum pastor bonus*, pagg. 142—144.
(2) Ibid. pag. 144.
(3) Ibid. p. 146.
(4) Matth. XX.

plurarum testimoniis (1) ostendit, quaecumque omnia a Patre fiunt, eadem a Filio similiter fieri; pergit (2): « Quum ergo unus sis cum Patre creator, cum Patre consideas, cum Patre simul gubernes, excites a mortuis ut ille, quos velis, non secus ac ille, vivifices; cur modo dicis, *non est meum dare?* cur? quia της του λαμβανοντος άξιας, ού της του διδοντος έξουσιας μονον το δωρον, remuneratio accipientis meritum consequitur, non solum facultatem donantis. Thronus laborum praemium est, ού φιλοτιμιας το χαρισμα, non ambitionis donum gratuitum. Recte gestis thronus comparatur, ούκ έξ αίτησεως ή δοσις, nudam postulationem datio non consequitur. δειξον μοι την σην (3) άξιαν, και βλεπε την έμην έξουσιαν. Monstra meritum tuum, et meam intuere potestatem. Si peccatorem peccati taedet, aegritudinem levo, debitumque dimitto: si plorat meretrix, remissionem concedo: si publicanus pectus ferit, errata non adscribo: si leprosus curationem quaerit, virtutem impertio . . . άν δε θρονον τις αίτη, και βασιλειαν ζητη, και την έκ δεξιων καθεδραν ποθη, τοτε την έξουσιαν περιεργαζομαι. τους περι εύσεβειας ίδρωτας άναμαρτυρω. τουτων γαρ ή μετ' έμου καθεδρα μισθος · καν εύρω τουτων έπαξιον, έμον ύπαρχει το δουναι. καλει γαρ την διδοντος εύξοισιαν, ή του λαμβανοντος άξια. δια τουτο ούκ έστιν έμον δουναι, άλλα του πατρος έστι το διδοναι, άλλ' οίς ήτομασται παρα του πατρος μου. εύτρεπιζει δοκιμαζων ό πατηρ, ούχ άπλως χαριζομενος. άναμενει τον τροπον, εύτρεπιζων το δωρον. ούκ έκχεει την χαριν άπλως, άλλα την δωρεαν ταμιευεται. ούκ έστιν έμον δουναι. ούδε γαρ του πατρος έστι το είκη τοιαυτα χαριζεσθαι · δια τουτο τω μαρτυρουντι την βασιλειαν χαριζομαι. Quod si thronum vero quis petat, et regnum quaerat, et sedere ad dexteram affectet, tunc quid possum curiose dispicio, fusos pro pietate sudores testes reposco: nam horum merces est in meo

(1) Orat. XXIV. pagg. 132--135.

(2) Ibid. p. 135.

(3) Ambigi non posse videtur, hoc loco άξιαν esse *meritum* Sap. III. εύρεν αύτους άξιους έαυτου. Matth. X. ό φιλων τον πατερα και την μητερα ύπερ έμε, ούκ έστι μου άξιος.

versari consessu. Si reperero quod his condignum sit, tunc *est meum dare* : vocant enim dantis potestatem accipientis merita. Ideo *non est meum dare* , sed Patris est dare , *sed iis quibus paratum est a Patre meo.* Pater dum probat, parat , *non simpliciter gratificatur :* exspectat mores nostros , donum dum parat : non leviter effundit gratiam , sed munus recondit. *Non est meum dare.* Neque enim Patris est temere gratisque talia largiri. Propterea martyrium perferenti , regnum concedo ».

CLXXVIII.

Quibus omnibus edocemur, *a*) duas esse illius ordinis caussas , qui lapsis hominibus praestitutus est: ac 1) Dei in hominum genus *φιλανθρωπιαν* , immo *φιλανθρωπιας ὑπερβολην , benignitatis excessum, ἀπληστον προς φιλανθρωπιαν το θειον*, *inhexaustam divini Numinis adversus homines caritatem,* et *exundantem της χρηστοτητος bonitatis opulentiam :* tum 2) simillimam Christi Servatoris humanitatem, quam Basilius appellat *πελαγος, φιλανθρωπιας, φιλανθρωπιας πηγην ,* et *την φιλανθρωπον τεχνην*, *pelagus amoris*, *fontem clementiae* , *artemque humanissimam.* Propterea *b*) eiusmodi esse hunc ordinem, cuiusmodi sunt caussae , e quibus profectus intelligitur. Has vero esse amorem beneficum , infinitamque clementiam. Illum idcirco benevolentiae caritatisque ordinem credi oportere.

Credi *c*) ordinem oportere, quo 1) *omnes in libertatem vocantur, et ad regnum fruendum arcessuntur :* quo 2) Deus *vocem ad homines dirigit πατρικην οὐ δικαστικην* , *patris non iudicis* : quo 3) Adamum, *το φιλοτιμημα*, *amores suos* quaerit : et 4) quaerit *ut a vulnere sanet* , *ut a morbo liberet, ut ad incolumitatem restituat :* quo 5) non sinit, *ut quisque spem salutis abiiciat, humanamque naturam exsecrationi obnoxiam ac spe privatam arbitretur :* quo 6) humanitatis morbo corruptae miseratur , et pharmaca vulneribus curandis impertit : quo 7) humeros supponit, ut ovem laborantem sustentet : quo 8) illatum originali culpa damnum sarcit : et quo 9) sic omnia moderatur, ut ad hominum salutem conducant.

Ordo autem *d*) qui talis sit , quique hisce veluti tes-

seris distinguatur, alius censeri non potest quam *ordo reparationis universalis*, et quidem universalis non minus 1) *amplitudine*, qua *omnes* complectitur, excludit *neminem*; quam 2) *tempore* quo *ἀρχαιος της φιλανθρωπιας ὁ νομος*, *antiqua lex benignitatis* ad omnes se protendit aetates, omnesque generationes comitatur.

Voluntate igitur *e*) prima et antecedente *omnibus* copia salutis tribuitur, poenitentiae pharmacum adest, et gratia impenditur, qua contendere omnes ad salutem possint, si velint.

Sed *f*) voluntate secunda et consequente *thronus* non conceditur nisi tamquam *praemium*, meritisque gratia partis adscribitur.

Id enim *g*) existit discriminis *inter gratiam saluti adipiscendae necessariam*, *ipsamque salutis et coronae assequutionem*; quod 1) illa est *του διδοντος μονον το δωρον*, *nudum largientis donum*, *omnibus communis*, *ac omnino eiusmodi*, *quae ne cogitando quidem ab ordine universalis reparationis* seiungi potest. At vero 2) *corona την του λαμβανοντος ἀξιαν*, *accipientis dignitatem meritumque consequitur*: *καλει γαρ την διδοντος ἐξουσιαν ἡ του λαμβανοντος ἀξια*: *sibi namque respondent potestas dantis et meritum accipientis*: *et quum Deus coronat*, *οὐχ ἁπλως*, *non nude gratificatur*, *sed praemium pro* exantlatis laboribus dispensat.

CLXXIX.

Atque his ego tractationem absolverem, quam de sententia, deque fide *antiochenae ecclesiae* suscepi, nisi et veritati ipsi, et legentium commodo ac vero etiam voluptati me consulturum sperarem, si coronidis instar pauca quaedam ex illius deflorata operibus subiungerem, quem veteres (1)

(1) Horum testimonia diligenter collig it Josephus Simonius Assemanus in praefat. ad T. I. opp. s. Ephraem, pagg. I. seqq. edit. Romae 1732. Quod autem de Ephraemo scribit Photius cod. CXCVI. « Συρων δε παιδες φασιν, ὑπερ τας χιλιαδας λογους αὐτον ἀναγραψαι· οἷς και ὁ περι την ἱστοριαν, οὐκ ἀναξιοπιστος εἰ και μη τα δογματα Εὐσεβιος, ὁ το Παμφιλου ἐπωνυ-

recentioresque (1) uno ore salutarunt splendidissimum ecclesiae syriacae decus, virum laudes omnes supergressum, obtorpescentium excitatorem, afflictorum consolatorem, iuvenum disciplinam, instructorem atque exhortatorem, monachorum speculum, ducem poenitentium, frameam ac spiculum adversus haereticos, virtutum receptaculum et Spiritus-sancti habitaculum atque diversorium. Is autem est magnus Ephraem, edessenus diaconus, cuius libri tot tamque perspicua in rem nostram exhibent, ut multo sit difficilius invenire quae seponas, quam deligere quae in medium producas. Utar tamen modo, atque istam mihi legem dicam, ut sim *necessariis* contentus.

Descripta igitur (2) duplici hominum classe, eorum qui pietati ac sanctimoniae student, et eorum qui libidini, flagitiisque obsequuntur, addit (3): « Venite antequam adveniat dies illa tremenda, *ῥίψωμεν ἑαυτους ἐπι το πελαγος των οἰκτιρμων του θεου*, proiiciamus nos ipsos *in pelagus miserationum Dei*. Ipse quippe Deus *omnes* cohortatur atque invitat (4), dicens: *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. παντας προσκαλειται ὁ φιλανθρωπος και ἀνεξικακος, ὁ εὐσπλαγχνος και μακροθυμος, ὁ θελων παντας ἀνθρωπους σωθηναι· οὐ προτρεπεται, και ἰδιους κεκληκεν, ἀλλα παντας καλει. δευτε προς με παντες· καν πλουσιος καν πενης, ὁτι τον ἐρχομενον προς με, οὐ μη ἐκβαλω ἔξω. Omnes vocat amator hominum, tolerans malorum, misericors et lon-*

μον φερων ἐπιμαρτυρεται: Syri vero affirmant, orationes supra mille scripsisse, quibus etiam testimonium reddit, cuius gravis est in historia, non item in dogmatibus fides, Eusebius ille Pamphili cognomento »: id a vero abhorret, quum Eusebius nullam Ephraem mentionem fecerit, aut facere potuerit. Crediderim ergo memoria lapsum Photium Sozomeno Eusebium suffecisse. Is enim est Sozomenus, qui H. E. lib. III. cap. XVI. eorum meminit, quae Photius refert.

(1) Ex his conferantur Bollandiani in Actis ss. T. I. Februarii, pagg. 49. seqq., Petrus Lambecius, Biblioth. Caesar. lib I. pagg 117. seqq., et Albertus Fabricius, Biblioth. Graec. lib. V. pagg. 319. seqq.

(2) Sermo compunctorius, pag. 29. opp. T. I. edit. Romae 1732.

(3) Ibid. p. 30.

(4) Matth. XI.

ganimis, qui (1) vult omnes homines salvos fieri. *Non proprios ac particulares aliquos* hortatur et vocat, *sed omnes.* Venite ad me *omnes*, *sive* divites, *sive* pauperes, quia (2) *venientem ad me non eiiciam foras* ».

Dum itaque (3) « tempus habes, onus peccatorum tuorum discute ac dissipa. *προσκαλειται γαρ σε ὁ φιλανθρωπος θεος, λεγων· δευτε προς με παντες οἱ πεφορτισμενοι. παντας προτρεπεται.* Invitat enim *te* amator hominum Deus, dicens: *venite ad me omnes qui onerati estis.* Omnes adhortatur ». Quare (4) « si ad eum accedere *velis*, *πληρης ἀγαθων ἐστι, και πληρης εὐσπλαγχνιας*, *plenus est bonitate*, *plenus misericordia.* Propter *te* ex sinu Patris advenit: propter *te* incarnatus est, ut ad eum sine timore accedas.

Propter *te* factus est homo, ut te a gravibus tuis vulneribus liberet. *μετα πολλης ἀγαπης και πασης χρηστοτητος φωνει σε προς ἑαυτον. Te multa cum dilectione, omnique bonitate ad se vocat* . . . . Accede peccator ad bonum medicum, et pro optimo medicamento lacrymas offer. *οὑτως γαρ και βουλεται ὁ οὐρανιος ἰατρος ἰασθηναι ἑκαστον τοις ἰδιοις δακρυσι και σωθηναι. Sic enim vult caelestis medicus unumquemque suis sanari lacrymis et salvum fieri* . . . . Tuas *expectat* medicus videre lacrymas; accede et noli timere. Ostende ei vulnus, et pro medicamento lacrymas ac gemitus affer. *ἰδου γαρ ἀνεῳκται θυρα της μετανοιας, σπουδασον ἁμαρτωλε πριν αὐτην ἀποκλεισει.* Ecce enim ostium poenitentiae apertum est: festina peccator, priusquam illud occludatur ».

Sed quousque apertum manet, aut quando primum obstruitur? respondet (5) Ephraem, inquiens: « *ὡδε, ἐν τῳ βιῳ τουτῳ ὁσον ἠμεθα ἡμεις, δυναμεθα παντοτε δυσωπησαι τον θεον.* Donec heic in praesenti vita sumus, semper Deum exorare atque placare possumus. Facile nobis est indulgen-

(1) I. Tim. II. 4.
(2) Joh. VI.
(3) Ibid. p. 31.
(4) Serm. de poenitentia, p. 148.
(5) Ibid. p. 150.

tiam deposcere: opportunum nobis est ianuam misericordiae eius pulsare. Fundamus lacrymas, quamdiu tempus est suscipiendi nostras lacrymas, ne abeuntes in seculum illud, absque ulla utilitate plangamus: ἐκει γαρ τα δακρυα εἰς οὐδεν λογιζονται, ibi enim pro nihilo ducuntur lacrymae. Quantum heic voluerimus tantum benignissimus remittet Deus: heic enim nos obsecrantes audit: heic nobis sibi supplicantibus remittit: heic nostras iniquitates nobis resipiscentibus delet. Heic oratio et obsecratio, ibi vero est inquisitio. Heic longanimitas, ibi severitas. Heic indulgentia, ibi accurata exploratio. Heic voluntatis libertas, ibi iudicia. Heic securitas, ibi angustia. Heic voluptas atque fruitio, ibi tormenta. Heic habendi cupiditas, ibi cruciatus. Heic risus, ibi luctus. Heic negligentia atque incuria, ibi autem supplicium. Heic contemptus, ibi ignis aeternus . . . Heic desidia, ibi nulla delictorum venia ».

CLXXX.

Divina namque providentia sic homines administrantur atque reguntur, ut non antea illis copia obtinendae salutis, quam mortalis haec vita praeripiatur. Unde Ephraem unumquemque hominum his verbis (1) compellat: « Modicum saltem vigila, o homo, te ipsum recollige, et agnosce ut sapiens, quoniam *propter te* Deus excelsus de caelo descendit, *ut te ex terra in caelum elevaret.* *εἰς τους γαμους ἐκληθης οὐρανιου νυμφιου, ἱνα τι καταφρονης; ad nuptias caelestis sponsi vocatus es, quid contemnis?* et quorsum haesitas? quo pacto ad nuptias ire poteris, vestem pretiosam ac nuptialem non habens, nec lampadem ardentem tenens? et quomodo intrabis? per contemptionem ingredieris? at audies mox (2) formidabilem illam vocem: amice, quomodo intrasti ad nuptias, non habens vestem nuptialem regni mei? per contemptionem intrasti, ut tua nuditate iniuriam faceres convivis meis? at rex suis ministris praecipiet, dicens:

(1) Ibid. p. 152.
(2) Matth. XXV.

ligatis manibus et pedibus, proiicite hunc miserum in caminum ignis, ut crucietur in saeculum seculi. διοτι ἐγω αὐτος ἀπο χρονων ἱκανων ἠλθον, και ἐκαλεσα ἁπαντας εἰς τους γαμους, οὑτος δε καταφρονων της ἐμης κλησεως, οὐχ ἡτοιμασεν αὐτῳ ἐνδυμα εἰς τους γαμους. διο κελευω ὑμιν κολασαι τον ἀθλιον, ὁτι κατεφρονησε της ἐμης βασιλειας. *Quoniam* ego ipse a multis temporibus veni, *et omnes vocavi ad nuptias: hic autem vocationem meam spernens, non sibi praeparavit indumentum ad nuptias. Ideo iubeo tormentis affici miserum, quia regnum meum sprevit atque contempsit* ».

Nulla enim, pergit (1) Ephraem, cuiquam suppetet excusatio, ὁτι ἐν γνωσει ἡμεις παντες ἁμαρτανομεν, *quoniam universi scienter peccamus*. « Divinam sane providentiam, et quanta nobis pro sua bonitate largiatur Deus, omnes consideremus. ἡ χαρις αὐτου ἀει ἐπισκεπτεται ἡμων τας καρδιας συνεχως· ἀν εὑρῃ ἀναπαυσιν, εἰσιουσα, κατοικει παντοτε ἐν τῃ ψυχῃ· ἐαν δε μη εὑρῃ καθαραν την καρδιαν, εὐθεως ἀφισταται. παλιν δε οἱ οἰκτιρμοι ἀναγκαζουσιν αὐτην ἐλθειν ἐπισκεψασθαι ἡμας τους ἁμαρτωλους, ἐπειδη ἐσμεν παντες τρεπτοι τῃ προαιρεσει, οὐχι δε κατα φυσιν. *Semper* eius gratia corda nostra visitat: et si locum ubi requiescat, invenerit, ingreditur, *semperque* in anima inhabitat: sed si cor immundum offenderit, illico recedit. *Rursus autem miserationes eius cogunt eam ad nos peccatores invisendos venire; quoniam omnes mutabiles sumus libera voluntate, non natura*. Elati semper invenimur et cupidi . . . , pravisque ac impudicis cogitationibus gaudentes, in iisque, veluti in foetidissimo coeno, perpetuo iacemus. Unde fit, ut quum ad nos visitandos gratia ingredi *cupiat*, improbarum cogitationum foetorem turpissimum in cordibus nostris reperiat: quare illico recedit, quum locum introeundi ac quiescendi in nobis, *sicut volebat*, non inveniat. πλην νυσσει την καρδιαν ἐν γλυκασμῳ φωτεινῳ, ἱνα ἐλθῃ εἰς αἰσθησιν, ὁτι ἐπεσκεψατο, και οὐχ εὑρεν εἰσοδον, ἱνα οὑτως γλυκανθεις ἀνθρωπος τῳ φωτισμῳ ἐπιζητησῃ αὐτην. ὁμως αὐτη ἡ χαρις οὐ δυναται παντελως ἀποστηναι ἀφ' ἡμων, διοτι βιαζεται ἰδιᾳ εὐσπλαγχνιᾳ ἐλεησαι

(1) Sermo compunctor. p. 160.

ἅπαντας. εἶδες πρόνοιαν θεοῦ; εἶδες σπλάγχνα τοῦ Χριστοῦ; πῶς ἡμᾶς ποθεῖ ἀεὶ ὁ θεὸς ὁ ἅγιος, καὶ θέλει ἡμᾶς σωθῆναι; Verumtamen cor nostrum dulcedine luminis sui pulsat, ut resipiscat, *quoniam* visitavit illud, et non invenit locum introeundi. Ut sic lucis dulcedine allectus homo, illam inquirat: *nequit enim penitus nos gratia deserere; insita namque benignitate eo adigitur, ut omnium nostri misereatur.* Cernis providentiam Dei? cernis Christi in nos pietatis viscera? *quanto nos desiderio Deus sanctus desideret? et quantopere nos salvari cupiat* »?

Piaculum idcirco esset, illudque gravissimum, si qui propter contracta flagitia spem abiiceret. « Vehementer enim (1) super poenitentiam agentibus gaudet Dominus noster, conversionemque nostram libenter suscipit. Ait (2) enim: *post haec omnia ad me revertere.* Rursusque per sancta evangelia (3) dicit: *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.* μηδεὶς οὖν ἀπελπιζέτω ἑαυτοῦ, ἐὰν καὶ ἡμάρτε· τοῖς γὰρ ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται· τοῖς δὲ ἀθετοῦσιν αὐτὸν, καὶ μὴ μετανοοῦσιν, ἀπότομος ὑπάρχει· Nemo igitur de seipso desperet, etiamsi peccaverit: *requirentibus* enim ipsum, mercedis retributor erit; *aspernantibus vero et nullam poenitentiam agentibus*, rigidum se austerumque praebebit ».

Itaque « si heic (4) desides negligentesque fuerimus, nullam in die illa tremenda excusationem habebimus. Quomodo enim peccata nostra purgemus, non inveniemus. Nam cum Dominus et Salvator noster ad nos descenderit, omnis nobis excusatio sublata est. Donavit enim nobis vitam sempiternam. Eramus inimici, et reconciliatus est nobis Dominus noster. Eramus terreni, et caelestes facti sumus: mortales, et immortales facti: filii tenebrarum, et filii lucis evasimus: captivi, et revocati sumus: servi peccati, et

(1) Ibid. p. 162.

(2) Osee. XIV.

(3) Matth. XI.

(4) Serm. in secundum adventum Domini nostri Jesu Christi, pagg. 169-170.

liberi facti sumus : perditi ac dispersi , et inventi collectique sumus : infirmi, et sanati : non antea consequuti misericordiam, et misericordiam consequuti sumus . . . . . ἰδου ταυτα παντα ἐχαρισατο ἡμιν ὁ κυριος ἡμων κατελθων ἐπι της γης , σαρκωθεις δι' ἡμας. Ecce haec nobis omnia largitus est Dominus noster , quum pro nobis incarnatus in terram descendit ».

CLXXXI.

Quae omnia ad evidentiam usque persuadent , *a*) eum esse humani generis statum, quo omnibus qui pereunt, *nulla pateat excusationis ratio , modusque suppetat nullus, quo se vel a flagitiis purgent , vel illorum saltem gravitatem imminuant.* Sed *b*) unde eiusmodi status existit, aut quae illius credi origo debet ? video nonnisi duplicem illius assignari originem posse : *aut quod Deus perditam humanitatem noluerit sua benignitate reparatam* , illamque adeo originali culpae ac originali damnationi obstrictam reliquerit : *aut quod homines etsi reparati , beneficiis tamen ipsius reparationis non omnes utantur.* Quam igitur *c*) veram germanamque originem arbitrabimur ? priorem ne an posteriorem ? illam ne , quae ex negata *universali* reparatione , an illam satius quae ex neglecto reparationis beneficio proficiscatur ? non sinit *d*) Ephraemus , ut ancipites haereamus , sed *modis prorsus omnibus* priorem originem , illamque ex negata *universali* reparatione desumptam profligat ac subvertit.

Subvertit 1) quum magnifice commendat το πελαγος των οἰκτιρμων του θεου , *pelagus divinarum miserationum*, Deumque *plenum bonitate* , *plenumque misericordia* repraesentat. Subvertit 2) quum a Deo , qui est φιλανθρωπος , *hominum amator*, *omnes vocari*, *omnes ad regnum*, *regalesque nuptias invitari* docet. Subvertit 3) quum tradit, non ἰδιους, *proprios aliquos particularesque*, ἀλλα παντας , *sed omnes ad salutem provehi.* Subvertit 4) quum *oratione distributa singulos quosque* , *sive pauperes* , *sive divites*, *inter vocatos salvatosque* recenset. Subvertit 5) quum quemlibet hominum his verbis alloquitur : μετα πολλης ἀγαπης και πασης χρηστοτητος φωνει

σε προς ἑαυτον, *te multa cum dilectione*, *omnique bonitate ad se vocat.* Subvertit 6) quum *Deum tamdiu placabilem exhibet*, *quamdiu praesentem vitam degimus.* Subvertit 7) quum *artes divinae gratiae depingens, illam semper omnibus adesse hominibus testatur. Divina namque gratia nequit homines παντελως, penitus deserere, διοτι βιαζεται ἰδιᾳ εὐσπλαγχνιᾳ ἐλεησαι ἁπαντας*, *quandoquidem congenita benignitate eo adigatur*, *ut in omnes suam misericordiam profundat.* Subvertit tandem 8) quum exclamat : *cernis Dei providentiam? cernis Christi in nos pietatis viscera? quanto nos desiderio Deus desideret? et quantopere nos salvari cupiat?* vera igitur *e*) sinceraque origo, qua fit, ut tot homines in aeterna corruant supplicia, *non alia est quam ipsa hominum malitia*, *divinaeque beneficentiae incredibilis contemptus.* Hoc Ephraem docet, hoc repetit, hoc ingeminat. Neque *in alios* Deum exhibet severum iudicem, rigidumque exactorem, *quam in eos qui praevenienti misericordiae obstiterint, et poenitentiae pharmacum repudiarint.* Quare *f*) Deo et voluntati primae atque antecedenti debetur status universalis reparationis et communis ordo salutis : hominibus autem et voluntati secundae atque consequenti tribuatur oportet, quod tot sint qui pereant, ac felici aeternitate priventur.

Quae sane theoremata certissimis vindicata testimoniis, nova inde lucis auctoritatisque accessione roborantur, quod suo illa suffragio insignes Asiae, Thraciae, Pontique ecclesiae comprobarint. Tot enim suppetunt harum ecclesiarum testes, tot qui earumdem fidem doctrinamque litteris consignarunt ; ut integrum plane non sit, eam qua de loquimur consensionem in dubium adducere. Testes namque adsunt, ut celebriores dumtaxat commemorem, Polycarpus, Athenagoras, nobilissimus auctor epistolae ad Diognetum, Amphilochius, Photius, neocaesariensis Gregorius, Basilius, uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus ac Caesarius, quorum una vox est atque sententia concors : *neminem necessitate perire*, *omnibus fieri salutis assequendae potestatem*, *omnesque ad ordinem erectae reparataeque naturae pertinere.*

CLXXXII.

Et Polycarpus quidem (1) *ab apostolis edoctus*, *et cum multis*, *qui Dominum viderant*, *familiariter versatus*, ea in epistola, *ex qua*, ut Irenaeus (2) loquitur, *quicumque salutis suae curam gerunt*, *poterunt*, *si volent et formam fidei illius*, *et praedicationem veritatis cognoscere*, de Christo Domino (3) scribit, eum esse « ὃς ὑπεμεινεν ὑπερ των ἁμαρτιων ἡμων ἑως θανατου καταντησαι, ὃν ἡγειρεν ὁ θεος, λυσας τας ὠδινας του ᾁδου, qui pro peccatis *nostris* usque ad mortem devenire sustinuit, *quem* (4) *resuscitavit Deus*, *solutis doloribus inferni* ».

Haec autem ne cui angustiora et ad solos circumscripta fideles viderentur, de eodem Christo Polycarpus (5) addit : « eum esse, ὃς ἐρχεται κριτες ζωντων και νεκρων · οὗ το αἱμα ἐκζητησει ὁ θεος ἀπο των ἀπειθουντων αὐτῳ, qui venit iudex vivorum et mortuorum; *cuius sanguinem Deus requiret ab iis*, *qui non credunt in illum* ». Non requireret autem Deus, nec vero requirere Christi sanguinem ab infidelibus posset, nisi *et pro illis* fusus esset, illumque *suo fructu* infideles obfirmata voluntate fraudarent. Nemo est igitur, qui a beneficio profusi divini sanguinis alienus sit; ac proinde nemo qui non significetur quum Christus dicitur *pro peccatis nostris ad mortem usque devenisse*.

(1) Sic de eo testantur Irenaeus adv. Haeres. lib. III. cap. III., et Eusebius H. E. lib. IV. cap. XIV.

(2) Apud Eusebium, H. E. lib. IV. XIV.

(3) Epist. ad Philipp. §. I. p. 193. edit. Tubingae 1842.

(4) Actt. II. 24. In omnibus graecis mss. constanter habetur ὁ θεος ἀνεστησε : neque aliter legit Vulgatus, qui propterea vertit, *Deus suscitavit*. Coniicimus ergo, Polycarpum verbo ἀνεστησε aequivalens, ἡγειρεν suffecisse. Incisum porro, λυσας τας ὠδινας του ᾁδου, referunt codices graeco-latini, Irenaeus, Epiphanius, Fulgentius, Cassiodorius, versionesque syriaca et vulgata, quae illud reddit, *solutis doloribus inferni*. Nullam igitur videmur nobis rationem videre, quae Scholzio persuaserit, ut solemni adeo lectioni hanc praeferret, λυσας τας ὠδινας του θανατου.

(5) Ibid. §. II. p. 193.

Qua significationis amplitudine haec quoque (1) accipi debent : *ἀδιαλειπτως οὐν προσκαρτερωμεν τῃ ἐλπιδι ἡμων και τῳ ἀῤῥαβωνι της δικαιοσυνης ἡμων, ὁς ἐστι Χριστος Ἰησους, ὁς ἀνηνεγκεν ἡμων τας ἁμαρτιας τῳ ἰδιῳ σωματι ἐπι το ξυλον, ὁς ἁμαρτιαν οὐκ ἐποιησεν, οὐδε εὑρεθη δολος ἐν τῳ στοματι αὐτου · ἀλλα δἰ ἡμας, ἱνα ζησωμεν ἐν αὐτῳ, παντα ὑπεμεινε.* Indesinenter ergo perseveremus *in spe nostra et pignore iustitiae nostrae*, quod est Christus Jesus, *qui* (2) *peccata nostra in corpore suo super lignum pertulit, qui* (3) *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius,* sed propter nos, ut (4) in ipso vivamus, omnia (5) sustinuit ».

Sed si Christus est *spes* (6) *nostra*, si est *arrhabo iustitiae nostrae,* si *peccata nostra suo corpore subiit*, si *propter nos*, *nostramque vitam sempiternam omnia sustinuit*; quid tandem consequens esse existimabimus? videlicet *a*) ad statum nos pertinere, *qui status sit spei*: ad statum proinde *b*) *in quo nulla sit pereundi necessitas*, et *in quo c*) *adsit consequendae vitae facultas*: ad statum postremo *d*) *naturae*, *quae iusta interveniente redemptione*, *fuerit a lapsu et perditione revocata.*

CLXXXIII.

Quibus asserendis tuendisque nihil iis succurrit opportunius quae scribit, quaeque uberrime explanat cultissimus idemque vetustissimus (7) auctor epistolae ad Diognetum da-

(1) Ibid. §. VIII. p. 199.

(2) I. Petr. II. 24.

(3) I. Petr. II. 22.

(4) I. Joh. IV. 9.

(5) Videtur Polycarpus ea hisce imitatus, quae ad ipsum scripsit Ignatius §. III. *τον κατα παντα τροπον δἰ ἡμας ὑπομειναντα.*

(6) Cf. quae superius ex Ignatio retulimus.

(7) Eruditiores critici, Tillemontius, Memoir T. II. pagg. 366—493, Nourrius, Apparat. T. I. p. 445, Gallandius, T. I. p. LXVIII, Lumperus, Hist. Theolog. Crit. T. I. p. 183, Georgius Böhl, Opusc. PP. select. Par. I. p. 109. et Carolus Semisch, Justin d. Märtyrer, T. I. pagg. 172. seqq., haud paullo antiquiorem Justino auctorem nostrum suspicantur.

tae. Descripta namque (1) divina Unigeniti maiestate ac natura, et mox ad enarrandum incarnationis mysterium (2) progressus, inquit: « Hunc ad homines misit. Num, ut quisquam cogitare possit, tyrannidis exercendae et terroris incutiendi causa? *οὐ μενουν· ἀλλ' ἐν ἐπιεικεια, πραΰτητι· ὡς βασιλευς πεμπων υἱον βασιλεα ἐπεμψεν· ὡς θεον ἐπεμψεν, ὡς προς ἀνθρωπους ἐπεμψεν, ὡς σωζων ἐπεμψεν, ὡς πειθων, οὐ βιαζομενος· βια γαρ οὐ προσεστι τῳ θεῳ· ἐπεμψεν ὡς καλων, οὐ διωκων· ἐπεμψεν ὡς ἀγαπων, οὐ κρινων, πεμψει γαρ αὐτον κρινοντα· και τις αὐτου την παρουσιαν ὑποστησεται;* Minime; *sed in clementia, in lenitate.* Ut rex filium regem, misit eum; ut Deum misit eum; *ad homines eum misit; servans nos misit eum*, persuadens non violentiam adhibens: violentia enim Deo non inest. *Misit ut vocans, non persequens; misit ut amans, non iudicans.* Mittet enim eum iudicaturum, et quis eius adventum sustinebit »? Prospexit itaque hominibus Deus, illisque prospexit *ἐν ἐπιεικεια, πραΰτητι, in clementia, in lenitate.* Prospexit autem *non his aut illis, sed omnino omnibus;* quum non ad hos aut illos, sed ad omnes rex regem miserit, Deus Deum, ut per regem ac per Deum homines *vocaret, servaret, non iudicaret, iudicaturus tandem* si regi, Deoque *amanti, vocanti, servanti* non obtemperarint.

Quamquam vero suum Deus amorem, clementiam suam, lenitatemque misso in primis Filio patefecerit; numquam tamen humani generis oblitus sic est, ut illud penitus deseruerit. Etenim (3) « *ὁ δεσποτης και δημιουργος των ὁλων θεος, ὁ ποιησας τα παντα και κατα ταξιν διακρινας, οὐ μονον φιλανθρωπος ἐγενετο, ἀλλα και μακροθυμος· ἀλλ' οὐτος ἠν μεν ἀει τοιουτος, και ἐστι, και ἐσται, χρηστος και ἀγαθος και ἀοργητος και ἀληθης· και μονος ἀγαθος ἐστιν· ἐννοησας δε μεγαλην και ἀφραστον ἐννοιαν, ἡν ἐκοινωσατο μονῳ τῳ παιδι. ἐν ὁσῳ μεν οὐν κατειχεν ἐν μυστηριῳ και διετηρει την σοφην αὐτου βουλην, ἀμελειν ἡμων και ἀφροντιστειν ἐδοκει· ἐπει δε ἀπεκαλυψε δια του ἀγαπητου παιδος, και ἐφανερωσε τα ἐξ ἀρ-*

(1) Epist. ad Diognetum, §. VII. pagg. 231—232.
(2) Ibid. p. 232.
(3) Epist. ad Diognetum, §. VIII. pagg. 233—234.

χης ητοιμασμενα, πανθ' ἁμα παρεσχεν ἡμιν, και μετασχειν εὐεργεσιων αὐτου, και ἰδειν και (1) *ψηλαφησαι αὐτον. ταυτα τις ἀν ποποτε προσεδοκησεν ἡμων; παντ' οὐν ᾐδει παρ' ἑαυτῳ συν τῳ παιδι οἰκονομικως*, Dominus et opifex *omnium* Deus qui omnia fecit, et suo quaeque ordine disposuit, *non solum hominum amator, sed patiens etiam fuit. Erat autem semper talis, et est, et erit, benignus et bonus et irae expers et verax, et solus bonus est;* concepit autem mente magnum aliquid et ineffabile, quod cum solo Filio communicavit. Quamdiu igitur prudens suum consilium in occulto retinebat et custodiebat, *nos negligere, nullamque nostri curam gerere videbatur*; at postquam per dilectum Filium revelavit et patefecit *quae iam inde ab initio erant praeparata, omnia simul* praebuit nobis, et frui suis beneficiis, et videre et palpare eum. Quis nostrum haec exspectavisset? omnia igitur una cum Filio suo oeconomice sciebat ».

Opus igitur est duo sedulo occurateque secernere: *a*) benignam Dei in hominum genus voluntatem: et *b*) multiplicem eiusdem, editis operibus, collatisque beneficiis manifestationem. Numquam Deus non fuit in homines propensissimus, utpote *φιλανθρωπος*, *et qui semper talis fuit, est ac porro erit:* numquam illis non consuluit, *etsi eorum nullam aliquando curam gerere videretur.* Nihilominus in temporum plenitudine, quum *μεγαλην και ἀφραστον ἐννοιαν*, *magnum et ineffabile consilium* dominicae incarnationis opere perfecit; tum enimvero exspectationem omnem vicit, suamque inexplebilem misericordiam demonstravit.

» Ceterum, pergit (2) auctor, tempore priori pro lubitu inordinatis motibus agitari nos sivit, voluptatibus et cupiditatibus ductos; non quidem quod ullo modo peccatis nostris gauderet, sed ea tolerans; neque illud tempus iniquitatis adprobans, sed (3) mentem iustitiae creans; *ut*,

(1) Quae heic desunt, Beurerus supplevit scribens, *ἰδειν και ποιησαι*: Maranus cum Sylburgio praetulit, *κατανοησαι*: at nos sequuti sumus Boehlii coniecturam, quae iis firmatur quae habentur Luc. XXIV. 39, Actt. XVII. 17.

(2) Ibid. §. IX. pagg. 235–236.

(3) Fingens nimirum mentem ad eam iustitiam, quae Deo unice pro-

quum eo tempore e propriis operibus vitae indigni fuerimus inventi, *nunc Dei benignitas* nos ea dignaretur; *et* quum manifestum fecissemus, quod nostrum est ingredi non posse in regnum Dei, *potentia Dei* fieremus compotes. Quum autem completa esset nequitia nostra, pleneque esset manifestum, mercedem eius supplicium mortemque imminere, advenissetque tempus a Deo praestitutum *ad suam deinceps benignitatem potentiamque declarandam*, ὡς (1) ὑπο της ὑπερβαλλουσης φιλανθρωπιας και ἀγαπης, *pro redundanti erga homines benevolentia et amore* nos non odio habuit, neque reiecit, neque improbitatis nostrae memorem se ostendit, sed patienter eam tulit ac sustinuit, ipse peccata nostra suscepit; proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis dedit, sanctum pro iniquis, mali expertem pro malis, iustum pro iniustis, incorruptibilem pro corruptibilibus, immortalem pro mortalibus. Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere, quam eius iustitia? in quo alio nos iniqui et impii iustificari possumus, quam in solo filio Dei? o dulcem permutationem, o impervestigabilem institutionem, o beneficia exspectationem omnem superantia: ut iniquitas quidem multorum in uno iusto abscondatur, iustitia autem unius multos iniustos iustificet! ἐλεγξας οὐν ἐν μεν τῳ προσθεν χρονῳ το ἀδυνατον της ἡμετερας φυσεως εἰς το τυχειν ζωης, νυν δε τον σωτηρα δειξας, δυνατον σωζειν και τα ἀδυνατα, ἐξ ἀμφοτερων ἐβουληθη πιστευειν ἡμας τη χρηστοτητι αὐτου, αὐτον ἡγεισθαι τροφεα, πατερα, διδασκαλον, συμβουλον, ἰατρον, νουν, φως, τιμην, δοξαν, ἰσχυν, ζωην. Quum igitur superiori tempore nos convicisset non posse naturam nostram vita potiri, nunc autem Servatorem ostendisset, qui servare potest ea etiam quae servari non poterant; *per utrumque voluit, nos benignitati suae credere, ipsumque existimare nutritorem,*

batur. Nisi forte pro νουν legi debeat νυν, et incisum verti: *sed praesens tempus iustitiae creans.*

(1) In ms. legitur, ὡς ... ὑπερβαλλουσης φιλανθρωπιας μια ἀγαπη: quae Maranus ita supplenda corrigendaque censuit: ὠ ὑπερβαλλουσης φιλανθρωπιας, οἱα ἀγαπη! sed coniectura, ni fallimur, ea infeliciore quam sequuti nos sumus.

patrem, *magistrum*, *consiliarium*, *medicum*, *sapientiam*, *lumen*, *honorem*, *gloriam*, *robur*, *vitam* ».

Quibusdam igitur veluti gradibus sua Deus in homines beneficia contulit: neque una semper eademque gratiarum ubertate illos ditavit. Praeverterunt tempora, quibus etsi Deus necessaria hominibus non subtraxerit, parcius tamen cum illis semet gessit: ea vero consequuta sunt, quibus beneficia exspectationem omnem superantia tribuit, et redundantem erga homines benevolentiam amoremque declaravit. Sive autem in suis erogandis donis largior, sive angustior fuerit, utraque oeconomia id habuit propositum, ut nos *eiusdem benignitati* crederemus, ipsumque *patrem*, *nutritorem*, *medicumque arbitraremur*.

CLXXXIV.

Et re sane vera, inquit Athenagoras atheniensis (1) philosophus, et inter christianae fidei assertores nulli secundus, consideretur procreati hominis *finis*, tum vero consideretur *qui fiat*, ut tot illius assequutione priventur. Ac de fine quidem (2) procreati hominis nemo ambigat, ea inter quae exploratissima sunt, numerari oportere (3), quod « Deus nec frustra hominem fecit, est enim sapiens, nullum autem sapientiae opus inutile: nec ad proprium suum usum, nulla enim re indiget . . ., sed nec ob aliquam rerum a se creatarum hominem condidit. Nihil enim ex eis quae ratione et iudicio utuntur, ad alterius sive superioris, sive inferioris usum creatum est aut creatur, *ἀλλα δια την ἰδιαν αὐτων των γενομενων ζωην τε και διαμονην*, sed ad propriam eorum, qui creantur vitam et perpetuitatem . . . Quamobrem si neque sine causa, neque frustra creatus est ho-

(1) De Athenagora vide quae referunt Philippus Sideta in fragmento apud Dodwellum ad calcem dissertationum in Irenaeum. Epiphanius Haeres. LXIV., et Photius Cod. CCXXIV.

(2) De resurrect. mortuorum, n. 11. pagg. 344—345. edit. Venet. 1747.

(3) Ibid. n. 12. pagg. 345—347.

mo, . . . neque ad ipsius creatoris usum, aut alterius cuiuspiam rei ab ipso conditae; *εὔδηλον ὅτι κατα μεν τον πρωτον και κοινοτερον λογον, δἰ ἑαυτον, και την ἐπι πασης της δημιουργιας θεωρουμενην ἀγαθοτητα και σοφιαν ἐποιησεν ὁ θεος τον ἀνθρωπον · κατα δε τον προσεχεστερον τοις γενομενοις λογον, δια την αὐτων των γενομενων ζωην, οὐκ ἐπι μικρον ἐξαπτομενην, εἶτα παντελως σβεννυμενην*, liquet Deum, si prima et latius patens consideretur ratio, propter seipsum et elucentem in omnibus ipsius operibus bonitatem sapientiamque adductum fuisse, ut hominem conderet; sin vero propior et ipsis hominibus creatis interior ratio spectetur, *propter ipsorum vitam, quae quidem non ad breve aliquod tempus succendenda, ac postea omnino extinguenda sit* . . . Etenim *τοις αὐτον ἐν ἑαυτοις ἀγαλματοφορουσι τον ποιητην, νουν τε συνεπιφερομενοις, και λογικης κρισεως μεμοιραμενοις, την εἰς ἀει διαμονην ἀπεκληρωσεν ὁ ποιητης, ἱνα γινωσκοντες τον ἑαυτων ποιητην, και την τουτου δυναμιν τε και σοφιαν, νομῳ τε συνεπομενοι και δικῃ, τουτοις συνδιαιωνιζωσιν ἀπονως οἷς την προλαβουσαν ἐκρατυναν ζωην, καιπερ ἐν φθαρτοις και γηΐνοις ὀντες σωμασιν*, qui ipsius creatoris simulacrum in seipsis ferunt, ac mente praediti, et rationis iudicium sortiti sunt, iis perpetuitatem despondit et destinavit creator, *ut auctorem suum, eiusque potentiam sapientiamque cognoscentes, ac legi et iustitiae obsequentes, perpetuo in iis citra ullum laborem permaneant*, quibus anteactam vitam, quamvis in terrenis essent et corruptioni obnoxiis corporibus, fortiter toleraverunt ».

Quibus, uti par erat, confirmatis, illa compendio repetit, et causam simul rationemque declarat, qua tot in transversum abrepti, non eo perveniunt, quo illos bonitas creatorisque sapientia direxit. « Neque enim, inquit (1), is erraverit, qui vitae prudentia et rationali iudicio praeditae hunc *finem* esse dicat, in iis perpetuo sine interpellatione versari, quibus maxime et primario congruit naturalis ratio, et in contemplatione illius qui est, eiusque legis indesinenter gloriari: *καν οἱ πολλοι των ἀνθρωπων ἐμπαθεστερον*

(1) De resurrect. mortuorum, n. 25. p. 358.

και σφοδροτερον τοις τῃδε προσπεπονθοτες, ἀστοχοι τουτου διατελωσιν, quamvis ex hominibus multi terrenis rebus libidinose vehementerque affecti hunc finem non assequantur, οὐ γαρ ἀκυροι την κοινην ἀποκληρωσιν το πληθος των ἀποπιπτοντων του προσηκοντος αὐτοις τελους, ἰδιαζουσης της ἐπι τουτοις ἐξετασεως, και της ἑκαστῳ συμμετρουμενης ὑπερ των εὐ ἡ κακως βεβιωμενων τιμης ἡ δικης. Non enim *communem* sortem evertit multitudo eorum, qui congruente illis fine excidunt: quippe cum eiusmodi rerum examen et inquisitio ad singulos pertineat, et vitae bene aut male actae merces sive poena ad unumquemque accommodetur ».

Creandi igitur hominis *a*) non alia fuit ratio quam Dei bonitas, eximiaque beneficentia: illumque *b*) condidit (1) ἐπ' ἀφθαρσιᾳ *incorruptibilem*, ac suimetipsius ἐμψυχον ἀγαλμα, *animatum simulacrum*: ad finem vero *c*) destinavit praestantissimum, cuiusmodi est ipsiusmet Dei contemplatione, ac inde profecta voluptate atque laetitia beari: nihil autem *d*) δωτηρ ἐαων, ac is, ut Jacobus (2) loquitur, a quo est πασα δοσις ἀγαθη και παν δωρημα τελειον, illorum denegavit, quibus homines possent tanta felicitate potiri: sed *e*) sua multi improbitate effecerunt ac etiamnum efficiunt, ut ab assequutione *communis finis, communisque beatitatis* divina iustitia repellantur. Quid ergo exploratius quam *omnibus voluntate prima et antecedente* sempiternam felicemque immortalitatem praeparari, neque alios *voluntate secunda et consequente* ab ea possidenda excludi, quam qui benignitatis effectus irritos inanesque reddiderint?

CLXXXV.

Haec profecto est doctrina, haec sententia Amphilochii iconiensis antistitis, qui non minus amicitiis claruit (3) Basilii et (4) Gregorii nazianzeni, quam (5) Hieronymi laudi-

(1) Sap. II. 23. ὁ Θεος ἐκτισε τον ἀνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσιᾳ.

(2) Jacob. I. 17.

(3) Cf. huius epistolas CL—CLXI—CLXXXVIII—CXCIX—CCXVII., euiusque vitam a Marano conscriptam, cap. XXX.

(4) Uti plures ostendunt litterae, quas ipse ad Amphilochium dedit.

(5) De viris illustr. cap. CXXXIII., et epist. LXX. al. LXXXIV. ad Magnum Oratorem.

bus, suffragioque unanimi Cyrilli alexandrini, Theodoriti, Anastasii sinaitae, Leontii byzantini, Facundi hermianensis et Johannis damasceni, qui editos a se libros amphilochianis effatis nobilitarunt. Carpens enim (1) pharisaeum, qui Christi Servatoris indulgentiam his verbis (2) improbaverat, *si esset propheta, sciret utique quae et qualis est mulier, quae tangit eum,* exclamat: τι οὖν αἰτιασαι φιλανθρωπον δεσποτην, ὦ φαρισαιε, ὁμοιως εἰς παντας τον της χρηστοτητος ζυγον ταλαντευοντα; quid ergo *benignum Dominum* postulas, o pharisaee, *qui* (3) *in omnes pariter bonitatis stateram* libret »? cuius bonitatis, quae *omnes* fovet, *omnesque* complectitur, non uno in loco describit effectus. Describit, quum relatis (4) verbis, *non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque,* subdit (5): « εἶδες φιλανθρωπον δανειστην; πως δανειζει μεν, οὐκ ἀπολαμβανει δε; πως δε ἀγνωμονουμενος οὐ ναρκα· ἀλλ' ἡπλωται αὐτου τοις αἰτουσιν ἡ χειρ μη ἐχοντων, φησιν, ἀποδουναι, ἀμφοτεροις ἐχαρισατο· ἀφηκε μη ἐχοντων· οὐχι μη θελοντων. ἑτερον γαρ μη ἐχειν, και ἑτερον μη θελειν. οἷον τι λεγω. θεος οὐδεν παρ' ἡμων ζητει, ἡ μετανοιαν. ὁθεν βουλεται ἡμας ἀει χαιρειν, και προστρεχειν τῃ μετανοιᾳ. Vidistin' creditorem humanum? ut quidem feneretur, sed non recipiat? ut etiam erga ingratos non torpeat, sed habeat rogantibus apertam manum? *non habentibus*, inquit, *unde redderent, utrisque donavit.* Dimisit iis *qui non haberent*, non ita *qui nollent.* Nam aliud est *non habere,* et aliud *nolle.* Ut puta, *nihil Deus a nobis praeter poenitentiam exigit. Quare vult ut semper gaudeamus et curramus ad poenitentiam* ».

Describit (6) communis benignitatis effectus, inquiens: « Idcirco, caelo non deserto, in terram venit, atque homo factus est, divinitate non deposita, ut etiam mare navigans,

(1) Homil. in mulierem peccatricem, Orat. IV. §. VIII. p. 482. apud Gallandium, T. VI.

(2) Luc. VII. 39.

(3) Sap. VI. 8.

(4) Luc. VII. 42.

(5) Orat. IV. §. X. p. 484.

(6) Ibid. §. I. p. 477.

mundi huius pelago tempestate iactatos, de peccati fundo extraheret: vicosque et urbes circumiens, angiportusque et semitas aditusque circumcursans, errantes in triviis seu (1) *oves non habentes pastorem* ad proprium ovile reduceret. Ipse namque est, qui (2) ovem errantem quaerit, quique nonaginta novem relictis ad unam perquirendam advenit. *ἐζητει γαρ το ἑν, ουτε των πολλων καταφρονων. ουτε του πληθους το ἑν προκρινων. ἀλλα τα μεν ἐννενηκοντα ἐννεα κατελιμπανεν· ἐδει γαρ ἀσφαλως αὐτα ἐν τῃ μανδρα αὐλιζεσθαι· το δε ἑν προϊων (3) ἐζητει, ἱνα μη θηνη τῳ διαβολῳ γενηται. προβατον γαρ ἀποιμαντον, θηρσιν ἑτοιμον δειπνον. και ψυχη ἀσφραγιστος (4), δαιμοσιν εὐεπιβουλευτος.* Quippe quaerebat *unam*, nec spernens multas, nec unam multitudini praeferens. Nihilominus tamen reliquit nonaginta novem: par enim erat ut tuto in caula morarentur: unam autem illam progressus quaerebat, ne diabolo praeda cederet. Nam ovis absque pastore, promta feris parataque coena: animaque signaculo carens, insidiis daemonum exposita ».

Eodem pertinent, quae illico verbis (5) subiicit, quibus Unigeniti secundum carnem nativitas effertur. Ait (6) enim: « *τις ἡ καινη και παραδοξος αὐτη μυσταγωγια; τις η παντοδυναμος και φθαρτοποιος της θειας προνοιας εὐμενεια; τι το δεινον και πανσοφον κατα του διαβολου στρατηγημα; ἠλευθερωται κοσμος δια παρθενου, ὁ δια ταυτης το πριν ὑπο την ἁμαρτιαν πεσων . . . συμμορφος τοις δουλοις ὁ δεσποτης γεγονεν, ἱνα οἱ δουλοι γενωνται συμμορφοι παλιν θεου.* Quae nova haec et mirabilis doctrina? quae omnipotens et mortalem faciens divinae providentiae benignitas? quod grande et

(1) III. Reg. XXII. 17.

(2) Matth. XVIII. 12, Luc. XV. 4.

(3) Montfauconius legit *περιϊων*, *circumiens*.

(4) Putarem heic non tam ad *characterem*, qui *σφραγις* solemnissime dicitur, quam *ad gratiam caritatemque* respici, quae sola distinguit inter filios regni et gehennae, efficitque ne anima sit diabolo *εὐεπιβουλευτος*.

(5) Luc. II. 6—7.

(6) Orat. I. in natalitia magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, §. IV. pagg. 465—466.

sapientissimum adversus diabolum stratagema? *mundus assertus est in libertatem per Virginem*, qui per virginem olim sub peccatum corruerat . . . Factus est Dominus conformis servis, *ut servi iterum conformes Deo fierent* . . . . *οἱ μεν γαρ ὑγιαινοντες οὐ χρειαν ἐχουσιν ἰατρου· ἡ δε νοσῳ συχνῃ κατασχετεισα, τηλικουτου και τοιουτου τετυχηκεν ἰατρου, ὡς μειζονος της ὑγειας εὐτυχης ἐστι σωτηριας, του νοσηματος δραπετευσαντος*. Sanis quidem (1) non est opus medico, at quae multis morbis detinebatur, talem tantumque consequuta est medicum ut fugato morbo, maiori (2) quam sana fortunata sit salute ».

Neque alio spectant, quae de divina providentia mox (3) addit: « Idcirco dimisit (4) nos gentibus commisceri, ut luceamus sicut luminaria in mundo: *ἱνα σπερμα σωτηριας ὠμεν, εἰς ἐπιστροφην θεωρουμενοι πασι τοις συνουσι και συντυγχανουσιν*, ut (5) simus salutis semen omnibus qui nobiscum versantur et nos adeunt, ipsis facti ad conversionem spectaculum: . . . ut vere efficiamur sacrum fermentum, nostraque opera fermentetur mundus ad salutem ».

Nimirum *a*) divinae bonitati proposita est *mundi* ac *hominum omnino omnium salus*, hanc Deus optat, hanc quaerit: et *b*) ne illam *specie tenus* quaerere ac optare videatur, nihil praetermittit eorum, quae ad tanti boni consequutionem necessaria sunt ac sufficiunt. In omnes *c*) bonitatis stateram pariter librat: ab omnibus *d*) poenitentiam exigit, ut omnes semper gaudeant, aeternumque beentur: neminem *e*) propterea damnat *quod non habeat*, sed quod habere *nolit* quod illi offertur; plenitudini ovilis *f*) ita consulit, ut ne unam quidem deviam palantemque oviculam aspernetur: grandi *g*) ac sapientissimo contra diabolum stratagemate mundum in libertatem vindicavit: non renuit *h*) servorum formam induere, ut servis repetendae dominicae similitudinis

(1) Matth. IX. 12.

(2) Crebro audivimus patres his aut similibus formulis immensas divinae bonitatis in humanum genus divitias celebrantes.

(3) Ibid. §. V. p. 466.

(4) Philipp. II. 15.

(5) Is. I. 9. coll. Rom. IX. 29.

potestas esset: medicinam *i*) adhibuit contracto morbo validiorem: fideles vero suos *k*) sic regit, ut universorum hominum salutem procuret. Nemo igitur sit qui dubitet, sive 1) de voluntate Dei salutifera, eaque universali ac fecunda: sive 2) de communi omnium redemptione Christi sanguine parta: sive tandem 3) de statu universalis reparationis, quo Deus misericors originalem ruinam perniciemque commutavit.

CLXXXVI.

Cuius dulcissimae veritatis testis ascedit sane eruditus, atque hac in re priscae traditionis tenacissimus, Bibliothecae auctor Photius. Ea enim ad Amphilochium quaestione, qua (1) petit, *πως θελητος τε και αθελητος τω πατρι ὁ θανατος λεγοιτ' ἀν εἰναι του Χριστου· και πως παλιν ὁ αὐτος συνελθοι τω πονηρω θελητος τε ἁμα εἰναι και ἀθελητος*, *quomodo et voluntaria et involuntaria Patri mors Christi dici queat fuisse; et quomodo rursus accidat ut eadem mors diabolo voluntaria simulque involuntaria fuerit*, praeclare inter cetera (2) scribit: « Quis omnino dicere velit, ab eo qui famulorum suorum, et quorum sanguis exhaustus fuit, curam gerit, quique mortuorum ut viventium clamores audit; *το δε σωτηριον και ζωοποιον αἱμα του κοσμου οὐκ ἐν τοις ἀθανατοις της αὐτου προνοιας ταμειοις συνεχει ἀνωλεθρον αὐτω, και φθορας σωματων ἀνεπαφον* (3) *συντηρουμενος*; salutarem et qui *mundum* vivificat sanguinem, in thesauris providentiae suae ab eo non fuisse incolumem conservatum, atque ab omni corporea corruptione protectum? non igitur damnum pertulit qui pretium contulit: *ἀλλα και του γενους ἡμων παντος ὁ φιλανθρωπος προσεκερδησε την σωτηριαν*, *immo universi generis nostri salutem amator hominum* (Jesus) *lucratus est* ».

Quam reparationis infinitam amplitudinem ea rursum

(1) Ad Amphiloch. q. XXIV. p. 74. apud Mai, Scriptt. Vett. T. I.

(2) Ibid. n. 4. pagg. 79—80.

(3) Monet sapientissimus editor, dignum esse hunc Photii locum qui notetur *propter famosam de sanguine Christi fuso versatam inter catholicos theologos quaestionem.*

quaestione Photius confirmat, qua (1) sciscitatur, *δια τι του γενους ἡ ἀνορθωσις οὐ δια τινος των ἀσωματων δυναμεων ἡ δἰ ἀνθρωπου ψιλου, ἀλλα δια της του λογου κενωσεως γεγονεν*, *cur humani generis redemptio neque per aliquam incorpoream virtutem, neque per nudum hominem, sed per Verbi exinanitionem* (2) *peracta fuerit*. Inter alia namque argumenta et hoc (3) utitur: opus fuisse ut redemptor latas a Deo Israelitis leges *ad meliorem conditionem promoveret*. Porro, inquit Photius: « servili creaturae neque possibile est neque impune creatoris ac Domini leges in aliam formam convertere; *τῳ μεν τοι την σωτηριαν δια σπλαγχνα ἐλεους κατεργαζομενῳ του πλασματος, ἡ τε των δεσποτικων νομων μετακοσμησις πρεπουσα την δεσποτικην ἐξουσιαν κατα φυσιν ἐχοντι, και της πολιτειας ῥαδια τε και ἁρμοδιος ἡ προς το βελτιον ἀνανεωσις*, sed ei demum *qui sua clementia commotus creaturae salutem procurandam suscepit*, dominicarum quoque legum reformatio convenit, dominicam scilicet potestatem suamet natura habenti: eidemque perfacilis est et congrua publicorum sacrorum ad meliorem statum translatio ».

Cui argumento hoc alterum e vestigio (4) addit: « Talis tantique amoris demonstratio, cuiusmodi in exinanitione eius qui exinaniri non potest vidimus; qui fieri poterat ut in notitiam nostram veniret, vel ut providentiae erga nos magnitudinem cognosceremus, si Deus operam dedisset, ut ab alio, praeter se, quolibet *την κοινην του γενους σωτηριαν*, *communem generis salutem* impetraremus? *οὐ μεν τοι γε οὐδ' ἀγγελικης φυσεως ἐνεργειν το μεγα τουτο και παγκοσμιον μυστηριον*. Neque sane vel angelicae ipsi naturae concessum fuit *ut tam grande et universale mysterium, sibi vindicaret*. Nam etsi angeli fines gentium singuli singulos custodiendos sortiti sunt, *ἀλλ' οὐχι του παντος γενους την κυβερνησιν μη τι γε την ἀναπλασιν ἐπιστευθησαν*, minime tamen *universi generis* (5) *gu-*

(1) Ad Amphiloch. q. CXCI. p. 194. Eamdem quaestionem copiose antea versaverat Eusebius in tricenn. Constantin. capp. XIII. seqq.

(2) Cf. Thomam III. p. q. I. aa. I—II.

(3) Ibid n. 3. pagg. 196—197.

(4) Ibid. n. 4. pagg. 197—198.

(5) Insignia sunt haec ad doctrinam *de custodibus angelis* illustrandam.

bernatio vel instauratio concredita eisdem est. Multo vero minus simplici homini id facere licuit, quamvis virtutibus inter ceteros praefulgenti. Videmus enim vel ex his celeberrimos *uni saepe genti*, et quidem non maximi numeri, regendae instituendaeque fuisse praepositos; atque hoc ipso munere non sine defectu aliquo fuisse perfunctos ». Unde post alia non minoris ponderis argumenta demum (1) colligit: « *δια γουν ταυτα και πολλα τοιαυτα, θεοσοφως ἀρα και θεοπρεπως ὁ του θεου λογος και υἱος και οὐχ ἑτερος τις, παρ᾽ αὐτον την ἡμετεραν προσειληφως σαρκα την κοινην του γενους σωτηριαν εἰργασατο.* Ob haec et alia huiuscemodi plurima, sapientissime Dei Verbum et Filius et Deus verus, non alius quispiam, carne sibi circumposita, *communem generis salutem* operatus est ».

Photius itaque non indignus, qui ut *constantinopolitanae ecclesiae testis* audiatur, quum de hominis reparatione disserit, illam *a*) tribuit *benignitati, et misericordiae visceribus,* quibus nos Christus complexus est. Docet vero *b*) eam esse *prorsus universalem,* idque apertis sententiis, argumentisque confirmat: *c*) apertis sententiis, quibus extollit *ζωοποιον αἱμα του κοσμου, sanguinem qui mundum vivificat, του γενους την ἀνορθωσιν, generis restitutionem, την σωτηριαν του πλασματος, creaturae salutem, την κοινην του γενους σωτηριαν, communem generis salutem*, et *του παντος γενους την ἀναπλασιν και την σωτηριαν, generis universi instaurationem ac salutem.* Itemque *d*) confirmat argumentis, siquidem *ex infinita, nullisque adstricta cancellis reparatione* concludit, illam neque a simplici homine, etsi praestantissimo, neque etiam ab angelo exspectari potuisse.

Cum hac autem universali reparatione is ordo divinae providentiae consertus est, quem Photius expendit, dum sensum investigat hisce atque similibus Scripturarum testimoniis (2) subiiciendum: *tradidit eos servire militiae caeli: tradidit eos in passiones ignominiae: dedit eis spiritum compunctionis, oculos ne videant:* et *Deus induravit cor Pha-*

(1) Ibid. n. 5. p. 199.

(2) Actt. VII. 42, Rom. I. 26, XI. 8, Exod. VII. 3. seqq.

raonis. De prioribus namque (1) scribit: « Vocabuli homonymia nisi discernatur, absurdam sententiam parit. Quomodo enim aut quando animae oculum excaecat Deus? quomodo passionibus, ille qui harum purgator est, et impietati atque errori tradit? distinctis autem vocabuli notionibus, omni cavillatione expeditur sermo. *το γαρ παρεδωκε σημαινει μεν και το ἐνεχειρισεν και παρεπεμψεν, ἡ συνωθησε και συνηλασε· σημαινει δ᾽ οὐδεν ἐλαττον και μαλιστα γε τῳ βουληματι της γραφης και το συνεχωρησε, καθυφηκε και ἐνεδωκεν, εἰασε φερεσθαι ταις ὁρμαις, ἀφηκε το ἑκουσιον αὐτοδεσποτον.* Nam verbum *tradidit* significat sane *alienae potestati dedit, transmisit, compulit*: nihilominus, immo vero potissime secundum Scripturae (2) sensum, *concessit, indulsit, permisit, ferri sivit impetu suo, arbitrium esse liberum passus est.* Qua notione verbo *tradidit* intellecto, nulla absurditas sequitur. *ἀφελκει μεν γαρ το θειον νομῳ φιλανθρωπιας και προνοιας των παθων και ἁμαρτηματων το ἀνθρωπινον· ἐπειδαν δε μοχθηριας ὑπερβολῃ το ἀναστελλομενον της εὐεργεσιας και χαριτος οὐκ ἀνεχοιτο, οὐδ᾽ ἐθελοι τῳ μεθελκοντι πειθεσθαι, τοτε δε τοτε ὑπενδιδωσι φερεσθαι τῃ ῥυμῃ το ἀπειθουν, και ἀφιεσιν ἀποκεχρησθαι τῳ βουληματι, ἱνα μη ἐπι πλεον ἀναστελλων και ἀναχαιτιζων της ῥοπης, δοξῃ διαφθειρειν το αὐτεξουσιον· και ἡ εὐεργεσια και ἡ προνοια τοις ἀγνωμοσι και ἀχαριστοις εἰς ἐγκλημα περιτρεποιτο.* Avocat enim Deus *ingenito bonitatis providentiaeque suae more* a passionibus ac peccatis homines: verumtamen ubi hi, superante malitia, *frenos a divina beneficentia gratiaque iniectos dedignantur*, *noluntque retrahenti morem gerere*, tum demum sinit cursu suo contumaces ferri, et arbitrio abutendi copiam facit: ne si forte vehementius inhiberet ac sisteret propensionem, *liberae voluntatis facultatem pessumdare videretur, atque ita benefica eiusdem vis*

(1) Ad Amphilochium, q. I. n. 23. p. 30.

(2) Videlicet secundum exploratissimum Scripturae loquendi usum, de quo pluribus disserit Glassius, Philolog. Sacr. Lib. I. Tract. III. can. XXII., et quo verba *activa* metonymice usurpantur de iis, qui alicuius actionis non ipsi *auctores* sunt, sed eius tantum patrandae *occasionem* praebent, *dum illam non impediunt.*

ac providentia vecordibus atque ingratis crimini verteretur ».

Ad postremum vero testimonium progressus (1) notat: « Deus dicitur indurasse cor Pharaonis, non quod illud molle primum suisque iussibus docile, ad duritiam, pertinaciam, contumaciamque convertit; *ἀλλ' ὅτι μεθελκων και ἀνακοπτων της ἀπειθειας και του ἀντιτυπου φρονηματος, ἐπειπερ οὐδαμως εὑρεν ὑπενδιδοντα και προς πειθω μεθισταμενον τον αἰγυπτιον, ἀλλ' ὁλον ἑαυτον ποιουντα του ἀντιθετου και ἀντιταγμενου βουληματος, ὁ μηδαμου φθειρων το αὐτεξουσιον, ἀφηκε τη γνωμη φερεσθαι τον οὐ βουληθεντα πεισθηναι τη κρειττονι*, *sed quia diu data opera ut cor illud ab inobedientia et refractario spiritu revocaret*, postquam aegyptium *nullo modo* cedentem neque ad obedientiam reversum sensit, immo vero se totum in contraria repugnantique sententia obfirmantem; Deus qui numquam *liberi vim arbitrii* laedit, sivit eum sua voluntate ferri, *qui meliori consilio morem gerere recusabat* ».

Unde de malis universim (2) loquens, statuit: « Mala *primario sensu* dicuntur peccata, quorum Deus caussa non est: mala *praeterea* sunt illa quae molestia adficiunt, nobisque invitis accidunt, morbus, paupertas, . . . et quotquot alia saepe numero reis immitti a divina providentia dicuntur atque creduntur, *vel ut ruentes ad peccata mortales cohibeat, vel ut labes abluat: οὐ κακυνουσα το ἀνθρωπινον, οὐδε προς το χειρον το δημιουργημα μεταπλαττουσα, μη τι γενηται· ἀπαγουσα δε των κακυνοντων μαλλον, και τη καταλληλω του νοσουντος θεραπεια το ἠῤῥωστηκος της γνωμης προς το ἀμεινον ἐπαναγουσα*, minime vero ut depravet humanum genus, neque ut peiorem conditionem creaturae suae faciat Deus, quod absit; *immo potius ut a vitiorum irritamentis abstrahat, atque ut congrua laborantis cura, infirmam animi partem ad meliorem frugem revocet* ».

Hoc igitur providentiae ordine vita hominum administratur: *a*) Deus *nemini* caussa est peccandi, *nemini* caussa pereundi: immo *b*) *omnibus* ac perditissimis quoque homini-

(1) Ibid. n. 24. p. 31.
(2) Ibid. n. 23. pagg. 29—30.

bus *sua gratia adest*, illis affulget, copiamque sanioris mentis impertit: reveretur tamen *c*) opus a se conditum, factamque arbitrii libertatem neque impedit neque pessumdat: sed *d*) ad id excitat ac promovet quod bonum est, iniectisque frenis cupiditatis aestum compescit: quo consilio *e*) temporalibus etiam malis in reos animadvertit, ac morbis doloribusque satagit, ut vitiorum irritamenta sedet, avulsumque a carnalibus oblectamentis animum ad spiritales suavitates convertat. Nihil autem manifestius quam hoc ordine et 1) voluntatem primam eamdemque salutiferam ostendi, et 2) universalem reparationem stabiliri, et 3) perniciem interitumque sempiternum in eos qui pereunt culpam, nullatenus vero in rationem status, auxiliorumque defectum refundi.

CLXXXVII.

E quibus doctrinae capitibus ne unum quidem est, quod testimonio suffragioque *ponticae ecclesiae* non affatim comprobetur. Ut enim a Gregorio auspicer, primo neocaesariensi antistite, quique (1) *ob signa atque miracula quae cum multa ecclesiarum gloria perpetravit*, *Thaumaturgus* appellatus fuit: eaque seponam, quae ex dubiis eiusdem operibus (2) luculentissima (3) suppetunt; vel ex ea tantum panegyrica ora-

(1) Apud Hieronymum de viris illustribus, cap. LXV.

(2) Inter quae recensentur quatuor eiusdem orationes a Vossio graece et latine editae, quae Gregorii sint nec ne, inquit Gallandius in prolegomenis, ad T. III. cap. IX. §. VIII., *haud certo pronuntiare quis valeat.*

(3) Eiusmodi ista sunt ex Orat. II. in annunciat. S. Mariae, pagg. 19—26. edit. Paris. 1622: » Evangelizat nobis Scriptura celeberrimam Salvatoris oeconomiam, quoniam cum Deus esset, nimia benignitate sua factus est homo; non quidem dignitatem, quam ab aeterno habuit, deponens; sed salutarem dispensationem induens. Evangelizat nobis laudatissimam Salvatoris oeconomiam, quoniam laborantibus atque aegrotantibus medicus advenit, non pharmacis curans, sed nutu benignitatis suae sanans. Evangelizat nobis celebratissimam Salvatoris oeconomiam, quia errantibus factus est via salutis, desperantibus gratia salutaris, διαφορως παντας εὐεργετουσα, *multifariam in omnes beneficia conferens*, errantes requirens, tenebris circumfusos illuminans, mortuos vivifi-

tione, *quam* (1) *convocata grandi frequentia, ipso quoque Origene praesente recitavit*, quamque Pamphilus martyr iis libris (2) subiunxerat, quos pro Origenis defensione conscripsit, talia habentur quae non immerito sufficere posse videantur. Unigenitum namque periphrasi describens, eum esse (3) tradit τον παντων δημιουργον και κυβερνητην *omnium conditorem et gubernatorem*, immo etiam τον προστατην των ἡμετερων ψυχων και σωτηρα, *praesidem animarum nostrarum ac servatorem*: neque his contentus, eum appellat cum τον της μεγαλης βουλης ἀγγελον, *magni consilii angelum*, tum τον κοινον παντων σωτηρα, *communem omnium servatorem*. Atqui haec ita comparata sunt, ut nullis circumscripta limitibus *universalem reparationis amplitudinem* praeseferant.

Quam multo etiam praeseferunt illustrius quae obvia sunt apud Caesarium Gregorii nazianzeni fratrem, eiusdem honestatum (4) laudibus, eoque nomine amplioribus etiam cumulandum, quod hanc sibi cogitandi scribendique legem (5) dixerit: οὐκ οἰκεια τινα ἠ αὐτοσχεδια φραζων, ἀλλ'

cans, servos libertate donans, captivos redimens, και τοις πασιν ἡμιν τα παντα γεγονεν, εἰς ὁδον σωτηριας, *et omnibus omnia factus in viam salutis*: non propter nostrum animum gratum, ἀλλα δια την αὐτῳ τῳ εὐεργετῃ πρεπουσαν ἀγαθοτητα, *sed propter bonitatem ipsi Salvatori convenientem*. Omnia enim fecit Salvator, non ut sibi ipsi virtutem compararet, sed ut nobis vitam conciliaret aeternam. Ad imaginem quippe Dei hominem formans, in paradiso deliciarum iussit eum degere: ceterum diaboli invidia is deceptus, et divini praecepti transgressor factus, morti se obnoxium reddidit; quapropter et qui ex ipso geniti sunt, per successionem hereditario debito obstricti, damnationis sententia mulctati sunt Regnavit enim mors ab Adam usque ad Moysem. Benignissimus autem Dominus cernens proprium plasma a morte detineri, non in finem usque aversatus est hominem, quem ad imaginem suam fecerat; ἀλλα καθ' ἑκαστην γενεαν ἐπισκεπτομενος, οὐ διελειπεν, *sed per singulas eum generationes visitans, non reliquit* ". Quibus gemina scribit Orat. in s. Theophan., p. 31.

(1) Teste Hieronymo, de Viris illustr. cap. LXV.

(2) Referente Socrate, H. E. lib. IV. cap. XXVIII.

(3) Orat. Panegyr. in Origenem, §. IV. pagg. 417—418. apud Gallandium, T. III.

(4) Orat. X., et Carm. LIV. edit. Muratorii.

(5) Quaest. I.

ὅσα τῶν ἀοιδίμων καὶ μακαρίων πατρῶν τοὺς λειμῶνας ἐπελθὼν, τῆς ἐκείνων ῥοδωνίας συνήγαγον, non quaedam proprie mea leviaque proferam, sed quaecumque clarorum beatorumque patrum prata peragrans, de illorum roseto collegi ».

E quo roseto hunc primum, eumque suavissimum florem decerpsit, nulla dote nulloque ornamento vehementius Deum delectari, quam misericordi longanimitate. « Quandoquidem, ait (1) Caesarius, ἡ παντελὴς ἀρετὴ θεὸς ὑπάρχει, εἰκότως μακρόθυμος προσαγορεύεται, ὡς μακρὰν ὑπάρχων θυμοῦ, omnimoda virtus Deus est, *merito longanimis appellatur, tamquam ab animositate longe distans* ». Huius autem misericordis longanimitatis quum innumeri recenseantur effectus, nulli secundus haberi ille debet, quo Deus hominem culpa perditum, quin abiecerit, ad vitam potius incolumitatemque revocavit. Describit (2) hominis ruinam Caesarius, insequutas diaboli accusationes repraesentat, tum (3) pergit: » ἀλλ᾽ ὅμως ὁ φιλάνθρωπος θεὸς ἀτρέπτως κατὰ τὸν διαβληθέντα γενόμενος, ἐπεφοίτησεν ἡμῖν τὸν πολέμιον χειρώσασθαι, ἐν θέᾳ τοῦ ἀπατηθέντος ἀληθῶς γενόμενος, ἵνα μὴ δῷ φάσκειν τὸν ἐχθρὸν, ὅτι βροτοῖς πολεμήσας ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἥττημαι, αὐτὸς βροτὸς γίνεται μένων θεὸς, καὶ ἥκει πολεμῶν ὑπὲρ βροτῶν. Nihilominus *humani generis amator Deus, erga eum qui accusatus erat, haudquaquam mutatus*, ad nos venit ut hostem caperet, in eius forma, qui, deceptus erat, vere natus. Atque ne hosti occasionem daret dicendi, *mortales* oppugnans *a Deo* superatus sum: ipse mortalis fit, manens Deus, *et venit ut pro mortalibus hominibus pugnet.* Id quod iam ante quingentos annos praedixerat (4) vates ille divinorumque carminum auctor Davides: *benedictus* enim, inquit, *qui venit in nomine Domini.* Quisnam est ille, vates divine? *Dominus* (5) *Deus, et apparuit nobis.* At cuius gratia.

(1) Dialog. IV. respons. ad interrogat. CXCII. pagg. 144—145. apud Gallandium, T. VI.

(2) Dialog. III. respons. ad interrogat. CXXIII. p. 76.

(3) Ibidem p. 77.

(4) Ps. CXVII. 26.

(5) Ibid. v. 27.

Deus mortalis fit, mi Davides? του καταλυσαι ἐχθρον, φησιν, και ἐκδικητην τον διαβολον, ad destruendum, inquit, inimicum et exactorem diabolum ».

Quem tamen ita destruxit, ut nobis meriti laudisque occasionem praereptam noluerit. Interroganti (1) enim: *si sustulit inimicum Dominus, quis nostrum quemlibet oppugnat, et tentationibus improvisis, peccatisque involvit?* reponit (2) Caesarius: « Licet Deus omnimodam eius exstinctionem sublationemque facere posset, noluit hoc tamen, δια το μη ἀγεραστους ἡμας καταλειφθηναι ἐν τῃ μελλουσῃ ἀιδιῳ ζωῃ, μη ὀντος ἡμιν ἐνταυθα τινος ἀντιπαλου, προς ὁν ἀγωνιζομενους οἱονει ἐν σταδιῳ τῃ παρουσῃ ζωῃ, ἐν τῃ ἀμειψει ταυτης στεφανων ἐπιτυχειν, *ne nos inhonorati relinqueremur in futura sempiterna vita*, nisi esset aliquis nobis heic adversarius, contra quem decertantes velut in stadio praesentis vitae, *remunerationis tempore coronas adsequeremur* ». A quibus ne homines exciderent, numquam Deus suis gratiis, suaque doctrina illis defuit, numquam illis necessariam opem denegavit. Quod hanc enarrans adhibitam a Christo (3) parabolam: *simile est regnum coelorum fermento, quod acceptum mulier prudens abscondit in farinae sata tria, donec fermentatum est totum;* Caesarius (4) docet inquiens: « Fermento mihi videtur *doctrinam et fidem in se* comparare Dominus, mulieri autem ecclesiam suam, *quam* (5) *et dilexit*. Farinae vero sata tria, *tres Noe filios* . . . , ex quibus solis post diluvium *omnes* prodierunt *gentes*, quae nunc in ecclesia congregantur: οἱς ἡ καθηγησις του κηρυγματος, και ἡ πιστις, οἱονει ζυμη ἐμφυραθεισα, το ὁλον των ἐθνων ἀλευρων, το ἐκ του Νωε τριων σατων λογικων, ἐζυμωσε προς την θεοσεβειαν, *quibus doctrina praedicationis et fides veluti fermentum immista, totam gentium farinam, quae constat ex tribus Noe satis ratione praeditis, fer-*

(1) Dialog. III. interrogat. CXXIV, p. 77.

(2) Ibid.

(3) Matth. XIII. 33.

(4) Dialog. IV. respons. ad interrogat. CLXXX. p. 136.

(5) Ephes. V. 25.

mentavit ad cultum Dei ». Docet idipsum, verbisque apertioribus, quum alteri (1) parabolae, *exivit qui seminabat ad seminandum*, hanc subiicit (2) explanationem : « ἐξῆλθεν ἐκ του πατρος ὁ Χριστος, ὁ προ αἰωνων θεος · οὑτος γαρ ὑπαρχει ὁ σπορευς των σωτηριων ἡμων. σπερμα δε αὐτου, θειος και ζωοποιος λογος · ἀρουρα δε, ἡ ἀνθρωποτης πασα. Exivit a Patre Christus, ante saecula Deus. *Hic enim est sator salutis nostrae.* Semen autem ipsius, divinus et vivificus sermo : *arvum, universa humanitas* ».

Neque poterat arvum esse angustius : « Ipse siquidem sator, pergit (3) Caesarius, ipse figulus nostrae massae Christus, προ σαρκωσεως μεν ἡμας ἐκ μη ὀντων δημιουργησας · ῥυπωθεντας δε, και του χειρονος γενομενους δεκτικους, δια θανατου συντριψας παλιν ἀναπλαττει, και δια το μενειν του λοιπου κακιας ἀπαραδεκτους, qui ante incarnationem quidem nos ex nihilo creavit, *contaminatos autem et inde deterioris capaces factos, per mortem contritos refingit*, et per perseverantiam in posterum efficit nullius malitiae capaces ». Etsi vero nonnisi Christi morte refingamur, eiusdem tamen beneficia non cum ipsa primum morte inceperunt, sed humanum semper genus comitata sunt. » Non enim (4) propter *praesentes* incarnatus, *iis solis* profuit, ἀλλα και τους προκοιμηθεντας θανατῳ ἀνεστησε, και ἡμων τοις ἐπιγονοις ἐλπιδα ἀναστασεως ἐδωρησατο και ζωην, sed *et praecedentes* a morte resuscitavit, et *posteris* spem resurrectionis vitamque donavit ». Omnibus igitur praeteritis, praesentibus, futurisque hominibus spes affulsit, affulget, affulgebitque salutis : ac omnibus propter Christi reparationem potestas fuit, est, eritque vitae felicitatisque comparandae. Etenim (5) » ἐνταυθα ὑπαρχει τα της ἰατρειας, ἐκει τα της ἀπολογιας · ἐνταυθα τα της ὑγιειας, ἐκει τα της τιμωριας · ἐνταυθα τα της θειας μακροθυμιας, ἐκει τα της ἀκλινους δικαιοκρισιας, *heic est tem-*

(1) Matth. XIII. 3—7.
(2) Dialog. IV. respons. ad interrogat. CXCIII. p. 145.
(3) Ibid. p. 146.
(4) Ibidem.
(5) Dialog. IV. respons. ad interrogat. CLXXXV. p. 141.

pus medicinae, illic reddendae rationis: heic sanitatis, illic supplicii: heic divinae longanimitatis, illic inevitabilis iustique iudicii ».

Pro qua gubernationis lege, quam sibi Deus benigne praestituit, etsi sontes, quamdiu mortales vivunt, punire inexoratus *possit*, non tamen *vult*, illosque sustentat, et ad meliora consilia provocat. Quod apertissime Caesarius (1) edicit, quum significationem investigans (2) *maledictae ficus*, ait: « Per id Christum docere voluisse, quod Deus repugnantem Synagogam iudaeorum etiam punire *possit*, *ἀλλ' ὡς ἀγαθος, οὐ βουλεται*, *sed tamquam bonus non velit* . . . *τιμωρειται οὖν ἡ ἀψυχος, ἵνα καρποφορησῃ πιστιν ἡ ἀθεος*. Punitur itaque ficus inanimata, *ut impia proferat fidei fructum* ». Hanc vero imaginem ea potissimum mente Christus (3) selegit « ut ostenderet, *ὅτι οἷος τε ὑπαρχει, και ἐν τῳ παροντι τους πονηρους τιμωρεισθαι, ἀλλ' ἐπεχει τεως την δυναμιν, ἐνδιδους ἑκαστῳ προς μεταγνωσιν*, quod *possit* vel etiam in praesenti vita malos afficere supplicio, *sed etiamnum cohibeat potentiam, concedens unicuique tempus ad resipiscentiam* ».

Ut deinde (4) desiderio *sensibilium* fructuum *νοητως intellectibiliter ostenderet* « esurire se, sibique maxime cordi esse *την παντων σωτηριαν, ἐξαιρετως δε Ἰουδαιων, omnium salutem, praecipue vero* iudaeorum ».

CLXXXVIII.

Affectus hoc pacto Deus, sicuti adultorum nemini salutem *confert*, ita illorum nemini salutem *praeparavit* nisi meritis sua gratia suoque auxilio partis iuste rependendam. Cuius veritatis testis est locuples Caesarius, quum id perpendit quod Zebedaei filiis Christus (5) respondit: *το καθι-*

(1) Dialog. IV. respons. ad interrogat. CLXXXIII. p. 138.
(2) Matth. XXI. 19.
(3) Ibid. p. 138.
(4) Ibid. p. 139.
(5) Matth. XX. 23.

σαι ἐκ δεξιων μου και ἐξ εὐωνυμων, οὐκ ἐστιν ἐμὸν δουναι, ἀλλ᾽ οἱς ἡτοιμασται ὑπο του πατρος μου, sedere a dextris et a sinistris non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre meo. Scribit (1) enim: « Non quasi praestando non esset, denegavit; sed prudenti quodam praetextu ad modestiam revocat ipsorum fastum, et adversus condiscipulos elationem: per illos etiam reliquos castigans, et accensum in ipsis absurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis. Non enim dicit, *omnino largitur id vobis Pater*, *ἀλλ᾽ οἱς ἡτοιμασται πονουσιν, sed quibus paratum est laborantibus*, exstimulans ipsos ad virtutem et fortitudinem, ut primum benevolentiam demonstrarent, ad certamina semet accingerent, pro ipso ad mortem usque constanter perseverarent . . . Expedimini ad certamina in stadio, descendite in theatri caveam, alacres incedite, invicti manete, et quam primum praesentis seculi theatrum solutum fuerit, ego mox vobis illa solia tamquam praemia certaminis largiar. Nunc autem vos merito reiicio ». Et aliquot (2) interiectis: « Non est meum simpliciter dare, sed a vobis vicissim exigere certaminum et sudorum compensationem. Malo enim vobis debere propter benevolam alacritatem, quam accusare socordiam. Non est meum dare, at neque patris mei simpliciter petentibus: siquidem obscuri et adulteri et quivis flagitiosus et intemperans, si petant, mecum sessuri essent. *οὐκ ἐστιν ἡμετερον, του δουναι εἰκῃ, και παραχαραξαι το δικαιον· δικαιοκριτου γαρ το προς ἀξιαν ἑκαστῳ ἀπονεμειν, και μη τους ἱδρουντας παριδειν, και ῥαθυμοις παρασχειν. εἰ τοινυν των θρονων ἐρατε, τους ἀγωνας οὐκ ἀγνοειτε, προς οὑς ὀφειλετε ἀποδυσασθαι· μη τῳ τριβωνι και τῃ ὑπηνῃ και τῃ βακτηριᾳ μονοις ἐναβρυνομενοι, ἀλλα τοις πονοις τους θρονους ἐξωνουμενοι, και το κριτηριον ἱλεουμενοι.* Non est nostrum dare temere, et depravare quod iustum est. Iusti namque iudicis est, unicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborantes, ac ignavis aliquid largiri. Proinde si thronos amatis, nolite ignorare certamina, ad quae capessenda

(1) Dialog. III. respons. ad interrogat. CXXXI. p. 84.
(2) Ibid. p. 84.

debetis expediri. Neque pallio tantum et barba baculoque convenit vos delicate gloriari; sed laboribus thronos redimite, iudiciumque placate ». Quum enim (1) noluerit « Deus nos desides et socordes vitam agere , . . . neque item nullam mercedem meritos indigne honorare; ἐν τῇ ἡμετέρᾳ κατέλιπεν ἐξουσίᾳ ἐξομοιοῦσθαι αὐτῷ διὰ τῆς πρὸς αὐτὸν μιμήσεως, καὶ τῆς τῶν ἀρετῶν κατορθώσεως καὶ ἐπιδείξεως, ὅπως τῇ περὶ τὸν πέλας κηδεμονίᾳ ἐξομοιωθῶμεν αὐτῷ, καθόσον οἷόν τε τῇ βροτῶν φύσει πρὸς θεὸν ἁμιλλᾶσθαι, in nostra potestate reliquit, ut adsimilemur ipsi per imitationem erga illum, et per virtutum correctionem et demonstrationem , ut erga proximum sedulitate adsimilemur ipsi, quantum ab humana natura contendente ad Deum praestari potest ».

Anceps igitur esse non potest , cuiusmodi sit oeconomiae ratio , qua hominum genus , etsi peccati lue infectum et multiplici vulnere saucium, administratur ac regitur. Regitur enim *a*) oeconomia longanimis misericordiae, quam *b*) oeconomia excipit aequissimae retributionis.

Regitur oeconomia longanimis misericordiae , quia 1) Deus humanam naturam corruptam depravatamque refinxit: quia 2) omnibus contulit et conferre iugiter pergit suae gratiae praesidia : et quia 3) omnibus spem fecit facitque salutis , quae non antea funditus praeciditur , quam praesens nostra vita desierit.

Hanc vero oeconomia excipit aequissimae retributionis, quia 1) statuit Deus, ut iis dumtaxat salus conferretur, qui tributam omnibus potestatem rite adhibuerint : et quia 2) voluit ut sempiterna felicitas sic esset donum , ut merces simul atque corona meritis laboribusque parta crederetur.

Jamvero *status* cum utraque oeconomia cohaerens videri alius neque potest neque debet, quam *a*) status universalis reparationis, *b*) potestatis communis, *c*) iucundissimae ac sollicitae spei , utpote qui *d*) non minus voluntati primae ac misericordiae , quam voluntati secundae et iustitiae debeatur. Debeatur voluntati primae et misericordiae , quia hoc ex fonte universalis reparatio, et facta omnibus obtinendae sa-

(1) Dialog. III. respons. ad interrogat. CLXV. p. 124.

lutis copia defluxit: debeatur autem voluntati secundae et iustitiae, quia nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit.

CLXXXIX.

Cum quibus perfectissime concinunt, quae litteris numquam interituris consignavit Caesarii frater Gregorius nazianzenus, σκευος εκλογης, *vas* (1) *electionis*, *vir* (2) *eloquentissimus*, ὁ θεολογος (3), et cuius (4) « neque vita aliquid probabilius et sanctius, neque eloquentia clarius et illustrius, neque fide purius et rectius, neque scientia plenius et perfectius inveniri potest, utpote qui solus sit de cuius fide ne dissidentes quidem inter se (ut fieri solet) partes disputare potuerint; sed id obtinuerit apud Dominum et ecclesias Dei meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinae ejus in aliquo refragari, ex hoc ipso quia ipse magis sit haereticus arguatur. Manifestum namque indicium est, non esse rectae fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat ». Sed quam fidem de voluntate Dei salutifera, deque reparati ordinis amplitudine Gregorius tenuit, tenendamque proposuit? expedita est responsio, quum eiusdem hac de re testimonia neque luculentiora esse possint, neque magis diserta.

Principii namque loco ponit Deum esse suapte natura caritatem, eoque ferri ut beneficia impertiat, beneficiisque auctos sua ipsa beatitate coronet. « Deus pacis, sic (5) ille, qui *nos sibi* per crucem (6) *reconciliavit*, cum prius per peccatum hostes ei facti essemus; qui *faustum pacis nuncium*, *tum his qui prope erant*, *tum his qui longe*, hoc est,

(1) Apud Basilium, epist. VIII. class. I. T. III. p. 81.

(2) Apud Hieronymum de Script. Eccles. n. CXVII.

(3) Apud Theodorum studitam in Antirrhetico II. adversus iconomachos, p. 123.

(4) Apud Rufinum in prologo ad Oratt. Gregorii, quas latine reddidit.

(5) Orat. XI. al. VI. §. VII. p. 246. edit. Paris. 1778.

(6) II. Cor. V. 18, Ephes. II. 17, et I. Joh. IV. 16.

tum iis qui legi subiecti, tum illis qui a lege alieni erant, attulit : *ὁ τῆς ἀγάπης πατήρ, ἡ ἀγάπη· ταῦτα γὰρ πρὸ τῶν ἄλλων χαίρει καλούμενος, ille caritatis parens, immo ipsa caritas ; his enim nominibus praecipue* delectatur ; . . . vos (1) *ad omne bonum opus perficiat* ». Quoniam vero segnis amor esse non potest, Deus qui amoris parens est ac ipsissimus amor insito veluti pondere rapitur, ut omnes suis benefactis locupletet. Quo divino ornamento Gregorius (2) utitur, ut illos refellat qui christianam fidem disertorum unice propriam comminiscebantur. « Nihil fide nostra, inquit, iniquius fingi posset, si in eruditos tantum dicendique facultate ac logicis demonstrationibus praestantes caderet; popularis autem multitudo, ut auro et argento aliisque omnibus rebus, quae heic in pretio habentur, atque a plerisque avidissime expetuntur, sic hac quoque frustraretur; ac Deus id quod altum et excelsum est atque ad paucos pertingit, gratum acceptumque haberet; contra quod propinquius est, nec vulgi captum superat, aspernaretur et reiiceret. Nam ne in moderatiores quidem homines hoc cadit, ut non quales ipsis haberi honores possunt, exigant, sed excellentibus tantum eximiisque delectentur, ne dum in Deum, *οὗ πολλῶν ὄντων ἐφ᾽ οἷς θαυμάζεται, οὐδὲν οὕτως, ὡς τὸ πάντας εὐεργετεῖν ἰδιώτατον, qui cum multis nominibus admirabilis sit, nihil tamen tam proprium habet, quam omnes beneficiis prosequi* ». Unde et est et suo merito (3) nuncupatur *φάος ὀλβιόδωρον, lux beatitudinis fons.*

Huic tam propensae ad benefaciendum voluntati tribui debet, quod Deus depravatum culpa hominem non abiecerit, sed refingendum reparandumque susceperit. « Quoniam enim, inquit Theologus, (4) omni peccati labe carere, Dei est, primaeque et incompositae naturae ; . . . audacter etiam addam, et angelicae, quia profecto ob propinquitatem quam ad Deum habet, ad id proxime accedit : peccare autem, hu-

(1) Philipp. I. 6.
(2) Orat. XXXII. al. XXVI. §. XXVI. pagg. 596—597.
(3) Carm. IV. de mundo, v. 82. p. 225.
(4) Orat. XL. §. VII. p. 695.

munae ac terrenae compositionis . . . ; *οὐκ ᾤετο δειν ἀβοηθητον το ἑαυτου πλασμα καταλειπειν ὁ δεσποτης, οὐδε περιϊδειν κινδυνευον την ἀπ' αὐτου διαστασιν*, idcirco Dominus minime sibi faciendum putavit, *ut figmentum suum auxilio destitutum relinqueret, et periclitans ab eo separari despiceret. ἀλλ' ὥσπερ οὐκ ὀντας ὑπεστησεν, οὑτως ὑποσταντας ἀνεπλασε, πλασιν θειοτεραν τε και της πρωτης ὑψηλοτεραν . . . . ἱνα μη τῃ ἀπογνωσει χειρους γινομενοι, και ἀει προς το χειρον καταφερομενοι, τελεως ἐξω του καλου και της ἀρετης δἰ ἀπογνωσιν πιπτωμεν · μηδε εἰς κακων βαθος ἐμπεσοντες, ὁ δη λεγεται, καταφρονωμεν.* Quin potius quemadmodum nos primum creavit, *ita creatos instauravit ac refinxit, et quidem figmento diviniori, primumque figmentum superante . . . ; ne alioqui* ob desperationem peiores efficeremur, et in graviora quotidie flagitia ruentes, penitus tandem a summo bono atque a virtute *propter desperationem* laberemur. Atque ita *in profundum malorum*, ut Scripturae verbis (1) utar, *gurgitem prolapsi contemneremus*: verum potius, ut qui longum iter emetiuntur, in diversoriis interquiescunt, fessaque labore membra recreant, ita nos, quod superest viae, vegeti et impigri conficiamus ». Quibus gemina (2) docet, ubi rationem mosaicorum rituum explanans, inquit: » Nos ita existimamus. Quandoquidem per peccatum ab initio lapsi, atque voluptatis illecebra ad idolorum cultum nefariosque cruores surrepti fueramus, *ἐδει παλιν ἀνακληθηναι, και προς το ἀρχάιον ἐπαναχθηναι, δια σπλαγχνα ἐλεους θεου πατρος ἡμων, οὐκ ἀνασχομενου ζημιωθηναι τοσουτον ἐργον της οἰκειας χειρος τον ἀνθρωπον, per viscera misericordiae Dei Patris nostri, qui hominis, tanti manus suae opificii, iacturam facere non sustinuit, revocari ac in pristinum statum restitui oportebat.* Quonam igitur pacto illum reformari, quidve fieri decuit »? nimirum auctore Gregorio, decuit, ut multiplex variaque esset Dei in homines providentia, quae (3) a facilioribus incipiens ad perfectiora et ad ipsum usque Evangelium progrederetur.

(1) Prov. XVIII. 3.
(2) Orat. XLV. al. XLII. §. XII. p. 854.
(3) Ibid. §§. XII—XIII. pagg. 854. seqq.

CXC.

Quo tum progressa est, quum tandem conspicuus apparuit Unigenitus, nihilque praetermisit eorum quae a Patre in mandatis acceperat. « Quorum omnium, pergit (1) Gregorius, κεφαλαιον ἑν, ἡ ἐμη τελειωσις και ἀναπλασις, και προς τον πρωτον Ἀδαμ ἐπανοδος, hoc caput est, atque unus hic scopus, *mea perfectio et instauratio atque ad priorem Adamum reditus* ». Venit propterea Christus ut nova humani generis origo, ut *novus Adam*, omnesque, ne uno quidem excepto, servavit. Illud Gregorius tradit, quum (2) sensum expendens quo intelligi debeat futura (3) Christi subiectio, ait: « Quemadmodum salutis meae caussa *maledictum* (4) vocatus est, qui maledictionem meam solvit; et *peccatum* (5) qui mundi peccatum delet; και Ἀδαμ ἀντι του παλαιου γινεται νεος, *ac pro veteri Adamo* (6) *novus Adamus efficitur:* ad eumdem quoque modum contumaciam et rebellionem meam sibi adsciscit, *ut totius corporis caput.* Proinde quamdiu inobediens ipse sum atque turbulentus . . . . tamdiu inobediens quoque, quantum ad me attinet, Christus dicitur. Cum autem ei omnia subiecta fuerint, (subiicientur autem et per agnitionem et per immutationem) tum ipse quoque subiectionem impleverit, adducens me salutem consequutum ».. Posterius docet, quum recensitis (7) portentis, quae Christi mortem, quaeque resurrectionem comitata sunt, addit: « Οὐδεν δε οἱον το θαυμα της ἐμης σωτηριας. ῥανιδες αἱματος ὀλιγαι κοσμον ὁλον ἀναπλαττουσαι, και γινονται καθαπερ ὀπος γαλακτι πασιν ἀνθρωποις, εἰς ἑν ἡμας συνδεουσαι και συναγουσαι. Nullum tamen cum salutis *meae* miraculo conferendum est; in quo exiguae cruoris guttae *orbem universum* instaurarunt, atque idem, quod lacti coagulum, *omnibus hominibus* praestiterunt,

(1) Orat. XXXVIII. §. XVI. p. 674.
(2) Orat. XXX. al XXXVI. §. V. p. 542.
(3) I. Cor. XV. 28.
(4) Gal. III. 13.
(5) II. Cor. V. 21.
(6) I. Cor. XV. 45.
(7) Orat. XLV. al. XLII. § XXIX. pagg. 867 - 868.

in unum nos coniungentes et constringentes ». Quibns consona (1) scribit, ubi enumeratis iis, quae intra naturae fines hominibus universis communia sunt, enumerationem amplificans, addit: « Ut adhuc maiora proferam, *communem* existimo rationem, Legem, Prophetas, *αὐτα τα Χριστου παθη, δἰ ὧν ἀνεπλασθημεν, οὐχ ὁ μεν, ὁ δ' οὐ* (2), *παντες δε οἱ του αὐτου Ἀδαμ μετασχοντες, και ὑπο του ὀφεως παραλογισθεντες, και τῃ ἁμαρτια θανατωθεντες, και δια του ἐπουρανιου Ἀδαμ ἀνασωθεντες, και προς το ξυλον της ζωης ἐπαναχθεντες, δια του ξυλου* (3) *της ἀτιμιας ὁθεν ἀποπεπτωκαμεν, ipsos Christi cruciatus, per quos omnes citra ullam exceptionem instaurati sumus, qui eidem Adamo participavimus*, atque a serpente in fraudem inducti, et per peccatum morte affecti, *ac per caelestem Adamum saluti restituti,* atque ad vitae lignum, unde excideramus, per ignominiae lignum revocati sumus ». Unde homines universim omnes (4) vocat, *τους της αὐτης ζωης κληρονομους, ὑπερ ὧν Χριστος ὁμοιως ἀπεθανεν*, *eiusdem vitae heredes*, *et pro quibus Christus aeque mortuus est.* De iisdem vero (5) canit:

Εἱς νομος, εἱς δε θεος· κλησις μια· παντας ὁμοιως
Σωθηναι Χριστος σαρκ' ἀποδυσαμενους
Βουλεται.

» Una lex, unus Deus, vocatio eadem, omnes pariter salvos fieri Christus carne exutos vult ». Et (6) rursus:

Θεος βροτον οὐκ ἀθεριζει,
Ὡι θανεν, ὁν συνεγειρε, και ᾡ θεος ἱξεται αὐτις.

Deus *mortalem* non spernit, *cui mortuus est*, quem secum suscitavit, cuique iterum Deus veniet ». Quibus omnibus *reparationis universalitas* ea perspicuitate comprobatur,

(1) Orat. XXXIII. al XXV. §. IX. p. 609.
(2) Quatuor mss. habent, *ὁς δε οὐ non hic quidem, ille vero minime.*
(3) In veteri scholio, *δια του ξυλου*, idest, *του σταυρου.*
(4) Orat. XIX. al. IX. §. XIII. p. 372.
(5) Carm. XLIV. vv. 18—21. p. 917.
(6) Carm. III. ad Vitalianum, vv. 8—9. p. 1019.

ut monstri simile censeri debeat, si quis illa detorquere atque in alienos rapere sensus connitatur. Quod ne qui sibi sumant, iis Gregorius testimoniis praeterea efficit, quibus *oratione distributa singulos quoque* redemptos reparatosque depraedicat.

Ipso namque auctore *a*) uterque sexus, vir ac mulier parem a Christo misericordiam consequuti sunt. « Ἀμφοτέρους ait (1), *σωζει Χριστος τοις παθεσιν. ὑπερ ἀνδρος σαρξ ἐγενετο; τουτο και ὑπερ γυναικος· ὑπερ ἀνδρος ἀπεθανε; και ἡ γυνη τῳ θανατῳ σωζεται· Utrumque* Christus possione sua salute donavit. Pro *viro* caro factus est? pro *muliere* item. Pro *viro* mortem subiit? ipsius item morte *mulieri* salus parta est. »

Ipso auctore *b*) Christus (2) redemit *haereticos, τα ἀχαριστα κτισματα, ingratas creaturas*, et *ὑπερ ὡν δωρεαν ἀπεθανε, pro* quibus *gratis mortuus est.*

Redemit *c*) *scelestissimos quosque*, unde (3) Iulianum his verbis non tam alloquitur, quum acerbissime Gregorius increpat: « Tu ne adversus Christi sacrificium cum tuis piaculis? *συ κατα του τον κοσμον καθηραντος αἱματος, τοις σοις αἱμασι;* tu ne adversus eum cruorem, *quo mundus purgatus* est, cnm tuis cruoribus? tu ne bellum adversus pacem? *συ χειρα κατα της ὑπερ σου ἡλωθεισης τε και δια σε;* tu ne manum adversus eam, *quae et pro te et propter te clavis transfixa est* »?

Quin immo *d*) ne illos quidem praeteriit, a quibus ultimo supplicio affectus fuit. Etenim (4) *και ὑπερ των σταυρουντων αὐτων, et pro suis crucifixoribus lacrymas benignissime effudit.*

CXCI.

Tanta vero, tamque universali ac in omnes profusa misericordia propositum (5) Deo fuit « *πτερωσαι ψυχην, ἁρπα-*

(1) Orat. XXXVII. al. XXXI. §. VII, p. 650.
(2) Orat. XXXVIII. §. XIV. p. 672.
(3) Orat. IV. al. III. §. LXVIII. p. 198.
(4) Ibid. §. LXXVIII. p. 215.
(5) Orat. II. al. I. §. XXII. p. 23.

σαι κοσμου και δουναι Θεῳ, και το κατ' εἰκονα, ἠ μενον τηρησαι, ἠ κινδυνευον χειραγωγησαι, ἠ διαῤῥυεν ἀν ανασωσασθαι, εἰσοικισαι (1) τε τον Χριστον ἐν ταις καρδιαις δια του πνευματος· και το κεφαλαιον, Θεον ποιησαι, και της ἀνω μακαριοτητος, τον (2) της ἀνω συνταξεως, animae pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare, divinamque (3) imaginem, aut manentem conservare, aut periclitantem fulcire, aut dilapsam in pristinum statum revocare, Christumque per Spiritum in pectoris domicilium admittere: atque ut summatim dicam, eum qui superni agminis sit, *Deum efficere supernamque beatitudinem ipsi comparare* ».

Simus (4) igitur « ut Christus, quoniam Christus quoque sicut nos.*Efficiamur Dii* propter ipsum, quoniam ipse quoque propter nos homo. Assumpsit quod deterius erat, ut daret quod praestantius est. Egenus (5) factus est, ut illius nos inopia divites essemus. Servi (6) formam accepit, *ut libertatem* reciperemus. Descendit, ut eveheremur. Tentatus est, ut vinceremus. Contemptus est, ut nos gloria donaret. Mortuus est, ut salutem nobis afferret. Ascendit, ut peccati lapsu humi iacentes ad seipsum traheret. Omnia quispiam donet: omnia ei, qui seipsum redemptionis pretium pro nobis ac commutationem dedit, offerat: nihil autem daturus est tantum, quantum si se ipse obtulerit huius mysterii rationem probe intelligentem, ac propter illum omnia factum, quaecumque ipse propter nos factus est ». Quisquis autem mysterii rationem probe intellexerit, is perspiciet, universam Dei erga homines providentiam eo spectasse, ut omnes in integrum restituerentur, et ad pristinum cum divinitate consortium revocarentur. « Huc enim, inquit (7) Gregorius,

(1) Alludit ad Pauli verba, Ephes. III. 16—17, , et pro κατοικησαι quo utitur Apostolus, usurpat εἰσοικισαι, *facere ut inhabitet.*

(2) Ideo enim, animadvertente Elia, creatus fuit homo, *ut supernis ordinibus annumeraretur.*

(3) Gen. 1. 26.

(4) Orat. I. al. XLI. §. V. p. 5.

(5) II. Cor. VIII. 9,

(6) Philipp. II. 7.

(7) Orat. II. al. I. §. XXIII. pagg. 23—24.

magistra lex tendit: huc inter Christum Legemque interiecti prophetae: huc spiritalis legis (1) *consummator et finis Christus*. Huc exinanita deitas, huc assumpta caro: huc *ἡ καινὴ μίξις, θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἓν ἐξ ἀμφοῖν, καὶ δι' ἑνὸς ἀμφότερα*, nova illa mixtio, Deus inquam et homo, unum ex (2) utroque, et utrumque per unum. *διὰ τοῦτο θεὸς σαρκὶ διὰ μέσης ψυχῆς ἀνεκράθη, καὶ συνεδέθη, τὰ διεστῶτα τῇ πρὸς ἄμφω τοῦ μεσιτεύοντος οἰκειότητι· καὶ πάντα ὑπὲρ πάντων· ἦλθεν εἰς ἕν, καὶ ὑπὲρ ἑνὸς τοῦ προπάτορος· ἡ ψυχὴ διὰ τὴν παρακούσασαν· ἡ σὰρξ διὰ τὴν ὑπουργήσασαν καὶ συγκατακριθεῖσαν· ἡ μὲν, ψυχήν, ἡ δέ, σάρκα· ὁ Χριστὸς διὰ τὸν Ἀδὰμ τὸν γενόμενον ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν, ὁ κρείττων ἁμαρτίας καὶ ὑψηλότερος·* Ob hanc caussam Deus (3) animae interventu carni iunctus est, ac res inter se disiunctae atque dissidentes per interpositae rei cum utraque earum affinitatem et cognationem copulatae sunt; atque omnia propter omnia, et pro uno illo generis nostri principe in unum coierunt; anima nimirum propter eam, quae praecepto divino minime paruit, caro, propter eam quae animae cupiditati obsequuta est, simulque condemnata, illa propter animam, ista propter carnem; Christus denique propter Adamum, hoc est, propter eum qui sub peccato factus est, is qui peccato sublimior ac praestantior erat ».

Regnat igitur pietas, dominatur clementia, principes sibi partes misericordia vindicat, atque altero dumtaxat gradu suis armata poenis, suisque instructa flagellis iustitia succedit. Verum quos punit, aeternisque cruciatibus mulctat? illos ne *a*) quos Deus ex sese, suaque sponte suppliciis addi-

(1) Hebr XII 2.

(2) « Haec, inquit Elias cretensis, adversus haereticos gladius sunt utraque parte acutus; verba enim, *ἓν ἐξ ἀμφοῖν, unum ex ambobus*, Nestorianis qui unum Christum in duas hypostases dividunt, lethiferam plagam infligunt; verba autem, *δι' ἑνὸς ἀμφότερα, per unum ambo*, Severianos rursum qui duas in Christo naturas negant, easque in unam naturam contrahunt, aliosque non paucos feriunt ».

(3) Hanc formulam ecclesiastico usu solemnem rite explicant Petavius de Incarnat. lib. IV. cap, XIII., Thommasinus de Incarnat. lib. IV. cap. IX., et Gerdilius in notas Felleri ad prop LXI. synodi pistoriensis, §. III. pagg. 339. seqq. opp. T. XIV. edit. Romae 1809.

xerit? atqui Deus ex sese amor est, idque habet proprii ut in omnes sit beneficus. Illos ne *b*) quos communi praevaricatione obligatos neglexerit, atque in perdita massa deseruerit? atqui neminem neglexit, neminem sua ope privavit, omnibus spem salutis impertiit, omnesque refinxit. Illos ne *c*) quos novus Adam Christus non redemerit? atqui redemit universos, universos in libertatem asseruit, potestatemque universis contulit, qua victo peccato et caelesti similitudine recuperata, dii efficerentur.

Quos igitur tandem punit, iustitiaeque severitate condemnat? eos nimirum 1) punit iustitiaeque severitate condemnat, qui spretis misericordiae divitiis, sibi ipsis mortem exitiumque (1) consciscunt. « Etenim hic est *θεου κρισεως νομος, ἱν᾽ ἡ σωσῃ τῃ μετανοιᾳ ἡ κολασηται δικαιοτερον*, divini iudicii mos, ut vel per poenitentiam salutem afferat, vel iustiori titulo puniat».

In eos 2) animadvertit, qui vim illi prope inferunt, ut benignitate seposita, ad ulciscendum accedat. Recitatis namque prophetae (2) verbis, *quis scit, an convertetur et poenitentia ducetur, ac benedictionem relinquet*? subdit (3) Gregorius: « *οἰδα τουτο σαφως, ἐγω της του θεου φιλανθρωπιας ἐγγυητης· και ὁ παρα φυσιν ἐστιν αὐτῳ της ὀργης ἀφεις, ἐπι το κατα φυσιν χωρησει τον ἐλεον· εἰς ἐκεινο μεν γαρ ὑφ᾽ ἡμων βιαζεται, προς δε τουτο την ὁρμην ἐχει· και εἰ πατασσει βιαζομενος, πως οὐκ ἀνησει τῃ φυσει χρωμενος;* Ego vero id plane scio, ego divinae misericordiae sponsor. Nam certe missa facta ira, *quae ipsius naturae repugnat, ad misericordiam, quae ipsius naturae consentanea est*, se conferet. *Ad illud enim a nobis vi adigitur, ad hoc autem suapte natura fertur. Quod si vi ad id adactus percutit, quomodo propensionem sequutus non remittet*? tantum nosipsos commisereamur, *τοις δικαιοις του πατρος σπλαγχνοις ὁδον ἀνοιξαντες*, *piis patris visceribus viam aperientes* ».

(1) Orat. V. al. IV. §. XXVII. p. 164.
(2) Ioel II. 14.
(3) Orat. XVI. al. XV. §. XIV. pagg. 309—310

Eos denique (3) punit, qui (1) quum Deum, ὡς φως, *uti lucem cognoscere noluerint*, eumdem ὡς πυρ, *sicut ignem* certissime experientur. Quae sunt ipsissima Gregorii verba ab eo iterum (2) inculcata, dum ait: « ὀφθαλμου μεν γαρ ἀτονιαν ἡλιος, ψυχης δε ἀῤῥωστιαν ἐλεγχει θεος ἐπιδημων· και τοις μεν ἐστι φως, τοις δε πυρ, ἑναστῳ κατα την ὑποκειμενην ὑλην τε και ποιοτητα. Sicut enim sol oculorum imbecillitatem prodit, ita Deus animae infirmitatem praesentia sua coarguit; atque aliis quidem lux, aliis ignis est, *unicuique secundum subiectam materiam et qualitatem* ».

CXCII.

Sed iam ad alterum Gregorium venio, Nyssae antistitem, ingenii subtilitate nulli secundum, Theodoriti, Socratis, Photii, aliorumque ellogiis insignem, relatisque pro re catholica contra Eunomium et Apollinarium victoriis clarissimum. Is autem ubi verba expendit dominicae orationis, *fiat voluntas tua*, sic prorsus (3) habet: θελημα δε θεου ἡ σωτηρια των ἀνθρωπων ἐστιν, *voluntas autem Dei salus hominum est*. Sed *omnium* ne, an dumtaxat *aliquorum*? et si *omnium*, cuiusmodi voluntate illorum Deus cupit ambitque salutem? *sterili* ne et *infecunda*, an *efficaci* potius et *actuosa*? testimonia quae subiicimus, difficultates omnes praecident.

De consilio itaque Gregorius (4) disserens conscripti Cantici Canticorum, *per ea*, inquit, *quae hoc libro continentur, ornatur quodammodo anima tamquam sponsa, ad incorpoream et spiritalem materiaeque expertem Dei coniunctionem*. Tum e vestigio (5) addit: « ὁ γαρ παντας θελων σωθηναι, και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν, τον τελειοτατον ἐνταυθα και μακαριον της σωτηριας ὑποδεικνυσι τροπον, τον δια της ἀγαπης λεγω. Qui enim vult *omnes* salvos esse, et ad agnitio-

(1) Orat. XXI. §. II. p. 387,
(2) Orat. IX. al. VII. §. II. p. 235.
(3) De orat. dominic. Serm. IV. p. 741. opp. T. I. edit. Paris. 1615.
(4) In. Cantic. Homil. I. pagg. 474—475. opp. T. I.
(5) Ibid. p, 475.

nem veritatis venire, ostendit heic perfectissimum beatumque modum salutis, eum dico qui fit per caritatem. Nam nonnullis conciliatur salus etiam δια φοβου, *per timorem*, quando intuentes minas supplicii gehennae, του κακου χωριζομεθα, *separamur a malo*. Sunt etiam aliqui οἱ και δια την ἀποκειμενην τοις εὐσεβως, βεβιωκοσι τον μισθον, ἐλπιδα την ἀρετην κατορθουντες, οὐκ ἀγαπῃ το ἀγαθον, ἀλλα τῃ προσδοκιᾳ της ἀμοιβης κατακτωμενοι, *qui propter spem mercedis repositam iis qui pie vixerint, se recte ac ex virtute gerunt,* non caritate bonum possidentes, sed exspectatione remunerationis ». Quibus confirmandis (1) insistit, ubi explanans verba, *osculetur me osculo oris sui*, ait: « Quoniam oportet ut is ad aquam os admoveat, qui potum ex fonte attrahit: fons autem est Dominus qui (2) dixit, *si quis sitit, veniat ad me et bibat*; propterea anima vult ori vitam scaturienti os suum admovere, dicens: *osculetur me osculo oris sui*: και ὁ πασι την ζωην βρυων, και παντας σωθηναι θελων, οὐδενα βουλεται των σωζομενων του τοιουτου φιληματος εἰναι ἀμετοχον· καθαρσιον γαρ ἐστι ῥυπου παντος τουτο το φιλημα, *et qui omnibus* scatere *facit vitam, et vult omnes esse salvos, neminem vult eorum qui salvi fiunt esse expertem huius osculi*: est enim eius osculum detersio cuiusvis sordis ». Voluntas ergo salutifera *a*) ex bonitate prodit, *b*) universalis est, ac redundantis instar fontis *c*) omnes suis aquis irrigat, tergit ac mundat.

Quare Apollinarium de Christo scribentem, *eum quidem in potestate aequalitatem cum Patre obtinere*, και την κατα σαρκα της ἐνεργειας διαιρεσιν, καθ' ἡν οὐ παντας ἐζωοποιησεν, ἀλλα τινας, οὑς ἠθελησεν, *et distinctionem operationis secundum carnem, qua non omnes vivificavit, sed nonnullos quos voluit*; his verbis (3) Gregorius refutat. « Nos simplicem et obvium ex divina Scriptura sensum desumentes, ita de eius dictis statuimus, ut cum Dominum ita loquentem (4) audi-

(1) In Cantic. Homil. I. p. 183.

(2) Ioh. VII.

(3) Antirrhetic. Adver. Apollinarium, §. XXIX. pagg. 543—544. apud Gallandium, T. VI.

(4) Ioh. V. 21.

mus, *Pater suscitat mortuos et vivificat et Filius quos vult vivificat*, οὐχ ὡς τινων ἀποβαλλομενων του ζωοποιου θεληματος, ἐκ τουτου νοουμεν, haec non sic accipiamus, *ac si aliqui a vivificante voluntate reiiciantur*. Sed quoniam omnia quae Patris sunt, Filii quoque esse accepimus et credimus; ideo et Patris voluntatem, tamquam illorum omnium unum, in Filio conspicimus. Si igitur in Filio Patris voluntas est; Pater autem, quemadmodum ait (1) Apostolus, *omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*; profecto qui cuncta Patris possidet, totumque in seipso Patrem habet, omnino una cum ceteris Patris sui bonis, in seipso salvandi etiam voluntatem habet. Si itaque hac perfecta voluntate non caret, manifestum prorsus est, eos omnes quos Pater vivificari vult, ipsum quoque vivificare, et benefica in homines voluntate Patre inferiorem non esse, ut Apollinarius censet dum ait, ὅτι τινας ἠθελησεν, οὐ παντας ζωοποιηθηναι, *non omnes sed aliquos tantum* salvari voluisse. οὐ γαρ παρα την του κυριακου θεληματος αἰτιαν οἱ μεν σωζονται, οἱ δε ἀπολλυνται· ἠ οὑτω γ' ἀν εἰς ἐκεινο ἐπανιοι ἡ των ἀπολλυμενων αἰτια· ἀλλα παρα την προαιρεσιν των δεχομενων τον λογον, συμβαινει το σωζεσθαι τινας, ἠ ἀπολλυσθαι. *Neque enim divina voluntas in caussa est, cur alii salventur, alii vero pereant*: alioquin ad illam voluntatem, tamquam ad caussam, horum perditio referenda esset; *sed ex libera voluntate suscipientium verbum, alios salvari, alios perire contingit* ». Erat itaque in quo Gregorius et Apollinarius convenirent, erat in quo dissiderent. In eo *a*) conveniebant, quod uterque Deo Patri *voluntatem salutiferam, eamdemque universalem* tribuerent. At in eo *b*) dissidebant, quod Apollinarius non aliam Christo salutiferam voluntatem assereret, *quam circumscriptam et aliquorum dumtaxat ambitu comprehensam*. Hanc *c*) propriam Apollinarii opinionem Gregorius oppugnat, et Patri iuxta ac Filio unam eamdemque voluntatem adscribit: neque *d*) adscribit tantum, verum *caussam* praeterea adsignat, cur *universalis* existimari debeat: ne videlicet *e*) secus mortis damnationisque ratio non *in homines* acceptis donis, suaque libertate

(1) I. Tim. II. 4.

abusos, sed *in Deum* qui ex iis aliquot neglexerit, refundatur. Quod fieri citra gravissimum manifestumque errorem non potest. Sicut enim Deus neminem spernit, omniumque vitam salutemque cupit; ita (1) *super omnes benignitatem suam perpetuo effudit.*

CXCIII.

Propterea in hunc mundum venit, nostramque induit naturam, ut *non unius alteriusve aut etiam* plurimorum, sed ut *hominum prorsus omnium* Salvator esset ac Redemptor. Quod adductis (2) verbis, *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius*, Gregorius (3) explanat scribens: « Ob solam bonitatem Deum glorificare iubet; hoc videlicet significans, quod quidquid boni et salutis a Deo mortalibus venit, id universum venerit *gratia et bonitate illius*, οὐδεμιαν ἡμων αἰτιαν προς το ἀγαθον παρασχομενων, *quum in nobis nulla eius accipiendi caussa inesset.* E contrario, quum nos omni improbitatis genere obruti fuimus, ἐκεινος της ἰδιας οὐκ ἐξισταται φυσεως· ἀλλ' ὅπερ ἐστι, τουτο ποιει· οὐδε γαρ εἰκος ἠν τον ἀγαθον τῃ φυσει ἀλλο τι παρ' ὁ πεφυκεν, ἐνεργησαι, ipse *a natura sua* nequaquam descivit, sed id quod est, egit: neque enim decet eum *qui natura bonus est*, aliud quam quod ex natura sua est, agere. *Dicant* inquit, *qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos. A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari.* την παντελη του γενους των ἀνθρωπων προς το ἀγαθον ἐπανοδον ὁ λογος εὐαγγελιζεται. Perfectum consummatumque *humani generis* ad bonum reditum pollicetur oratio. ἡ γαρ λυτρωσις, την ἀπο της αἰχμαλωσιας ἀνακλησιν ἑρμηνευει τῳ ῥηματι. ὁ δε θεος λυτρον δεδωκεν ἑαυτον ὑπερ των κεκρατημενων ὑπο του θανατου τῳ το κρατος ἐχοντι του θανατου, και ἐπειδα παντες ἠσαν ἐν τῃ του θανατου φρουρᾳ παντας δηλονοτι ἐξωνειται τῳ λυτρῳ, ὡς μηδενα καταληφθηναι τῃ

(1) In psalmos, Tract. I. cap. IX. p. 289. opp. T. I.
(2) Ps. CVI.
(3) In psalmos, Tract. I. cap. VIII. pagg, 279—280.

δυναστεια του θανατου μετα την γινομενην του παντος απολυτρωσιν. Redemptio enim *reductionem ex captivitate* significat. Dedit vero Deus pretium redemptionis seipsum *pro iis qui a morte capti tenebantur*, deditque illi, qui in mortem ius habebat; et quum *omnes*, sub mortis potestate fuerint, *omnes* pretio inde redemit, ita ut *nullus* sub imperio mortis relinquatur *post generalem omnium liberationem.* Neque enim fieri potest, ut quis morti subiaceat, morte iam abolita penitusque sublata. Ob id quadripartito toto terrarum orbe secundum situm diviso, *ούδεν ό λογος ύπελειπετο μερος της θειας λυτρωσεως άμοιρον*, *nullam partem divinae redemptionis expertem mansisse Scriptura docet.* Ait enim, *ab ortu solis et occasu, ab aquilone et mari*: maris nomine australi plaga designata. *έν κεφαλαιῳ τοινυν την του θεου προεκθεμενος εύποϊαν, ής έπι πασης την άνθρωπινης ένηργησε φυσεως, μετα τουτο διασκευαις τισιν την τε προς το κακον άποῤῥοην των άνθρωπων έκδιηγειται.* Summatim igitur *exposita Dei super omnes homines effusa beneficentia*, postea artificiis quibusdam hominum ad malitiam deerrationem, et uniuscuiusque ad rectiorem viam reductionem explanat ». Simillimis plane coloribus universalem Gregorius redemptionem depingit, quum ad parabolam (1) illius ovis respiciens, quae a communi grege devia abscessit, initio (2) ait : « Fuimus et nos quoque aliquando in numero universorum ; referebamur enim in catalogum ovium ratione praeditarum sacri centenarii. Postquam autem a montanis pascuis aberravit ovis una, nempe nostra natura, per vitium ad hunc aridum incultumque locum abstracta, non amplius commemoratur idem numerus in grege earum quae non aberrarunt, sed nominantur nonaginta et novem ». Tum illico (3) subdit : « *ήλθεν ούν ζητησαι και σωσαι το άπολωλος, και έπι των ώμων άναλαβον άποκαταστησαι τοις ούσι το τη ματαιοτητι των άνυπαρκτων έναπολλομενον, ίνα παλιν άρτια γενηται ό της κτισεως του θεου άριθμος, άποσωθεντος του άπολωλοτος τοις μη άπολ-*

(1) Luc. XV.
(2) In Ecclesiasten, Hom. II. pagg. 389—390. opp. T. I.
(3) Ibid. p. 390.

λυμενοις. Venit ergo ad quaerendum servandumque *quod perierat*, et assumptum in humeros, iis quae sunt *restituendum id quod peribat in vanitate eorum quae non sunt*, ut rursus fieret integer Dei creaturae numerus, *conservato eo quod perierat, iis qui non pereunt* ».

Unde quaestione (1) proposita, *quid caussae extiterit, ut Deus assumpta carne ad tantam se deiecerit humilitatem*, continuo (2) reponit: « Nobis ad haec minime deest quae Deum deceat responsio. Quaeris caussam, cur Deus genitus sit inter homines? si a vita seiunxeris quae a Deo accepta sunt beneficia, dicere non poteris ex quibusnam rebus Deum agnosces. Ex iis enim quae accipimus, benefactorem agnoscimus. Ad ea enim quae fiunt aspicientes, per ea eius qui agit naturam reputamus. ει ουν ιδιον γνωρισμα της θειας φυσεως ἡ φιλανθρωπια, ἐχεις ὁν ἐπεζητησας λογον, ἐχεις την αἰτιαν της ἐν ἀνθρωποις του θεου παρουσιας. Si ergo *proprius divinae naturae character est adversus homines benevolentia*, habes rationem quam quaerebas, habes caussam cur Deus inter homines apparuerit. Opus enim habebat *medico* natura nostra, quae *morbo* laborabat: opus habebat *eo qui erigeret, homo qui ceciderat*: opus habebat *eo qui vivificaret, qui a vita exciderat*: opus habebat *eo qui ad bonum reduceret, qui defluxerat a boni participatione*: egebat *lucis praesentia* qui erat inclusus *in tenebris*: quaerebat *redemptorem captivus, adiutorem vinctus, liberatorem is qui iugo premebatur servitutis*. ἀρα μικρα ταυτα και ἀναξια τον θεον δυσωπησαι προς ἐπισκεψιν της ἀνθρωπινης φυσεως καταβηναι, οὑτως ἐλεεινως και ἀθλιως της ἀνθρωποτητος διακειμενης; Haec ne sunt parva et indigna quae Deum moveant, ut descendat ad humanam visitandam naturam, *quum adeo infeliciter et miserabiliter affecta esset humanitas* »? qua humanitatis miseria (3) iterum descripta, eiusque patefacta origine, pergit: « Quaere mihi simul omnia quae conveniunt iis quae de Deo sentiuntur, bonitatem, sapientiam, iustitiam, potentiam, incorruptionem,

(1) Orat. catechetich. cap. XIV. p. 500. opp. T. II.
(2) Ibid. cap. XV. p. 501.
(3) Ibid. cap. XXII. p. 510.

et si quid est praestantioris significationis. *Tamquam bonus ergo movetur misericordia eius qui ceciderat: et tamquam sapiens non ignorat modum revocationis* ». Sic vero illam exequitur, ut nulla, Gregorio (1) auctore, vel cogitari animo, vel efferri verbis possit divina perfectio, quae in opere restituti humani generis splendidissime non refulgeat. Prae ceteris tamen misericordia emicat, cuius infinitam amplitudinem in Protreptico περι μετανοιας pluribus (2) explanat, ac tandem (3) addit: « Ego autem et Judam Iscariotam existimo, nisi suipsius carnifex esse properasset, facinus suum gravius putans, quam ut sibi posset ignosci, sed supplex veniam petiisset; οὐκ ἂν των οἰκτιρμων των πασης ὑπερχεομενων της οἰκουμενης ἠστοχησεν, *eius misericordiae, quae per totum orbem erat diffusa, non fuisse expertem futurum.* Cui quidem rei testimonio sunt iudaei illi, qui cum Christum cruci suffixissent, credentes, baptismo mentes simul et manus abluerunt. Quod si illi qui Christum in crucem egerant, misericordiam sunt consequuti; et ipse profecto qui illum prodiderat, veniam impetrasset ».

His autem et fons redemptionis aperitur, et eius amplitudo ostenditur, et multiplex efficacia declaratur. Et ad fontem quod spectat, non alius *a*) proponitur, quam nativa Dei bonitas, et inexhausta adversus homines clementia, quae sibi, suisque partibus ne tum quidem defuerit, quum hominum genus a Deo praevaricatione rebellavit. Illius autem *b*) amplitudo, eaque universalis non uno nomine significatur. Significatur enim 1) *disertis formulis*, quibus vel *reparatio* dicitur *generalis*, vel *omnes* redempti restitutique perhibentur. Significatur 2) *formulis aequivalentibus*, quum ii ipsi reparati dicuntur *qui lapsi erant*, *qui a vita exciderant*, *qui a boni consortio defluxerant*, *qui in tenebris versabantur*, *quique servitutis iugum trahebant*. Hi enim sunt *omnes*, ac nemo prorsus est, qui ad hunc numerum non pertineat. Significatur 3) *negantibus sententiis*, quibus a consortio tanti beneficii *nemo* exclusus reiectusque docetur. Significatur 4) *oratione distributa*, qua omnes *ab ortu solis usque ad ocea-*

(1) Ibid. capp. XXIII. seqq. pagg. 511. seqq.
(2) Orat. de poenit. pagg. 166—168. in appendice a Gretsero edita.
(3) Ibid. pagg. 168—169.

sum, et *ab aquilone ad australem usque plagam* reparati exhibentur. Significatur 5) *eo loquendi genere*, quod *a maiori ad minus* appellamus. Si enim *vel perditissimos*, *ipsumque Judam* Servator redemit, ecquemnam tandem redemptionis expertem arbitrabimur? neque illud 6) ad infinitam amplitudinem stabiliendam levioris momenti videri debet, quod princeps reparationis caussa in Dei *φιλανθρωπιαν* referatur. Haec enim *homines ipsos* respicit, illosque propterea omnes complectitur, qui *hominis natura* continentur.

De efficacia tandem *c*) universalis redemptionis nihil iis quaeri splendidius debet, quibus ea cum *pharmaco*, cum *luce*, cum *libertate*, cumque *vita* comparatur.

CXCIV.

Atque huic virtuti, supernaeque efficaciae tribui debet, quod hominum nemo miserrima pereundi necessitate detineatur. « Declarans psalmorum auctor, inquit (1) Gregorius, finem oeconomiae a Domino susceptae, canit: *nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minus in inferno habitasset anima mea. ἡ γαρ βοηθεια του κυριου, ούκ άφηκεν ἡμας του ᾁδου παροικους εἰναι.* Auxilium enim Domini non permisit nos inferni incolas esse ». Immo nobis omnibus libertatem contulit, qua sempiterna beatitate potiremur. « Non enim (2) Deus naturam redegit in servitutem, *ὃς γε και αὐθαιρετως ἡμας τῃ ἁμαρτιᾳ δουλωθεντας εἰς ἐλευθεριαν ἀνεκαλεσατο, qui etiam sua sponte nos peccati servituti addictos, in libertatem revocavit* ». Revocavit autem cum aliis donis, tum ope in primis suaeque gratiae auxilio, quod omnibus impertit. « Auctor namque (3) est Dominus (4) in Evangelio, quod qui verbum seminat, non solum in bono corde seminat, sed etiam si sit quispiam lapidosus, et si spinis luxuriet, et si sit iuxta viam et conculcatus, *πασιν ἐπι φιλανθρωπιας ἐπιβαλ-*

(1) In psalmos, cap. VIII. p. 313. opp. T. I.
(2) In Ecclesiasten, Hom. III. p. 406. opp. T. I.
(3) In Cantic. Hom. II. p. 493. opp. T. I.
(4) Matth. XIII. Luc. VIII. Marc. IV.

λει του λογου τα σπερματα, omnibus ob benignitatem iacit verbi semina ».

Unde impeditum esse non potest iis obviam ire, qui christianam veritatem, referente (1) Gregorio, hac ratione oppugnabant: « Cur non ad omnes venit gratia, sed quum aliqui ad verbum Dei accesserint, non parva pars sit eorum qui desunt? an quod Deus noluerit omnibus impertire beneficium, aut omnino non potuerit? atqui neutrum reprehensione caret: neque enim Deo convenit aut noluisse quod bonum est, aut non potuisse, quod voluerit. *εἰ οὖν ἀγαθον τι ἡ πιστις, δια τι οὐκ ἐπι παντας ἡ χαρις;* si ergo aliquid boni est fides, cur non ad omnes venit gratia »? nimirum, subdit (2) ille: « Si hoc a nobis adstrueretur, divina voluntate sic hominibus fidem distribui, ut alii quidem vocarentur, ceteri autem essent expertes vocationis; opportune huiusmodi reprehensio obiiceretur mysterio. *εἰ δὲ ὁμοτιμος ἐπι παντας ἡ κλησις, οὔτε ἀξιας, οὔτε ἡλικιας, οὔτε τας κατα τα ἐθνη διαφορας διακρινουσα* · (*δια τουτο γαρ παρα την πρωτην ἀρχην κηρυγματος, ὁμογλωσσοι πασι τοις ἐθνεσιν οἱ διακονουντες τον λογον ἐκ θειας ἐπιπνοιας ἀθροως ἐγενοντο, ὡς ἀν μηδεις των ἀγαθων ἀμοιρησειε* ·) *πως ἀν κατα το εὔλογον ἐτι τον θεον αἰτιωντο, των μη παντων ἐπικρατησαι τον λογον; Si autem pariter ad omnes procedit vocatio, neque dignitatem, neque aetatem, neque gentium discernit differentiam;* (propterea enim in primo praedicationis initio, divina inspiratione, unius et eiusdem linguae cuius gentes omnes, repente facti sunt qui verbum ministrabant, ut nemo esset bonorum expers) *quemadmodum fuerit consentaneum, ut Deum adhuc accusent, quod verbum non in omnes dominatum obtinuerit?* nam qui in omnes liberam habebat potestatem, *δἰ ὑπερβολην της εἰς τον ἀνθρωπον τιμης, propter eximium honorem quem delatum homini voluit*, dimisit etiam aliquid in nostra potestate, *οὗ μονος ἑκαστος ἐστι κυριος, cuius unusquisque* nostrum *solus est dominus*. Hoc autem est liberi arbitrii libera electio, quae subiici nequit,

(1) Orat. catechet. cap. XXX. p. 522. opp. T. II.
(2) Ibid. pagg. 522—523.

et sui iuris est in libertate mentis et cogitationis sita. Itaque in eos qui ad fidem adducti non sunt, criminatio multo iustius transferri queat, non in eum qui vocavit ad consensionem ».

Hoc pacto difficultate expedita, alteram (1) proponit, qua nonnullis mos erat dicere: Deum posse, si velit, eos etiam qui resistunt *necessario* compellere et attrahere ad praedicationem suscipiendam ». Scite « sed ubi iam in his *το αὐτεξουσιον; που δε των κατορθουντων ὁ ἐπαινος; liberum arbitrium? ubi laus eorum qui se recte gerunt?* est enim solum inanimorum, aut expertium rationis, aliena voluntate ad id quod videtur adduci. Rationis autem particeps et intelligens natura, si liberum amiserit arbitrium, simul etiam perdit donum intelligentiae. Quo enim bono sua utetur mente ac cogitatione, si potestas eligendi, quod suo arbitratu constituit, sita est in alio? si manet autem inefficax et nullius usus libera animi electio, necessario etiam abolita est virtus. Si non sit autem virtus, honore privata est vita, fatum dominatur, ablata est laus eorum qui recte se gerunt, peccare cuivis impune licet, vitae instituendae discrimen nullum superest . . . . *οὐκουν οὐ της ἀγαθοτητος του θεου το ἐγκλημα, το μη πασιν ἐγγενεσθαι την πιστιν, ἀλλα της διαθεσεως των δεχομενων το κηρυγμα. In Dei ergo bonitatem culpa non est conferenda, quod non in omnibus fuerit fides; sed in dispositionem eorum, qui verbi praedicationem audiunt* ». Distinguatur ergo diligenter *a necessitate potestas*, tum, Gregorio praeeunte, rationes ita subducantur. Originali praevaricatione a Deo descivit hominum genus, et facultate amissa consequendae salutis, in acerbissimam pereundi necessitatem offendit. Sed praesto fuit divina clementia, medicinam aegris adhibuit, lapsos erexit, ac virtute Redemptoris ferream catenam diffregit. Verum quo exitu? eo ne ut *necessitas necessitati* sufficeretur, ac homines ad salutem *necessitate inducta* proveherentur? alienissimum id est a Dei sapientia, et a libera ac *morali* hominum natura quam quod maxime abhorret. Ergo *universali necessitati universali* con-

(1) Orat. catech. cap. XXXI. p. 523. opp. T. II.

sultum est *potestate*, qua erecti confirmatique homines possint, si velint, pristinam dignitatem repetere, aeternaque cum Deo beatitate potiri. Quod paucissimis quidem verbis, sed omnino dignissimis quae nunquam ex animo elabantur, nyssenus (1) significavit, scribens: *οὐ κοινη βασιλεια, και γεεννα κοινη; numquid non est commune regnum, et gehenna communis?*

CXCV.

Sic plane est, quemadmodum etiam Basilius Gregorii nysseni frater, Gregorio nazianzeno amicitia coniunctissimus, summisque omnium (2) laudibus cumulatus frequenter tradit, disertisque sententiis contestatur. Quas inter ea est praeclarissima, quam his subiicit psalmorum (3) verbis: *quoniam ira in indignatione eius, et vita in voluntate eius.* Primum enim *iram ab indignatione* secernendam esse monens (4), inquit: « Indignatio est iudicium de infligendis merenti certis quibusdam tristibus; ira vero labor et supplicium, quod a iusto iudice pro iniustitiae mensura iam infertur ». Mox (5) propositum discrimen exemplo illustrans, scribit: « Medicus si quam partem inflammatione affectam, et sanie occulta refertam observaverit, incisionem iudicat esse aegrotanti necessariam. Illud Scriptura *indignationem* vocat. Sed post prolatam a medico de afferendo remedio *sententiam*, *actio* tandem sequitur, qua quod decretum est, perficitur, ferrumque quod incidit, et dolorem parit incisionem patienti, adhibetur. Illud *ira Dei* appellatum est ». Tum ad commentarium (6) progressus, ait: « Venias ergo ad propositum, et huius sententiae consequentiam invenies: *quoniam ira in*

(1) In Ecclesiasten, Hom. III. p. 407. opp. T. I.

(2) Cf. Hieronymum, de Scriptor. eccles. cap. CXVI., Socratem H. E. lib. IV. cap. XXVI., Cassidorium de institut. div. litterarum, cap. I. et Photium, Codd. CXLI. et CXCI.

(3) Ps. XXIX. 4.

(4) Hom. in Ps. XXIX. n. 4. p. 127. opp. T. I. edit. Paris. 1721.

(5) Ibidem.

(6) Ibidem.

indignatione eius. τιμωρια, κατα το δικαιον κριμα του θεου· ζωη δε ἐν τῳ θεληματι αὐτου. τι οὐν φησιν; ὁτι ὁ μεν θελει ὁ θεος τουτο ἐστι, παντας μετεχειν αὐτου της ζωης· τα δε περιστατικα, οὐχι τῳ θεληματι αὐτου ἐνεργειται, ἀλλα τῃ ἀξιᾳ των ἡμαρτηκοτων ἐπαγεται. την μεν οὐν ζωην ὁ θεος τῳ ἰδιῳ θεληματι ἑκαστῳ χαριζεται, την δε ὀργην αὐτος ἑκαστος ἑαυτῳ θησαυριζει ἐν ἡμερᾳ ὀργης και ἀποκαλυψεως και δικαιοκρισιας του θεου. Poena, secundum iustum Dei iudicium: vita vero in voluntate eius. Quid ergo dicit? quod Deus vult, huc redire, *ut vitae eius sint participes omnes.* Mala autem *non eius voluntate* fiunt, sed *merito eorum* qui peccaverunt, inferuntur. *Vitam* igitur cuique Deus *propria voluntate* tribuit: *iram* vero *sibi quisque congerit* in die irae, et revelationis, et iusti iudicii Dei ».

Quibus *solemnis* continetur *partitio divinae voluntatis in primam et secundam*: utriusque *origo* et *obiectum* aperitur: ac *universalis amplitudo*, quae propria illius est, perspicue declaratur. Quo ea itidem pertinent, quibus huic (1) interrogationi, *quid est, quod dicitur* (2) *ab Apostolo*: ut probetis quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta: Basilius (3) occurrit, inquiens: « πολλα ἐστιν, ἁ ὁ θεος θελει· τα μεν ἐν μακροθυμιᾳ και χρηστοτητι, ἁπερ ἀγαθα ἐστι τε και λεγεται· τα δε κατ᾽ ὀργην δια τας ἁμαρτιας ἡμων, ἁπερ κακα ὀνομαζεται. ἐγω γαρ εἰμι, φησιν, ὁ ποιων εἰρηνην, και κτιζων κακα. κακα δε, οὐχ ὑπερ ὡν κολαζομεθα, ἀλλα δι᾽ ὡν παιδευομεθα. τα δε παιδευοντα και δια της κακωσεως εἰς ἐπιστροφην ἀγοντα, γινεται εἰς ἀγαθον. ὁσα μεν οὐν μακροθυμων και χρηστευομενος θελει ὁ θεος, ταυτα και ἡμας και θελειν και μιμεισθαι ἀναγκαιον . . . ὁσα δε κατ᾽ ὀργην δια τας ἁμαρτιας ἡμων ἐπαγει, ταυτα κακα λεγομενα, ὡς εἰπον, τῳ λογῳ της κακωσεως οὐ παντως και ἡμιν ἐξεστι ποιειν. Multa sunt, quae vult Deus: *alia quidem per tolerantiam et benignitatem,* quae et *bona* sunt et vocantur: alia vero *per iram ob peccata no-*

(1) Regulae brevius tractatae, interrogat. CCLXXVI. p. 511. opp. T. II.

(2) Rom. XII. 2.

(3) Respons. ad interrogat. CCLXXVI. pagg. 511—512.

stra, quae nominantur *mala*. Ego enim sum, inquit (1), qui facio pacem, et creo mala. Mala autem *non propter quae punimur*, sed *per quae erudimur*. Porro quae erudiunt, et per afflictationem ad conversionem ducunt, *cedunt in bonum*. Quaecumque igitur Deus vult *uti tolerans et benignus*, haec et nos velimus, imitemurque necesse est . . . . Quaecumque vero *peccatorum nostrorum caussa per iram inducit*, quae uti iam dixi, ideo appellantur mala, quod molestiam afferant, ea facere nobis nullo modo licet ».

Ut igitur quid *de divina voluntate* tenendum sit, rite assequamur, multiplici opus est accurataque distinctione. Ac principio *a*) ab iis bonis, *quae bona sunt et vocantur*, duplex (2) secerni debet malorum genus, tum eorum *propter quae punimur*, quaeque *peccata* sunt, cum eorum *per quae affligimur*, quaeque *poenarum ambitu* continentur. Hac vero distinctione praestituta, animadverti *b*) debet, *inesse* quidem Deo voluntatem *sive bonorum*, *sive eorum etiam malorum*, quae ideo mala audiunt, quod molestiam creant; *sed ab ipso longissime abesse eorum malorum voluntatem* (3), quibus Deum offendimus, dignique reddimur qui poenis plectamur. Quare *c*) *pro duplici obiecto duplex* Deo adscribenda est *voluntas*, altera quae *circa bonum*, altera quae *circa poenae malum* versatur. Quae duplex voluntas *d*) non *obiecto* solum, verum etiam *origine*, *amplitudine* ac *modo habituque tendendi* secernitur. Prior namque voluntas, quae ἴδιον θέλημα, μακροθυμια και χρηστοτης, *propria voluntas*, *longanimitas et benignitas* nuncupatur, Deo *ex sese* inest, *ab in-*

(1) Is. XLV. 7.

(2) Quae malorum distributio nihil habet commune cum proscriptis Baii, Quesnellique sententiis, quibus *afflictiones omnes ex peccatis, ceu unica propriaque caussa repetendas esse* docuerunt. Huius enim doctrinae virus in eo totum situm est, quod damnatae propositiones, ut in Scholis loquimur, *excludentes* sunt, omnemque a peccatis diversam afflictionum caussam reiiciunt. Cf. De Rubeis in Tract. Theolog. de peccat. orig. cap. XLIII.

(3) Quod Basilius integra demonstrat homilia, quae inscribitur, ὅτι οὐκ ἔστιν αἴτιος των κακων ὁ θεος, quaeque habetur opp. T. II. pagg. 72—83.

situ eiusdem bonitate proficiscitur, *neminem* excipit, *omnesque, utpote animatas suimetipsius imagines*, *benefica propensione complectitur*. At vero *e*) posterior, quae voluntas κατ᾽ ὀργὴν dicitur, eiusmodi est quam *sibi quisque* conciliat, quae διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν Deo *advenit*, ad ipsum ἔξωθεν accedit, efficitque ut Deus *ad peccantes habitu personaque iudicis referatur*. Quamdiu tamen *f*) mortalem hanc vitam degimus, eo usque *longanimitate ac benignitate* temperatur, ut nisi nos refragemur, *in commodum tandem nostrum cedat, eoque spectet*, ut διὰ τῶν κακώσεων, *per afflictiones* εἰς ἐπιστροφὴν, *ad conversionem* prope ingratiis adducamur.

CXCVI.

In praesenti namque vita regnant, sibique principatum vindicant bonitas et clementia, ipsaque iustitia utriusque naturam induit, faciemque praesefert. Quod insigniter a Basilio (1) dictum legimus, quum verba explanans, *diligit misericordiam et iudicium Dominus*, scribit: « Si separatim et secundum se Dei iudicium foret, ita ut nobis severe pro meritis eorum quae egimus, rependeret, quae spes superesset? quis ex omnibus salvus fieret? nunc autem *diligit misericordiam et iudicium*. Postquam misericordiam velut sibi assidentem et ante regium iudicii thronum stantem constituit, ita singulos adducit in iudicium. *Si* (2) *iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit?* neque misericordia sine iudicio, neque iudicium sine misericordia. πρὸ τῆς κρίσεως οὖν, ἀγαπᾷ ἐλεημοσύνην· καὶ μετὰ τὴν ἐλεημοσύνην, ἔρχεται ἐπὶ τὴν κρίσιν. *Ante iudicium igitur diligit misericordiam, et post misericordiam venit ad iudicium*. Haec autem inter se coniuncta sunt: misericordia cum iudicio, ne aut misericordia sola mollitiem pariat, aut iudicium solum afferat desperationem. *Vult tui misereri iudex*, *teque miserationum suarum facere participem*, si modo post peccatum repererit te humilem, contritum, prava opera multum deplo-

(1) Hom. in Ps. XXXII. n. 3. pagg. 134—135. opp. T. I.
(2) Ps. CXXIX. 3.

rantem, ac ea quae clam facta sunt evulgantem citra pudorem, rogantem fratres tibi ut sint adiumento ad accipiendam medelam . . . . Si vero cor poenitere nescium, mentem superbam, animum futuro seculo non credentem, ac nullum iudicii timorem conspexerit; tunc in te iudicium diligit. Ita enim bonus humanusque medicus fomentis prius ac remediis mollibus tumorem sedare conatur; postquam vero viderit molem nihil remittere, atque induratam reniti; tum demum reiectis oleo ac molliori curandi ratione, ferri usum adhibet. *ἀγαπᾳ οὖν ἐλεημοσυνην ἐπι των μετανοουντων · ἀγαπᾳ δε και κρισιν ἐπι των ἀνενδοτων.* Diligit igitur misericordiam in poenitentibus; diligit vero etiam in obstinatis iudicium ».

Sed in obstinatis ad supremum usque diem; quamdiu enim fatalem limitem non attigerint, misericordia foventur. Neque enim frustra, inquit (1) Basilius, scriptum est: *misericordia Domini plena est terra.* « Sane *ἐνταυθα διεζευεται ἀπο της κρισεως ὁ ἐλεος. μονου γαρ του ἐλεους κυριου πληρης ἡ γη, της κρισεως εἰς τον ὡρισμενον καιρον ταμιευθεισης. ἐνταυθα μεν οὖν, ἐλεος ἐστι χωρις κρισεως. οὐ γαρ ἠλθεν ἱνα κρινῃ τον κοσμον, ἀλλ᾽ ἱνα σωσῃ τον κοσμον*, *heic disiuncta est a iudicio misericordia. Sola enim misericordia Domini plena est terra, iudicio in constitutum tempus reservato.* Heic itaque misericordia est sine iudicio. *Non enim* (2) *venit ut iudicet mundum, sed ut salvet mundum* ».

Hac misericordiae lege protoparentibus consuluit, humanumque genus in eisdem lapsum revocavit. Definita namque (3) misericordia, quod sit *affectio erga eos qui praeter meritum depressi sunt, ab iis qui miseratione moventur proficiscens*, subdit (4) Basilius: « Quoniam igitur et nos in paradiso degentes, eramus aliquando clari ac spectabiles, et tamen ob eiectionem inglorii abiectique evasimus; Deus noster miseretur, dum quales nos ex qualibus facti sumus, videt. *δια τουτο και τον Ἀδαμ ἀνεκαλειτο τῃ του ἐλεου φωνῃ*

(1) Hom. in Ps. XXXII. n. 4. p. 135. opp. T. I.
(2) Joh. III. 17.
(3) Hom. in Ps. CXIV. n. 3. p. 201.
(4) Ibid. n. 3. p. 202.

λεγων · Ἀδαμ που εἰ ; οὐ γαρ διδαχθηναι ἐζητει ὁ παντα εἰδως , ἀλλα νοησαι αὐτον ἐβουλετο οἱος ἀνθ' οἱου γεγονε . που εἰ ; ἀντι του εἰς οἱον πτωμα κατεληλυθας ἀπο τηλικουτου ὑψους ; Quapropter *et Adamum hac misericordiae voce revocabat*, dicens (1) : *Adam ubi es?* non enim edoceri quaerebat omnium gnarus , sed intelligere ipsum volebat , qualis ex quali factus esset. *Ubi es?* quasi dicat, in quam ruinam ex tanta sublimitate incidisti » ?

Eodem misericordiae instinctu Unigenitus in hunc mundum venit, ut hominibus prorsus omnibus opem ferret, auxiliumque suppeditaret. Ad verba (2) enim, *nonne Deo subiecta erit anima? ab ipso enim salutare meum*, principio Basilius (3) monet : « caussam his contineri, cur psalmi auctor Deo subiici studeat ; quod nimirum ab eo salutare sit. *ἰδιον γαρ δημιουργου το των ἑαυτου ποιηματων της ἀσφαλειας φροντιζειν. Proprium enim opificis est , opificiorum suorum incolumitatem curare* ». Tum eadem verba aliter (4) explanans, pergit : « Vel, *ab ipso salutare est*, quoniam prophetice praevidens futuram esse gratiam incarnationis Domini, haec dicit : nimirum Deo servire oportere et ipsum diligere, *ὁς τηλικαυτην εὐεργεσιαν εἰς το γενος των ἀνθρωπων προκατεβαλετο , qui beneficium tantum prior contulerit in hominum genus*, ut (5) ne proprio quidem Filio pepercerit, sed pro nobis omnibus illum tradiderit. Mos est enim Scripturae, ut Christum Dei, *salutare* appellet ; sicut alicubi etiam Simeon (6) ait : *nunc dimittis servum tuum Domine , quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Subiiciamur igitur Deo ; quod salutare ab ipso est. Quid autem sit salutare , explicat. *οὐκ ἐνεργεια τις ψιλη χαριν τινα ἡμιν παρεχομενη εἰς ἀπαλλαγην ἀσθενειας , και σωματος εὐεξιαν. Non nuda quaedam est operatio aliquam nobis beneficentiam afferens, qua ab*

(1) Gen. III. 9.
(2) Ps. LXI. 1.
(3) Hom. in Ps. LXI. n. 2. p. 194. opp. T. I.
(4) Ibidem.
(5) Rom. VIII. 32.
(6) Luc. II. 29.

infirmitate liberemur, bonaque corporis habitudine utamur. Sed quid est salutare? *etenim ipse Deus meus, et Salvator meus, susceptor meus, non movebor* (1) *multum.* Filius qui ex Deo, est, Deus noster est. ὁ αὐτος και σωτηρ του γενους των ἀνθρωπων, ὁ το ἀσθενες ἡμων ὑπερειδων, ὁ τον ἐκ των πειρασμων ἐγγινομενον ταις ψυχαις ἡμων σαλον ἐπανορθουμενος. *Idem etiam Salvator est generis humani, debilitatem nostram fulciens, commotionemque ex tentationibus animis nostris advenientem corrigens* ».

CXCVII.

De qua *infinita redemptionis amplitudine*, *eiusque singulari efficacia* tam perspicue, tamque frequenter Basilius disserit, ut eiusdem sententia exploratissima censeri debeat. Illos namque (2) refutans, qui eo usque temeritatis impietatisque devenerant ut *caelestem carnem* Christo assererent, *humanosque affectus in ipsam divinitatem conferrent;* ante omnia statuit, eiusmodi deliriis, opinionumque monstris *dissolvi salutarem dispensationem Domini nostri Jesu Christi, everti autem magni mysterii gratiam, taciti* (3) *quidem a seculis, sed declarati suis temporibus, quum Dominus, qui iam omnia ad generis humani medelam attinentia* (4) *percurrerat, post omnia suum nobis largitus est adventum.* Tum pressius

(1) Graece, οὐ μη σαλευθω ἐπι πλειον: quae in vetustioribus Basilii editionibus reddebantur, *non movebor amplius.* Apte ad vulgatam interpretationem, sed non item ad Basilii mentem, ut sequens commentarius ostendit. Etiam in Hexaplis ex hebraeo legimus, *non labar multum*; et penes Aquilam, οὐ σφαλησομαι πολλην.

(2) Epist. CCLXI. al. LXV. n. 1. p. 401. opp. T. III.

(3) I. Tim. III. 16.

(4) Graece, διεξελθων, quod verbum diligenter notandum esse, scribit Maranus. Eo siquidem ostenditur, Filium Dei antequam nasceretur ex Virgine, antiquis patribus apparuisse. Hinc Basilius lib. II. con. Eunomium contendit, eum qui *Deus*, quique *Angelus* vocatur, et Moysi apparuit, non alium extitisse quam Filium. Eodem pacto Filius Dei apud Clementem alexandrinum in libro, *quis dives salvandus*, n. 8. dicitur *a creatione mundi usque ad signum crucis humanitatem percurrisse*, ἀπο γενεσεως μεχρι του σημειου την ἀνθρωποθητα διατρεχων.

auctores erroris impugnans (1) atque urgens, ait: « Si Domini in carne adventus non fuit, non dedit Redemptor pro nobis pretium morti, nec per seipsum mortis regnum profligavit. Si enim aliud esset, quod mortis imperio subiectum erat, aliud quod assumptum a Domino; non desiisset mors ea quae sua sunt operari, nec lucrum nostrum factae fuissent deiferae carnis passiones: non interemisset peccatum in carne: *οὐκ ἐζωοποιήθημεν ἐν τῷ Χριστῷ οἱ ἐν τῷ Ἀδαμ ἀποθανοντες· οὐκ ἀνεπλασθη το διαπεπτωκος· οὐκ ἀνωρθωτη το κατερῥαγμενον· οὐ προσῳκειωθη τῷ θεῷ, το δια της ἀπατης του ὀφεως ἀλλοτριωθεν*, non in Christo vivificati fuissemus, *qui eramus in Adamo mortui:* non reparatum fuisset, *quod collapsum erat:* non instauratum, *quod confractum:* non coniunctum Deo, *quod serpentis fraude fuerat abalienatum.* Haec enim omnia tolluntur ab iis, qui Dominum dicunt caeleste corpus habentem advenisse ».

Dum autem arianis contradicit, qui ad suam stabiliendam haeresim abutebantur (2) verbis, *Pater meus maior me est*; inter cetera (3) scribit: « Quid mirum, si maiorem seipso Patrem confessus est, qui Verbum est et caro factus est; quum et angelis visus sit (4) secundum gloriam minor, et hominibus secundum speciem? . . . *τουτων δε παντων ἠνεσχετο δια την πολλην αὐτου περι το πλασμα φιλανθρωπιαν, ἱνα το ἀπολωλος προβατον ἀνασωσηται, και το σωθεν καταμιξῃ, και τον κατελθοντα ἀπο Ἱερουσαλημ εἰς Ἱεριχω, και δια τουτο περιπεσοντα λῃσταις, εἰς την οἰκειαν ὑγιαινοντα παλιν ἐπαναγαγῃ πατριδα.* Haec autem omnia sustinuit *propter multam suam in opus suum benignitatem*, ut *perditam ovem* recuperaret, et introduceret servatam, et eum, qui ab Ierosolimis Ierechunta descenderat, ob idque inciderat in latrones, *ad propriam rursus patriam sanum incolumemque reduceret*, . . Propterea Patre minor Filius, *ὁτι δια σε γεγονε νεκρος, ἱνα σε της νεκροτητος ἀπαλλαξῃ, και ζωης μετοχον ἐπουρανιου ποιησῃ. ὡσπερ*

(1) Ibid. n. 2. p. 402.
(2) Ioh. XIV. 28.
(3) Epist. VIII. al. CXLI. n. 5. p. 84. opp. T. III.
(4) Ps. VIII. 6., Hebr. II. 9., et Is. LIII. 3.

ἀν, εἰ τις και τον ἰατρον αἰτιῳτο, ὁτι συγκυπτων ἐπι τα παθη, της δυσωδιας συναπολαυῃ, ἱνα τους πεπονθοτας ἰασηται, quod *tua caussa* factus est mortuus, ut *te* a morte liberaret et caelestis participem vitae faceret. Velut si quis et medicum accuset, quod demittens se ad morbos, particeps foetoris fiat, ut sanet aegrotantes ».

Quibus sanandis divinus medicus prolixam semper operam adhibuit. « Quum enim, inquit (1) Basilius, omnis natura creata, tum haec visibilis, tum intelligibilis, ad hoc ut consistat, Dei cura egeat; ὁ δημιουργος λογος, ὁ μονογενης θεος, κατα το μετρον της ἑκαστου χρειας, την βοηθειαν ἐπινεμων, ποικιλας μεν και παντοδαπας δια το των ἐυεργετουμενων πολυειδες, συμμετρους γε μην ἑκαστῳ, κατα το της χρειας ἀναγκαιον, τας χορηγιας ἐπιμετρει, τους ἐν τῳ σκοτῳ της ἀγνοιας κατεχομενους φωτιζει. δια τουτο φως το ἀληθινον· κρινει κατα την των ἐργων ἀξιαν, ἀντιμετρων την ἀντιδοσιν· δια τουτο κριτης δικαιος. ὁ γαρ πατηρ κρινει οὐδενα, ἀλλα την κρισιν πασαν δεδωκε τῳ υἱῳ. ἀνιστησιν ἐκ του πτωματος τους ἀπο του ὑψους της ζωης προς ἁμαρτιαν ὑπολισθησαντας. δια τουτο ἀναστασις. παντα δε ποιει τῃ ἐπαφῃ της δυναμεως, και τῳ βουληματι ἀγαθοτητος ἐνεργων. ποιμαινει, φωτιζει, τρεφει, ὁδηγει, ἰατρευει, ἀνιστησιν. Opifex Verbum, Unigenitus Deus opem, *quantum cuique necesse est*, distribuens, *varia quidem omnisque generis auxilia, ob varietatem eorum qui beneficio iuvantur, sed tamen unicuique congruentia iuxta necessitatis modum dimetitur.* Eos qui tenebris ignorantiae detinentur, *illuminat*: propterea *lumen verum* dicitur. Iudicat, iuxta operum meritum remetiens praemium; ob id *iudex iustus* dicitur. *Pater* (2) *enim neminem iudicat, sed omne iudicium dedit Filio.* Erigit e ruina, qui e sublimitate vitae ad peccatum delapsi sunt; ob id (3) vocatur *resurrectio.* Omnia autem facit contactu virtutis, *ac voluntate bonitatis* operans. *Parcit, illuminat, alit, manuducit, medetur, erigit* ».

Quibus omnibus quum alia sane praeclarissima, tum

(1) De Spiritu-sancto, cap. VIII. n. 19. p. 16. opp. T, III.

(2) Ioh. V. 22.

(3) Ioh. XI. 25.

ista maxime significantur : initio quidem *a*) pro *duplici humanae vitae stadio*, quorum prius praesenti mortalitate continetur, posterius insequentem aeternitatem complectitur, *duplicem* secerni oportere *providentiae ordinem*, misericordiae alterum ac pietatis, alterum severitatis ac iustitiae : tum *b*) misericordiae pietatisque ordinem *ad stadium mortalitatis*, ordinem vero severitatis ac iustitiae *ad stadium aeternitatis* pertinere: huius porro *c*) discriminis caussam inde esse repetendam, quod Deus sua excitus bonitate *sincerissime velit*, ut *hominibus prorsus omnibus*, quamdiu mortalem vitam degunt, *potestas* adsit, qua supremum finem, caelestemque beatitatem consequantur: hac *d*) bonitatis voluntate Deum pro praesenti vita ordinem selegisse misericordiae ac salutis, misisse Unigenitum, qui quod lapsum erat erigeret, quod devium abierat, reduceret, et quod corruptum depravatumque refingeret: refingeret autem *e*) operatione multiplici, variisque gratiarum auxiliis, quibus *singuli homines* pro necessitate ac opportunitate donati *ignorantiam* depellerent, *infirmitatem* vincerent, *amissam Dei similitudinem* recuperarent, et cum summo vero, summo bono, summoque pulchro beatissimo rursum foedere copularentur.

CXCVIII.

Hactenus universum prope christianum orbem lustravimus, ac una superest Palestina, cuius fidem doctrinamque investigemus, ut nihil a nobis praetermissum non immerito videatur. Operae autem pretium futurum est accurate novisse, quid ipsae etiam Palestinae ecclesiae senserint, quidve de salutifera Dei voluntate, deque reparationis amplitudine tradiderint. Hoc enim pacto non solum totius christiani nominis consensio elucescet splendidior, verum etiam intelligetur, qua ii fide imbuti fuerint, quos omnium primos Christi apostolorumque praedicatio edocuit, et ad novum divinumque ecclesiae regnum perduxit. Iamvero inter palestinos testes non antiquitate minus quam dignitate Iustinus excellit, ὁ μετ᾽ οὐ πολυ των ἀποστολων, et ἀνηρ οὔτε τῳ χρονῳ πόῤῥῳ ὢν

των ἀποστολων, οὔτε τῇ ἀρετῇ, ut de eo Eusebius (1) ac Methodius (2) loquuntur. Is autem in praeclarissimo dialogo, quem cum Tryphone habuit, non solum omnem a Deo avertit (3) peccatorum caussam inquiens : *quod si Verbum Dei praedicit omnino quosdam angelos et homines punitum iri, idcirco haec praedicit, quod eos citra ullam immutationem improbos futuros praenosceret*, ἀλλ' οὐχ ὅτι αὐτους ὁ θεος τοιουτους ἐποιησεν, *nequaquam autem quod illos Deus tales fecerit;* verum etiam omnibus patere divinam bonitatem, ac omnibus divinam misericordiam praesto esse (4) declarat, subdens : « ὥστε ἐαν μετανοησωσι, παντες βουλομενοι τυχειν του παρα του θεου ἐλεους δυνανται, και μακαριους αὐτους ὁ λογος προλεγειν εἰπων · μακαριος ᾧ οὐ μη λογισηται κυριος ἁμαρτιαν. Quapropter si poenitentiam agant, *licet omnibus quicumque voluerint*, misericordiam a Deo consequi, eosque beatos Scriptura praedicat (5) his verbis: *beatus cui non imputaverit Dominus peccatum* ».

Neque mirum videri debet, tantam esse divinae pietatis amplitudinem. Idcirco enim (6) Unigenitus humanam induit carnem, *ut iudaeos pariter ac gentiles restitueret, eademque omnes dignitate ornaret, qui illius praeceptis morem gererent.* Unde (7) merito Christus nuncupatur *Israel, quo nomine significatur*, ἀνθρωπος νικων δυναμιν, *homo vincens virtutem.* το γαρ Ἰσρα, ἀνθρωπος ἐστι νικων, το δε Ἠλ, δυναμις. *Isra* (8) *enim est homo vincens, El autem virtus.* Vicit enim *diabolum, idest, virtutem illam, quae et serpens vocatur et satanas* : hac autem relata victoria hominum genus in libertatem vindicavit. Quo factum (9) est, *ut quacumque ex re-*

(1) H. E. lib. II. cap XIII.
(2) Apud Photium, Cod. CCXXXIV.
(3) Dialog. cum Tryph. n. 141. p. 244. edit. Venet. 1747.
(4) Ibidem.
(5) Ps. XXXI. 2.
(6) Dialog. cum Tryph. n. 134. p. 239.
(7) Ibid. n. 125. p. 130.
(8) Propemodum Israel idem esset ac איש שרה אל, *homo vincens potentiam.*
(9) Ibid. n. 139. p. 243.

gione, sive servi, sive liberi credentes in Christum, et eorum quae tum ab ipso, tum a prophetis tradita sunt, veritatem agnoscentes, sciant se una cum eo . . . aeterna incorruptaque bona hereditate accepturos ». Quam hereditatem voluntate testatoris omnibus esse propositam, inde etiam videre licet, quod idem praeceperit, ut pro universis plane hominibus ad Deum preces funderentur. De quo testatoris praecepto insignia haec sunt, quae iudaeos (1) alloquens, Justinus scribit : « Vere adhuc manus vestra ad male agendnm extenta est; quippe qui cum Christum occideritis, ne sic quidem poenitentiam agatis, sed nos etiam qui per eum Deo et Patri universorum credidimus, odistis, et quoties facultas datur, occiditis; illumque indesinenter, et eos, qui ab illo orti sunt, exsecramini; *παντων ἡμων εὐχομενων ὑπερ ὑμων, και ὑπερ παντων ἁπλως ἀνθρωπων, ὡς ὑπο του Χριστου ἡμων και κυριου ποιειν ἐδιδαχθημεν, παραγγειλαντος ἡμιν εὐχεσθαι και ὑπερ των ἐχθρων, και ἀγαπᾳν τους μισουντας, και εὐλογειν τους καταρωμενους*, quum nos omnes pro vobis precemur, *ac pro omnibus omnino hominibus*, quemadmodum a Christo nostro et Domino facere *edocti sumus, qui praecepit*, ut etiam pro inimicis oremus, et eos diligamus qui nos oderunt, et maledicentibus benedicamus ».

CXCIX.

Cum hac autem Justini doctrina belle cohaerent, quae in oratione contra graecos ante susceptam haeresim (2) scripta habet, confirmatque Tatianus, et ipse (3) palestinus, beatissimi martyris (4) discipulus, ac eiusdem in moderanda romana schola, uti ex Rodhone (5) intelligimus, non ignobilis successor. Ubi enim de creato homine disputat, benigni-

(1) Ibid. n. 133. p. 238.

(2) Quod mihi videtur valide comprobasse Maranus in praefat. Par. III. cap. XII. §. III.

(3) Cf. Epiphanium, Haeres. XLVI., et tecum praeterea reputa, insolens haud fuisse, ut *assyrii vocarentur* qui *Palaestinam* incolerent.

(4) Videsis Irenaeum, con. Haeres. lib. I. cap. XXVIII.

(5) Apud Eusebium, H. E. lib. V. cap. XIII.

tatem conditoris his verbis (1) effert: « Verbum quidem ante homines creatos, angelorum fit opifex. Utraque autem opificii species *libera* creata est, *τἀγαθου φυσιν μη ἐχον*, *non habens naturam boni*, id enim soli Deo inest, ab hominibus autem libera animi inductione perficitur; ut malus merito puniatur *δἰ αὐτον per se* improbus factus; iustus autem ob recte facta iure laudetur, ut qui libero utens arbitrio voluntatem Dei transgressus non sit. Atque ita quidem se habent, quae angelos et homines spectant ».

Sed homo acceptis donis abusus est, illosque ex angelis imitatus qui ante ipsum defecerant, a Deo (2) recessit; *unde is qui κατ' εἰκονα του θεου, ad imaginem Dei factus erat, χωρισθεντος ἀπ' αὐτου του πνευματος του δυνατωτερου, θνητος γινεται, discedente ab eo potentiore spiritu, mortalis evadit.* Utique mortalis evadit, *tum morte corporis*, qua *necesse fuit* ut moreretur; tum *morte animae*, verum *non ontologica* sed *theologica,* atque in iactura (3) sita *sive* illius vitae, quae ex coniunctione cum Deo in hominem refluebat, *sive* alarum (4) quibus homo ad superna contenderet. « *πτερωσις γαρ ἡ της ψυχης το πνευμα το τελειον, ὁπερ ἀποῤῥιψασα δια την ἁμαρτιαν, ἐπτη ὡσπερ νεοσσος, και χαμαιπετης ἐγενετο. μεταβασα δε της οὐρανιου συνουσιας, των ἐλαττονων μετουσιαν ἐπεποθησεν.* Alae enim erant animae Spiritus perfectus, quem quum peccando proiecisset, volavit instar pulli et humi decidit: caelesti autem convictu delapsa inferiorum commercium appetivit ». Neque tamen passus est Deus, ut suo obruta casu humana natura interiret, sed benignam illi porrexit manum, copiamque impertiit, qua vitam, caelestemque convictum repeteret. Quod Tatianus singulos quosque homines compellans, docet (5) his verbis: « *ἀποθνησκε τῳ*

(1) Orat. con. Graecos, n. 7. p. 263.

(2) Ibid. n. 7. p. 264.

(3) Nihil enim eo verius quod scribit Augustinus de Trinit. lib. XIV. n. 6; *habet quippe et anima mortem suam, cum vita beata caret.* Unde Tatianus licet *ontologice* immortales daemones dicat, illos nihilominus toties mori tradit numero decimo-quarto, quoties ad peccandum homines pelliciunt.

(4) Ibid. n. 20. p. 277.

(5) Ibid. n. 11. pagg. 267—268.

κοσμῳ, παραιτουμενος την ἐν αὐτῳ μανιαν. ζηϑι τῳ θεῳ, δια της αὐτου (1) καταληψεως την παλαιαν γενεσιν παραιτουμενος. οὐκ ἐγενομεθα προς το ἀποθνησκειν, ἀποθνησκομεν δε δι᾽ ἑαυτους. ἀπωλεσεν ἡμας το αὐτεξουσιον, δουλοι γεγοναμεν οἱ ἐλευθεροι, δια την ἁμαρτιαν ἐπραθημεν. οὐδεν φαυλον ὑπο του θεου πεποιηται, την πονηριαν ἡμεις ἀνεδειξαμεν· οἱ δε ἀναδειξαντες, δυνατοι παλιν παραιτησασθαι. Mundo morere eius insaniam reiiciens: vive Deo per ipsius cognitionem, veterem generationem repudians. Non facti sumus ut moreremur, sed nostra culpa morimur. Perdidit nos libera voluntas: servi facti sumus, qui liberi eramus: per peccatum venditi sumus. Nihil mali factum est a Deo: nos ipsi improbitatem produximus: *eam vero qui produxerunt, denuo repudiare possunt* ».

Sed unde tam *felix potestas*, si sibimetipsis mortem homines consciverunt? e re fuerit Tatianum audire, qui principio ita (2) decernit: « δυο πνευματων διαφορας ἰσμεν ἡμεις, ὧν το μεν καλειται ψυχη· το δε, μειζον μεν της ψυχης, θεου δε εἰκων και ὁμοιωσις. ἑκατερα δε παρα τοις ἀνθρωποις τοις πρωτοις ὑπηρχεν, ἱνα το μεν τι ὠσιν ὑλικοι, το δε ἀνωτεροι της ὑλης. Duo *spirituum* discrimina novimus, quorum alter *anima* vocatur, alter (3) *anima* praestantior, *Dei imago* (4) *et similitudo*. Uterque primis hominibus inerat, ut partim ex materia constarent, partim essent materia superiores ». Porro, subdit (5), amisso divinae similitudinis dono, res humanae fuissent penitus conclamatae, nisi *supernus Spiritus* hominibus adfuisset, illisque opem tulisset, *ut quicumque per-*

(1) Apposite Irenaeus con. Haeres. lib. V. cap. XII. n. 4: *agnitio enim Dei renovat hominem*. Sed quae καταληψις περι θεου, ut Tatianus loquitur n. 20, tantam vim habet? ea cognitio quae in Scripturis laudatur, quaeque cum caritate, donoque Spiritus conserta est.

(2) Ibid. n. 12. p. 268.

(3) Conferri cum istis debent quae scribit Irenaeus lib. V. cap. XII. n. 2: « Aliud est *afflatus vitae*, qui et *animalem* efficit *hominem*: et aliud *Spiritus vivificans*, qui et *spiritalem* efficit eum. Aliud autem est *quod factum est* ab eo *qui fecit*. *Afflatus* igitur *temporalis*, *Spiritus* autem *sempiternus* ».

(4) De formulis, quibus Spiritus dicitur εἰκων του θεου, εἰκων και μορφη του υἱου, praeclare disserit Petavius de Trinit. lib. VII. cap. VII.

(5) Ibid. n. 13. pagg. 269—270.

fecti Dei cognitionem, licet a daemonibus oppugnati, concupivissent, perfectius propter certamina testimonium in die iudicii consequerentur. Quam doctrinam plenius subinde enarrans, pergit: « *οὐκ ἔστιν ἀθανατος ἡ ψυχη καθ' ἑαυτην, θνητη δε. ἀλλα δυναται ἡ αὐτη και μη ἀποθνησκειν· θνησκει μεν γαρ και λυεται μετα του σωματος, μη γινωσκουσα την ἀληθειαν, ἀνισταται δε εἰς ὑστερον ἐπι συντελειᾳ του κοσμου συν τῳ σωματι, θανατον δια τιμωριας ἐν ἀθανασιᾳ λαμβανουσα. παλιν τε οὐ θνησκει, καν προς καιρον λυθῃ, την ἐπιγνωσιν του θεου πεποιημενη. καθ' ἑαυτην γαρ σκοτος ἐστι, και οὐδεν ἐν αὐτῃ φωτεινον, και τουτο ἐστιν ἀρα το εἰρημενον· ἡ σκοτια το φως οὐ καταλαμβανει.* Non est immortalis (1) per seipsa anima, sed mortalis. Potest tamen eadem non mori. Moritur enim et dissolvitur cum corpore, si veritatem ignoret: postea autem resurgit (2) in fine mundi una cum corpore, mortem per supplicia in immortalitate accipiens. Rursus autem non moritur, etiamsi solvatur ad tempus, si Dei cognitione instructa sit. Per se enim nihil aliud est quam tenebrae, nec quidquam in ea luminosum. Atque idipsum est quod (3) dicitur, *tenebrae* lucem non comprehenderunt. Neque enim (4) anima Spiritum servavit, sed ab eo servata est, et lux, tenebras apprehendit. Est autem (5) Verbum divina

(1) Utraque enim immortalitas, *ontologica* et *theologica* non ex sese, sed participatione animae convenit. Qua de re digni sunt qui consulantur Justinus sub initium dialogi cum Tryphone, et Irenaeus lib. II. cap. XXXIV. n. 2.

(2) Similem loquendi modum *de animabus cum corpore resurgentibus*, usurpant Theophilus ad Autolycum, lib. I. n. 7, Irenaeus lib. IV. cap. XVIII. n. 5, Tertullianus de Poenit. cap. III., et Lactantius lib. VII. cap. XI. Quid autem eo expressum, significatumque volunt? illud ne, quod referente Eusebio, H. E. lib VI. cap. XXXVII., visum aliquando iis fuit, quos ad saniorem mentem revocavit Origenes, quique *animas una cum corporibus interire et resurgere* comminiscebantur? nullatenus, sed eiusmodi loquendi forma hoc unum propositum erat patribus, *ut animarum in pristinum statum restitutionem* declararent.

(3) Joh. I. 5.

(4) Cf. Irenaeum, lib. V. cap. IX. n. 4.

(5) Utrumque, et *Verbum* et *Spiritum* appellatione *lucis* insignit Tatianus, non ut confundat *hypostases,* sed ut naturae *ταυτοτητα* confirmet.

lux, tenebrae vero ἡ ἀνεπιστημων ψυχη, imperita anima. Quapropter si degat solitaria, deorsum ad materiam vergit, una cum carne moriens. συζυγιαν δε κεκτημενη την του θειου πνευματος, οὐκ ἐστιν ἀβοηθητος. Cum divino autem Spiritu copulata non caret auxilio, sed eo ascendit quo deducitur a Spiritu. Huius enim sedes in supernis: istius origo in inferioribus locis. γεγονε μεν οὐν συνδιαιτον (1) ἀρχηθεν το πνευμα τη ψυχη· το δε πνευμα ταυτην ἑπεσθαι μη βουλομενην αὐτῳ καταλελοιπεν. ἡ δε ὡσπερ ἐναυσμα της δυναμεως αὐτου κεκτημενη, και δια τον χωρισμον τα τελεια καθοραν μη δυναμενη, ζητουσα τον θεον κατα πλανην πολλους θεους ἀνετυπωσε, τοις ἀντισοφιστευουσι δαιμοσι κατακολουθησασα. Ac initio quidem Spiritus animae convictor erat; sed eam sequi nolentem deseruit. Illa autem quum eius virtutis quasdam veluti scintillulas retineret, sed ab eo separata intueri res sublimiores non posset, dum Deum quaerit, opinionis errore multos effinxit, doli artifices daemones sequens. Porro Spiritus Dei non omnibus inest, sed in quibusdam iuste viventibus residens, et cum eorum animo (2) complicatus, per praedictiones ceteris animabus res absconditas nuntiavit. και αἱ μεν πειθομεναι σοφια, σφισιν αὐταις ἐφειλκοντο πνευμα συγγενες· αἱ δε μη πειθομεναι, και τον διακονον του πεπονθοτος θεου παραιτουμεναι, θεομαχοι μαλλον, ἠπερ θεοσεβεις ἀνεφαινοντο. Atque illae quidem quae sapientiae paruerunt, cognatum sibi Spiritum attraxere: quae vero non paruerunt, et ministrum (3) Dei passi reiecerunt, cum Deo potius deprehensae sunt pugnare, quam eum colere ».

Quamquam igitur atrocissima fuerit clades originali praevaricatione humano generi illata: quamquam nullum cogi-

(1) Clemens quoque alexandrinus in Protreptico *Spiritum* dicit συνδιαιτον τη ψυχη.

(2) De Spiritu, quem Tatianus dicit συμπλεκομενον τη ψυχη, Irenaeus lib. V. cap. XII. n. 2. scribit: « το δε περιλαβον ἐνδοθεν και ἐξωθεν τον ἀνθρωπον. Spiritus circumdans intus et foris hominem ».

(3) Christum, quem heic Tatianus vocat *Deum passum*, n. 20. appellat *Deum in forma hominis natum*. Quo autem sensu *Spiritum* dixerit *ministrum*, rite in subiecta adnotatione Maranus explicat.

tari malum possit eo divortio acerbius, quo se humana natura a divina luce, divina vita, divinaque immortalitate separavit: et quamquam hominum genus desertum sibique relictum nonnisi extrema pernicies maneret; nihilominus tot tantisque damnis Dei benignitas obstitit, perversum ordinem restituit, copiamque sui Spiritus numquam non omnibus fecit, quo veritatem, vitam, ipsamque salutem *omnes quicumque vellent,* recuperarent. Reliquum propterea est, infert (1) Tatianus, ut nemo nostrum sibi desit, sed quisque sibi propositum habeat « quod habentes amisimus, *τουτο νυν ἀναζητειν, ζευγνυναι τε την ψυχην τῳ πνευματι τῳ ἁγιῳ, και την κατα θεον συζυγιαν πραγματευεσθαι*, id nunc requirere, et animam cum Spiritu-sancto copulare, et ad coniunctionem cum Deo eniti ». Hoc enim ab angelis lapsis (2) homines distant peccatores, quod illis Deus sapientissimo iustitiae consilio nullam concesserit veniam, spemque nullam reparationis obtulerit; at vero de hominibus non minori sapientia quam misericordia decreverit, *ut post immortalitatis iacturam, morte per fidem obeunda mortem superarent, ac per poenitentiam vocatio eis concederetur* (3) *secundum hunc* (4) *sermonem; quoniam paullo minus ab angelis imminuti sunt. Itaque δυνατον παντι τῳ νενικημενῳ, παλιν νικαν, του θανατου την συστασιν παραιτουμενον, potest quisquis victus est, rursus vincere, si mortis caussam repudiet.*

CC.

Ut enim auctor est Methodius, Tyri (5) antistites, *ἀνηρ λογιος και σφοδρα περι της ἀληθειας ἀγωνισαμενος, vir* (6) *ap-*

(1) Ibid. n. 15. p. 271.

(2) Ibid. n. 15. p. 272.

(3) Oratio ex antecedentibus suppleri ita debet: « ut per poenitentiam vocatio hominibus concederetur, utpote qui angelis sint inferiores secundum Scripturam, quae dicit, *quoniam paulo minus ab angelis imminuti sunt* ».

(4) Ps. VIII. 4.

(5) Cf. Fabricium, Biblioth. Graec. T. V. p. 255, et Tillemontium, Mem. T. V. p. 767. not. III. sur s. Method.

(6) Apud Epiphanium, Haeres. LXIV. §. LXIII.

prime doctus acerrimusque veritatis patronus, immo (1) et *disertissimus martyr*, qui desinente tertio seculo inclaruit; nemini Deus copiam facultatemque negavit, qua et repudiare mortis caussam posset, et ex misera *victi* servitute ad libertatem gloriamque *victoris* contendere. « Idcirco (2) namque Verbum in mundum missum nostram prius formam multis peccatorum infectam maculis suscepit, *ἵνα δὴ τὴν θείαν ἡμεῖς, δι' οὓς αὐτὸς ἐφόρεσε, πάλιν χωρῆσαι δυνηθῶμεν*, *ut nos*, propter quos illam gestavit, *divinam rursus capere valeremus.* Ad Dei enim similitudinem accurate effingi id demum est, eius characteres et lineamenta in vitae humanae consuetudinem imitando transferre: pari arte qua periti pictores, obiecti oculis exemplaris ductus et colores in paratis tabulis ad vivum exprimunt; quod assequemur, dum ostensam ab eo viam ac disciplinam condiscamus atque sequamur. Eo quippe consilio placuit humanam carnem, Deus quum esset, induere, ut velut in tabula divinum vitae exemplar propositum cernentes, nos quoque auctorem imitari possemus ».

De quo pietatis consilio, deque virtute concessa, qua omnes possint divinam in seipsis similitudinem exprimere, rursum Methodius ita loquitur, ut nihil accommodatius expeti posse videatur. Scribit (3) enim, angelis simillimum hominem fuisse creatum, corruptionis exsortem, *ut ipse quoque regem universorum et creatorem, altero velut choro, angelorum e caelo clamoribus respondente, laudaret ac celebraret.* Tum (4) pergit: « Sed quia contigerat, eum violato Dei mandato, gravi ac exitioso lapsu corruere in mortem resolutum; propterea dicit (5) Dominus, se in mundum, relictis angelicis ordinibus et cohortibus, e caelis venisse. Montes enim caelos designare putandum est: per oves vero nona-

(1) Apud Hieronymum, de Viris illustr. cap. LXXXIII., et comm. in Daniel. XIII.

(2) Convivium decem virginum, Orat. I. §. IV. p. 677. apud Gallandium, T. III.

(3) Ibid. Orat. III. §. VI. pagg. 686 – 687.

(4) Ibid. §. VI. p. 687.

(5) Luc. XV. 4—6.

ginta-novem, Virtutes et Principatus et Potestates quas reliquit, descendens ipse Imperator et Pastor ad quaerendam ovem quae perierat . . . . *ταυτῃ γαρ τον ἀνθρωπον ἀνειληφεν ὁ λογος, ὁπως δη δἰ αὐτου καταλυσῃ την ἐπ' ὀλεθρῳ γεγονυιαν καταδικην, ἡττησας τον ὀφιν · ἡρμοζε γαρ μη δἰ ἑτερου νικηθηναι τον πονηρον, ἀλλα δἰ ἐκεινου, ὁν δη και ἐκομπαζεν ἀπατησας αὐτον τετυραννηκεναι · ὁτι μη ἀλλως την ἁμαρτιαν λυθηναι και την κατακρισιν δυνατον ἠν, εἰ μη παλιν ὁ αὐτος ἐκεινος ἀνθρωπος, δἰ ὁν εἰρητο το, γῄ εἰ, και εἰς γην ἀπελευσῃ, ἀναπλασθεις ἀνελυσε την ἀποφασιν την δἰ αὐτον εἰς παντας ἐξενηνεγμενην · ὁπως καθως ἐν τῳ 'Αδαμ προτερον παντες ἀποθνησκουσιν, οὑτω δη παλιν και ἐν τῳ ἀνειληφοτι Χριστῳ τον 'Αδαμ, παντες ζωοποιηθωσι.* Ea namque mente Verbum hominem suscepit, ut devicto serpente, suo munere atque opera, hominis exitio latam condemnationem dilueret. Consentaneum quippe fuit, non ab alio vinci diabolum quam ab illo ipso, quem a se seductum, suae se tyrannidi subiecisse gloriabatur. Nam neque aliter solvi peccatum, et damnationem aboleri possibile erat, nisi rursus ille ipse homo, ob quem (1) dictum erat, *terra es, et in terram reverteris*, reformatus, quae eius reatu in omnes pervaserat, sententiam antiquasset: ut sicut (2) prius in Adam omnes moriebantur, sic et in Christo rursus qui Adamum assumsisset, omnes vivificarentur ».

Ac reformatum enimvero fuit hominum genus, et potestate auctum consequendae immortalitatis; siquidem ut praeclare tradit (3) Aeneas gazaeus in dialogo, quem *Theophrastus* inscripsit, *de animarum immortalitate et corporum resurrectione:* « Deus idipsum quod est, manens, *δια φιλανθρωπιαν ἀνθρωπος γενομενος, την του λογου σοφιαν, και του ἐργου την δυναμιν τοις ἐπιτηδειοις ἐνεπνευσε*, *amore nostri generis* homo factus verbi sapientiam et operis potentiam iis qui sunt ad percipiendum apti, inspiravit. Atque hic ipse primus, ut qui Deus est, suum ipsius corpus ad immorta-

(1) Gen. III. 19.
(2) I. Cor. XV. 22.
(3) Theophrastus, p. 663. apud Gallandium, T. X.

lem vitam resuscitavit, *κοινην την δωρεαν ἅπασιν ἐπαγγελλεται*, idque *munus* deinceps *omnibus commune* pollicetur ».

CCI.

Atque haec ab Aenea et Methodio perspicue quidem sed paucis comprehensa, multo tradit luculentius, pluribusque explanat caesariensis Eusebius, qui tantum sibi nomen in re literaria peperit, ac tot in historia, in chronologia, in antiquitatis notitia, in hermeneutica, in theologia ingenii sui specimina dedit, ut cum primis ecclesiae scriptoribus suo merito componatur. Eo sane auctore, *Deus sibi a salvandis hominibus cognomen inditum voluit; iis omnibus semper vitam impertiit, qui ad illum libere accederent; plura constanter obtulit, quam vel expeti ab hominibus possent; obtulit Unigenitum, quem gentium omnium Servatorem constituit; per quem homines universos, ne pessimis quidem abiectis, ad semetipsum vocavit; nemini sempiternam coronam nisi ob parta merita praeparavit; ac neminem, nisi gratiae misericordiaeque rebellem poenis numquam desituris addixit.* Testimonia, quae huc pertinent, insignia sunt.

Etenim ad verba (1) psalmi, *ὁ Θεος ἡμων, ὁ Θεος του σωζειν, και του κυριου κυριου αἱ διεξοδοι του θανατου*, *Deus noster, Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis*; sive ex interpretatione (2) Symmachi, *ὁ Θεος ἡμιν Θεος εἰς σωτηριαν, και του κυριου του δεσποτου αἱ εἰς θανατον ἐξοδοι*, *Deus nobis, Deus in salutem, et Domini dominatoris exitus in mortem*, scribit (3): « Quum hic solus Deus sit, is sane exitus invenit, queis a morte evaderet. Quandoquidem omnis homo ad ingressum quidem mortis pervenit, nondum tamen ab ea exire potuit. Dominus autem hic memoratus . . . *διεξοδους ποιησαμενος του θανατου, γεγονε θεος ἐπωνυμος σωτηριας*, quum exitus a morte aperuerit, *Deus saluti cognominis* ef-

(1) Ps. LXVII. 12.

(2) De qua, non secus ac de altera Aquilae, in comm. ad Ps. XC. p. 516. edit. Paris. 1706. monet *ἑρμηνειαν* esse *ἰουδαικωτεραν*.

(3) Comm. in Ps. LXVII. p. 356. edit. Paris. 1706.

fectus est ». Unde enarrans (1) verba, *cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum,* ait : « *ζων γαρ ὁ ἡμετερος θεος, και μονος ἰδιοκτητον και φυσικην ἐν αὑτῳ κεκτημενος ζωην, μαλλον δε αὐτος ἡ πηγη πασησ ζωης , πασι τοις πλησιαζουσι ταυτης μεταδιδωσι.* Deus quippe noster vivens , qui solus propriam et naturalem in se vitam possidet, imo potius *omnis vitae fons est , eam omnibus ad se accedentibus impertit* ». Sic enim comparatus animo est , ut nullum suis donis modum ponat. « Munificus namque quum sit , ait (2) Eusebius, *multo plura homini praebet , quam ipse vel voto assequatur,* superatque donis suis eum, qui pro viribus bonum operatur; ideo omnis boni caussam Deo adscribens (3) Paulus inquit: *non volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei* ».

Cui divinae pietati tribuendum (4) est, *ut una gentium omnium vocatio sit ; ut regna terrae invitentur ad salutem ;* ac *ut* (5) *per Christum omnes homines postquam viam impiorum effugerint, viam salutarem per fidem in ipsum ingrediantur.* « Etenim *σωτηρ ἀνθρωποις ἐπιδεδημηκεν ὁ* Χριστος *του θεου, σωτηρ και φωστηρ των ἐθνων ἁπαντων, διδασκαλος εὐσεβειας, σωφροσυνης καθηγεμων , δικαιοσυνης ἀρχηγος , ἀρετης ἁπασης και θεογνωσιας ἀληθους αἰτιος,* Salvator *hominibus* advenit Christus Dei, Salvator et luminare *gentibus universis* , doctor pietatis, auctor temperantiae, iustitiae antistes , omnium virtutum ac divinae veraeque cognitionis caussa ». Et caussa quidem eo usque universalis , ut ipsum quoque Iudam, hominum deterrimum, comprehenderit. Descriptis enim psalmi (6) verbis, *etenim homo pacis meae , in quo speravi , qui edebat panes meos , magnificavit super me supplantationem ,* subdit (7) Eusebius : « Erat porro Iudas homo pacis Salvatoris, qui cum aliis discipulis haec dicentem Salvatorem (8)

(1) Comm. in Ps, LXXXIII. p. 318.
(2) Comm. in Ps. III. p. 19.
(3) Rom IX. 16.
(4) Comm. in Ps. II. p. 11.
(5) Ibid. p. 12.
(6) Ps. XL. 10.
(7) Comm. in Ps. XL. p. 171.
(8) Ioh. XIV. 27.

audierat, *pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Sed, ἐφ' ὃν ἤλπισα, *in quo speravi*, ait, vel secundum Aquilam, ἐπεποίθησα *confisus sum*, aut ut Symmachus, ἐπεποίθειν, *confisus eram*; quandoquidem ipsum paribus atque ceteros apostolos donis affecerat. Confidebat autem ei Salvator, et bonam de ipso spem habebat, quia in eo liberum arbitrium (1) esset. οὐ γαρ ἠν φυσεως ἀδυνατου σωζεσθαι ὁ Ἰουδας· ἀλλ' οἷος τε ἠν θελησας, ὁμοιως τοις λοιποις ἀποστολοις μαθητευθηναι τῳ υἱῳ του θεου, και καλος και ἀγαθος μαθητης ἀποτελεισθαι. Neque enim Iudas ex eiusmodi natura erat, quae *non posset* salutem consequi; sed *poterat, siquidem voluisset*, ut et ceteri apostoli, a Filio Dei erudiri, ac bonus probusque discipulus effici ».

Quae quum sit omnium omnino hominum conditio, propterea (2) ἐν τῳ της κρισεως καιρῳ ὀργης θεου πειραθησονται, και τῳ θυμῳ αὐτου ταραχθησονται παντες οἱ του σωτηριου λογου πολεμιοι, *in tempore iudicii, irae divinae periculum facient, ac ipsius furore turbabuntur omnes verbi salutaris inimici.* « Siquidem is ipse qui crucifixus ab illis est ac morti traditus, qui habitat in caelis et omnia complectitur, irridebit eos, eiusque Pater qui cum ipso Christo *oppugnatur*, subsannabit eos, dignasque ab eis poenas expetet ». Sicut autem ab eis poenas *expetet propter inimicitias*, quas iidem cum verbo salutari exercuerunt, et *propter contemptum*, quo divinae pietatis munera repudiarunt; ita neque illis aeternas *decrevit* poenas, neque pios sanctosque *ad coronam praedestinavit, nisi eorum praelucente scientia*, quae singuli quique ad extremum usque essent electuri. Et de impiis sane ac peccatoribus Eusebius (3) scribit: « Hos προλαβων ὁ θεος τῃ προγνωσει, *praescientia sua praevertens Deus*, antequam in lucem prodirent, tales futuros esse novit; sed tamen concessit ut nascerentur ac in lucem venirent, την παρ' αὐτου χαριν και αὐτοις δωρησαμενος, *gratia sua ipsis quoque collata*,

(1) Sed non nudum et inerme, verum supernis gratiae donis instructum, ut orationis series ostendit.

(2) Comm. in Ps. II. pagg. 14—15.

(3) Comm. in Ps. LVII. p. 258.

ut palam eorum propositum fieret ». De iustis vero piisque (1) subdit : « siquidem et ordinem iustorum rectam ac minime deflexam viam suapte voluntate initurum προλαβων ὁ θεος ἐγνω , *praevertens Deus noverat.* Deinde utrique ordini liberum arbitrii motum dimisit, concedens ut in stadio cursum conficerent. Et cum universos natura similes constituisset , voluntate propria quemquam meliora deligere permisit. Illi vero , utpote qui sui ipsorum domini , sui iuris ac liberi quoad motum essent , *arbitratu suo disiuncti sunt, aliis rectam, aliis obliquam viam eligentibus:* τουτου χαριν ὁ δικαιος κριτης ἀγωνοθετων ἑκατερῳ ταγματι, τῳ καταλληλῳ και προσηκοντι τελει τους ἀξιους παραδιδωσιν· οὐ καθαπερ ἀνθρωποι μαθων ἐκ της των πραγματων ἀποβασεως τον ἑκαστου τροπον, οἱα δε θεος και προ γενεσεως εἰδως ἁπαντα. Ideo iustus ille iudex, utrique ordini ceu certaminis arbiter, congruenti debitoque fine dignos remunerat: non hominum ritu ex actuum eventu cuiusque mores ediscens ; verum utpote Deus omnia cognoscens ante originem. Quare alii quidem antequam caeteris noti esssent, ab eo alienati sunt; sancti vero electione dignati, sicut Ieremias propheta , cui dixit (2) Deus : *antequam te formarem in utero novi te* , *antequam exires de vulva sanctificavi te.* Idipsum Apostolus declarat his verbis : *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate: qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* Et (3) rursum , *in quo et nos sorte vocati sumus, praedestinati secundum praescientiam eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae, ut simus in laudem gloriae eius.* Viden' quomodo ante mundi constitutionem electos et praedestinatos dicat ad adoptionem filiorum, secundum propositum eius qui talia operatur ? eamdemque ipse sententiam profert (4) his verbis: *scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis , qui secundum propositum*

(1) Ierem. I. 5.
(2) Ephes. I. 4.
(3) Ephes. I. 11.
(4) Rom. VIII. 28.

vocati sunt. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et iustificavit; quos autem iustificavit, illos et glorificavit. Similia de seipso declarat (1) dicens: *quum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, revelare Filium suum in me* ».

Unde de utroque ordine iustorum impiorumque (2) concludit: « Quemadmodum igitur *quum eos praescivisset*, qui amaturi ipsum erant, *etiam praedestinavit:* sic et impios *quum* praevidisset iustitiam loquuturos, *utpote qui nossent illam*, sed ipsam tamen operibus non esse adituros; *ideo alienavit eos a vulva; et vel antequam fierent*, in errantium et mendacia loquentium numero παρ' ἑαυτῳ *apud semetipsum* computavit; permisit tamen, etsi tales futuros esse nosset, ut palam prodirent, quo praestantia iustorum religiosorumque hominum ex peiorum comparatione eluceret. Nam quum ex una omnes natura constarent; libero usi arbitrio, alii quidem sponte bonum elegerunt, alii contrariam iniere viam. At excelsus magnusque ille universorum iudex utrique ordini praesidens, pro merito cuique tribuit. Quare sui amatores gloria affecit, conformes imagini Filii sui exhibens, quippe qui amorem erga se operibus comprobarint; τους δε εναντιους, ὡς ἀν ἑαυτους ἀπαλλοτριωσαντας της αὐτου χαριτος καταβαλλει, alios vero ipsis oppositos, *utpote qui sese ab ejus gratia abalienarint*, deiicit . . . , αὐτους ἑαυτοις το τοιουτον προξενησαντες τελος, *quum ipsi talem finem exitumque sibi procurarint* ».

CCII.

Triplex igitur secerni habitus debet, quo Deus ad hominum genus refertur: *habitus reparationis, habitus damnationis*, et *habitus praedestinationis*. Prior, idemque Dei reparantis habitus est *a*) ad amplitudinem quod pertinet, *universalis* : *b*) non aliunde quam *ex divina pietate ac misericordia*

(1) Gal. I. 15.
(2) Ibid. pagg. 258—259.

prodit: *c*) non aliam habet praelucentem scientiam, quam *miseriae communis:* eoque *d*) spectat, ut *idoneis auxiliis* omnes erigat, vimque omnibus largiatur, *qua* et lethiferum morbum vincere, et pristinam sanitatem recuperare *possint.*

Alter vero habitus, idemque Dei condemnantis est *a*) amplitudine atque extensione *circumscriptus*; *b*) scientiam *consequitur*, qua Deus ab aeterno novit *suae misericordiae contemptum*, atque in eiusmodi contemptu *obfirmatam ad extremum usque voluntatem:* unde *c*) habitus est, qui *iustitiae* ac *voluntati secundae* tribui debet.

Succedit postremus habitus, idemque Dei praedestinantis, qui non est *uniusmodi*, sed omnino *trifariam* patet; quando Deus praedestinet 1) *ad gratiam*, 2) *ad bona opera, ipsamque perseverantiam*, et 3) *ad gloriam* atque *coronam*. Iamvero habitus Dei praedestinantis ad gratiam ab eo non distat, qui *ex decreto reparationis* existit; *iisdemque* propterea *notis* et *characteribus iisdem* insignitur. At habitus Dei praedestinantis ad bona opera, finalemque perseverantiam *a*) praecedentem exigit scientiam *liberae cooperationis*, qua homines praevenienti gratiae obsequantur: unde *b*) habitus est *extensione particularis: c*) *conditione affectus*, quique *d*) *voluntati consequenti* tribuendus est. Quae quidem et de habitu Dei ad gloriam praedestinantis necesse est repetere. Est enim habitus, qui *a*) praeeuntem habet scientiam *finalis perseverantiae*: atque habitus idcirco est *b*) non universalis et infinitus, sed *definitus* et *circumscriptus: c*) *a conditione non solutus: d*) *proprius voluntatis consequentis:* quemque Deus *e*) utpote *iudex* et *aequissimus retributor* induit ac praesefert.

Quod nisi ita foret, ac nisi libera nostra cooperatio exigeretur, omnes quotquot sunt homines, sempiterna felicitate certissime potirentur. « Laetam enim, inquit (1) Eusebius, salutaremqne hominum cum Deo necessitudinem, missus ad nos caelitus *ἐκ του παναγαθου θεου*, *ex Deo summe bono Deus Verbum*, *ὥσπερ τις ἀπειρομεγεθους φωτος αὐγη*, *πασιν ἀνθρωποις εὐαγγελιζεται*, *sic tamquam splendor aliquis immensi luminis*, *cunctis hominibus feliciter annunciat.* Is non

(1) Praeparat. Evang. lib. I. cap. I. pagg. 2—3. edit. Paris. 1628.

ex uno alterove loco, sed ex omnibus orbis universi nationibus homines ad rerum omnium Deum vehementer invitat, graecosque pariter ac barbaros, viros simul feminas ac puerulos, inopes aeque ac divites, sapientes et idiotas, ut properare, oblatumque munus omni cum animorum alacritate ac studio suscipere velint, exstimulat: ac ne ipsum quidem servile genus ab eiusmodi societate vocationis excludit. ὅτι δὴ μιαν την παντων οὐσιαν τε και φυσιν ὁ πατηρ αὐτων συστησαμενος, μιας εἰκοτως και της ἰσης παντας παλιν μεγαλοδωρεας ἠξιωσε, την προς αὐτον γνωσιν τε και φιλιαν ἁπασι τοις ὑπακουειν ἐθελουσι, και την χαριν εὐμαρως ἀσπαζομενοις δωρουμενος. Quippe qui una eademque omnes substantia naturaque procreavit: *omnium parens*, is iure omnes pariter in unius aequalisque munificentiae communionem adscivit, notitiam amoremque sui cum iis omnibus prolixe communicans, qui morem vocanti gerere, gratiaeque suae beneficium libenter accipere complectique voluerint ».

CCIII.

Cui praeclarissimo Eusebii testimonio alterum postremumque addo Cyrilli, qui quarto seculo hierosolymitanam ecclesiam rexit, qui a Theodorito (1) των ἀποστολικων δογματων προθυμως ὑπερμαχων, *apostolicae doctrinae acerrimus propugnator* nuncupatur, et cuius pro veritate catholica auctoritatem frequentes usurparunt quum (2) idem Theodoritus, tum (3) Gelasius, Eustratius (4), Leontius byzantinus (5), Anastasius sinaita (6), Maximus (7), synodus lateranensis (8), praeside Martino I. celebrata, Johannes damascenus (9), ipsum-

(1) H. E. lib. II. cap. XXVI.

(2) In dialogo, qui inscribitur, *Inconfusus*.

(3) In libro de duabus naturis.

(4) In libro de utilitate precum pro defunctis, apud Leonem Allatium in opere de Purgatorio.

(5) Con. Nestorium et Eutychem, lib. I.

(6) Hodegi. cap. X.

(7) In tomo dogmatico ad Stephanum dorensem.

(8) Act. V.

(9) De imaginibus. Orat. III.

que concilium nicaenum II. (1), oecumenicum VIII. Cyrillus itaque nihil habet antiquius, quam ut infinitam Dei bonitatem ac in hominum genus clementiam summis efferat laudibus, propriisque veluti coloribus depingat. « Non enim, inquit (2) gnosticos (3) refellens, quia vocatur *bonus* et iustus et omnipotens et (4) Sabaoth, idcirco varius est et diversus; sed unus et idem quum sit, *μυριας ἐκπεμπει τας της θεοτητος ἐνεργειας*, innumeras divinitatis operationes emittit. Non aliqua ex parte plus habens, alia minus; *ἀλλ' ἐν πασιν ὁμοιος ὢν αὐτος ἑαυτῳ*, sed in omnibus similis sibi ipsi. Non in bonitate solum magnus, et sapientia minor; *ἀλλ' ἰσοδυναμον ἐχων την σοφιαν και την φιλανθρωπιαν*, sed parem eiusdemque potestatis habens *sapientiam et benignitatem* ». Cuius benignitatis ea vis est, ut de ea Cyrillus (1) scribat: « *πληρη τα περατα του κοσμου της ἀγαθοτητος αὐτου· πληρης πασα ἡ κτισις της αἰνεσεως αὐτου· πληρης πασα ἡ ἀνθρωποτης της συγκαταβασεως αὐτου. τα οὐρανια, τα ἐπιγεια, τα καταχθονια, πληρη της εὐσπλαγχνιας αὐτου· πληρη του ἐλεους αὐτου· πληρη των οἰκτιρμων· πληρη των δωρεων· πληρη των εὐεργεσιων αὐτου*. Plena sunt mundi extrema bonitate eius: plena eius laudis universa creatura: *plenum omne hominum genus misericordissimae eius ad nos demissionis*. Caelestia, terrestria, infera, misericordiae eius plena, plena miserationis, *plena misericordiae effectuum*, *plena donorum*, *beneficentiarum ipsius plena* » Adeo ut, pergit (6) Cyrillus: « Nemo hominum clementiam eius pro dignitate explicare possit; immo etiamsi omnes hominum linguae in unum conveniant, *οὐδ'*

(1) Act. V.

(2) Catech. VI. §. VII. p. 91. edit. Paris. 1720.

(3) Qui, teste Irenaeo lib. II. cap. XXXV. n. 3., pro distinctis nominibus totidem distinctas virtutes, immo totidem distinctos Deos procudebant.

(4) Videtur Cyrillus nomen *Sabaoth* inter propria Dei nomina, eiusque dotes exprimentia recensere. Atqui eo designantur virtutes atque exercitus sive siderum, sive angelorum. Confer tamen Irenaeum lib. II. cap. XXXV. n. 3, Ambrosium de Fide, lib. IV. cap. I. n. 13, et Prudentium, Apotheos. carm. V. v. 51: *est impossibile spectare profunda Sabaoth*.

(5) Orat. in occursum D. N. I. C. §. III. p. 383.

(6) Catech. II. §. X. p. 26.

οὕτως μερος τι της του θεου φιλανθρωπιας διηγησασθαι δυνησονται, ne sic quidem partem aliquam benignitatis eius enarrare sufficiant ».

Sane (1) ὁ κτιστης ἀγαθος ὢν, ἐπι ἐργοις ἀγαθοις ἐκτισεν· το δε κτισθεν, ἐξ οἰκειας προαιρεσεως εἰς πονηριαν ἐτραπε, *creator quum sit bonus, ad bona creavit opera; creata vero res ex propria electione in malitiam conversa est*. Ac (2) malitiae primus indulsit Satanas, et (3) δια τουτον ὁ προπατωρ ἡμων Ἀδαμ ἐξεβληθη, και ἀντι παραδεισου αὐτοματως θαυμασιους φεροντος καρπους, την ἀκανθοφορον ἀντικατηλλαξατο γην, *per hunc primus noster parens Adam expulsus est, ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem, terra spinas ferente permutavit.* Sed quinam fuit huius permutationis exitus? aut quaenam deinde extitit protoparentum ac totius posteritatis conditio? hanc ipsam sibi quaestionem enodandam Cyrillus proponit (4) his verbis: « Quid igitur? dixerit aliquis: decepti perivimus, nulla ne deinceps salus? cecidimus (5), num non licet resurgere? excaecati sumus, fas non est visum recuperare? claudi sumus effecti, spes non est aliquando recte incedendi? in summa dicam, mortui sumus, non licet ut resurgamus »? Respondet (6) vero: « An qui Lazarum, o homo, quatriduanum foetentemque excitavit, non potius viventem te facilius excitabit? qui pretiosum sanhuinem pro nobis effudit, ipse nos e peccato expediet. Ne de nobis ipsis desperemus: ne nos in desperatum abiiciamus statum. δεινον γαρ ἐστι το μη πιστευειν εἰς μετανοιας ἐλπιδα. *Crudele est non credere in spem poenitentiae.* Qui non exspectat salutem, mala absque modo accumulat: qui vero sanationem sperat, facile sibi ipsi parcit . . . ἡ μεν οὖν φυσις ἐπιδεχεται την σωτηριαν, ζητειται δε λοιπον ἡ προαιρεσις. *Natura igitur est capax salutis, verum ad hoc requiritur arbitrii voluntas* ».

Et naturam quidem, licet originali labe corruptam, sa-

(1) Ibid. §. I. p. 22.
(2) Cateh. II. §§. III—V. pagg. 22—24.
(3) Ibid. § IV. p. 24.
(4) Ibid. §. V. p. 24.
(5) Ierem. VIII. 4.
(6) Ibid. §. V. p. 24.

lutis nihilominus esse capacem; pluribus continuo docet confirmatque Cyrillus. Repetita namque (1) vulgatissima sententia, *φιλανθρωπος ὁ θεος, και φιλανθρωπος οὐκ ὀλιγον, benignus est Deus, et non modice benignus*, singulas ad Christum usque (2) percurrit humani generis aetates, totusque in eo incumbit, ut testimoniis argumentisque demonstret, *numquam vel unum extitisse hominem, qui facultate divinitus accepta consequendae salutis penitus caruerit*. Unde tandem (3) infert: « *φιλανθρωπος ὁ κυριος και ταχυς εἰς συγχωρησιν, βραδυς δε εἰς τιμωριαν. μηδεις οὐν ἀπελπιση της ἑαυτου σωτηριας*. Benignus est Dominus *et ad condonandum promptus, tardus autem ad ulciscendum. Nemo igitur suae salutis spem abiiciat* ».

CCIV.

Ac est profecto, cur omnes erecto sint animo, et sibimetipsis a divina clementia optima quaeque polliceantur. «Crucis enim (4) corona atque gloria *ἐφωταγωγησε μεν τους ἐν ἀγνωσιᾳ τυφλους, ἐλυσε δε παντας τους ὑπο της ἁμαρτιας κατεχομενους, και κοσμον ὁλον ἀνθρωπων ἐλυτρωσατο, et eos qui per ignorantiam caeci erant, illuminavit, et omnes sub peccato detentos solvit, et universum hominum mundum redemit* ». Propterea (5) enim omnia pertulit, *quod ἐπι σωτηριᾳ παντων ad salutem omnium venerit*. Propterea (6) omnia sustinuit, *quod pacificare* (7) *voluerit per sanguinem crucis, quae in caelis et quae in terra sunt*. « Inimici enim Dei per peccatum eramus, et definivit Deus peccantem mori oportere. Ex duobus igitur alterum fieri necesse erat: ut aut Deus sibi constans omnes interimeret, aut clementia usus latam sententiam dissolveret. *ἀλλα βλεπε θεου σοφιαν. ἐτηρησεν και τῃ ἀποφασει την ἀληθειαν, και τῃ φιλανθρωπιᾳ την ἐνεργειαν*. Ve-

(1) Ibid. § VI. p. 24.
(2) Ibid. §§. VI—XIX. pagg. 24—31.
(3) Ibid. §. XIX. p. 31.
(4) Catech. XIII. §. I. p. 183.
(5) Ibid. §. XXIX. p. 196.
(6) Ibid. §. XXXIII. p. 199.
(7) Coloss. I. 20.

rum Dei sapientiam demirare: suam servavit et sententiae firmitatem, *et bonitati efficaciam*. Assumpsit Christus (1) peccata in corpore suo super lignum, ut nos per mortem eius peccatis mortui, iustitiae viveremus. Non minimi pretii erat, qui pro nobis moriebatur: non erat ovis sensibilis: non erat nudus homo: non erat solummodo angelus, *ἀλλα θεος ἐνανθρωπησας, sed Deus inhumanatus.* Non tanta erat peccantium iniquitas, quanta eius qui nostri gratia moriebatur, iustitia; non tantum peccavimus, quantum ille iustitia excelluit, qui *pro nobis* animam posuit ». Sed *pro omnibus* ne posuit ? neque ductus orationis sinit, ut aliter existimemus: neque aliam significationem ferunt sive (2) haec, *ἐπαθεν οὐν Ἰησους κατ' ἀληθειαν ὑπερ παντων ἀνθρωπων, passus est igitur Iesus vere pro omnibus hominibus:* sive ista, quibus (3) meminit *Unigeniti Filii Dei et Salvatoris nostri, του την οἰκουμενικην, κατα τας θειας γραφας, ἐν Ἱεροσολυμοις τελεσαντος σωτηριαν, qui secundum divinas Scripturas salutem totius mundi Hierosolymis consummavit.*

Qua infinita prorsus divinae misericordiae largitate effectum est, ut nemini fas sit spem salutis deponere, ut omnibus gratia, eaque varia ac multiplex ad resipiscendum adsit, ut Deus excitam suo lumine, suoque inflammatam igne voluntatem longanimis exspectet, ac neminem penitus, nisi exacta praesenti vita, absolutoque mortalitatis stadio, deserat atque aspernetur. Apposite (4) Cyrillus : *μη ἀπογνωμεν ἑαυτους, μη ἀποῤῥιψωμεν ἑαυτους εἰς ἀνελπιστον καταστασιν, ne nos ipsos deiiciamus, ne desperationi nos ipsos demus.* Si enim (5) *quisquis es, o homo, et tu connitaris, operamque tuam non subtrahas, οὐ κεκωλυται σοι ἡ χαρις, neque a te gratia prohibebitur.* Immo varia ac multiplex praesto erit. Etenim (6) *ἑκαστῳ ποικιλος ὁ Σωτηρ γινεται προς το συμφερον τοις μεν*

(1) I. Petr. II. 24.

(2) Ibid. §. IV. p. 184.

(3) Epist. ad Constantium Imperatorem de signo lucidae crucis Hierosolymis viso, quod in caelis apparuit, §. VII. p. 354.

(4) Cateh. II. §. V. p. 24.

(5) Ibid. §. X. p. 26.

(6) Cateh. X. §. V. p. 138.

γαρ εὐφροσυνης χρειαν ἐχουσιν, ἀμπελος γινεται. τοις δε χρειαν ἐχουσιν εἰσελθειν, ἑστηκε θυρα· και τοις χρειαν ἐχουσι προσενεγκαι τας εὐχας, ἑστηκε μεσιτης ἀρχιερευς· παλιν τοις ἐχουσιν ἁμαρτιας γινεται προβατον, ἱνα ὑπερ αὐτων σφαγιασθῃ. τοις πασι γινεται παντα, μενων αὐτος κατα φυσιν ὁπερ ἐστι, *unicuique secundum quod ipsi conducit, varius Salvator efficitur. Quibus laetitia opus est, illis vinea fit: iis qui ingredi opus habent, ostium: iis qui preces offerendas habent, constitutus est mediator, summusque sacerdos. Rursus habentibus peccata, fit ovis, ut pro ipsis mactetur. Omnibus efficitur omnia, manens ipse secundum naturam id quod est.* Ideo autem (1) tot formas induit, quod ὁ θεος δαψιλης ἐστιν εἰς εὐεργεσιαν· περιμενει δε ἑκαστου την γνησιαν προαιρεσιν. δια τουτο ἐπηγαγεν ὁ Ἀποστολος λεγων, τοις κατα προθεσιν κλητοις οὐσιν· ἡ προθεσις γνησια οὐσα, κλητον σε ποιει, *liberalis est Deus ad benefaciendum; ceterum exspectat cuiusque sinceram voluntatem, propterea subiecit* (2) *Apostolus*, his qui secundum propositum vocati sunt. *Sincerum propositum quum adfuerit facit ut vocatus sis.* Quod sincerum propositum tamdiu opperitur Deus, quamdiu (3) in hac mortalitate versamur; et του ἀγωνος ἐν τῳ κοσμῳ τουτῳ συνεστωτος, *stante adhuc in hoc mundo certamine*, sicuti παντων των ἀγωνιστων το τελος ἐνδεχεται, *certantium omnium finem expectat*, ita neminem coronat, ac neminem funditus abiicit atque condemnat.

CCV.

Perfecimus quod nobis constitutum erat, *doctrinamque totius catholici nominis de voluntate Dei salutifera, deque universali reparationis ordine* ea cura, eoque studio inquisivimus, ut nobis suscepto operi non penitus defuisse videamur. Neque enim solum aliquot obscurosque testes in medium adduximus; sed omnes propemodum, syros, graecos, latinos, orientales occidentalesque interrogavimus: neque illorum

(1) Procatech. §. I. p. 2.
(2) Rom. VIII. 28.
(3) Cateh. XVIII. §. IV. p. 287.

pauca, mutila, dubiaque suffragia retulimus; sed plurimas, integras certissimasque testificationes descripsimus, expendimus, illustravimus, adeo ut reos nos potius prolixitatis satietatisque, quam defectus penuriaeque existimemus. Ecquae sane alicuius famae celebritatisque nomina praeterivimus? quas non lustravimus ecclesias? aut quid omisimus, quo quid singulae, quidve omnes senserint, tradiderint, defenderint, innotesceret?

Haec igitur dumtaxat reliqua esse videntur, quae a nobis expeti non immerito possint: ac principio quidem ut quae *ἀναλυτικως* seiuncta dispersaque dedimus, ea *συνθετικως* in unam summam, unumque fastigium complectamur: deinde vero, ut qui hisce profligentur errores, quaeque vicissim stabiliantur veritates, ostendamus. Utrumque autem certa *προισματων*, consequutionumque serie exequemur, eoque ordine exequemur, ut *corollaria* praevertant, quibus via complanatur: ea sequantur, quae veritatibus stabiliendis conducunt: eaque postremo loco succedant, quibus oppositi errores convelluntur. Praevertant *παρασκευαστικα*, sequantur *καταφατικα*, agmenque claudant *ἀποφατικα* et *ἐριστικα*.

CCVI.

COROLLARIUM. I.

Canones plerique omnes quos Martinus huius nominis primus edidit (1) in lateranensi synodo adversus monotheletas celebrata, his verbis concipiuntur; *εἰ τις οὐχ ὁμολογει κατα τους ἁγιους πατερας*, *si quis secundum sanctos patres* hoc illudve *non profitetur*; *εἰη κατακριτος*, *condemnatus sit.* Qua sane formula nihil evidentius, nihilque validius, ut quisque sibi persuadeat, *consensione Patrum regulam fidei contineri*, neque posse quemquam ab iis dissidere, quae Patres uno ore docuerint, unaque voce confirmarint, quin a veritate revelata devius aberret. Iamvero universa, quae praecedit, tractatione toti in eo fuimus, ut 1) fidem Patrum, unanimem-

(1) Act. seu Secret. V. coll. 357. seqq. Concil. T. VII. edit. Venet. 1729.

que sententiam exquireremus, exquisitam 2) inventamque referremus, et quid 3) aptum cum ea nexumque esset non candide minus quam perspicue proponeremus. Nemini igitur esse integrum potest ab iis dissentire, quae tanto auctoritatis pondere hucusqne stabilivimus.

CCVII.

COROLLARIUM II.

Augustinus contra Iulianum pro catholica veritate decertans, commemoratis (1) aliquot Occidentis praesulibus, qui doctrinam propagatae originalis culpae suis libris consignaverant, subdit (2): « An ideo contemnendos putes, quia occidentalis ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis episcopns ?... puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses, iam tunc periculosam iuventutem tuam pelagianis laqueis exuisses ». Et (3) mox: « Non est ergo cur provoces ad Orientis antistites, quia et ipsi utique christiani sunt, et utriusque partis terrarum fides ista una est ». Tum adiecto Gregorii nazianzeni (4) testimonio, pergit: » An tibi parva in uno Gregorio episcoporum orientalium videtur auctoritas? est quidem tanta persona, ut neque ille hoc nisi ex fide christiana omnibus notissima diceret, nec illi eum tam clarum haberent atque venerandum, nisi haec ab illo dicta ex regula notissimae veritatis agnoscerent ». Post quae, aliquot (5) praeterea recensitis Orientis doctoribus, tandem (6) inferendo concludit: « Convinceris undique: luce clariora sunt testimonia sanctorum. In quorum conventum te introduxe-

(1) Con. Iulian. lib. I. capp. III—IV. nn. 5—13.
(2) Ibid. cap. IV. n. 13.
(3) Ibid. n. 14.
(4) Ibid cap. V. nn. 15—16.
(5) Ibid. capp. V—VIII. nn. 16—30.
(6) Ibid. cap. VII. n. 30.

rim, conspice. Hic est mediolanensis Ambrosius . . . , hic est et constantinopolitanus Iohannes . . . , hic est Basilius . . . , hic sunt et ceteri , quorum te movere debeat tanta consensio . . . Ecce non ego unus, sed tot ac tanti sancti eruditique doctores, tibi pro me vel mecum , proque omnium nostrum, et tua ipsius, si sapis, salute respondent ». Quorum nihil omnino est , quod non mihi videar maiori etiam iure inculcare posse ac repetere. Testes enim adduxi prope ducentos, testimonia vero tot ac tanta, ut nisi sufficiant, plane me lateat , quid sufficiens existimari debeat. Est igitur cur qui legunt , secum animis reputent , in quem ego illos consessum introduxerim.

Heic adsunt romani praesules (1) , Clemens , Innocentius , Caelestinus ac Leo: adsunt viri apostolici (2) Barnabas , Ignatius et (3) Polycarpus : adsunt fortissimi martyres Iustinus (4) Irenaeus (5) et (6) Methodius : adsunt (7) Aegypti lumina, Clemens alexandrinus, Origenes, Dionysius alexandrinus, Athanasius, Didymus, Antonius magnus, uterque Macarius, Serapion, Theophilus, Petrus, Theonas, Phileas, Paphnutius, Orisiesius , Isidorus, Cyrillus et Sinesius: adsunt (8) Africae patres, Tertullianus, Minucius Felix, Cyprianus , Arnobius, Lactantius, Marius Victorinus, Optatus, Facundus et Primasius: adsunt (9) ex Hispania Prudentius, Pacianus, Orosius, Marius Mercator, Dracontius et (10) Isidorus: adsunt (11) ex Galliis Hilarius pictaviensis , Phoebadius, Sedulius, Caesarius, Valerianus, Appollinaris Sidonius, Avitus , Salvianus , utraque synodus arausicana et arelaten-

(1) §§. CLVI—CLIX.
(2) §§. CLXX—CLXXI.
(3) §. CLXXXII.
(4) §. CXCVIII.
(5) §. CXVIII.
(6) §. CC.
(7) §§. LXXII—LXXXIV.
(8) §§. XCIX—CXII.
(9) §§. CXIII—CXVI.
(10) §. XLII.
(11) §§. CXVII—CXXXIII.

sis, Prosper (1), Arnobius iunior (2), Gennadius (3), Hincmarus (4), Paschasius (5), et (6) Bernardus: adsunt ex Italia (7), Hippolytus, Ambrosius, Hieronymus, Zeno, Chromatius, Paulinus nolanus, Gaudentius (8) anonymus auctor de vocatione omnium gentium (9), Petrus chrysologus (10), Cassiodorius (11), Benedictus (12), Paulinus aquileiensis (13) et (14) Ratherius; adsunt antiocheni doctores (15), Theophilus, Nemesius, Titus bostrensis, Iacobus nisibenus, Isaacus Syrus, Thedoritus, Basilius seleuciensis, Eustathius, Anastasius ac Ephraem: adsunt (16) ex Asia, Thracia et Ponto, Athenagoras, auctor epistolae ad Diognetum, Gregorius neocaesariensis, Amphilochius iconiensis, Caesarius, Basilius, uterque Gregorius nazianzenus et nyssenus, Photius, et qui (17) nemini erat posthabendus, Iohannes chrysostomus: et ne reliquos (18) nominatim appellem, ex Palaestina (19) adsunt Tatianus, Eusebius caesariensis, Cyrillus hierosolymitanus et Aeneas gazaeus. Quorum omnium tantus est consensus, tan-

(1) §. LXII.
(2) §. XLI.
(3) §, XLI.
(4) §. XXXV.
(5) §. XXXVIII.
(6) §, XXX.
(7) §§. CXXXV—CXLV.
(8) §. XLVI.
(9) §. XLVII.
(10) §. L.
(11) §. LIII.
(12) §, XXXIX.
(13) §. XXXIX.
(14) §. XXXVIII.
(15) §§. CLXX— CLXXIX.
(16) §§. CLXXXIII—CXCV.
(17) §§. II—XII.
(18) Cuiusmodi sunt Oecumenius §. VII, Iohannes Damascenus §. XVII., Theophylactus §. XXI., uterque Anselmus cantuariensis et laudunensis §§. XXV— XXVIII., Rupertus §. XXIX., Atto §. XXXIV., Gildas §. XXXVIII., Venantius Fortunatus §. XL., auctor Praedestinati §. XLI., et Fastidius §. XLVI.
(19) §§. CXCIX—CCV.

taque ex consensu profecta auctoritas, ut nemo tam vecors reperiri possit, qui non ea summopere commoveatur.

CCVIII.

COROLLARIUM III.

Quamquam ex patrum suffragiis ducta probatio vim omnem suam ex consensione, eaque universali mutuetur; splendoris tamen nescio quid evidentiaeque ad eam accedit si una cum patribus in eamdem sententiam haereticorum quoque factiones conspirarint. « Nihil enim illustrius, inquit (1) Maranus, afferri potest ad plenam defensionem veritatis, quam sectarum cum ecclesiis catholicis consensus. Frigent cavillationes, ubi ad haec argumenta ventum est. Non enim verendum ne errorem ab haereticis catholici , aut a catholicis acceperint haeretici, aut utrique in suscipienda novitate coniuraverint ». Iamvero quemadmodum seculo IV. apollinaristae (2) *de voluntate Dei salutifera*, ita insequente seculo V. semipelagiani (3) *de reparata Christi sanguine hominum natura* unam eamdemque cum catholicis fidem docrinamque professi sunt. Haec igitur fides decertantium etiam consensione stabilita, atque haec doctrina dissidentium etiam suffragio comprobata non aliunde suam duxisse originem videri debet, quam ex primaeva et apostolica institutione.

CCIX.

COROLLARIUM IV.

Prisca recentique historia edocemur , haereticas sectas non magis ab ecclesia catholica quam a semetipsis dissidere, neque in illam vehementius furere, quam in semetipsas debacchentur. Mirum propterea accidere nullatenus debet, si

(1) De divinit. D. N. I. C. lib. II. cap. VII. §. I.

(2) §. CXCII.

(3) §§. LXII. seqq.

licet ex his nonnullae de voluntate Dei salutifera, deque universali reparationis ordine in unam eamdemque cum catholica ecclesia fidei professionem conspirarint; aliae contra extiterint quae repugnarent, quaeque viribus omnibus obniterentur. Ac extiterunt sane, et utrique professionis capiti seculis quarto, quinto, sexto et nono bellum acerrimum indixerunt. Sed quo exitu, quove fructu? non alio quam qui erat exspectandus, et quo fieret ut catholica persuasio atque consensio plenius luculentiusque enitesceret. Grassantibus enim eiusmodi sectis, non modo orthodoxi patres scriptoresque in pristina fide immoti constiterunt, sed illam praeterea (1) editis operibus, coactisque synodis (2) ἀγωνιστικως vindicarunt. Concertationibus ergo pugnisque haereticorum effectum est, ut catholica fides ac persuasio, quae a suis originibus ad consequutas aetates propagata εἰρηνικως fuerat, eadem assereretur validius, illustriusque splendesceret.

CCX.

COROLLARIUM V.

Non minimum augendae amplificandaeque auctoritati catholicae professionis conducit, si ea necessaria, si revelata divinitus, si ad fidei depositum pertinens, si certis suffulta sacrarum litterarum testimoniis, si indubitatis innixa argumentis ab iis dicatur, quibus et ius arbitrandi competit, et dignitas qua sibi fidem assensionemque concilient. Neque enim uniusmodi est eorum omnium, quae catholicum nomen profitetur, natura ac ratio: neque eodem pacto Christum esse θεανθρωπον credimus, et Deiparam una cum corpore ad caelestem beatitatem provectam existimamus. At consensio enimvero qua de agimus, quamque tanta testium nube stabilivimus, eiusmodi est, quae (3) certa explorataque dicitur, quae (4) di-

(1) §§. XXXV—XLVII—LXII—CXCII.

(2) §§. CXXXII—CXXXIII.

(3) §§. LXXII. seqq.

(4) §§. II. seqq §§. XLVII. seqq. §§. XCIX. seqq.

vinarum litterarum oraculis asseritur, quae (1) liturgicis monimentis adprobatur, quae (2) contenta revelationis deposito perhibetur, et ad quam vindicandam (3) argumenta omnigena usurpantur. Consensio est igitur, cui maximum tribui debet auctoritatis pondus, et qua non id novimus tantum, quod de voluntate Dei salutifera, deque reparati ordinis amplitudine *verum* est, sed etiam quod de utroque doctrinae capite *credatur* oportet.

CCXI.

COROLLARIUM VI.

Quae ad voluntatem Dei salutiferam ac reparati ordinis amplitudinem pertinent, tam arcte *cum spe*, *cumque poenitentiae doctrina* coniuguntur, ut consensio quae de illis extiterit, non potuerit non esse *vulgatissima*, et *normae instar* adhibita, ad quam ratio administrandae poenitentiae, impertiendaeque reconciliationis exigeretur. Et fuit sane vulgatissima, utpote (4) in *homiliis*, *in* (5) *catechesibus*, atque, (6) *in ipsis carminibus* expressa; unde (7) non christianis solum, verum *ipsis* quoque *gentilibus* innotuit: in ecclesia autem *ceu regula* haberi (8) consuevit, qua praeposterae de administranda poenitentia, conferendaque reconciliatione opiniones damnarentur. Quare huius consensionis id etiam *proprium* fuit, ut tam *pastoribus* ac *doctoribus* quam *gregibus plebique christianae* comperta esset atque explorata.

(1) §§. XLVII. seqq. §§. LXII. seqq. §§. CLXX—CXCVIII.
(2) §§. CXXIX—CXXXII.
(3) §§ LXXVI: seqq.
(4) §§. XLVI—L—CXVI—CXXIX.
(5) §§. CXCII—CCIII.
(6) §§. CXIII—CXV—CXXVIII—CXL.
(7) §§. XCIX. seqq.
(8) §§. CLVI—CLIX.

CCXII.

COROLLARIUM VII.

Nemo neget consensione patrum quae universalitate commendetur, quaeque fuerit adversus haereticos propugnata, Bibliorum testimoniis asserta, omnigenis argumentis communita, publice solemniterque proposita, ac instar regulae habita, qua gravissimae quaestiones de poenitentia deque reconciliatione dirimerentur, *dogmaticam apostolicamque traditionem* contineri. Eam nimirum traditionem, cuius vim et decretoriam ad faciendam fidem auctoritatem diligentissime prae ceteris explicarunt (1) Tertullianus, Hegesippus (2), et sexcentis in locis (3) Irenaeus, qui inter alia sic (4) habet: » Hanc praedicationem cum acceperit, et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter *credit* iis, videlicet quasi unam animam habens et unum cor, et *consonanter* haec *praedicat* et *docet* et *tradit*, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen *virtus traditionis* una et eadem est. Et neque hae, quae in Germania sunt fundatae ecclesiae aliter *credunt*, aut aliter *tradunt*: neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Aegypto, neque hae quae in Libya, neque hae quae in medio mundi constitutae ». Porro, subdit Tertullianus, *haec virtus traditionis, haec regula a Christo instituta, nullas habet apud nos quaestiones, nisi quas haereses inferunt, et quae haereticos faciunt.*

Iamvero eam nos consensionem in medium produximus, quae universalitate refulget, quae non alia sed una eadem-

(1) De praescriptt. capp. XIII—XXI.

(2) Apud Eusebium, H. E. lib. IV. cap. XXI.

(3) Con. Haeres. lib. III. capp. II—III—IV—V—XXIV, lib. VI. c. XXXIII. et l. V. cap. XX.

(4) Ibid. lib. I. cap. X. n. 2.

que constanter fuit apud italos (1), gallos (2), hispanos (3), anglos (4), africanos (5), aegyptios (6), orientales (7), syros (8), Thraciae, Ponti Asiaeque (9) incolas, ac tandem (10) palestinos, quamque ecclesiae doctores adversus haereticos defenderunt, Bibliorum oraculis aliisque argumentis vindicarunt, publice solemniterque proposuerunt, habueruntque loco regulae ac normae, qua veras sincerasque de poenitentia deque reconciliatione doctrinas stabilirent. Praesto igitur nobis est *dogmatica et apostolica traditio*, quae nullas apud christianos quaestiones patitur, et a qua nemo citra manifestum fidei periculum discedit. « Post apostolos enim et prophetas, ut verissime Leontius byzantinus monuit in priore libro contra Nestorium et Eutychem, doctores posuit in ecclesia Deus, secundum providentiam Spiritus-sancti incomprehensam, in opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi. Quare qui patres illos non recipit, qui in ecclesia clari celebresque sunt, plane ordinationi et constitutioni Dei resistit ».

CCXIII.

COROLLARIUM VIII.

Licet dogmatica et apostolica traditio *auctoritatis vi ac pondere* una sit eademque; *obiecto* nihilominus et *materia* in *συστατικὴν, constituentem*, ac *ἐξηγητικὴν*, *enarrantem* rite dispescitur. Meminit huius distributionis in Commonitorio Vincentius, ac illius sic membra declaravit, ut *traditionis constituentis* nomine intelligi ea debeat, cui obiecti instar ma-

(1) §§. CXXXV—CXLV—CLIX.
(2) §§. CXVII—CXXXIII.
(3) §§. CXIII—CXVI.
(4) §§. XXV—XXXVIII—XLVI.
(5) §§. XCIX—CXII.
(6) §§. LXXII—LXXXIV.
(7) §§. CLXV—CLXXVI.
(8) §. CLXXIX.
(9) §§. CLXXXII—CXCV.
(10) §§. CXCVIII—CCV.

teriaeque subsunt dogmata fideique placita, *de quibus altum in Scripturis silentium est, quaeque ore primum accepta, nonnisi ministerio institutorum divinitus testium propagantur*: nomine vero ac appellatione traditionis enarrantis ea significetur, *qua dogmata divinis comprehensa litteris uberius explicantur, proponuntur nitidius, ac ita circumscribuntur, ut neque corrumpi, neque in alienos detorqueri sensus ullatenus possint*. Cuius posterioris traditionis *supremam* esse *necessitatem*, quum eo nomine liquet, quod auctore (1) Origene, *universe propositum fuerit tam Spiritui qui erat in prophetis, quam verbo Christi quod in apostolis erat, occultare veritatis sensa nec aperte proferre*; adeo ut (2) Augustino et Prospero testibus, *frequentes in Scripturis sanctis mysteriorum profunditates occurrant, quae ob hoc teguntur ne vilescant, ob hoc quaeruntur ut exerceant, ob hoc aperiuntur ut pascant*: tum ex iis splendide innotescit, quae (3) Irenaeus scribit de haereticis, *qui cum ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur Scripturarum, quasi non recte habeant, neque sint ex auctoritate, et quia varie sint dictae, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem*. Postquam enim haeretici, ut in altera contra arianos oratione Athanasius monet, *κανονα επι καρδιαν ασεβειαν, impietatem in corde suo pro canone constituerint, προς τουτον παντα τα θεια λογια διαστρεφουσι, ad eum divina omnia corrumpunt oracula*.

Quae quum ita sint, sua veluti sponte quaestio occurrit, *cuiusmodi* ea censeri traditio debeat, quam retulimus, *quidve ex ea utilitatis ac fructus* nobis non immerito polliceamur. Manifestum autem est, eam traditionem non esse *συστατικην* sed *ἐξηγητικην*, ac ex ea praeclarum percipi emolumentum. Manifestum in primis est, illam esse *ἐξηγητικην*: quidquid enim ea patres docent, quidquid unanimes confirmant ac tuentur, ex Scripturis eliciunt, ad Scripturas revo-

(1) Philocal. cap. IX.

(2) Apud Prosperum ex Augustino, sentent. LXVII. Plura eodem spectantia docet Iobius apud Photium, Cod. CCXXII.

(3) Con. Haeres. lib. III. cap. II.

cant, ac intime cum Scripturis iunctum ostendunt. Ex ea vero emolumentum percipi singulare, illi omnes ultro concedent, qui secum ipsis perpendant, sive quantopere intersit germanam Scripturarum vim potestatemque tenere, sive quot fuerint adhibitae artes, ut caelestia oracula ad voluntatem Dei salutiferam, reparatique ordinis amplitudinem spectantia ad alienos praeposterosque sensus detorquerentur.

CCXIV.

COROLLARIUM IX.

Expositis consectariis quibus via ad aestimandam, uti decet, patrum doctrinam traditionemque catholicam insternitur et complanatur; ad ea venio, quae (1) καταφατικα nuncupavi, eoque pertinent ut unanimem christiani nominis fidem sententiamque in quadam veluti depictam tabula exhibeant ac repraesentent. Quod autem se initio offert, animoque succurrit, istud est, *cuiusmodi credi habitus debeat, qui Deum inter ac protoparentes tum extitit, quum hi primum in lucem prodierunt, et antequam praevaricatione atque culpa a Deo averterentur.* Atqui traditionis, patrumque omnium (2) haec est responsio concors, *credi habitum oportere incredibilis cuiusdam amoris eximiaeque caritatis.* Nonnisi amore excitus Deus hominem condidit: amoris fuit, quod hominem *praeternaturalibus immortalitatis*, *integritatisque muneribus* auxerit: et amori tribui debet, quod hominem *supernaturalibus caelestis similitudinis*, *gratiae*, *divinaeque filiationis ornamentis* locupletarit. In hoc primo humanitatis stadio *unus* regnavit *amor*, et Deus qui *amor* est, suam in eo gloriam collocavit, ut semet ceu amor efficax ac beneficus splendidissime patefaceret. Ceu amor efficax ac beneficus in creando homine innotuit: ac multo etiam splendidius ceu amor efficax et beneficus refulsit, quum hominem a se creatum non *nativis* solum dotibus iisque eximiis, sed aliis insuper tam

(1) §. CCV.
(2) §§. CLXXII—CLXXVI.—CLXXVIII.

praeternaturalibus quam *supernaturalibus* eo usque ditavit, *ut in homine viva suimetipsius similitudo, adoptivus filius et ad paternam beatitatem destinatus appareret.*

CCXV.

COROLLARIUM X.

Peccavit Adam, ac *universa* in eo peccavit *humanitas*. Hac autem *originali communique labe* infecta hominum natura, abruptus continuo is nexus fuit, quo Deus cum humanitate vinciebatur; et *duplex antecedens respectus* hinc *patris*, inde vero *filii*, in habitum relationemque *iudicis reique* culpae poenaeque obnoxii commutatus est. Sicut enim Deus, qui *ante* praevaricationem et culpam *personam patris* gerebat, *post* praevaricationem et culpam *personam* induit *iudicis*, eaque indutus (1) ream humanitatem morti addixit, et praeternaturalibus ac supernaturalibus donis privavit; ita humanitas, quae *adhuc* pura *habitu filii* ad Deum referebatur, *deturpata* atque *corrupta rei personam* subivit, *amissaque potestate* (2) adeundae paternae hereditatis, *in miserrimam pereundi necessitatem* prolapsa est. Scilicet culpa hominumque scelere prima institutione subversa, *statum felicitatis miseriae status* excepit, *ordini benevolentiae ac amoris ordo severitatis iustitiaeque* successit, *et plena suisque absoluta numeris consequendae paternae hereditatis facultas in tristem amaramque pereundi necessitatem* degeneravit.

CCXVI.

COROLLARIUM XI.

Illatum humana culpa damnum solvit Deus, lethifero vulneri medicinam adhibuit, pereundi necessitatem avertit, copiam facultatemque adeundae hereditatis restituit, et in Chri-

(1) §§. LXXVI—XCVIII—CXVIII—CXXXV—CXL—CLXXXIII.
(2) §§. CLVII—CLIX.

sto ac per Christum suum opus, perditamque humanitatem reparavit. Neque enim, ut uno ore (1) catholici doctores contestantur, sic Deus *personam* induit *iudicis* ut *personam* exuerit *patris*; neque *iustitiae* eo usque indulsit, ut operis sui, suaeque imaginis oblitus videretur. Punivit *pro sua iustitia* deviam humanitatem, sed illam *pro sua pietate* in viam reduxit; omnes *in Adamo* damnavit, sed vicissim omnes *in Christo* absolvit: omnes *in primo homine* proscripsit, gratia adoptionis privavit, et facultate exuit, qua sempiterna hereditate potirentur; sed omnes vicissim *in secundo homine* revocavit, copiamque omnibus fecit recuperandae adoptionis ac salutis.

CCXVII.

COROLLARIUM XII

Quare *duplex* post originalem praevaricationem secerni accurate debet *humanitatis status*, in Adamo alter, alter in Christo: alter spectata hominis opera, ac alter spectata intervenientis pietatis indulgentia: alter denique prae Deo humanitatem in Adamo condemnante, ac alter prae Deo humanitatem in Christo reparante. Quemadmodum enim in Adamo universa periit humanitas, et ex eo non aliter ac ex corrupto fonte status perditionis erupit; ita in Christo humanitas universa restituta fuit, ac ex eo status salutis dimanavit. Quemadmodum spectata hominis opera, spes omnino omnis salutis exaruit; ita spectata intervenientis pietatis indulgentia, spes salutis refloruit. Et quemadmodum prae Deo humanitatem in Adamo condemnante nemo salvus esse potuit; ita prae Deo humanitatem in Christo reparante nemo est qui sibi non possit ac vero etiam debeat vitam sospitatemque polliceri.

(1) §§. LXXV—LXXXIV—C—CIX—CXVI—CXVIII—CXXIII—CXXXV. et passim in commentario.

CCXVIII.

COROLLARIUM XIII.

Quum duo hi status tanto ab invicem intervallo separentur, non opportunum dumtaxat, sed plane necessarium videri debet *idonea* seligere *vocabula*, quibus uterque nominatim compelletur. Nulla autem opportuniora succurrunt, quam si prior status *damnationis* dicatur et *hypotheticus*, posterior vero *reparationis* et *absolutus*. Ac prior sane est apteque dicitur status damnationis et hypotheticus, tum quia omnes in Adamo homines iudicium condemnationis subierunt, tum quia extitisset, nisi (1) misericordia per Christum intercessisset. Posterior vero iure suo status reparationis, isque absolutus nominatur : reparationis quidem, quia Deo propter Christum reparanti in acceptis referri debet: absolutus autem, quia revera existit, ac ille est, in quo hominum genus reipsa versatur.

CCXIX.

COROLLARIUM XIV.

Porro haec ita comparata sunt, ut perspicue ostendant *tres humanitatis status*, eosdemque diversissimos citra erroris periculum confundi non posse. Nemo enim est qui non intelligat, quantopere periculosum sit, aut statum ante ruinam ab eo non distinguere, qui ruinam consequutus est; aut statum damnationis et hypotheticum cum statu reparationis absolutoque commiscere. Hoc autem discrimine praestituto, quisque videt quid responderi debeat sciscitantibus, cuiusmodi sit status ille, in quo hominum genus reperitur. Responderi (2) namque debet, statum esse non hypotheticum sed absolutum, non damnationis et interitus sed repationis ac salutis.

(1) §. CLIX.

(2) Pagg. 212—246—257—280—309—334 ...

CCXX.

COROLLARIUM XV.

Cuius status et ratio investiganda est penitius, et natura enucleatius declaranda. Quod praeeuntibus ecclesiae patribus, et christiana revelatione facem praeferente, uti par est, exsequemur, si principio illius *originem*, ac *multiplices* deinde *dotes proprietatesque* exquiramus. Et ad originem quod spectat, haec est indubitata (1) traditionis sententia: *non aliam reparati status principem supremamque caussam inveniri assignarique posse, quam misericordem Dei in hominum genus amorem* Et *amorem* quidem, quo insita Deus bonitate excitus *imaginem suam*, corruptam licet depravatamque dilexerit: *amorem* autem *misericordem*, quod *miseris* Deus praesto fuerit, *indignisque* prospexerit. Ad hunc amorem misericordem, tamquam ad supremum reparationis fontem, unanimes provocant Orientis, Occidentisque doctores: hunc extollunt: excessum benignitatis efferunt: misericordiam summis laudibus prosequuntur: Scripturisque (2) inhaerentes, quemadmodum Deum ἀγαπην dicunt, sic illi σπλαγχνα ἐλεους tribuunt, illumque τον πατερα των οἰκτιρμων και θεον πασης παρακλησεως salutant.

CCXXI.

COROLLARIUM XVI.

Ab hac *principe* reparati ordinis *caussa* seiungi *altera* nequit, eademque *meritoria*, quae *Unigeniti dispensatione*, *profusoque sanguine* continetur. Deus enim, quae est illius infinita perfectio, *neque diligere humanitatem corruptam potuit, nisi ea prius refingeretur, neque humanitatis culpae poenaeque obnoxiae misereri, nisi laesae violataeque iustitiae satisfieret.* Ut igitur (3) το μυστηριον του θεληματος αὐτου κατα την εὐδοκιαν

(1) Pag. 210—224—246—297—327—359—380—389—404.....
(2) I. Ioh. IV. 8. Luc. I. 78 et II. Cor. I. 3.
(3) Ephes. I. 9.

αὐτου exequutioni mandaret, dedit (1) *τον υἱον αὐτου τον μονογενη*, redemptorem captivis, vindicem oppressis, spem vitae mortuis, qui opem ferret indigentibus, abstergeret maculas, deleret crimina, vitia dilueret, divinam similitudinem excitaret, amissam dotem restitueret, *λυτρον* pretiosissimum solveret ac omnibus (2) fieret *αἰτιος σωτηριας αἰωνιου*. De qua *meritoria reparati ordinis caussa* tot tantaque in christianis monimentis testimonia recurrunt, ut nullum facile reperire liceat doctrinae caput sive frequentius traditum, sive pleniori consensione stabilitum. Huic enim patrocinantur (3) romani antistites, huic suffragantur (4) itali, galli (5), hispani (6), africanique patres (7), hoc unanimes tradunt sive qui (8) Aegypti, sive qui (9) Orientis, sive qui (10) Asiae, Thraciae et Ponti, sive qui (11) Palestinae ecclesias illustrarunt; adeo ut christiani nominis universi haec sit fides, communisque professio: *reparatae humanitatis ordinem divino amori, divinaeque in Christo et per Christum misericordiae tribui oportere.*

CCXXII.

COROLLARIUM XVII.

Si caussa reparati ordinis meritoria paullo consideretur intimius, dubium esse non poterit, *duplici* illam ad Deum *σχεσει*, *habituque* referri. Ad Deum namque refertur *misericordem et bonum*, et scriptum propterea (12) legimus, *οὑτως ἠγαπησεν ὁ θεος τον κοσμον, ὡστε τον ὑιον αὐτου τον μονογενη*

(1) Ioh. III. 16.
(2) Hebr. V. 9.
(3) §§. CLVI—CLIX.
(4) §§. CXXXV—CXLV.
(5) §§. CXVII—CXXXIII.
(6) §§. CXIII—CXVI.
(7) §§. XCIX—CXII.
(8) §§. LXXIII—LXXXIV.
(9) §§. CLXV—CLXXIX.
(10) §§. CLXXXII—CXCV.
(11) §§. CXCVIII—CCV.
(12) Ioh. III. 16.

ἐδωκεν: ac (1) iterum, *οὐ γαρ ἀπεστειλεν ὁ θεος τον υἱον αὐτου εἰς τον κοσμον, ἱνα κρινῃ τον κοσμον, ἀλλ' ἱνα σωθῃ ὁ κοσμος δἰ αὐτου*: et (2) denuo, *δια σπλαγχνα ἐλεους θεου ἡμων, ἐν οἱς ἐπεσκεψατο ἡμας ἀνατολη ἐξ ὑψους*. Tum ad Deum refertur *suarum legum vindicem, suaeque iustitiae assertorem*, quo haec (3) inter alia pertinent: *sine sanguinis effusione non fit remissio, ac necesse proinde fuit ut appareret Christus ad destructionem peccati per oblationem suimetipsius: peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: in ipso habemus redemptionem per ipsius sanguinem, et remissionem peccatorum: cum adhuc peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum: complacuit Patri per eum reconciliare omnia in ipsum, pace facta per sanguinem crucis eius: cum inimici essemus reconciliati salvi erimus in vita ipsius: Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*, et sicut venit dare, ita *et dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, adeo ut *in ipso habeamus redemptionem per sanguinem eius: pretio empti sumus, neque corruptibilibus auro vel argento redempti sumus, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati et incontaminati Christi*. Unde si ea nobis proponeretur quaestio, quam David (4) quondam philistaei proposuerunt, *quomodo possumus placare Dominum nostrum?* nihil suppeteret quod responderemus, nisi *in nomine Iesu. Non* (5) *enim est in alio aliquo salus, nec aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Iamvero si meritoria reparationis caussa priori modo consideretur, et cum Deo componatur, qui (6) *commendavit suam in nos caritatem, qua proprio Filio non pepercit, sed*

(1) Ibid. v. 17.

(2) Luc. I. 78.

(3) Hebr. IX. 21—26, I. Petr. II. 24, Coloss. I. 14, Rom. VIII. 8. 9, II. Cor. V. 19, Coloss. I. 19—22, Rom. V. 10, Matth. XX. 28, I. Tim. II. 6, Ephes. I. 7, I. Cor. VII. 23, et I. Petr. I. 18—19.

(4) I. Reg. XXIX. 4.

(5) Actt. IV. 12.

(6) Rom. V. 8. coll. VIII. 32.

pro nobis omnibus tradidit illum; nihil manifestius, quam Christum eiusque *οἰκονομιαν donum* esse *amoris miserantis*. Sin autem posteriori modo consideretur, et ad Deum referatur, qui (1) *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso*, quique *in eo posuit iniquitates omnium nostrum*; luculenter apparet, tam Christum ipsum quam eiusdem *οἰκονομιαν* et *pretium* esse laesae iustititae persolutum, et misericordiae *incitamentum*, et amoris erga nos divini *meritum infinitum*. E quibus tandem assequimur, reparationis ordinem ex amore misericordiaque profectum *cum iustititiae legibus* aptissime consentire, ac in amorem denuo misericordiamque *recurrere*.

CCXXIII.

COROLLARIUM XIX.

Comperta reparati ordinis caussa quum principe tum meritoria, illud sua sponte consequitur, ut *utriusque dotes proprietatesque* ex ordine declarentur. Inter dotes vero proprietatesque principis caussae, amorisque misericordis ea excellit ac eminet, quae *temporis personarumque universalitate* continetur. Hanc (2) syri, graeci, latinique patres inculcant: hanc pluribus exornant: atque hanc multiplici argumentorum genere confirmant. Confirmant enim *perspicuis divinarum litterarum oraculis*: confirmant *momentis ex δογματων concentu harmoniaque* desumptis: et *rationibus* confirmant *ex insita Dei indole, humanitatisque conditione* repetitis. Quare ratum est fixumque christianae traditionis theorema: *una cum* (3) *humanitatis ruina eiusdem coepisse reparationem, ac hominum omnino neminem aliquando in lucem prodiisse, qui ad statum reparatae humanitatis non pertineret.*

(1) II. Cor. V. 21. coll. Is. LIII. 6,

(2) Pagg. 203 —206—224—246 —255—284 —351—355—380—389 —417 . . . . . .

(3) Pagg. 360 —362 —378—399—401 . . . . . .

CCXXIV.

COROLLARIUM XX.

Quae ne possent perverti, ac in alienos a veritate sensus detorqueri; nihil reliqui fecerunt christianae traditionis testes, ut illorum vim potestatemque accuratissime definirent. *Ecquae* igitur, ipsis auctoribus, intelligenda est *temporis universalitas?* nimirum (1) eiusmodi, quae *nullam prorsus aetatem, nullumque* excludat *humanitatis stadium*: non illud quod generale diluvium praevertit: non illud quod ad latam usque legem defluxit: non illud quod ad Christum usque pervenit: non illud quod ad consummationem usque seculi decurret. *De universalitate* vero *personarum* quid statui, quidve credi debet? credendum est, sic *omnibus* amore misericordi esse consultum, ut non *singulis* minus prospectum sit. Credendum est, ordinem reparatum *ad universam humanitatem ita pertinere*, ut *ad singulos ex aequo* pertineat. Credendum est, *eum* esse restituti ordinis *ambitum*, qui *omnes et singulos pariter* complectatur.

CCXXV.

COROLLARIUM XXI.

Universalem reparati ordinis amplitudinem *dos altera* excipit, quam *eiusdem virtutem efficaciamque* dicere non incommode possumus. Haec ipsius reparationis *idea notitiaque* continetur: haec *necessarius* est *amoris fructus*: haec divelli *a misericordia* nequit: atque hanc ordini reparato (2) *una mente, unoque ore* catholici patres adscribunt. Fac enim illos sive omnes atque coniunctim, sive singulos ac divisim interroges, cuiusmodi reparatus ordo existimari debeat, *sterilis* ne et *infecundus*, an contra *ferax* et *actuosus*. Ab omni-

(1) Ita unanimes iis locis docent, quos modo innuimus.

(2) §§. LXXIV—LXXVI—LXXVIII—LXXXIV—C—CX—CXV, ac alibi centies.

bus pariter singulisque audies: reparationem sterilem et infecundam ne animo quidem concipi posse : amorem *torpentem* non esse amorem : misericordiam nativo pondere in multiplices effectus erumpere : statum propterea reparationis feracem esse et actuosum.

CCXXVI.

COROLLARIUM XXII.

Efficacia ordinis reparati quemadmodum aestimanda ac ex iis dimetienda propemodum est, quae Deus bonus ac misericors erga homines *operatur ;* ita neque *plene cognosci* , neque *definiri perspicue* potest , nisi *in triplici ordine* consideretur. Consideranda namque est *pro tota qua pollet amplitudine.* Eiusdem vero amplitudo *ad triplicem ordinem, supernaturalem, praeternaturalem* ac *naturalem* extenditur. Divina igitur opera pro triplici hoc ordine agnosci , efferrique in lucem debent, ut reformati status efficacia *plene perfecteque* innotescat. Jamvero proprium eximiumque supernaturalis ordinis opus est *gratia* , qua natura evehitur , extollitur, ac nova caelestique virtute locupletatur. Gratia ergo illud est opus , quod investigari primum expendique debet. De ea vero huc redit christianae traditionis (1) concors iudicium ac universale suffragium : *ex divinae benignitatis fonte nullo non tempore ac in omnes prorsus homines aquas supernae gratiae dimanasse : illarum variam ac multiplicem fuisse copiam , sed eam semper, quae ad abolendam culpam , repetendamque divinam similitudinem, et cum ea consertum adeundae aeternae hereditatis meritum sufficeret.*

Quam solemnem doctrinam unanimi ecclesiarum consensione stabilitam paucis quidem , sed omnino luculenter mihi complexus Eusebius alexandrinus (2) videtur in quinto

(1) Pagg. 19—32—39—109—112—121—271.

(2) De Eusebio episcopo alexandrino , de aetate qua floruit , deque auctoritate quam in ecclesia obtinuit , confer quae scribit em. Mai in praefat. ad Tom. IX. Spicilegii Romani.

ex iis sermonibus, quos vir maximus idemque Cardinalis eminentissimus Angelus Maius graece tantum evulgavit. Disserens (1) enim περι του ἐχοντος χαριν μεταδουναι τῳ μη ἐχοντι, και περι πρεσβυτερων, *de eo quod qui gratiam habet, copiam illi facere debet qui ea caret, deque presbyteris*, sic orditur: *φιλανθρωπος σωτηρ ἡμων οἰκτειρων το γενος ἡμων, οὐκ ἀφιησι παντα ἀνθρωπον ἀμοιρον της αὐτου χαριτος· οὐ γαρ μονον δικαιοις διδοται χαρις, ἀλλα και ἁμαρτωλοις· ἐπειδη ἀφθονος ἐστιν, και ἀπροσωποληπτος και ἀνατελλει τον ἡλιον ἐπι πονηρους και ἀγαθους, και βρεχει ἐπι δικαιοις και ἀδικοις, και θελει παντας ἀνθρωπους σωθηναι· και γαρ μη παρορᾳ τον ἁμαρτωλον, ἀλλα διδωσιν κἀκεινῳ μικραν χαριν, ἱνα τιμησῃ τον δεδωκοτα, και εὐχαριστησῃ αὐτῳ, και ἐπιστρεψας μετανοησῃ· ἐαν δε και λαβων την χαριν, τοις αὐτου ἐτι μεινῃ κακοις, τοτε λοιπον ἀρθησεται ἀπ' αὐτου και ἡν ἐχει χαριν, και κατακριθησεται εἰς την γεενναν του πυρος, διοτι οὐκ ἐτιμησε την τιμην και τον τιμησαντα· και πληρουται ἐπ' αὐτον το γεγραμμενον, ἀνθρωπος ἐν τιμῃ ὠν οὐ συνηκε, παρεσυνεβληθη τοις κτηνεσιν τοις ἀνοητοις, και ὡμοιωθη αὐτοις.* Quae latine (2) reddita hunc fundunt sensum: « Amator hominum Salvator noster, nostri generis commiseratus hominum neminem suae gratiae indigum dimittit. Neque enim iustis dumtaxat, sed ipsis quoque peccatoribus gratia confertur; quandoquidem liberalis est Deus et ab acceptione personarum integer, solemque suum oriri facit super malos et bonos, et super iustos iniustosque pluit, ac omnes homines vult salvos fieri. Nullatenus peccatorem negligit, sed et illi parvam impertit gratiam, ut datorem honore prosequatur, gratias illi agat, conversusque resipiscat. Sin autem accepta licet gratia, in suis flagitiis obfirmatus persistat, tum vero et ea quam habet gratia, privabitur, addiceturque gehennae ignis, propterea quod neque honorem neque honorantem honora-

(1) Serm. V. p. 659.

(2) « Utinam vero, inquit cl. editor in adnotat. subiecta ad p. 658, et mihi otium fuisset, et huic volumini spatium, ut latina horum Eusebii sermonum, propter eos qui graece nesciunt, interpretatio non deesset! spero interim aliquem fore studiosum ac pium graecae linguae alumnum, qui se in hoc utili labore velit exercere ».

rit; ac de eo implebitur quod scriptum est: homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis ». Ubi 1) origo princeps reparati ordinis aperitur, eaque *in amore misericordi* collocatur: 2) aperitur et origo meritoria, eaque *in salutari Christi oeconomia* sita esse docetur: 3) *universalis amplitudo reparationis* adstruitur: eiusdem 4) *in ordine supernaturali efficacia* ostenditur: omniaque 5) *e divinis litteris* erunutur, illarumque auctoritate comprobantur.

CCXXVII.

COROLLARIUM XXIII.

Morbi, quibus ab originali dignitate deiecta humanitas aegra est, ac miserrime conflictatur, *ad ignorantiam infirmitatemque* rediguntur: *ad ignorantiam primum*, qua obrutus homo *aut* verum quodque utile reipsa est, non videt, *aut* luce videt maligna, *aut* facillime cum specie veritatis, utilitatisque umbra confundit: *ad infirmitatem deinde*, quae ex effraeni cupiditate oborta hominem praecipitem agit, sensibus addicit, et ab iis avertit quae honesta aeternaque sunt, ac mente solum animoque percipiuntur. Utrique morbo ante fatalem ruinam *duplici praeternaturali munere* consulebatur. Consulebatur *scientia*, qua mens necessariis opportunisque imbuta notitiis, et verum sua sponte assequebatur, et illud ab errore ac mendacio nullo negotio secernebat. Consulebatur *integritate*, qua ima et bruta hominis pars refraenata atque devincta, neque superiori rationalique insidiaretur, neque hanc impediret, quominus libera ac soluta quidquid cum virtute officioque consonum est, prosequeretur. Sed quid iam *reparatione* effectum arbitrabimur? nimirum, si quam patribus (1) fidem adhibemus, reparatione effectum est, ut Deus bonus ac misericors *suo lumine*, *suaque virtute* hominibus sic adsit, ut nullum ipsi, dummodo

(1) Pagg. 351—403...

velint strenueque contendant, *sive ab ignorantia sive ab infirmitate* detrimentum salutis experiantur. Adest enim hominibus suo lumine, noxiamque ignorantiam depellit: adest et sua virtute, ac enervem fractamque humanitatem corroborat. Ea igitur *reparati status efficacitas*, quae *in supernaturali ordine distributis opportune gratiis* se prodit; *in praeternaturali quoque ordine*, *auxiliis adversus ignorantiam infirmitatemque suppeditatis*, mirifice explicatur.

CCXXVIII.

COROLLARIUM XXIV.

Venio *ad ordinem naturalem*, patrumque vestigia (1) legens, animadverto, spectari illum *dupliciter* oportere, *in sese* ac *ὀντως*, tum vero *συγκριτικως* et *comparate* ad eam providentiae formam rationemque, quam Deus *pro sua misericordi benignitate* selegit. Et *in sese* quidem ac *ὀντως* spectatus, praeclarissimi instar hymni videri debet, quo divina gloria divinumque numen iugiter celebratum enitescit, homines vero ad contemplandum, expetendum, amandumque totius veri, boni, pulchrique fontem suavissime pelliciuntur. Huc enim pertinent caeli, huc terra, atque huc quae in caelis quaeque in terra aut apparent constanter, aut sibi fixis statisque legibus mira quadam varietate succedunt. Quod eo est quum retinendum validius, tum affirmandum confidentius, quo patres pleniori consensione testantur, *eiusmodi esse selectam divinitus providentiae rationem, qua cum externa creaturarum voce interior cohaeret creatoris loquela, et cum corporea luce quae oculis effulget*, *incorporeum conseritur lumen*, *quod animos irradiat*, *mentemque perfundit*. Illud ipsum lumen, quod Johannes (2) vocat *το φως το ἀληθινον ὁ φωτιζει παντα ἀνθρωπον ἐρχομενον εἰς τον κοσμον*, et cuius haec est elegans Nonni paraphrasis:

(1) Pagg. 108—122 -126—128.
(2) Ioh. I. 9.

ὃς ἀνερα παντα καθαιρει
Πνευματικαις ἀκτισι καταυγαζων φυσιν ἀνδρων,

qui omnem hominem mundat
Spiritalibus radiis illuminans naturam hominum.

Illud ipsum lumen, cuius meminit (1) Justinus, ubi eos refellens, qui priscas hominum generationes ideo innoxias pronunciabant, quod non ante annos centum et quinquaginta Christus advenisset, scribit: *τον Χριστον πρωτοτοκον του θεου εἶναι ἐδιδαχθημεν, και προεμηνυσαμεν λογον ὀντα, ου παν γενος ἀνθρωπων μετεσχε.* Christum primogenitum Dei esse ac *Rationem illam, cuius omne hominum genus particeps est*, didicimus et (2) supra declaravimus ». Ea est igitur reparationis efficacitas, ea vis ac ubertas, quae ipsum etiam *naturalem ordinem pervadit*, *informat*, *instrumentumque reddit ad salutem gignendam promovendamque accommodatum.*

CCXXIX.

COROLLARIUM XXV.

Divitiae ac reparationis ubertas tam late patent, ut neque gyro licet amplissimo triplicis ordinis supernaturalis, praeternaturalis ac naturalis contineantur. Latius enim se profundunt, duplicemque praeterea ordinem complectuntur, *ordinem* in primis *eorum malorum quae physica* dicimus, ac *ordinem* deinde *earum poenarum quas temporarias* appellamus. Testatissima siquidem est (3) christiani nominis doctrina, *non minus physica mala quam temporarias praesentis mortalitatis poenas sic a Deo temperari, ut ad ipsum quod attinet, in bonum tandem ethicum, utilitatemque salutis dirigantur.* Permittit mala physica Deus, et ad suae aequitatis iustitiaeque amussim temporarias poenas infligit; sed sive illa permittat,

(1) Apolog. I. n. 46.
(2) Ibid. n. 32. et Apolog. II. nn. 8—12—13.
(3) Pagg. 163—169—226—278—312—318—334—340—413 . . .

sive has infligat, eo demum, quamdiu homines vivunt, spectat, ut iidem vel resipiscant, vel meliores fiant, et ad consequendam salutem adiuventur. Quod si ipsa quoque physica mala, temporalesque poenae virtuti efficaciaeque subsunt status reparati: et si vis ac reparationis ἐνέργεια ipsa quoque physica mala, temporalesque poenas in utilitatem, bonumque salutare convertit; erunt ne qui possint de sinceritate, deque efficacia restituti ordinis dubitare? profecto hac malorum physicorum, poenarumque temporalium administratione et *signum* et *effectus* sincerae actuosaeque restitutionis continetur: signum quidem, ut cuique rem paullo attentius introspicienti facile innotescet: effectus vero, quia eiusmodi administrationis non aliunde ratio quam ex sincera actuosaque reparatione deduci potest.

CCXXX.

COROLLARIUM XXVI.

Cuius actuosae reparationis non levius ex eo colligitur argumentum, quod crebris repetitisque sententiis (1) patres confirmant: *ordinem, in quo homines versantur talem esse, qui spem faciat salutis, locumque nullum desperationi aut excusationi* permittat. Si enim interrogentur unde noverint, ad praesentem ordinem spem salutis pertinere, neque cum eo desperationem excusationesque posse componi; haec omnium una responsio est: se inde novisse, quod ex Scripturis didicerint atque ab apostolis acceperint, nullas quidem perditis profligatisque hominibus nativas inesse vires quibus confidant, roburque nullum quo spem sustentent; esse nihilominus cur sperent, cur animos non abiiciant, neque se imbecillitatis excusatione tutos securosque arbitrentur. Praesto namque Deum esse, ut opem ferat, ut tenebras abigat, et languentibus vires suggerat, ut devios aberrantesque reducat, omnesque ad id quod bonum sanctumque est invi-

(1) Pagg, 128—176—177—292—305—327 . . .

tet ac pelliciat. Innumeras esse (1) artes, quibus Deus medicinam omnibus adhibet, studioque paterno ipsum satagere, ut singulis copia suppetat, qua beatissimam filiorum adoptionem nanciscantur.

CCXXXI.

COROLLARIUM XXVII.

Hactenus *de rebus ipsis* diximus, reliquum iam est, ut *de formulis,* quibus efferri illae explicarique solent, dicamus. E formulis autem ea patribus ecclesiasticisque scriptoribus (2) usitatissima est, qua principem reparationis causam amoremque misericordem appellatione *primae* ac *antecedentis voluntatis* insigniunt. De qua quidem appellatione, ut eius vis plena innotescat, haec prae ceteris investigari debent: 1) unde illam patres scriptoresque ecclesiastici desumpserint: 2) cuiusmodi esse voluntatis primae indolem naturamque tradiderint: 3) quem illi fontem assignarint: et 4) quas dotes proprietatesque adscripserint. Porro ut ab eo auspicer, quod initio posui, quisquis testimonia perpenderit *numero plurima* ac *perspicuitate evidentia* quae (3) retulimus, diffiteri nullatenus poterit, primae atque antecedentis voluntatis appellationem ex iis fuisse depromptam, *sive quae in divinis litteris prostant, sive quae ex iisdem mutuo collatis eruuntur, sive quae penitior consideratio divinae naturae, cuiusmodi in Scripturis refulget, sua sponte suppeditat.* Ac illam sane catholici doctores usurparunt, quod existimarent in Scripturis ἀμέσως contineri; quod censerent, non pauca Scripturarum testimonia neque ad harmoniam redigi, neque explicari dextere posse, nisi prima ac antecedens voluntas probetur; quod tandem arbitrarentur, divinam naturam iis in Scriptura coloribus depingi, ut prima ac antecedens voluntas tribui illi necessario debeat. Huius ergo appellationis neque praestantior neque nobilior esse origo potuit, utpote

(1) Pagg. 175—192 ...
(2) Pagg. 9. seqq. 22. seqq., 35. seqq.
(3) §§. II—XII—XVII—XXI—XXIV—XXX—CLXXIV ...

quae hausta ex iis fuerit, quae (1) ἀμέσως vel ἐμμέσως Scripturae complectuntur.

CCXXXII.

COROLLARIUM XXVIII.

Ad indolem naturamque quod pertinet primae ac antecedentis voluntatis adduci in controversiam potest, voluntas ne sit *propria* ac *interior*, an contra *exterior* et *metaphorica*. Sed eiusmodi controversiam ea perspicuitate, eoque sententiarum pondere dirimunt patres, ut omnem etsi levissimam dubitandi ansam praecidant. Etenim voluntatem primam ac antecedentem non impropriam sed propriam et interiorem, non metaphoricam sed veram credi oportere, non minus (2) *vocabula* demonstrant, quibus illam insigniunt ac nuncupant, quam *exquisita περιφράσεων ubertas et copia*, qua illius characterem ingeniumque expoliunt ac declarant. Sane et vocabula ita se habent, et circumloquutiones comparatae sic sunt, ut *nonisi subverso loquendi usu* ad voluntatem impropriam et metaphoricam traduci queant.

(1) Ad rem Franciscus Buddeus institutt. theolog. dogmat. lib. II. cap. I. §. XXIX: « Occurrunt in Scriptura sacra effata Numinis evidentissima, quibus diserte profitetur, velle se omnium hominum salutem I. Tim. II. 4—6, nolle se ut quisquam pereat, sed ut omnes convertantur et vivant, Ezech. XVIII. 23, XXXIII. 11, II. Petr. III. 9. Rursus alia occurrunt quibus diserte itidem Deus profitetur, velle se ut illi serventur, qui in Christum credituri et in fide ista usque ad finem perseveraturi sint; reliqui autem ut incredulitatis, peccatorumque suorum poenas luant aeternas, Ioh. III. 16—18, Marc. XVI. 16. Haec itaque quomodo inter se conciliaveris ? nisi aliter voluntatem Dei concipias absque conditione, aliter cum ista conditione spectatam. Atque id quidem volumus, quando voluntatem Dei in *antecedentem et consequentem* distinguimus ».

(2) Pagg. 23—31—35—40 . . .

CCXXXIII.

COROLLARIUM XXIX.

Quod multo etiam intelligetur evidentius, si animus *ad fontem* advertatur, e quo primam et antecedentem voluntatem orthodoxi patres (1) derivant. Scripturis enim summa fide inhaerentes, *principio negant*, talem esse primam et antecedentem voluntatem, cuius princeps caussa *extra ipsum Deum* quaeri debeat aut possit. Tum *affirmando statuunt*, sincerum nativumque (2) huius voluntatis fontem esse την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου, τον πλουτον της χαριτος αὐτου, του θεου φιλανθρωπιαν, τα σπλαγχνα ἐλεους θεου, και τον ὑπερβαλλοντα πλουτον της χαριτος, *beneplacitum voluntatis suae, divitias gratiae eius, Dei in homines benignitatem, viscera divinae misericordiae, et superabundantem grätiae venam.* Quis porro voluntatem ex hoc fonte dimanantem non veram et intimam, sed impropriam metaphoricamque arbitretur? nemo plane qui cernat, quid ex quoque sit consequens, quaeque sese mutuo excipiant.

CCXXXIV.

COROLLARIUM XXX.

Iamvero si antecedens voluntas *interior est, insita ac propria*; *quibus* illam maxime distingui *notis,* ornarique *proprietatibus* censebimus? christianae traditionis (3) hoc est constans decretum, inter notas quibus antecedens voluntas distinguitur, ornamentaque quibus refulget, *infinitam amplitudinem, absolutamque universalitatem* eminere. De hac enim amplitudine, absolutaque universalitate innumera suppetunt

(1) §§. VI—VIII—XVII—XXIV . . . . , ubi oracula afferuntur ex Ps. CXLIV. 9, Sap. XI. 24—27, Ioh. III. 16, II. Cor. I. 3, et I. Ioh. IV. 8, ut origo primae voluntatis reseretur.

(2) Ephes. I. 5, II. 4—5—7, Rom. V. 8, Tit III. 14, Luc. I. 78, et Ioh. III. 16.

(3) §§. VIII—XI. seqq.

traditionis suffragia, doctoresque cristiani sic illi patrocinantur, ut non eam solum affirment ac repetant, verum etiam *divinorum oraculorum auctoritate, argumentisque undique conquisitis* tueantur ac vindicent. Neque profecto mirum, quum *arctissimus rerum nexus* efflagitet, ut antecedens voluntas non minus pateat, quam misericors Dei amor protendatur. Amoris autem misericordis non alii sunt fines quam ii, quibus hominum genus circumscribitur.

CCXXXV.

COROLLARIUM XXXI.

Cum amplitudine universali *alterum* iungitur sociaturque *antecedentis voluntatis decus*, quo nullum illustrius, nullumque a patribus (1) pleniori consensione stabilitum, quodque situm in eo est, ut *antecedens voluntas* sit dicaturque *seria efficax* atque *operosa*. Deus enim (2) qui *amor* est et *pater misericordiarum* non illudit miseris, non agit simulate, et quae sua excitus benignitate vult, serio vult ac sincere. Hinc omnes, quamquam impios et sceleribus obrutos, a vitiis deterret atque avocat: omnes ut ad bonam se recipiant frugem, peramanter hortatur: omnibus auxilio est: malorum poenitentia laetatur: omnesque sua gratia, suaque tutela tegit, conservat, obsignat. Praemovet (3) ad petendum, et petentibus opitulatur: excitat ad quaerendum, et quaerentibus occurrit: invitat ad pulsandum, et pulsantibus benignissime aperit Si εὐνουχος και δυναστης Aethiopum reginae legendis scripturis vacat, mox qui ipsi eas ordine exponat, Philippus diaconus adesse iubetur: et si Cornelius ἑκατονταρχης Deum precibus sollicitat, illico mittitur angelus, qui eidem significet, quem sibi accersere doctorem debeat. Adeo verum est ac exploratum, voluntatem antecedentem, eamque salutiferam sinceram esse, operosam atque efficacem.

(1) Pagg. 42—45—47—49—51—303—336— seqq.

(2) Deus dicitur *amor*. I. Ioh. IV. 16· et πατηρ των οἰκτιρμων appellatur II. Cor. I. 3.

(3) Matth. VII. 8. Actt. VIII. 26 27, et X. 4—5.

CCXXXVI.

COROLLARIUM XXXII.

Cuius operosae efficacitatis nullum eo splendidius argumentum, quod ex Christi dispensatione sumitur, et cum eiusdem passione atque morte consertum est. Patrum namque omnium (1) Scripturas explanantium haec semper fuit concors doctrina, ratumque dogma: Unigeniti incarnationem, eius oeconomiam, exhaustam mortem, sanguinemque profusum totidem veluti fructus credi oportere, qui ex antecedente divina voluntate prodierint. Eccur enim sempiternum Patris Verbum in mundum venit, carnemque assumpsit? quod Deus velit hominum salutem. Cur servilem induit formam, ac semet exinanivit? ut paterno in homines amori obsequeretur. Cur ad mortem usque obediens fuit, et doloribus confectum, vulneribusque attritum piissimam animam in ara crucis emisit? quod tantopere Deus mundum dilexerit, ut ne proprio quidem Filio pepercerit. Non magis igitur fas est de efficacia antecedentis voluntatis ambigere, quam integrum sit dubitare, utrum ferax sit arbor quae dulcissimos procreat fructus, ac utrum dives sit fons equo copiosissimum flumen erumpit.

CCXXXVII.

COROLLARIUM XXXIII.

Sed praeteriri silentio non debet singularis ac eximia prorsus conspiratio Patrem inter qui pro nobis Unigenitum dedit, et Unigenitum qui pro nobis semetipsum obtulit. Sicut enim Pater *volens* Unigenitum misit, ita missus Unigenitus dicere (2) de semetipso verissime potuit: *propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, et iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam* ἀπ' ἐμαυτοῦ, *a*

(1) Pagg 210—224—246—297—327—359 . . .
(2) Ioh. X. 17—18.

me ipso, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Paulus vero scribere (1) de ipso non dubitavit, *in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me: ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis:* ac iterum, *viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* Sicut autem Patris amori, et cum eo consertae antecedenti voluntati tribuendum est, quod pro hominibus Unigenitum dederit; ita in simillimum Unigeniti amorem refundi debet, quod mortem pro hominibus obierit, illosque redemerit. Quo et ea spectant quae modo retulimus, et quae continuo (2) addimus: *hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Unde Iohannes (3) septem Asiae ecclesiis pacem gratiamque adprecatur *et ab eo qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a Iesu Christo . . -, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.*

CCXXXVIII.

COROLLARIUM XXXIV.

De hac autem per Christum redemptione, duo investigari potissimum solent, quorum *alterum ad illius amplitudinem, ac alterum ad eiusdem virtutem efficaciamque* refertur. Ad amplitudinem vero quod spectat, tanta est (4) christianae traditionis perspicuitas, tanta in affirmando constantia, ut qui illi nolint adversa fronte repugnare, fateantur necesse sit, *iisdem finibus ruinam redemptionemque comprehendi. Nullum* enim excogitari potest *formularum genus, argumentum nullum* quod christianae fidei testes non usurparint, ut infinitam universalemque redemptionis amplitudinem persuaderent. Quare

(1) Galat. II. 20, Ephes. V. 2—25.
(2) Ioh. XV. 13—14.
(3) Apoc. I. 5.
(4) Pagg. 203—206—224—246—255—284—351—355—380—389 . . .

ad illorum mentem sententiamque accommodate Aegidius Hunnius (1), auctor caeteroqui non bonus, scripsit: «Quemadmodum Deus serio expetit omnium hominum aeternam salutem; ita Filium suum misit non uni alicui particulae mundi, sed mundo toti, seu generi humano universo, ut is homo factus pro omnibus atque singulis hominibus, nullo dempto, aut excluso, pateretur, moreretur, et pro peccatis illorum victima fieret. Qui etiam pro singulorum et universorum hominum singulis et universis peccatis passus, crucifixus et mortuus, plenissimam pro totius mundi salute instauranda satisfactionem et propitiationem peperit et acquisivit. » Hoc solum pacto voluntas Filii cum voluntate Patris consentit: hoc solum pacto amor Filii paterno in homines amori respondet: hoc solum pacto cum reparatione redemptio exaequatur: atque hoc solum pacto probe intelligitur qui fiat, ut (2) Cristus μεσιτης θεου και ἀνθρωπων infinite simpliciterque appelletur.

CCXXXIX.

COROLLARIUM XXXV.

Quum *duobus modis* universalis credi redemptio possit, *in se* primum ac valore persoluti pretii ὀντως spectato, *comparate* deinde, ac eiusdem etiam in omnium commodum utilitatemque oblatione considerata ; ad sinceram fidei expositionem, accuratamque veritatis intelligantiam plurimum refert novisse, *alterutro* ne modo, an *utroque simul* universalis censeri dicique redemptio debeat. Immane namque existit inter utrumque modum discrimen; quum redemptio quae universalis *dumtaxat* credatur ὀντως ac *obiective*, ex sese sterilis sit ac infecunda; nequeat contra non esse ferax et operosa, quae pro omnibus oblata fuerit et ad communem omnium salutem impensa. Iamvero orthodoxi nominis (3) sen-

(1) De provident. et aeterna praedestinat. p. 163.

(2) I. Tim. II. 5, II. Tim. I. 9. Ioh. I. 17.

(3) Pagg. 329 365—402—410 . . .

tentia, eaque non anceps ac varia, sed fixa atque constans huc redit : *merito plane redemptionem credi dicique universalem, si ratio soluti pretii habeatur, eademque ὄντως ac obiective spectetur ; sed illos prorsus omnes vehementissime falli , et ab iis quae in Scripturis continentur, turpiter discedere qui simul non fateantur ac teneant, universalem praeterea esse dicique redemptionem, quod pro omnibus oblata fuerit, quodque Deum omnibus conciliarit, benignum effecerit, et ad ea omnia elargienda paratissimum, sine quibus comparari salus non potest, et cum quibus certissime potest.* Quapropter eiusmodi est redemptionis universalitas, quae cum universali efficacia, oblatione ac virtute cohaeret.

CCXL.

COROLLARIUM XXXVI.

Hisce, uti decebat, praestitutis atque explanatis, plenissime fieri satis potest interrogantibus, *cuiusmodi tandem existimari debeat verus humani generis status, realisque conditio.* Si enim misericors Dei amor universalis est ac efficax : si universalis et efficax est cum eo conserta antecedens eademque salutifera voluntas: et si parta Christi morte redemptio eisdem universalitatis efficaciaeque dotibus resplendet; nemo non videt, talia haec esse, a quibus neque reparationis status, neque universalis conditio salutis divelli potest. Status enim humanitatisque conditio rationem appellationemque suam ex voluntate Dei et Christi eius *necessario* mutuantur ac sumunt. Quum igitur utriusque voluntas benigna sit ac misericors, eoque spectet, ut lapsam Adami posteritatem erigat, perditamque restituat; luce clarius apparet, reparatum esse humanitatis statum, conditionemque salutarem. Quod ecclesiae (1) patres tum etiam significant, quum *providentiae discrimen* inter lapsam humanitatem, rebellemque angelorum naturam aperiunt, ac sapientissimas huius discriminis caussas investigant ac proponunt. Tradunt enim *non aliam* Deum in rebellantes angelos *personam* induisse *quam iudicis* ,

(1) Pagg. 212—246—257—280—309—334— 413 . . .

neque *aliam* obiisse *functionem quam iustissimae condemnationis*: at vero in homines ita personam iudicis induisse, ut illius rigorem benignitate patris mollierit, ac in Christo medicinam reparationemque decreverit.

CCXLI.

COROLLARIUM XXXVII.

Huius autem reparati status *duo* potissimum *characteres* expendi debent, quorum alter *negatione*, alter *affirmatione* continetur. Et *negans* quidem *character* eo pertinet, ut reparationis status immunis solutusque *a pereundi necessitate* censeatur. *Affirmans* vero eo redit, ut quotquot reparatus ordo complectitur, *virtute* ac *facultate sint praediti*, qua contractos morbos vincant, ignorantiae tenebras abigant, cupiditatis flammas restinguant, incolumitatem recuperent, ac libertate aucti filiorum Dei caelestibus paternisque bonis fruantur. Utriusque porro characteris, tam negantis quam affirmantis, tam illius qui pereundi excludit necessitatem, quam alterius qui facultate obtinendae salutis constat, tot suppetunt (1) testes, quot unanimem christianorum professionem suis operibus consignarunt.

CCXLII.

COROLLARIUM XXXVIII.

Quemadmodum *duo* potissimum sunt reparati status *characteres*, ita *duo* potissimum sunt, quae cum his intimo arctissimoque nexu copulantur. Primum enim cum his copulatur *universalitas gratiae*, deinde vero theorema quo nullum iucundius, *adultorum neminem esse*, *qui propter originalem praevaricationem, contractamque ex eo culpam necessario damnetur.* Et re sane vera, ut exordium ducam ab universalitate gratiae, quam tanta sententiarum perspicuitate christia-

(1) Pagg. 230—314 333—338 362—377—381 .. ..

na antiquitas (1) confirmavit; velim animo lectores reputent, neque pereundi necessitatem tolli posse, neque facultatem adipiscendae salutis conferri, *nisi erogata caelitus gratia*, qua morbi sanentnr, abrumpantur servitutis compedes, viresque indantur, quibus praestari ea possint, quae ad ordinem pietatis salutisque referuntur. Quod enim est intra fines naturalis ordinis animae cum corpore coniunctio, idipsum prae ordine snpernaturali sibi vindicat hominis cum Deo per gratiam commercium. Unde non magis ea coniunctione opus est, ut homo *a necessitate moriendi* exemptus censeatur, *iisque praeditus omnibus*, sine quibus naturalis ordinis munia expleri nequeunt; quam hoc commercio opus sit, ne homo *necessitati pereundi* subiiciatur, *iisque careat omnibus*, sine quibus ne attingi quidem possunt, quae ambitu supernaturalis ordinis comprehenduntur. Si ergo ad reparati status characteres spectant, hinc quidem *immunitas a necessitate pereundi*, inde vero *facultas salutis comparandae*; ad eumdem quoque statum *universalis gratiae amplitudo* pertinebit. Qua semel admissa atque probata, illud etiam est consequens, quod cum reparationis statu cohaerere altero loco proposuimus. Si enim pro insita reparati status ratione gratia est universalis: et si homines universi in statu reparationis versantur; profecto adulti omnes, quamquam originali labe infecti, in promptu tamen gratiam habent, qua continuo, vel certis quibusdam gradibus maculam tergant, sordes abluant, dignitatemque adoptionis nanciscantur. Sed quis non cernit cum hac gratiae opportunitate ac praesentia componi minime posse, ut vel unus ex adultis propter originalem culpam *necessario* perire videatur? quis non cernit verissimam esse patrum doctrinam, iis (2) dumtaxat inter adultos originalem praevaricationem obesse, qui accepta divinitus beneficia aspernantur? et quis non cernit, summa eosdem veritate tradidisse, malis prorsus omnibus *primi Adami transgressione* humanitati illatis, *a Deo misericorde per obedientiam secundi Adami* consultum abunde

(1) §§. XLVII--LXXII--LXXXIV--XCIX--CXII--CXIV--CXVII--CXXXV CLVI—CLXV—CLXXIX—CLXXXII—CXCVIII—CCV.

(2) Pagg. 360—362—379—399—401 . . . .

fuisse ac prospectum? Ratum igitur fixumque manere debet, cum statu reparationis universalem gratiae amplitudinem arctissimis nexibus consociari; ab eiusdem vero ratione atque indole alienum esse quam quod maxime, ut vel unus sui compos, usuque mentis praeditus idcirco pereat ac necessario pereat, quod originalem labem contraxerit.

CCXLIII.

COROLLARIUM XXXIX.

Exclusa pereundi necessitate, asserta consequendae salutis virtute, ac origine e qua repeti utrumque debet, patefacta; ne in momenti omnino maximi disquisitione, praepostera diversissimarum rerum confusione fallamur, non expedit modo, sed prorsus necesse est, *ut ab ipsa salutis assequutione eiusdem obtinendae vim facultatemque secernamus*. Itaque neminem latet immensum esse intervallum, quo ab invicem discrepant *potentia*, *potentiaeque actus*: *et alias plane conditiones esse*, *quae ad potentiam constituendam*, *quaeque ad illius actum absolutionemque requiruntur*. Intervallum autem ac discriment, quod ista seiungit, ab invicem pariter dividit ac separat consequutionem salutis eiusque assequendae facultatem atque copiam. Illa sine hac neque cogitari animo, neque concipi mente potest: at vero haec sine illa et animo probe intelligitur, et nihil impedit quominus ab ea divisa consistat.

CCXLIV.

COROLLARIUM XL.

Quae *realis distinctio*, eiusque in rem praesentem opportunitas ut luculentior enitescat, non minimum iuverit animadvertisse, *quaenam sit caussa tum potestatis adipiscendae salutis, quum illius comparandae*, *et quaenam conditiones ad utramque efficiendam necessario postulentur*. Igitur si patri-

bus (1) aures praebemus, caussa illius facultatis, qua obtinendae saluti pares reddimur, *extra nos sita est, totaque reparato ordine, redemptione per Christum, voluntate Dei antecedente ac misericordi eiusdem amore continetur*. Petis unde hominibus quotquot sumus virtus adsit adipiscendae salutis? respondent uno ore patres non aliunde adesse, quam ex iis quae recensuimus: respondent, Patrem et Filium et Spiritum-sanctum, diverso licet modo, illius esse auctores: auctorem esse Patrem qui amat et dat Filium, auctorem esse Filium qui amat ac ut μεσιτης intervenit, et auctorem esse Spiritum-sanctum qui amat et gratiam salutarem in universum hominum genus effundit. At vero iidem patres testes sunt, caussam cui debetur *salutis assequutio* neque *unam* esse, neque *solum divinam*. Si enim una foret ac solum divina, *omnes* (2) *necessario servarentur*: et si una foret ac solum divina, consultum quidem videri posset *eudaemonico hominum bono*, at non item (3) *bono eorumdem morali ac virtuti*. Caussa igitur, qua cum salutis assequutio, ceu proprius nativusque effectus coniungitur, *duplex* est: *princeps* altera et *divina*, altera *subiugis* et *humana*. Illa ἐμμεσως continetur *voluntate antecedente*, et ἀμεσως *gratia*, quae antecedentis voluntatis efficacitatem comitatur: posterior vero ipsa est *libera hominum cooperatio*, qua Deum excitantem non repellunt, vocantem audiunt, praeeuntemque sequuntur. Conferri igitur γενετικως nequeunt facultas adipiscendae salutis, eiusque consequutio, quin illarum discrimen manifestissime appareat. Quod pari evidentia *ex conditionibus* deprehenditur, quae ad efficiendam salutis potestatem, eiusque assequutionem *conspirare* debent. Ad efficiendam enim salutis potestatem *necessaria est ac sufficit antecedens voluntas* iis instructa dotibus, quas illi vindicavimus; sed consequendae saluti opus est, *ut una cum voluntate antecedente* hominum industria ac sollers studium copuletur.

(1) §§. LXXIII—LXXV—LXXVII—CVIII—CXV . . . .
(2) Pagg. 3—22 . . .
(3) Pagg. 293—298—339—416 . . .

CCXLV.

COROLLARIUM XLI.

Quae distincta *in seipsis* diversaque sunt, possunt ac vero etiam flagitant, ut distinctis diversisque *vocabulis* efferantur. Neque enim magis decet ut *ideae rebus*, quam ut *signa ideis* apte consentiant. Quum igitur *alia* sit *caussa*, e qua facultas adipiscendae salutis permanat: ac *alia*, e qua ipsa salutis consequutio repetenda est; omnino expedit, ut propriis distinctisque vocabulis utraque significetur. Patribus autem ecclesiasticisque scriptoribus (1) receptum in more fuit, ut priorem caussam *divinam* et *antecedentem voluntatem* dicerent, posteriorem vero *divino-humanam* et *consequentem voluntatem* nominarent. Est igitur cur nos etiam *eiusmodi* utamur *formulis*, illarumque vim significationemque probe teneamus.

CCXLVI.

COROLLARIUM XLII.

Quum autem *de caussa divina, deque antecedente voluntate* pleraque omnia occupata iam sint; ut ad ea ex ordine veniamus, quae adhuc reliqua forte maneant, explanari in antecessum debent, quae *ad caussam divino-humanam* et *consequentem voluntatem* referuntur. Cui profecto muneri factum satis erit, si qua decet perspicuitate innotuerit, *unde consequentis voluntatis appellatio defluxerit, quae illius credi origo debeat, quaeque illi dotes proprietatesque conveniant.* Ad fontem porro appellationis quod pertinet, dubinm non est, illam αὐτολέξει in Scripturis haud reperiri, reperiri tamen δυνάμει ac virtute. Sane ex eodem fonte appellationem *voluntatis secundae et consequentis* (2) hauserunt patres, e quo partitionem ipsam

(1) Pagg. 23—31—35—41—173 . . . .

(2) §§. III—VII—XI—XVII—XXI—XXIV. seqq. Huc faciunt quae scribit Laurentius a Mosheim in elementis theolog. dogmatic. P. III. cap. III. sect. I. membr. I. p. 230: « Notatu dignissima sunt verba Ioh. III. 16. *adeo dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut om-*

divinae voluntatis *in primam et secundam*, *in antecedentem et consequentem* derivarunt. Hanc vero non aliunde derivarunt quam ex oraculis Scripturarum apte diligenterque collatis. Appellatio igitur *voluntatis secundae et consequentis* duplici nomine commendatur: *auctoritate inprimis eorum qui illa usi sunt: et auctoritate deinde Scripturarum, e quibus illam deprompserunt.*

CCXLVII.

COROLLARIUM XLIII.

Reserato appellationis fonte, *de origine* consequentis voluntatis *quatuor* (1) prae ceteris statuenda sunt. Ac statui principio debet, voluntatem consequentem *propriam* esse *interioremque* voluntatem, non impropriam et metaphoricam. Tum statui debet, *supremam* huius voluntatis *originem* ex eo esse repetendam, quod Deus οὐσιωδῶς sit *iustus*, quod *munere iudicisque persona* fungatur, quodque *distributivam iustitiam sanctissime* administret. Statui deinde debet, comparatam sic esse consequentem voluntatem, *ut seiungi ab ea nequeat sempiterna eorum praenotio, quae homines libere gesserint.* Ac statui postremo debet, *insitum quidem esse Deo, unde prodeat consequentis voluntatis decretum, sed prodire illud actu non posse, nisi humanorum operum praevisio, ceu necessaria conditio, anteverterit.*

nis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. In his verbis duplex illa propositio theologica latet, de qua diximus. Primam propositionem, gratia Dei est universalis, ita enunciat Christus: *Deus mundum dilexit.* Mundus hic pro toto genere humano, continens pro contento ponitur. Dicit ergo Christus, amorem Dei ad omnes terrae incolas rationales spectare; hinc universalis est. Altera propositio, gratia Dei effectiva particularis est: *omnes, qui credunt in Filium Dei, non pereunt, sed habent vitam aeternam.* Hic voluntatem consequentem habemus. Restringitur enim gratia effectiva, seu beneficium vitae aeternae ad credituros tantum. Quicumque non credunt, illi non sunt obiectum amoris Dei effectivi, licet sint obiectum gratiae affectivae ».

(1) Pagg. 23—31—34—41—45—49—51—303—336 . . .

CCXLVIII.

COROLLARIUM XLIV.

Origini, naturaeque voluntatis consequentis *proportione* respondent *eiusdem dotes ac ornamenta*, e quibus ista maxime excellunt: 1) voluntatem consequentem merito dici credique (1) *obiectivam*: eamdem 2) esse *hypotheticam* et *conditione circumscriptam*: conditionem vero 3) *praevisione* contineri *sive consensus quo homines morem gerant beneficiis voluntatis antecedentis, sive dissensus quo illa aspernentur ac repudient*: proindeque 4) voluntatem consequentem iure *secundam* dici, *utpote quae altero veluti loco graduque in Deo consideretur*: immo et iure 5) *bipartitam* nuncupari, *utpote quae pro consensu dissensuve praecognito, vim rationemque induat voluntatis decernentis aut permittentis, remunerantis aut punientis*: illius propterea 6) *effectum* esse *decretum sive boni operis praemiique illud comitantis, sive permittendi peccati infligendaeque poenae quae peccato debetur:* unde tandem 7) voluntatem consequentem esse *utique universalem, si ea coniuncte spectetur, at particularem omnino esse si divise cum decreto vel boni operis praemiique tribuendi, vel permittendi peccati puniendique componatur.*

CCXLIX.

COROLLARIUM XLV.

Quae quum ita se habeant, iniri utiliter *comparatio* potest inter utramque voluntatem, primam et secundam, antecedentem et consequentem. Ac *prior* quae se offert *comparatio, ad utriusque voluntatis originem pertinet*: hanc *altera* excipit, *quae ad proprias utriusque dotes refertur*: tum *postrema* sequitur, *quae circa utriusque effectus versatur.*

(1) Sicut enim antecedens voluntas rite *subiectiva* dicitur, quod illius ratio Deo insit, ac nullatenus ex hominibus repetatur; ita voluntas consequens merito suo *obiectiva* nuncupatur, quod rationem ex ipsis profectam hominibus comitetur

Iamvero ut a priore comparationis capite ordiamur, nihil evidentius, quam primae secundaeque voluntatis *origines* eiusmodi esse, quae toto ut aiunt caelo ab invicem discrepant. Illa enim *ex misericordia*, haec *ex iustitia* prodit: illa *antevertit*, haec *subsequitur*: illa *non aliam habet praelucentem scientiam nisi perditae profligataeque humanitatis, mediorumque, quibus ea reparetur et ad suum finem provehatur*; hanc *praenotio dirigit consensus dissensusve, quo homines opitulanti Deo obtemperarint, vel oblatam ab eo medicinam sanitatemque repulerint*: illa Deo competit *reparatori*, haec Deo inest *aequissimo praemiorum poenarumque distributori*.

Ad *propria* venio utriusque *insignia*, e quibus duo potissimum commemoranda existimo: ac principio voluntatem tam primam quam secundam *efficacem* esse, sed illam *efficacitate misericordiae*, hanc *efficacitate aequitatis ac iustitiae*: deinde vero illam esse *simpliciter generalem ac uniusmodi*, hanc autem *ita dispertitam ac biformem*, ut aliis praemia, aliis poenas pro meritorum demeritorumque varietate decernat.

Reliqui sunt *effectus*, qui ex alterutra voluntate proficiscuntur, quique revocari ad hanc summam possunt: 1) voluntas antecedens *vires mediaque* suggerit, quibus *bonorum operum facultas* tribuitur; sed voluntas consequens *opera ipsa bona* definit ac praedestinat: 2) illa homines eximit *a necessitate pereundi*, haec *sempiterna morte dignos* plectit: illa denique 3) praebet *obtinendae salutis virtutem*, haec autem *legitimos certatores immortali corona* locupletat.

CCL.

COROLLARIUM XLVI.

Expeditum hinc est, utriusque voluntatis sin minus definitionem promere ad dialecticos exactam apices, *eam* certe *descriptionem* exhibere, quae rei indolem naturamque enucleate patefaciat. Ac nihil sane video quod admodum desiderari possit, si I. voluntas antecedens ita describatur, ut sit: *sincerum, operosum ac ex amore misericordiaque dimanans propositum, quo Deus in Christo vult totius humanitatis etsi*

lapsae ac perditae, reparationem atque salutem, illamque propterea, singulosque eius ambitu contentos homines ad beatitatem dirigit, pereundi necessitate liberat, supernisque instruit viribus, quibus, nisi sibimetipsis desint, destinato salutis fine potiantur. Deinde vero II. consequens voluntas dicatur: *aeternum, operosum ac ex iustitia repetendum propositum, quo Deus ad opera bona, finalem perseverantiam, immortalemque coronam eos destinat, quos misericordiae beneficiis consensuros praenoscit, vel culpam, obfirmatamque ad extremum usque in peccato voluntatem permittit, hominesque tanti sceleris reos poenis numquam desituris addicit.* His enim descriptionibus id continetur omne, quo primae secundaeque voluntatis *discrimen*, et quo cuiusque seorsum, *origo, natura, dotes effectusque* probe luculenterque explicantur.

CCLI.

COROLLARIUM XLVII.

Neque me tamen fugit ad pleniorem intimioremque rei totius notitiam peropportunum fore, si aliquot praeterea capita ad alterutram voluntatem spectantia paullo diligentius examinentur. Hoc ergo inibo examen, et quo fieri brevius poterit, illud absolvam. Ad primam itaque voluntatem quod spectat, venire in contentionem potest, credi ne ea dicique *absoluta* debeat, an potius *conditione effecta* atque *hypothetica*. Sed contentio plane omnis funditus sublata desinet, dummodo necessariae opportunaeque distinctiones non negligantur. Antecedens namque voluntas conferri singulatim potest ac debet: a) cum propria nativaque origine: b) cum hominibus quos respicit: c) cum ordine, cuius caussa est ac principium: d) cum mediis quae adhibet: et cum ipsa tandem e) salute, quam habet propositam. Iamvero si *cum sua* componatur *origine*, non magis *absoluta* quam *hypothetica* dici debet: absoluta quidem, quia ex insito Dei amore proficiscitur; hypothetica vero, quia simul ex misericordia dimanat, quae humanitatis ruinam prevaricationemque supponit. Quod si ad homines referatur quos respicit, *absoluta* pariter ac

hypothetica suo iure nuncupatur. Nuncupatur suo iure absoluta, quia nulla hominum praerequirit merita, quibus ad benefaciendum incitetur; *ideo namque benefacit, ut homines habere merita possint* : nuncupatur autem hypothetica, quia circa homines versatur non innoxios ac integros, sed vulneratos et culpae contagione infectos. Similia repetenda sunt, si *cum ordine* comparetur, cuius caussa est ac principium. Huiusmodi namque ordini *duplex* inest *diversaque ratio* : ratio ordinis supernaturalis et ratio ordinis *reparati*. Sicut ergo pro ratione ordinis supernaturalis ad voluntatem refertur antecedentem et absolutam ; ita pro ratione ordinis restituti ad voluntatem spectat antecedentem atque hypotheticam. Neque existimandum aliter est, si *prae mediis* consideretur, quae ex ea non secus ac e ditissima vena scaturiunt Haec enim haberi possunt *vel ut supernaturalia praesidia*, quibus humana natura evehatur, et e servili conditione ad dignitatem adoptivae filiationis elevetur; *vel ut medicinae caelestes* quibus contracti morbi sanentur, fractaeque vires reficiantur. Atqui *priori modo* spectata ad voluntatem antecedentem, *illamque absolutam* : *posteriori* autem, ad eamdem quidem voluntatem *sed hypotheticam revocantur*. Superest *aeterna salus* , qua cum voluntas prima comparetur. Cum ea autem conferri potest, *vel quatenus ultimum est ac supernaturale bonum eudaemonicum humanitati propositum*; *vel quatenus tale quidem bonum est, sed quod corruptae indignaeque humanitati consequendum divinitus repraesentatur*. Neminem vero fugit pro hac spectandae salutis diversitate, illam ad voluntatem primam *sive absolutam sive hypotheticam* redigi oportere. Quapropter interrogationi, utrum antecedens salutifera voluntas absoluta an hypothetica dici haberique debeat, responderi aliter accurate non potest, quam si pro multiplici illius considerandae modo, tam absoluta quam hypothetica nuncupetur.

CCLII.

COROLLARIUM XLVIII.

Quemadmodum vero rationes praesto sunt, propter quas antecedens voluntas *hypothetica* existimetur; ita rationes non desunt, propter quas *certis quibusdam innexa consertaque remediis* conseatur. Sane Deus non vult, ut omnes homines primaeva infecti corruptique labe *sive Redemptorem habeant sive non habeant, sive credant sive non credant, sive in semetipsis imaginem primogeniti exprimant sive non exprimant*, ad salutem ordinentur, salutemque adipiscantur; sed vult, *ut per Redemptorem, per fidem, perque cetera remedia*, quae sua misericordi benignitate praestituit, quaeque omnibus offert, omnes in salutis ordine versentur, finemque huic ordini propositum consequantur. Quod Christus verbis luce clarioribus significavit (1), inquiens: *τουτο δε ἐστι το θελημα του πεμψαντος με, ἱνα πας ὁ θεωρων τον υἱον, και πιστευων εἰς αὐτον, ἐχῃ ζωην αἰωνιον και ἀναστησω αὐτον ἐγω τῃ ἐσχατῃ ἡμερᾳ. Haec est autem voluntas* (2) *illius qui me misit, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum*, quique (3) eum mente animoque complectitur, ac ut libertatis suae asserterem, perennemque salutis fontem fert in oculis, amat ac imitatur, *habeat vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die*.

CCLIII.

COROLLARIUM XLIX.

Ut vis etiam ac ratio consequentis voluntatis explorata

(1) Ioh. VI. 40.

(2) Vulgatus legit, *του πεμψαντος με πατρος*, reddiditque, *Patris mei, qui misit me*.

(3) Quam late verbi *θεωρειν* vis pateat, pluribus ostendunt scholiastes Euripidis ad Hecubam v. 342, et Iulius Pollux Onomastici lib. IV. cap. I. §. VIII. Non tam ad oculorum, quam mentis aciem refertur. Videre igitur est nosse penitus Dei Filium, illique morem perfectissime gerere. Cf. Campegium Vitringum, comm. in Isaiam T. II. p. 827.

undequaque sit, intimeque comperta; *quadruplex* in primis *eiusdem obiectum* secerni debet. Ad illam enim certissime pertinet *a*) *decretum de bonis operibus et de meritis deque meritorum omnium maximo, quale est finalis perseverantia*: *b*) *decretum de ferenda legis transgressione, permittendisque peccatis*: *c*) *decretum de infligendis poenis sive temporariis sive sempiternis*: ac *d*) *decretum tandem de erogandis praemiis, reddendaque iustitiae corona*. Pro hoc autem quadruplici obiecto voluntas consequens *hypothetica* est, praelucentemque habet 1) scientiam ordinis reparati, 2) scientiam auxiliorum quae reparatum ordinem comitantur, 3) scientiam liberi consensus vel dissensus, ac postremo 4) scientiam sive finalis perseverantiae, sive humanae voluntatis quae ad extremum usque contra misericordiae incitamenta obduruerit.

CCLIV.

COROLLARIUM I.

Immo consequens voluntas, *si ad decretum infligendae poenae nominatim referatur*, *aliter* censeri comparata debet *pro hoc mortalitatis stadio*, ac *aliter pro stadio, quod praesentem mortalitatem subsequitur, et aeternitatis status nominatur*. Pro praesenti namque mortalitatis stadio hanc a patribus (1) accepimus fixam universalemque sententiam: 1) ordinem iustitiae *subordinatum* esse ordini misericordiae: 2) hominum neminem antea puniri iustitia, quam is misericordiae beneficia perceperit: 3) proprias iustitiae poenas ob contemptam misericordiam infligi: ita vero 4) infligi, ut eae multipliciter temperentur, iisque non magis iustitiae quam hominum saluti consulatur: adeoque 5) praesens stadium vere esse (2) *stadium gratiae*, et in quo vel ipsae poenae vim medicinae remediique praeseferunt. At vero *pro statu aeternitatis* uno ore testantur patres: 1) eum esse statum aequitatis ac iustitiae: 2) statum vitae aut mortis sempiternae: qui tamen 3)

(1) Pagg. 57—84—104—218—222—232—291—344—381 . . . .
(2) Pagg. 163—169—226—278 312—318—334—340—413 . . . .

nemini (1) decernatur, et in quo nemo versetur, nisi qui vel ad extremum usqne devius aberrarit, misericordiamque repulerit, vel iustus finaliter extiterit.

CCLV.

COROLLARIUM LI.

Quum igitur noverimus *summam esse providentiae legem, ut ii omnes ac soli destinentur ad coronam, eaque cohonestentur, vel addicantur poenis sempiternis iisque mulctentur qui praesentem mortalitatem adoptione insignes vel suo ea privati scelere absolverint* ; id etiam novimus quod expediendis illustrandisque *de electione ac reprobatione controversiis* non minimum conferre existimandum est. Ac re sane vera quum *electionem* verbis nominamus, *tria* eaque prorsus distincta intelligere animo possumus. Intelligere namque possumus 1) electionem ad eum statum, qui sit a pereundi necessitate solutus, quique obtinendae salutis facultatem impertiat: tum 2) intelligere possumus electionem ad ipsam salutem, immortalemque coronam: ac intelligere tandem 3) possumus electionem ad bonorum summam, quae facultate salutis, ipsaque salutis adeptione coalescit. Primo alteroque modo electio intelligitur *quadamtenus*, vel ut loqui scholae amant, *inadaequate*: tertio postremoque intelligitur *plene*, vel ut dicere eaedem solent, *adaequate*.

Iamvero si *priore* modo eoque *inadaequato* usurpetur electio, haberi pro certo debet: *a*) eiusmodi electionem nullatenus distare *a beneficio reparationis et ordinationis ad gratiam*: *b*) adscribi illam oportere *voluntati antecedenti*: ac electionem propterea esse *c*) *universalem, misericordem*, *nullis conciliatam meritis*, *meritorumque omnium principium et fontem.*

Sin autem *posteriore* eoque *inadaequato* similiter modo accipiatur electio, fateri quisque debet: *a*) non posse illam nisi *in voluntatem consequentem* refundi *b*) esse omnino *hypo-*

(1) Pagg. 66—174—218—222—232—291 . . . .

theticam, apteque (1) dici *c*) *προορισμον και προθεσιν κατα προγνωσιν*, *praedestinationem propositumque secundum praescientiam*: et *d*) *propositum* quidem illudque sempiternum ac (2) immutabile impertiendae salutis reddendaeque coronae: *propositum* vero *e*) *secundum praescientiam*, quia non alios ad salutem et coronam elegit Deus, nisi quos legitime certaturos praesensit: unde *f*) efferri illam non incommode posse (3) Apostoli verbis ,*οὓς προεγνω, και προωρισε*, *quos praenovit*, *eosdem et praedestinavit.*

Reliquus est *tertius* modus isque *adaequatus* sumendae electionis. Hoc autem modo si ea sumatur, pro bonorum quae complectitur (4) discrimine, *a*) partim ad voluntatem ante-

(1) Rom. VIII. 29, Ephes. I. 10.

(2) Matth. XXII. 14.

(3) Rom. VIII. 29, et I. Petr. I. 2.

(4) Scite Thomas in epist. ad Rom. VIII. lect. VI: « Circa ordinem autem praescientiae et praedestinationis dicunt quidam, quod praescientia meritorum bonorum et malorum est ratio praedestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur, quod Deus praedestinet aliquos, quia praescit eos bene operaturos et in Christum credituros, et secundum hoc littera sic legitur: *quos praescivit conformes fieri imaginis Filii eius, hos praedestinavit.* Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si praedestinatio respiceret tantum vitam aeternam quae datur meritis. Sed sub praedestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab aeterno praeparatum: unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra praesupponatur, cuius praescientia sit ratio praedestinationis, nihil est aliud quam ponere gratiam dari ex meritis nostris ». Consuevisse autem priscos Scholae theologos de praedestinatione disserere plene ac adaequate spectata, testis est locuples Carolus du Plessis d' Argentré in commentario historico de praedestinatione ad gloriam et de reprobatione, in quo descriptis summa cura eorumdem testimoniis ab anno 1120. ad annum usque 1708., tandem infert cap. X. §. I: « Veteres scholastici de causa praedestinationis omnino consideratae et ad gratiam et ad gloriam praecipue agebant, ut ex allatis ipsorum testimoniis patet ». Consentit Tricassinus in disputat. theologic. de praedestinat. hominum ad gloriam, P. I. sect. I. p. 3. inquiens: « Antiqui sumebant praedestinationem prout includit gratiam et gloriam, et ideo nolebant eam esse ex praevisis meritis; quia gratia quae in ea includitur, non datur, nec proinde praedestinatur ob merita ». Si quando tamen de praedestinatione ad gloriam seorsum disputarent, idipsum docebant quod a Thoma accepimus, quodque ante Thomam Honorius augustodunensis in dialogo de praedestinatione,

cedentem, partim ad consequentem pertinet: *b*) partim absoluta, partim hypothetica existimanda est: ac *c*) partim gratuita, et partim retributa meritis censeatur oportet.

CCLVI.

COROLLARIUM LII.

Electioni e diametro *reprobatio* opponitur, quae non secus ac illa *multiplici sensu* adhiberi intelligique potest. Ac intelligi revera potest, sive 1) de reprobatione, qua Deus aliquos pro suo arbitrio *caussis damnationis* addicat: sive 2) de reprobatione, qua Deus ex sese *ita* aliquos negligat ac aspernetur, *ut illis communem esse nolit reparationis statum, facultatemque salutis quae cum eo intime devincitur*: sive 3) de reprobatione qua statuat, nonnullis *et* eas *dumtaxat* elargiri gratias, quas cum finali impoenitentia sociandas praeviderit, *et illas omnes* denegare quas *pares* intellexerit, ut cum finali iustitia sociarentur: sive tandem 4) de reprobatione, *quae praescientiam adsectetur* contemptae ad extremum usque benignitatis, spretaeque misericordiae.

Porro ne quid dissimulem, et ne proditae veritatis merito accuser, necesse est, ut qua maxima possum verborum gravitate confirmem, *christianam traditionem* talem esse, cum qua quidquid potius componas, quam *vel ex hominibus unum* reprobatum *ideo* credi dicique posse, quod illum Deus *aut* peccatis caussisque damnationis addixerit, *aut* a beneficiis reparati status excluserit, *aut* artificio veluti quodam irretierit, accomodatisque ad salutem obtinendam gratiis privarit. Nihil enim horum est, quod (1) Occidentis, Orientisque pa-

qui ligitur T. IX Biblioth. PP. edit. Paris. pagg. 1142. seqq., his verbis expressit: « Nihil aliud est praedestinatio, quam pro meritis cuiusque vel ad gloriam vel ad poenam aeterna Dei praeparatio. Est autem gemina praedestinatio, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad penam. Qui praevisi sunt in bonis permansuri, ad gloriam sunt praedestinati: qui vero praesciti in malo vitam finituri, ad poenam sunt utique praeordinati ».

(1) Confer quae retulimus de fide ecclesiae alexandrinae. §§. LXXII—LXXXIV., ecclesiae africanae, §§. XCIX—CXII., ecclesiae hispanicae,

tres non improbent, non damnent, non exsecrentur. Exsecrantur *primum*, quum a Deo voluntatem peccati, perditionisque quam longissime(1)amandant: exsecrantur *alterum*, quum (2) universalem pronunciant reparationis statum: et exsecrantur *tertium*, quum (3) paternas industrias, artesqne maternas enarrant ac prope depingunt, quibus Deus perditissimos etiam quaerit ut sanet, iuvat ut servet.

Superest igitur ut is dumtaxat reprobationis modus admittatur, quem *quarto postremoque loco* recensuimus, quique situs in eo est, *ut ii omnes ac soli ab aeterno reiecti damnatique credantur, quos Deus ab aeterno suis ingratos beneficiis, suaeque misericordiae superbos contemptores praeviderit.* Eiusmodi autem reprobatio 1) decretum est secundum praescientiam, 2) hypothetica est, 3) ad Deum iudicem refertur, ambituque 4) consequentis voluntatis comprehenditur.

CCLVII.

COROLLARIUM LIII.

Verae germanaeque doctrinae *tessera* est *necessariumque* κριτηριον, ut nihil in ea sit dissitum, nihil avulsum, nihil hians, et quod non magis secumipso quam cum reliquis apte eleganterque conspiret. Veritas enim cum veritate concinit, et quidquid dissonum est, nihil potest habere cum veritate commercii. Si quae igitur complexi hactenus sumus, et in summam veluti quamdam redegimus, non fucata sint et adulterina, sed simplicia ac sincera, ea profecto concinnitate fnlgebunt, et tam secumipsis quam cum reliquis concentum harmoniamque praeseferent. Ac praeseferunt enimvero, et eo quidem splendore, qui oculos etiam non acutis-

CVXIII—CXVI., ecclesiae gallicanae §§. CXVII—CXXXIII. eccletiae italicae; §§. CXXXV—CXLV., ecclesiae romanae, §§. CLVI—CLIX., ecclesiae antiochenae, §§. CLXV—CLXXIX., ecclesiarum Asiae, Thraciae et Ponti, §§. CLXXXII—CXCV. et ecclesiae demum palestinensis §§. CXCVIII —CCV.

(1) Pagg. 20—187. . . .

(2) Pagg. 203—206—224—246—255—284—351—380—389. . .

(3) Pagg. 176—192 . . .

simos percellat et feriat. Ecquid enim, amabo, in iis non est harmonicum? quid non sibi ad unguem respondet? aut quid non ita comparatum, ut una cum multiplici varietate eximiam non referat unitatem? primis extrema consonant, et tum haec, quum illa mediis interiectisque cohaerent. Nihil est quod dimovere e loco possis, quin totum subvertas: nihil quod sollicites, quin totum periclitetur. Experire, ac unum alterumve e corollariis vel nega, vel e suis sedibus deturba. Illico cetera commoventur, dissiliunt, dilabuntur. Doctrina igitur quam dedimus, eiusmodi est, quae spectari *in seipsa* non potest, quin illi ratio ac *systematis* dignitas asseratur. Immo neque spectari *prae ceteris* potest, quin et cum illis *pulcherrime* convenire deprehendatur. Pulcherrime namque convenit 1) cum iis quae de Deo divinisque perfectionibus credimus ac profitemur: 2) cum iis quae de redemptione per Christum indubitate tenemus: et cum iis 3) tandem, quae ad humanam naturam maxime referuntur. Sic enim ea doctrina costituta est, ut *a*) spem foveat, securitatem repellat: *b*) ad officium excitet, sollicitudinem acuat, socordiaeque locum praecludat: *c*) libertati consulat, moralem sensum iuvet, ostendatque *d*) ordinem eudaemonicum cum ordine ethico intimis nexibus copulari: proindeque *e*) felicitatem ita esse divinae benignitatis donum, ut simul sit laboris contentionisque praemium.

CCLVIII.

COROLLARIUM LIV.

Quoniam vero maximi res est momenti certum ob oculos habere *κριτηριον*, quo de doctrinae alicuius veritate statuatur; opportunum idcirco fore duximus, si quod modo praestitimus, id rursum aliaque via exsequi adgrediamur. Quemadmodum igitur doctrina omnis quae vera sit, *ad unitatem formamque systematis* revocari potest; ita systema nullum fide assensuque dignnm censetur, quod certos characteres, ratasque notas non exhibeat. Hae namque si conspirent, de veritate systematis non ambigitur; sin autem desiderentur, systema ipsum negligitur, humanaeque mentis lu-

dibriis connumeratur. Omnium porro consensione veri indubitatique systematis theologici characteres hi maxime recensentur. Ut 1) systema principiis certis, eisdemque depromptis ex purissimis veri fontibus innitatur. Scite (1) Lucretius:

» In fabrica si prava est regula prima
» Normaque si fallax, rectis regionibus exit,
» Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum
» Omnia mendose fieri atque obstipa necessum est.

Ut 2) systema ex principiis ductum conflatumque sit non diversis et secum ipsis pugnantibus, sed sibi similibus, eamdemque originem referentibus. Quod utinam, uti par erat, ii sane non pauci (2) animadvertissent, qui nobis theologiam de Verbo partim ex divinis litteris ac partim ex platonicorum scìtis haustam derivatamque proposuerunt.

Ut 3) systema pulchre secum atque amice in omnibus partibus consentiat. Quod enim verum est, id etiam pulchrum necessario est: neque esse sive pulchrum sive verum potest, quod dissidet, internaque pugna laborat.

Ut 4) systema ad *veros* expediendos nodos, *verasque* difficultates solvendas aptum quam maxime et accomodatum sit. Nullo namque in pretio eas habere decet difficultates, quas Paulus (3) vocat *τας μωρας και απαιδευτους ζητησεις*, et de quibus Martialis argute scripsit :

» Turpe est difficiles habere nugas,
» Et stultus labor est ineptiarum.

Ut 5) systema suum cuique tribuat, neque uni sic deferat, ut alterius aspernari iura videatur. Si enim comparatum aliter fuerit, excessu simul defectuque peccabit.

Ut 6) systema ad fidem, constantiam, pietatem, fiduciam

(1) Lib. IV. vv. 517. seqq.

(2) Cf. Iohannis Clerici Artem critic. T. I. P. II. sect. II. cap. II. §. II., et Laurentii a Mosheim commentarium *de turbata per recentiores platonicos ecclesia*.

(3) II. Tim. II. 23.

virtutesque alias magnas ac excellentes, hominum studia excitet ac vero etiam inflammet. Hunc enim σκοπον esse evangelii, atque huc christianam doctrinam institutionemque pertinere, declaravit (1) Apostolus, inquiens: *omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Denique 7) ut systema hominum piorum animos calamitatibus pressos, angoribusque obrutos confirmet, erigat, recreet. Doctrina siquidem ab eo profecta, qui (2) *Deus pacis* est crediturque, talis sit opertet, quae (3) *hominibus bonae voluntatis* pacem afferat, tranquillitatemque conciliet. Iamvero ex his characteribus, qui *simul omnes* in falsum praeposterumque systema quadrare nequeunt, *ne unus quidem est*, qui in eam doctrinae summam, quam descripsimus, non praeclare conveniat. In eam *a*) *primus* insigniter convenit, quum neque aliis usi simus principiis quam totius christiani nominis suffragio comprobatis, neque aliunde, quam ex christiana eaque *exegetica* traditione collectis. Convenit *b*) *alter*, siquidem ab eo nobis diligentissime cavimus, ne cum doctrina exegeticae traditionis aliena eaque dissona placita sociaremus. Convenit *c*) *tertius*, ita namque omnia contexta sunt, ut totidem prope catenae annuli videantur. Convenit *d*) *quartus*, quum nulla opponi difficultas possit sive ad theologiam, sive ad oeconomiam, sive ad anthropologiam eadem spectet, quae non commode explanetur. Convenit *e*) *quintus*, quandoquidem Deo Patri φιλανθρωπια summa, Filio λυτρωσις perfectissima, et hominibus moralis libertas vindicetur. Convenit *f*) *sextus*, nihil enim ad accendendos animos illosque commovendos efficacius, quam fixa rataque persuasio, nemini sublatam esse adipiscendae salutis facultatem, neminem durissimis necessitatis vinculis constringi; immo sic omnes divinitus gubernari, ut non antea Deus velit contra quempiam iustitiae severitatem patefacere, quam suae in illum pietatis

(1) II. Tim. III. 16—17.
(2) Rom. XV. 33, XVI. 20
(3) Luc. II. 14.

beneficia contulerit. Convenit *g*) et *ultimus*; angores namque omnes vel funditus desinunt, vel mirifice leniuntur, ubi semel constitutum est, Deum esse amorem summum, et ab eo neminem, nisi pro meritis malae rebellisque voluntatis ad interitum necemque sempiternam destinari.

CCLIX.

COROLLARIUM LV.

Succedunt corollaria, quae *ad tertiam postremamque classem* retulimus, quaeque *ἐριστικα* dici posse existimavimus. Inter haec autem nulla iis praeponi debent, quae cum hactenus praestitutis hostilius pugnant. Sunt vero illa quibus *supra-lapsariorum* doctrina continetur. Rigidioribus nimirum calvinistis, quibus a proprio dogmate supra-lapsariorum nomen inhaesit, visum est, universum hominum genus *in duos dispesci ordines oportere*, quorum alter eos complectatur, *quos Deus ut suam manifestaret potentiam, supremumque dominium patefaceret, citra quamcumque praevisionem ad sempiternam felicitatem, eaque media destinavit, quae nequeunt ab assequutione salutis disiungi*: alter vero iis constat, *quos Deus eadem forma subiectivi dumtaxat* (1) *decreti sempiternis poenis, illarumque caussis, cuiusmodi sunt peccata, indeclinabiliter devovit.* « Non enim, inquit (2) Calvinus, pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur. Itaqua prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praedestinatum dicimus ». Et (3) rursum: » Vides ut in solum Dei arbitrium utrumque conferat Apostolus ? ergo si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet ; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quam eius voluntatem ». *Simul*

(1) Cf. sextum specimen *de la prédestination et de quelque dogmes calvinistes*, par M. Chenevière, pasteur et professeur à Genève, Paris. 1834.

(2) Institutt. lib. III. cap. XXI. n. 5.

(3) Ibid. cap. XXII. n. 11.

autem ac, pergit (1) Theodorus Beza, *odio suo destinat Deus quos libuit, iusti sui futuri odii causas ita substernit, ut tota odii materia in ipsis exitio destinatis hominibus inhaereat, ac proinde sua in illis odio prosequendis ac tandem condemnandis iustitia emineat.* Caeterum de hoc doctrinae capite a supralapsariis statuto ac defenso tot sunt testes, quot (2) controversias sive inter ipsos calvinianos obortas, sive inter calvinianos, lutheranos, remonstrantes et catholicos *de praedestinatione ac reprobatione* excitatas litteris consignarunt. At enimvero nihil ab iis potuit excogitari, nihil in lucem mediumque proferri, quod orthodoxi patres aut maiori consensione improbarint, aut atrocioribus censuris inusserint. Damnarunt enim et a fide christianaque professione (3) alienissimum pronunciarunt, vel quod 1) aliqui ideo creati putentur, ut pereant; vel quod 2) aliqui ad caussas interitus destinati censeantur; vel quod 3) in Deum caussa mortis suppliciorumque refundatur.

CCLX.

COROLLARIUM LVI.

Rigidiores calviniani, iidemque supra-lapsarii ut formam rationemque decreti praedestinantis ac reprobantis delineent, illamque oculis articulatim subiiciant, hoc utuntur (4) schemate, atque hoc veluti ordine progrediuntur. I. Sapientissimus Deus de fine primum ultimo, ac de mediis deinde propter finem decrevit. II. Ultimus Dei finis fuit ac est suae gloriae demonstratio. III. Excellentissima divinae

(1) In opusc. p. 339., et lib. de praedest. a. 2.

(2) Videsis opus Iohannis - Baptistae Du Chesne inscriptum, *Le Predestinatianisme*, lib. V. capp. II. seqq., Wyttenbachii tentamina, T. I. §§. 474—476., Homnii specimen controversiarum belgicarum. Art. XV., Dannhaveri Hodomoriam spiritus calviniani, Part. I. Phantasmat. II., Guillelmi Iahr doctrinam de praedestinatione, sect. III. §§. CV. seqq., et Moehleri Symbolic. lib. I. cap. III. §. XII.

(3) §§. CLXXII—CLXXVI—CLXXVIII. . . . .

(4) De quo digna scitu habet Fridericus Seiler in Theolog. Dogmat. Pol. P. II. cap. II. pagg. 380. seqq. edit. Erlangae 1820.

gloriae demonstratio haberi aliunde non potest quam ex manifestatione divinarum omnium proprietatum, potissimum vero misericordiae ac iustitiae: et misericordiae quidem quae in condonandis peccatis splendescat, iustitiae autem quae in iisdem imputandis puniendisque refulgeat. IV. Quemadmodum voluit Deus suae misericordiae specimen circa aliquos, illosque e ceterorum turba selectos exhibere; ita voluit suam iustitiam circa reliquos omnes a se neglectos reprobatosque patefacere. V. Ergo tam electio quam reprobatio propter hunc finem et ad hunc finem decreta, censeri absoluta debet, subiectiva et ab humanis conditionibus (1) libera ac soluta. VI. Ut misericordiae iustitiaeque vindicantis manifestatio habere locum posset, obiectum subiectumque miserum miseriaque dignum requirebatur. Necesse igitur fuit, ut creatura misera existeret. VII. Existere non potuit creatura misera, quin *a*) eiusdem creatio antecederet, creationem vero *b*) consequerentur legislatio, et post legislationem peccatum; quia *c*) absque peccato creatura misera esse non poterat: miseria enim *d*) poena est, quae ab antecedente culpa seiungi nequit. VIII. Ut contrahi peccatum posset, creatura opus erat intellectu ac libertate praedita: intellectu quo legem cognosceret: libertate qua legem violaret aut illam custodiret. IX. Lata lege, ac posita creatura libertate eaque inprimis quae aureo originalis iustitiae fraeno coerceretur, atque in ordinem redigeretur, anceps erat, futurum nec ne peccatum esset; immo longe videri probabilius debebat non esse futurum. Ne itaque Deus vel a praestituto sibi fine excideret, vel liberae creaturarum electioni obnoxius appareret; necesse prorsus fuit, ut decreto aliquo libertatem creaturae in alteram par-

(1) Wyttenbachius Tentam. T. I. §. 416. « Decretum, scribit, electionis est absolutum; etenim Deus hominem elegit non tantum ad salutem, sed et ad fidem sanctitatemque, quae sunt media ad salutem; adeoque elegit tam ad finem quam ad media, quod est absolutum ». Et §. 438: « Porro cum decretum in genere versetur tam circa media quaecumque, quam fines, hinc sit absolutum oportet; et praedestinatio quae non differt ab illo nisi quoad obiectum, sit absoluta «. Quibus ista consonant Friderici Stapferi, Institutt. Theolog. Polemic. T. I. cap III. sect. XVII. p. 335: « Absolutum est quidquid a nulla conditione pendet. Cum vero decretum divinum a nulla pendere possit conditione, hinc absolutum dicitur ».

tem, illamque peccati determinaret. X. Ut decreta determinatio exequutioni mandaretur, auferri debuit fraenum originalis iustitiae, et gratia ad non peccandum necessaria subduci aut negari, ipse vero homo sibi, suaeque imbecillitati permitti. Quod integrum Deo fuit, ut homo experimento edoctus intelligeret, quid ex semetipso ac auxilio destitutus libertatem ad bonum determinante valeret. XI. Selecto eiusmodi providentiae ordine, quem supra-lapsarii vocant *permissionis efficacis*, necessarium fuit necessitate prorsus indeclinabili, ut peccatum existeret, et una cum peccato reatus poenae damnationisque sempiternae. XII. In peccatum miseriamque prolapsa hominum natura, ut posset electis misericordia subveniri, necesse fuit Mediatorem decernere, qui *a*) pro ipsis satisfaceret, illosque Deo reconciliaret; qui *b*) eos ad fidem poenitentiamque adduceret; qui *c*) fidem ipsam poenitentiamque interiori ac insuperabili gratia eorum animis inderet; qui *d*) inditam semel fidem virtute, cui resisti nequeat, tueretur; qui *e*) poenitentiam aut custodiret iugiter, aut in extremo saltem agone instauraret; et qui *f*) per mortem electos ad vitam immortalem proveheret. XIII. Explendo autem reprobationis decreto, quo reliqui omnes non electi comprehenduntur, hoc unum necessarium fuit, ut Deus illis salutaria gratiae auxilia denegaret. Hisce enim denegatis, neque reconciliari illi cum Deo potuerunt, neque externae vocationi obedire, neque ab omnibus abstinere peccatis, neque Deo cari praesentem mortalitatem absolvere, neque tandem intentatas poenas, infernique cruciatus evadere.

Haec illi, in quibus occurrit nihil, quod non sit (1) ab universali christianae traditionis doctrina alienissimum. Alienissima namque ab ea est 1) series ipsa actum divinorum, qui

(1) Ex universali namque christianae traditionis doctrina, quam exposuimus, ταξις ac ordo decretorum constitui sic debet: 1) Decrevit Deus homines condere, ut aeternum beati essent, suaque beatitate divinam gloriam illustrarent: 2) Quam ob rem decrevit primos homines iis omnibus instruere donis, quibus possent praefixum sibi finem consequi: 3) Quum ex omni aeternitate vidisset, hominem acceptis donis naturalibus et supernaturalibus non recte usurum, decrevit permittere libertatis abusum, et cohaerens cum eo peccatum: 4) Simul tamen decrevit opem ferre lap-

virtute distinguuntur: alienissimum 2) quod dicitur de voluntate in alteram partem, illamque peccati determinata: alienissimum 3) quod de gratia pluribus subtracta docetur: et ne singula percensendo commemorem, alienissimum 4) quod de manifestatione punientis iustitiae ante impensam benignitatem misericordiamque affirmatur.

CCLXI.

COROLLARIUM LVII.

Hisce aliisque plures e calvinianis deterriti (1) visi sunt in diversam lenioremque de praedestinatione ac reprobatione sententiam ire, illam tueri , ac eiusmodi repraesentare coloribus, ut hominum animi non ea tantopere offenderentur. Statuerunt (2) videlicet: 1) non ipsos *in se* spectatos homines *obiectum* esse praedestinationis ac reprobationis; sed utrumque decretum circa homines versari *in Adamo lapsos*, ac aeternae propterea morti et damnationi obnoxios: 2) ex hac perdita massa alios eligi, alios reprobari: 3) tam illos eligi, quam hos reprobari absoluto meroque divinae voluntatis beneplacito , nullamque penitus ratione habita sive perseverantiae illorum , sive finalis horum impoenitentiae : postremo 4) electos iis mediis quae declinari nequeant , ne-

sae afflictaeque humanitati, iacentique dextram porrigere: 5) Hinc decrevit omnes sibi reconciliare per Christum: 6) Omnibus constituit, ac omnibus auxilia obtulit, quibus beneficiis universalis reparationis fruerentur. 7) Decrevit tandem illos coronare, quos suam operam ad finem usque cum oblatis auxiliis coniuncturos praesensit; illos vero damnare quos suae misericordiae rebelles ad supremum usque diem praenovit. Talis est decretorum ordo, qui ex christiana traditione colligitur, et e quo iste prodit syllogismus formam divinae praedestinationis repraesentans. προθεσις: Quicumque beneficiis universalis reparationis rite utuntur , salventur. προγνωσις: Clementem beneficiis unversalis reparationis rite usurum praenosco. προορισμος: Ergo Clemens salvandus est. In quo syllogissimo propositio refert *voluntatem Dei antecedentem*, illatio vero *voluntatem consequentem*, ipsamque praedestinationem.

(1) Cf. synod. dordrac. cap. I. artt. VI. seqq , tum vero Confess. anglic. art. XVII., Confess. scot. art. VIII., et Declarat. thorun. art. XVIII.

(2) Videsis Heideggeri Medullam, lib. I. Loco V. §§. XL. seqq., et Gurtleri Institutt. Thelog. cap. XIII, §§. XXXIV. seqq.

cessario ad gloriam adduci; reprobos vero eadem necessitate ad mortem propelli. Atque huic doctrinae tribui debet, quod illius assertores dici *infra-lapsarii* consueverint. Sed quamquam ea videri tolerabilior (1) utcumque possit, comparata tamen sic est, ut cum perenni catholici nominis professione conciliari (2) nequeat. Et cum hac sane conciliari nequit: *a*) lapsos in Adamo homines citra praevisam finalem impoenitentiam sempiternis poenis addici: *b*) perditam humanitatem ad Deum benignum misericordemque non primum referri: *c*) corruptos depravatosque homines in duplicem classem electorum reproborumque una Dei voluntate dispesci: *d*) mediis in unam partem affigentibus electos ad salutem perduci: reprobis vero *e*) opportuna gratiae auxilia eo usque subtrahi, ut nulla iis evadendae mortis, obtinendaeque salutis facultas tribuatur.

CCLXII.

COROLLARIUM LVIII.

E propositionibus Quesnelli ab Innocentio undecimo confixis, duodecima sic habet: «Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei». Hanc excipit decima-tertia, quae his constat verbis: » Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiae suae manu, nulla voluntas humana ei resistit ». Porro utraque propositio simul comparata ostendit: *a*) non aliam admitti salutiferam Dei voluntatem, nisi quae cum ipsa salutis assequutione cohaereat: *b*) salutiferam Dei voluntatem haberi non modo uti principem, verum etiam tamquam unicam adaequatamque salutis caussam: *c*) ex eorum qui salvantur numero amplitudinem salutiferae voluntatis aestimari: ac illud postremo *d*) reiici, Deum, quantum est ex sese, nemini interius exteriusque deesse; at vero homines neque sibi prospicere, neque gratiae frequenter consentire, neque cum Deo praeveniente cooperari. Atqui christiana traditio his omnibus adversa fronte (1) repugnat. Ea

(1) Quod tamen, si intimius consideretur, existimari posse negat Episcopius, Institutt. Theologic. lib. IV. sect. V. cap. VI.

(2) Pagg. 23 – 33 – 163 – 332 – 336 . . . .

namque edocemur: 1) salutiferam Dei voluntatem, illamque sinceram ac fecundam posse, neque raro ab ipsa salutis assequutione disiungi: 2) salutiferam Dei voluntatem esse quidem unicam et adaequatam caussam *potestatis* obtinendae salutis; at vero salutis *assequutionem* ita ab ea, tamquam a principe caussa pendere, ut a libera quoque hominum cooperatione, tamquam a subiuge caussa dependeat: 3) mensuram voluntatis salutiferae non *ex ipsa obtenta salute*, sed *ex facultate* illius adipiscendae sumi oportere: et 4) Deum pro sua misericordi benignitate omnibus praesto esse, ac omnibus medicinam offerre, manumque porrigere; sed non omnes auxiliis uti, non omnes medico obsequi, neque omnes porrectam manum amplecti. Damnatis igitur Quesnelli propositionibus Clemens summo iure christianae traditioni, revelataeque doctrinae prospexit.

CCLXIII.

COROLLARIUM LIX.

Doctrinae de voluntate Dei salutifera Quesnellus ea subiicit, quae ad redemptionem Christi sanguine partam referuntur, deque iis quatuor continenter propositionibus (2) ita statuit. » I. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. II. Desideria Christi semper habent suum effectum. III. Iesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, idest, electos, de manu angeli exterminatoris. IV. Proh! quantum oportet bonis terrenis et sibimetipsi renuntiasse ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Iesum, eius amorem, mortem, et mysteria! ut facit sanctus Paulus dicens: *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*».

His autem perspicue luculenterque edicitur: *a*) redemptionem morte Christi comparatam non esse universalem: *b*) esse prorsus circumscriptam, et ad solos electos pertinere: cuius rei *c*) manifestum inde argumentum haberi, quod neque Dei per Christum salutifera voluntas, neque Christi ipsius desi-

(1) Pagg. 26—37—68—93—252—292—305—327 . . . .
(2) Propositt. XXX—XXXI—XXXII—XXXIII.

derium homines servandi ab ipso obtentae salutis effectu separari queant: omnibus propterea *d*) integrum haud esse cum Paulo exclamare, *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Verum quae horum ratio est, et cuiusmodi censeri debent? censeri scilicet debent ab iis plane dissona, quae orthodoxi patres constantissime docuerunt. Horum enim sententia unanimis (1) numquam non fuit: 1) redemptionem fuso Christi sanguine partam non aliis finiri limitibus quam iis, quibus hominum genus continetur: 2) hanc nullis adstrictam finibus redemptionis amplitudinem divinis litteris tradi, ecclesiae precibus confirmari, propriaque reparati status oeconomia stabiliri: 3) voluntatem, qua Christus in ara crucis semetipsum obtulit, multo protendi latius, quam eorum pateat numerus qui salutem consequuntur: 4) neminem quidem servari, pro quo Christus mortem non obierit; sed plures e salute excidere, pro quibus animam Christus sincerissime emisit: 5) potissimam damnandi reprobos caussam huc redire, quod oblatum redemptionis beneficium ingrati superbique contempserint: et 6) posse omnes ac vero etiam debere cum Paulo repetere, *qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.* Gratiae igitur eaeque summae Clementi XI. haberi debent, quod reiectis Quesnelli propositionibus, tutelam christianae traditionis in semetipsum receperit; et pares agendae sunt gratiae Innocentio X. qui quintam Iansenii propositionem, *semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, declaraverit *falsam, temerariam, scandalosam: et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem et haereticam.*

CCLXIV.

COROLLARIUM LX.

Ad cognoscendam aestimandamque amplitudinem illius redemptionis, cuius caussa Christus extitit, non minimum con-

(1) Pagg. 362—369—396—401 . . .

fert quarta ex iis propositionibus, quas anno MDCXC. Alexander VIII confixit, quaeque his concepta verbis legitur: » Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus ». Vides ne redemptionis amplitudinem extendi? vides ne non ad solos electos, sed ad omnes solosque fideles amplificari? et nihilominus hoc ipsum proscribitur, proscriptumque damnatur. Sed cur enimvero? quod Alexandrum non lateret, quod nos infinitis testimoniis (1) comprobavimus: 1) subverti oeconomiam redemptionis, nisi ea prorsus universalis existimetur: 2) oppugnari christianam traditionem, si limites redemptioni figantur: et 3) catholicam Scripturarum interpretationem corrumpi, nisi oracula quae ad redemptionis ambitum spectant, universe gêneratimque usurpentur.

CCLXV.

COROLLARIUM LXI.

Tanta est hac de re Scripturarum Traditionisque evidentia, ut ipsi etiam calviniani eadem exciti commotique videantur. Distinctionem idcirco commenti sunt, quam ego operae pretium esse arbitror in lucem proferre, ac ipsissimis illorum verbis exponere. Itaque batavi calvinistae in (2) specimine amstelodamensi:» Quamvis, inquiunt, passio Christi in se ipsa sufficiens fuerit redimendis omnibus hominibus; non est tamen ipse secundum consilium, mandatum et commissionem sui Patris mortuus pro omnibus hominibus». Neque aliter delegati classis walachrianae. « Nostri docent sufficere quidem Christi mortem, quoniam ob personae dignitatem est infiniti pretii, omnibus omnium hominum peccatis abolendis; morti tamen traditum esse tantum pro electis ». Hinc Beza (3) in thesibus theologicis: « Fatemur tanti esse hanc oblationem, ut potuerit pro infinitis mundis satisfacere, nedum pro singulis hominibus unius,

(1) Pagg. 203—206—224—246—255—284—351—355—360—379 399—401 . . . .

(2) Specim. amstelodam. art. XLIII.

(3) Theses theolog. pag. 129.

si Deus eorum omnium voluisset misereri, et pro omnibus Filium misisset. Attamen sive *consilium Dei*, sive *passionis effectum*, sive *utrumque* spectaveris, pro impiis *nullo modo* est mortuus ». Omitto reliqua eodem pertinentia quae docent (1) Piscator, Triglantius (2), Kimedoncius (3), et ex horum libris deflorata Iansenius, qui (4) eadem utitur distinctione, illamque ingeminat: ac potius quaero, quo ea in numero haberi debeat. Arbitror autem opus non esse pluribus, ut quisque cernat, illam esse praeposteram, eaque mente excogitatam, non ut Scripturae Traditionsque scita explanentur, sed ut error turpissimus aliqua veluti larva tegatur.

Sane quid ea distinctione *ponitur*, quid *negatur*? ponitur sanguinem Christi, utpote sanguinem θεανθρωπου, per se ac ὀντως parem fuisse innumeris etiam mundis redimendis. Negatur vero 1) Deum Patrem ea voluntate dedisse Filium, ut ipse pro omnibus pateretur: et 2) Deum Filium mortem pro omnibus obiisse. Quae calviniani iansenianique toties negant, quoties uno ore (5) proclamant: *Christum pro impiis non effudisse sanguinem: impium esse et blasphemum affirmare, damnari posse quemquam, pro quo Christus satisfecerit: Christum secundum propositum Patris pro ipsis tantum electis natum, precatum, mortuum, passum esse: Christum omnes et singulos ex parte sua redemisse, et reconciliasse Deo, ex his tamen plurimos quoad eventum damnari, mire absurdum esse: prodesse illis necessario Christi sanguinem et mortem, pro quibus sanguinem illum fuderit et mortuus fuerit; et quibus nullo modo prodest, pro illis nec sanguinemfudisse, nec mortuum esse.*

Agesis, et animum ad traditionem refer quam exhibuimus, et cuius rata fixaque δογματα explanavimus. Videntur ne tibi haec calvinianis iansenianisque strophis consentire? immo ab invicem tantopere dissident, ut semet e diametro

(1) Con. Schaffmanum.

(2) In declaratione.

(3) In synopsi de redempt. p. 59.

(4) De gratia Christi, lib. III. cap. XX.

(5) Ista deprompsimus ex actis colloquii mompelgartensis, pagg. 546—547—548., ex summa praelectionum Zanchii, ex Perkinsio, de praedestinat. T. I. col. 1023., ex Piscatore in thesibus, lib II. p. 371.

impetant. Quamquam enim orthodoxis patribus et calvinianis iansenianisque *commune* sit, dominicum sanguinem in se ac ὀντως spectatum infiniti esse pretii, infinitaeque virtutis: nihilominus quod isti negant, illi (1) unanimes *testantur* atque *confirmant*. Auctores namque sunt : 1) mittendi in hunc mundum Unigeniti non aliam extitisse caussam, nisi misericordem, eamdemque in omnes homines beneficam Dei Patris voluntatem: Unigenitum vero 2) in mundum venisse, et crucem mortemqne subiisse, ut paternam expleret voluntatem , novusque Adam exitium prioris transgressione illatum plenissime repararet. Egregie (2) alexandrinus Cyrillus : « *ἐπι γαρ πασαν την φυσιν των ἀνθρωπων ἡ του σωτηρος ἡμων εὐεργεσια χωρει· ὁτι καθαπερ τῳ προπατορι Ἀδαμ, και της ἀρας ἐκοινωνησαμεν, και γεγοναμεν ἁπαντες ὑπο τον θανατον ὡσπερ ἐκεινος, οὑτω του σωτηρος Χριστου και την νικην οἰκειουμεθα, και της δοξης συμμετεξομεν, και της βασιλειας συναπολαυσομεθα· και τουτων μαρτυς ὁ μακαριος Παυλος , των τε παλαιων και των νεων ἀναμιμνησκων, και δεικνυς των προτερων λυσιν γεγενημενην , την του σωτηρος ἡμων δικαιοσυνην.* Ad universam enim hominum naturam Servatoris nostri beneficium pertingit : ut sicut progenitoris Adami maledictioni communicavimus, et cuncti ut ille sub mortis iure devenimus, ita Servatoris Christi et victoriam ceu nostram faciamus, et gloriam participemus , et regno congaudeamus. Atque horum testis est beatus Paulus, dum vetera simul et nova memorat , et priorum factam dissolutionem per Servatoris nostri iustitiam demonstrat ». Relatis autem idoneis eam in rem Apostoli (3) testimoniis, consequenti capiti (4) istud lemma praefigit: *ὁτι κοινὴ των ἀνθρωπων εὐεργεσια ἡ του σωτηρος οἰκονομια*, *quod commune erga homines beneficium fuerit Servatoris incarnatio.*

(1) Pagg. 329—365—402—410 . . .

(2) De incarnat. Domini, cap. XI. apud em. Mai, Novae PP. Biblioth. T. II. p. 44.

(3) Rom. V. 15—18, et I. Cor. XV. 22.

(4) Ibid. cap. XIII. p. 45.

CCLXVI.

COROLLARIUM LXII.

Dum agunt (1) tridentini praesules *de dispensatione et mysterio adventus Christi*, ut illius σκοπον finemque declarent, initio promunt verba (2) Iohannis, *hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*; tum continenti oratione (3) subdunt: « Verum, etsi (4) ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium *recipiunt*, sed iis dumtaxat quibus meritum passionis eius communicatur ». Quae his prorsus sunt gemina, quae carasiaca Synodus (5) definierat, inquiens: « Christus Iesus Dominus noster, sicut nullus homo est, fuit vel erit, cuius natura adsumpta non fuerit; ita nullus est, fuit vel erit homo, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur ». At vero calviniani ministri, qui dordraceno conventui interfuere, quum aliis doctrinae capitibus tridentina auctoritate sancitis, tum huic etiam distinctioni bellum indixerunt, suamque mentem his verbis (6) explicarunt: « Reiicit synodus errorem eorum, qui *impetrationis et applicationis distinctionem* usurpant, ut incautis et imperitis hanc opinionem instillent: Deum, quantum ad se attinet, omnibus hominibus ea beneficia voluisse conferre, quae per mortem Christi acquiruntur. Nam isti dum simulant se distinctionem hanc *sano sensu* proponere, populo *perniciosum pelagianismi venenum conantur propinare* ».

Sed quem dicunt *sanum* huius distinctionis *sensum*, et quod appellant *perniciosum pelagianismi venenum*? respon-

(1) Sess. VI. cap. II.

(2) I. Ioh. II. 2.

(3) Ibid. cap. III.

(4) II. Cor. V.

(5) Capit. IV. cuius capituli verba ex iis deprompta sunt quae habet Prosper in prima atque altera responsione ad obiectiones vincentianas.

(6) Synodus dordrac. cap. II. art. VI.

sio est ex eiusdem conventus actibus (1) exploratissima: 1) eum sensum dici sanum, quo, licet secundum Patris propositum, Christique voluntatem pro solis electis fusus redemptionis sanguis existimetur, in se tamen atque ὄντως infiniti esse pretii, infinitaeque virtutis creditur: perniciosum contra 2) pelagianismi venenum illorum appellari doctrinam, qui ad redemptionem quod attinet, sollicite advertunt: *a*) secerni ab invicem eos effectus oportere, quorum Christus caussa est *unica* et *adaequata,* et quorum est quidem caussa *princeps*, sed non item unica et adaequata; *b*) Christum caussam esse *unicam* et *adaequatam potestatis* habendae fidei, exercendae pietatis, salutisque obtinendae; sed *principem* dumtaxat esse caussam, non item *unicam* et *adaequatam* sive fidei *habitae*, sive pietatis *excultae*, sive iustitiae ad extremum usque *custoditae*, sive salutis *obtentae*: redemptionem propterea *c*) esse *universalem,* si ea spectentur, quorum Christus caussa est *unica et adaequata:* at eamdem esse *particularem*, si ad illa referatur, quorum Christus non est *nisi caussa princeps,* quaeque ut existant, *liberam caussae subiugis conspirationem* efflagitant.

Iamvero ferri ne potest, ut tria haec doctrinae capita noxium exitiosumque pelagianismi venenum censeantur? ut a calvinianis eadem confidentia improbentur, qua manifestae haereses reiiciuntur ac damnantur? neque ferri potest neque debet, quum omnia et singula (2) certissimis patrum testimoniis, christianaeque traditionis suffragio comprobentur. Est igitur cur in tridentina sententia conquiescamus, ac est cur cum tridentinis episcopis affirmemus, *redemptionem credendam esse universalem, si eorum habeatur ratio, quae ab uno Deo Patre eiusque Christo exspectari possunt; particularem vero, si ea considerentur quae studium curamque liberae voluntatis exposcunt.*

(1) Videsis quae leguntur in Actis, pagg. 300—609—617—625—633 656—658.

(2) Pagg, 206 —224—246—297—327—351—380—389—404. . .

CCLXVII.

COROLLARIUM LXIII.

Misericors Dei amor, Christique redemptio *duo veluti fontes* aestimari debent beneficiorum omnium, quibus hominum genus pereundi necessitate solutum erigitur, sanatur, ad vitam e mortis statu transfertur, viribusque donatur quibus possit et filiorum adoptionem repetere, et cum ea consertam paternam hereditatem adipisci. Ex hoc autem habitu, mutuoque respectu plane intelligimus, beneficiorum gratiarumque copiam extensionemque ubertati ac amplitudini utriusque fontis necessario respondere; adeo ut si *universales* isti sint, *universalia* quoque credi debeant *gratiae dona* quae ex iisdem dimanant: credi vero *circumscripta* et *particularia* debeant, si fontes limitibus contineantur. En porro quid Quesnellus affirmandum esse (1) existimarit: « I. Nullae dantur gratiae nisi per fidem. II. Fides est prima gratia, et fons omnium aliarum. III. Extra ecclesiam nulla conceditur gratia ». A quibus ne lato quidem ungue dissident, quae propositione *quinta* ex iis, quas Alexander VIII. reiecit, his verbis docentur: « Pagani, iudaei, haeretici, aliique huius generis nullum omnino accipiunt a Iesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti ». Sed unde iansenianis in mentem venit tantam hominum multitudinem necessariis gratiae praesidiis destitutam tueri? aut quae ipsis in promptu fuerunt argumenta, ut id sibi aliisque persuaderent? nimirum: 1) quod amorem Dei misericordem, Christique redemptionem *ad solos electos*, vel certe ad solos fideles extendi posse arbitrarentur: 2) quod non alia admitterent praevenientis gratiae auxilia, nisi quae sibi humanam voluntatem subiicerent, eiusque consensum necessario extorquerent: et quod 3) *ex facto* integrum sibi esse putarent de oblata negataque gratia iudicare; adeo ut *oblatam* iudicarent gratiam, si homines crederent ac resipiscerent *negatam* vero, si in

(1) Propositt. XXVI - XXVII—XXIX.

impietate perseverarent. Sed bene habet; quod haec sive principia sive argumenta totius christianae traditionis pondere eliduntur. Traditionis enim certa atque concors (1) doctrina huc redit: *a*) amorem Dei misericordem, partamque Christi meritis reparationem tessera inprimis notaque *omnimodae universalitatis* insigniri : *b*) ex utroque fonte in omnes prorsus homines necessaria gratiae auxilia redundare : *c*) quintuplicem ordinem naturalem, praeternaturalem et supernaturalem, itemque praemiorum atque poenarum ita divinitus temperari, ut omnia ad salutis assequutionem conducant : *d*) praesentem mortalitatem stadium omnibus esse misericordiae et gratiae: *e*) neminem aeternis suppliciis mulctatum iri, nisi qui opportuna saluti consequendae auxilia contempserit: innumeras proinde *f*) tribui gratias, quae hominum scelere suis fructibus privantur.

CCLXVIII.

COROLLARIUM LXIV.

Quemadmodum ianseniani suam de amplitudine gratiae doctrinam nusquam distinctius quam in pistoriensi synodo explicarunt; ita romana ecclesia nusquam *articulatius* quam in Constitutione a Pio VI. edita propriam fidem declaravit, subtiliterque circumscripsit. Sane I. *de conditione hominis in statu naturae* pistorienses (2) affirmarunt: « Post lapsum AdamiDeum annuntiasse promissionem futuri Liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Iesus Christus allaturus erat; tamen Deum voluisse, ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum; ac primum ut *in statu naturae* homo relictus propriis luminibus disceret de sua coeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis». At vero Pontifex suum de hac sententia iudicium pronunciavit (3) his verbis : « Doctrina,

(1) Pagg. 112—121—128—176—292—305—327—334—340—413...
(2) De gratia, §. X.
(3) Proposit. XVIII.

ut iacet, *captiosa*, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere; *suspecta*, *favens haeresi semipelagianae* ». II. De conditione hominis sub lege docuerunt (1) pistorienses: « Hominem *sub lege*, cum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit; legem vero, si non sanavit cor hominis, effecisse ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris ». At vero Pontifex (2) sanxit: *a*) doctrinam synodi « qua parte generaliter innuit, hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare; quasi (3) *impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo quod non potuit vitare, qui pius est*; esse *falsam*, *scandalosam, impiam*, *in Baio damnatam* ». Qua vero (4) parte *b*) « datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Cristum; quasi (5) *non ipsa gratia faciat*, *ut invocetur a nobis*; propositionem, ut iacet, *captiosam* esse, *suspectam*, *faventem haeresi semipelagianae* ». III. De gratia illuminante et excitante visum (6) pistoriensibus est: » Lumen gratiae, quando sit solum, non praestare nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eumdem effectum quem lex producebat; ideo necesse esse ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contra-

(1) De gratia, §. X.

(2) Proposit. XIX.

(3) Ex s. Caesario, Serm. LXXIII. in append. s. Augustini Serm. CCLXXIII, et Augustino de nat. et grat. cap. XLIII., de grat et lib. arbitr. cap. XVI., enarrat. in Ps. LVI. n. 1.

(4) Proposit. XX.

(5) Ex concil. arausic. II. can. III.

(6) De gratia, §. XI.

riam amori in nobis dominanti; hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem caritatis qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinant bona opera; hanc esse gratiam Novi Testamenti, quae nos liberat a servitute peccati et constituit filios Dei ». At vero Pontifex (1) edixit, eiusmodi propositionem ita acceptam ut significet: » Eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei; et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor (2) hominis tangitur per illuminationem Spiritus-sancti; nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur; esse *falsam, captiosam, inducentem in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovantem* ». Postremo IV. de fide velut prima gratia pistorienses (3) censuerunt: « Fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei, qua homines fideles nominantur et sunt ». At vero Pontifex (4) definivit; hanc propositionem ita intellectam « perinde ac prior non esset gratia illa, quae (5) *ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem; esse suspectam de haeresi, eamque sapere, alias in Quesnello damnatam, erroneam* ».

Huc igitur manifeste redeunt potiora doctrinae capita, quae romana ecclesia adversus iansenianos stata fixaque voluit: 1) humanam naturam sibi suisque permissam viribus nulla penitus facultate potiri, qua ea expetere et adspirare ad ea possit, quae consequendae aeternae saluti conducunt: 2) Deum, utpote iustum et pium, neque impossibilia potuisse praecipere, neque homines idcirco damnare, quod ea fecerint quae vitare non possent: 3) pro triplici statu naturae, legis et gratiae, in quo considerari homines solent, numquam iis

(1) Proposit. XXI.
(2) Concil. Trident. sess. VI. cap. V.
(3) De fide, §. I.
(4) Proposit. XXII.
(5) Ex s. Augustino de dono perserv. cap. XVI. n. 41.

necessaria defuisse gratiae auxilia quibus et imperata exequerentur, et ab interdictis vetitisque abstinerent: et 4) gratiae auxilia neque ab ea fide ortum ducere, qua fideles nominamur et sumus, neque eius esse indolis, ut semper humanae voluntatis assensionem coniunctam habeant. Verum iure ne an iniuria hanc sentiendi credendique normam romana ecclesia praefixit? quum id optimo iure censeri factum debeat, quo *antiquitas contra novitatem* asseritur, et quo ab impia factionum temeritate seculorum omnium, totiusque catholici nominis traditio vindicatur; est profecto, cur romanae ecclesiae praescriptiones non aequas modo verum etiam necessarias arbitremur. Seculorum namque (1) omnium, ac totius catholici nominis traditio huc pertinet: *a*) homines acceptis donis in Adamo privatos in necessitatem pereundi ac omnimodam obtinendae salutis *ἀδυναμιαν* offendisse: *b*) tanto humanitatis exitio sua excitum misericordi bonitate Deum subvenisse, et universalis perditionis statui statum universalis reparationis suffecisse: *c*) numquam propterea homines in alio quam reparationis statu vixisse: *d*) in hoc reparationis statu iis vixisse stadiis, quae *naturae* quaeque *legis* audiunt, atque in hoc vivere praesenti stadio, quod *gratiae* κατ᾽ἐξοχην nuncupatur: *e*) haec humanitatis stadia non eo differre, quod in illorum aliquo homines necessaria gratiae ope caruerint; sed quod pro stadiorum discrimine tam exterior quam interior providentiae ratio multiplex variaque extiterit: nihil proinde *f*) statui posse, quod doctrinam constantis traditionis praeclarius referat, quam si (2) cum Cyrillo repetatur: « *οὐ ἐπαυσαντο πωποτε των θειων δωρεων αἱ πηγαι τοις ἀνθρωποις τα ἀγαθα ἀναβλυζουσαι,* numquam cessarunt divinorum donorum fontes quominus bona hominibus effunderent ».

(1) Pagg. 212—230—246—257—280—309—314—333—338—362—367—371 . . .

(2) De incarnat. Domini, cap. I. p. 32. T. II. Novae PP. Bibliothecae.

CCLXIX.

COROLLARIUM LXV.

Tantus est idearum signorumque nexus, ut praeceptae animo opiniones neque rite efferri, neque in concinnam systematis rationem digeri possint, nisi certae suppetant formulae, formularumque significationes, quae illis exprimendis repraesentandisque (1) conducant. Ex his autem formulis, certisque significationibus ea non est ultima, qua calviniani divinam voluntatem in eam diribent, quam *revelatam*, quamque *arcanam* appellant. Huic enim maxime fidunt, hanc ingeminant, atque huic expoliendae non levem operam impendunt. Docent namque: *a*) voluntatem arcanam eam esse dicique, qua Deus omnia moderatur, suosque in fines dirigit; voluntatem contra revelatam divinis manifestationibus sive praecipientibus, sive vetantibus, sive promittentibus, sive comminantibus absolvi : *b*) voluntatem arcanam eo distare a voluntate revelata, quod illa Deo *revera* inest, haec ipsi *nonnisi signo tenus* competit: *c*) eo usque ab invicem utramque voluntatem distingui, ut quae Deus voluntate revelata praecipiendo, prohibendo, affirmando, promittendo comminandoque, se velle ostendit, eadem plus semel arcana voluntate fieri nolit : accidere namque *d*) posse, ut Deus voluntate arcana fieri nolit, quae voluntate revelata significat se velle fieri ; et ut voluntate arcana fieri velit, quae voluntate revelata significat se nolle fieri. Exempli gratia contingere potest, ut voluntate arcana nolit salutem eorum, quorum salutem voluntate revelata declarat se velle ; et ut voluntate revelata declaret se velle ut omnes homines resipiscant, credant, obediant evangelio ac salventur, quum voluntate arcana nolit omnes resipiscere, credere, obedire evangelio ac salute potiri. Ideo vero nolit, quod voluntate arcana magnam hominum vim ab omni aeternitate reprobarit, mediisque ad salutem consequendam necessariis privare horribili decreto constituerit.

Sed erunt ne homines adeo boni, qui non potius chri-

(1) Cf. partem primam commentariorum, quos edidimus.

stianae traditioni (1) obtemperent, quae mirum inter utramque voluntatem concentum, plenamque consensionem profitetur? qui sibi talem *non utique distinctionem sed oppositionem* revelatae arcanaeque voluntatis obtrudi sinant? profecto 1) qui ea abutuntur calviniani, hi duas easque hostiliter infensas voluntates Deo adscribunt, arcanam qua *ex sese* Deus vult plurium interitum, et revelatam qua se nolle cuiuspiam interitum contestatur. Hoc autem indignum plane Deo est divinaeque veracitati, tam vero absurdum ac ita ἀκαταληπτον, ut ipsemet Calvinus (2) quum id vellet omni studio assertum, tandem concluserit: *quomodo Deus idem diverso modo nolit fieri et velit, non capimus.* Atqui omnino capimus absonum esse et plane ἀδυνατον, ut idem Deus *ex sese* et nolit et velit. Praeterea 2) neque de propensa Patris in homines benignitate, neque de liberalissima Filii sponsione, neque de remediis sapientissime constitutis, nosse qnidquam certo possumus, nisi id nobis divini verbi manifestatione reseretur. Quid porro calviniani? hanc ipsi facem exstinguunt, et separatione inducta inter arcanam revelatamque voluntatem, latissimam sibi aperiunt viam, qua incredibile παραδοξον de reparatione deque gratia *particulari*, et de *absoluta* praedestinatione ac reprobatione stabiliant. Nos vero 3) Scripturarum (3) inhaerebimus praedicationi, quae το ευαγγελιον της σωτηριας omnibus hominibus (4) annunciat, ac omnibus (5) annunciat το ευαγγελιον της ειρηνης, hac propterea denominatione insignitum, quod, Chrysostomo, Theodorito, Oecumenio ac Theophylacto (6) testibus, in illo aequissimae condi-

(1) Pagg. 96—103—107—139. . . .

(2) Institutt. lib. I. cap. XVIII. n.3. De eadem partitione disserunt Salomon Van Till in compend. Theolog. natur. et revelat. P. II. cap. II. p. 31, Heideggerus in corp. Theologiae christ. Loc. III. §.LXXIII., Wyttenbachius in Tentam. T. I. Loc. III, §.288, Daniel Chamierius in Panstrat. catholic. T. III. lib. VII. cap. VI., et Samuel Püfendorfius in libello de iure feciali divino, §. 71.

(3) I. Cor. V. 19, Ephes. II. 16—17, Coloss. I. 20, Rom. V. 1, X. 14—15—17, Actt. X. 43.

(4) Marc. XVI. 15.

(5) Ephes. VI. 5.

(6) Cf. Caspari Suiceri Thesaurum ecclesiast T. I. pagg. 1221. seq.

tiones pacis Deum interhominesque conciliatae, generi humano praedicationis beneficio offeruntur.

CCLXX.

COROLLARIUM LXVI.

Forma ratioque doctrinae quae calvinianis suasit, ut divinam voluntatem in revelatam arcanamque tribuerent, atque hanc ab illa separarent, aut illi etiam opponerent; eosdem quoque permovit, ut distributionem divinae voluntatis *in primam et secundam*, *antecedentem et consequentem* acerbissime insectarentur. Nota sunt eruditis theologis Gurtleri (1) in hanc partitionem convicia: notum est illud (2) Jacobi Hottingeri, hanc partitionem iure dici *μῆλον ἔριδος:* ac illa pariter nota sunt, quibus (3) Forbesius studuit in hanc partitionem eo nomine invidiam creare, quod auctores habuerit massilienses. Verum quum *duo* possint in controversiam adduci, *verba* primum quibus partitio effertur, ac *res* deinde quae per illam significantur; dubitare haud licet, neque reprehendi verba posse, neque citra manifestum errorem res ipsas improbari. Reprehendi 1) verba non posse, utpote quae patrum, scriptorum ecclesiasticorum (4) ac totius Scholae suffragio (5) vindicentur: neque posse 2) res ipsas improbari, utpote quae christianae traditionis (6) unanimi consensione stabiliantur. Quare 3) mihi rem acu tetigisse videtur (7) Laurentius a Mosheim scribens: « Rigidiores reformati, qui distinctionem divinae voluntatis in antecedentem et consequentem reiiciunt, profecto temere

(1) Institutt. theolog. cap. IV. §. 104.

(2) Exercitat. qua fata doctrinae de praedestinat. et grat. exponuntur. P. I. §. VII.

(3) Instruct. historic. theologic. lib. VIII. cap. III. §. 5.

(4) §§. II—VII—XI—XVII—XXI—XXIV—XXV—XXX . . . CLXXIV... Cf. Photii Biblioth. cod. CCLI.

(5) De suffraggio scholae universae legi debent quae habet theologus egregius, ac plane dignus qui omnium teratur manibus, Didacus Ruiz in opere de Voluntate Dei, disputt. XIX—XX.

(6) §§. XLIII—XLVII—LXII—LXXII—LXXIV—LXXVI . . . .

(7) Teolog. dogmat. P. III. cap. III. sect. I. membr. I. pagg. 229—230.

agunt. Nam haec vocabula licet in Scriptura sacra non legantur, tamen res his vocabulis indicata, clarissime exstat. Aliis enim locis notissimis codex sacer affirmat, Deum omnibus bene velle, aliis Deum electos et fideles amare, incredulos autem repudiare. Haec sacrae Scripturae dicta sunt duplicis generis, nec possunt alio modo inter se conciliari, quam per distinctionem voluntatis in antecedentem et consequentem. Potest facillime haec res exemplo quodam ab humanis rebus sumpto explicari et illustrari. Rex bonus et iustus omnes suos subditos amat, sive omnium subditorum felicitatem desiderat. Haec est regis boni et iusti propensio, sed idem bonus et iustus rex tamen non omnes suos cives felices facit, sed inobedientes et rebelles gravibus poenis afficit. Hoc exemplum totam rem declarat. Pari ratione Deus homines salvos fieri vult: at quoniam in genere humano multi sunt, qui divinae propensioni omnes felices reddendi resistunt; ideo voluntas Dei consequens non potest omnium salutem velle ». Sed multo est splendidius exemplum, quod in evangeliis (1) legimus. Deus invitat iudaeos plane omnes: invitat eos semel, atque iterum et saepius. Vult ut veniant: vult ut edant et bibant. Parata sunt omnia. *Hic est primus voluntatis actus.* Invitati contemnunt mensas conquisitissimis epulis extructas: male excipiunt servos: inferunt quibusdam manus violentas, contumeliis et probris alios vexant, mulctant alios morte. Hisce ad Domini aures prolatis, iustissima Dominus ira exardescit, iubet ut ingrati ac rebelles occisione occidantur, ac ut evertatur exuraturque illorum civitas. *Habes alterum voluntatis actum*, ac depictam habes antecedentem et consequentem voluntatem.

CCLXXI.

COROLLARIUM LXVII.

Cui distributioni ac voluntati potissimum antecedenti duabus maxime de caussis calviniani repugnant; ac eo in pri-

(1) Matth. XXII. 1—8. Quibus similia occurrunt Luc. XIV. 16—24.

mis *a*) nomine, quod Deo nulla insit voluntas (1) nisi *victrix* et *efficax* ; eiusmodi autem censeri nequeat voluntas antecedens, utpote quae ab illius assertoribus liberae hominum cooperationi obnoxia definiatur : tum eo *b*) quod Deus velle *frustra* non possit ; vellet autem frustra , si voluntate antecedente omnium salutem hominum expeteret. « Si Deus , scribit (2) Iohannes Fridericus Stapferus, intenderet omnium et singulorum hominum salutem, et propterea media, nempe largitionem gratiae universalis, ad finem illum obtinendum ordinaret, et tamen finem ratione magnae hominum partis non assequeretur , quem tamen universaliter intendit , *sequeretur Deum agere frustra* ». Sed 1) latuit ne patres , doctoresque christianos , voluntatem divinam humana voluntate superari non posse : voluntatem divinam esse efficacem et actuosam : nihilque Deum frustra inaniterque velle ac moliri ? immo haec omnia noverant, tenebant, profitebantur. Nihilominus (3) una mente, unoque ore voluntatem antecedentem illamque universalem adscribendam Deo esse confirmarunt. Quid igitur consequens esse putabimus ? scilicet cum doctrina, qua Deo antecedens salutifera voluntas eaque universalis asseritur, nullatenus cohaerere , sive quod voluntas Dei non sit victrix et efficax, sive quod Deus frustra inaniterque velit et agat. Et re sane vera 2) quaenam est tessera voluntatis invictae et efficacis ? hanc puto, ut qui ex ea, *tamquam unica et adaequata caussa*, proficiscuntur (4) effectus, neque angelica neque humana voluntate impediri elidique possint. Atqui eiusmodi prorsus est antecedens voluntas , quum neque angeli neque homines aut impedierint aliquando, aut vero etiam impedire queant, quominus Deus misericordi caritate excitus omnium

(1) Unde ea passim inculcant et urgent quae legimus Ps. CXIII. 3, CXXXIV. 6, Is. XLVI. 10, et Rom. IX. 19.

(2) Institutt. Theolog. polemic. T. I. §. 1189. p. 331.

(3) Pagg. 43—45—47—51 . . . 337 . . .

(4) Si enim effectus caussam postulent subiugem, eamque liberam, non semper cum divina voluntate cohaerent, sed vitio caussae subiugis plus semel desiderantur. Cuius rei patres omnino ommnes testes audivimus, quibus Scripturae consonant Prov. I. 24-25, Is. LXV. 12, LXVI. 4, Ierem. VII. 13, Luc. VII. 30, Matth. XXIII. 37, Ioh. I. 11, V. 40, et Actt. VII. 57.

amet salutem, ac omnibus illius consequendae facultatem impertiat. Praeterea 3) nemo sanus dixerit, *frustra* illum agere qui optimis ad efficiendam hominum salutem remediis utitur. Frustra enim si ageret, nemini eius remedia prodesse possent. Prosunt autem multis quae Deus salutifera antecendente voluntate disposuit, quaeque omnibus largitur. Dici igitur, quod frustra velit agatque Deus, profecto non potest. Atque heic 4) tollendum e medio censeo *παραλογισμον*, quo non pauci decipiuntur, aliosque fallunt. Sophisma vero tale est: *voluntatem antecedentem esse dicique non eam qua omnium amatur salus, omnesque ad salutem aptis idoneisque mediis ordinantur, sed eam qua salus ipsa confertur.* Ut enim medicina non est ars sanandi, sed ars videndi omnia, quae apta et accomodata sunt ad sanitatem aut conservandam aut recuperandam; ita antecedens voluntas non est propositum salvandi, sed propositum videndi impertiendique quaecumque omnia ad obtinendam salutem necessaria sunt. Certe enim cuiusque consilii finis est id quod ita unumquodque consilium spectat, ut non progrediatur ulterius; sed ubi id praestiterit, suo se munere perfunctum putet. Ut ergo medicus non ita se demum muneri suo satisfecisse arbitratur, si aegrotum sanaverit sed cumulate quidquid a se requiri potest praestitisse, si ex artis suae praeceptis ea omnia adhibuerit, quae ad sanandum pertinebant; ita Deus, etiamsi non semper salvet, dum tamen nihil omittat eorum, quae ad salutis consequutionem necessaria sunt, finem antecedenti voluntati propositum adeptus est.

CCLXXII.

COROLLARIUM LXVIII.

Repudiatam a calvinianis divinae voluntatis partitionem in antecedentem et consequentem probare *videntur* ianseniani; sed illam *sic* probant, ut eius vim rationemque funditus pessumdent. Iansenio (1) namque duce unanimes decernunt, eatenus huiusmodi distributionem concedi posse, utiliterque usur-

(1) De grat. Christi, lib. III. cap. XX-XXI.

pari, quatenus *istud unum* ea significetur: *Deum antecedente voluntate ante praevisam Adami culpam voluisse omnes homines salvos fieri, et singulis ea generali voluntate inductum necessaria ad salutem consequendam auxilia destinasse: sed voluntate consequente post praevisam Adami culpam non velle omnes homines salvos fieri.* Quae quidem voluntatis antecedentis et consequentis explicatio eo pertinet, ut iansenianos cum *infra-lapsariis* consonos, *a patribus* vero, *othodoxisque magistris* alienissimos demonstret. Ac illos 1) cum infra-lapsariis consonos demonstrat, e quorum numero genevenses in dordracena synodo (1) hanc suae fidei professionem ediderunt: « Deus ab aeterno liberrima sua voluntate aliquas certas personas *in et cum Adamo* lapsas, reas et corruptas statuit apud sese in statu peccati et corruptionis suae propriae relinquere, nec erga illas remedium gratiae salutaris in Christo adhibere ». Tum negarunt, post Adami lapsum Deum velle omnes homines salvos fieri, ac his tandem verbis subscripserunt: « Haec est simplex et fidelis sententia nostra, fides ecclesiae nostrae atque adeo, ut certo asseverare non dubitamus, omnium ecclesiarum gallicarum, quae confessioni gallicae adhaerent ». Eadem porro, subdit (2) Stephanus De-Champs: » tradunt calvinistae hollandi, britanni, palatini, hessi, helvetii, zelandi, frisii, bremenses, emdani, aliique complures, quorum in dordracenis actis iudicia recitantur. Hinc est, quod ab illa latrocinali synodo calvinistarum, nemo de praedestinatione scripserit, qui perinde ac Iansenius ista accurate non explicet, definiatque voluntatem qua Deus non vult omnes homines salvos fieri, peccati originalis praevisionem *non antecedere sed consequi.* Hoc Petrus Molinaeus in epistola ad synodum dordracenam, hoc Guillelmus Amesius in anti-synodicis, hoc Moises Amyraldus in defensione doctrinae calvinianae, hoc reliqui factionis illius scriptores, diserte et multo quam Iansenius ipse copiosius tradiderunt ». Consensum 2) cum infra-lapsariis excipit *dissensus ab orthodoxis patribus*, quorum (3) fixam doc-

(1) Synod. dordrac. p. 561.

(2) De haeresi ians. lib. I. disput. VII. Cap. II. §. V.

(3) Pagg. 66—174—218—222—232—291—305—327—381—389 . . . .

trinam, universalemque sententiam neque turpius corrumpere, neque intimius pervertere ianseniani potuerunt. Patres namque eam credunt, eamque dicunt antecedentem salutiferam voluntatem, quae *a*) in divinis litteris celebratur, quae *b*) ex misericordi benignitate proficiscitur, quae *c*) ad Christum, veluti ad meritoriam caussam refertur, quae *d*) eo spectat, ut inductum originali praevaricatione damnum reparetur, quae *e*) omnes a pereundi necessitate subtrahit, quae *f*) omnibus facultatem adoptionis salutisque largitur, quae *g*) excusationem omnem praecidit, quaeque *h*) efficit, ut iudicium sempiternae damnationis *in eos omnes ac solos* pronuncietur, qui misericordiae dona ad extremum usque repulerint. Non est autem cur argumentis adprobemus, eiusmodi salutiferam voluntatem dici *antecedentem, non quod ea praevertat originalem praevaricationem, sed quod praevertat finalem impoenitentiam.*

CCLXXIII.

COROLLARIUM LXIX.

In catechesi de gratia (1) ad interrogationem, *vult ne Deus solos electos salvos fieri?* respondent ianseniani: «Ita: eos tantum salvare vult, quos praedestinavit: at solos electos praedestinavit. Si vellet omnes ac singulos homines salvare, omnes *reipsa* salvarentur: *quia omnia quaecumqne vult in caelo et in terra facit, nec est qui possit eius resistere voluntati* ». Huic autem confirmationi tantopere fidunt, ut argumentum nullum vel adhibeant frequentius, vel urgeant animosius. Sed unde factum existimabimus, ut ea confirmatio calvinianorum quidem animos penitus occuparit, orthodoxos vero patres ne tantillum quidem commoverit? unde repetemus, quod quae apud calvinianos passim occurrunt, eadem apud patres nusquam legantur? quod patres nusquam doceant, sive quod Theodorus Beza (2) acerrime urget: « Si vere et simpliciter Deus vellet omnes salvos fieri, omnes necessario ad salutem

(1) Catechis. de gratia, resp. 66.
(2) Apolog. colloq. momp. p. 315.

perducerentur, *quia voluntas eius est omnipotentissima.* At non omnes *actualiter* salvantur: igitur non vult omnes salvos fieri »? sive quod Hieronymus Zanchius (1) inculcat: « Cum Dei voluntas *nulla ratione impediri possit, et sit omnipotentissima;* idcirco nullo modo dici potest, Deum simpliciter et proprie velle in universum homines salvos fieri »? sive quod Andreas Willetus (2) ingeminat: « Si Deus omnes homines salvos fieri vellet, cur non omnes salvarentur? *nam eius voluntati quis obsistit*? neque hic vetustiorem pelegianorum valet effugium: Dei voluntatem scilicet non impleri, quia homo adversatur. Ita enim Deo homines potentiores constituerentur ».

Profecto huius discriminis caussam inde sumere non possumus, quod patres ignorarint vel primum symboli articulum, *credo in Deum patrem omnipotentem*, vel trita Scripturarum oracula (3), *quaecumque voluit Dominus fecit in caelo et in terra*, *nec est qui possit eius resistere voluntati.* Unde ergo tantum discrimen obortum putabimus? non aliunde illud deducemus, quam quod (4) patres 1) scite intellexerint non posse confundi cum omnipotentia voluntatem: quod 2) viderint Scripturarum oracula ad rem nullatenus pertinere: quod 3) aliter regi ordinem physicum ac aliter moralem ordinem crediderint: quod 4) divinae omnipotentiae ita prospexerint, ut humanam libertatem non perdiderint; quod 5) ab invicem accurate secreverint quae Deus ut princeps caussa, quaeque ut caussa unica et adaequata vult ac perficit: quod 6) omnes viderint pro electo reparationis ordine necessario salvandos, si consequutio salutis a divina voluntate, tamquam ab unica et adaequata caussa penderet: quod 7) eos non fugerit, tum solum victam censeri posse voluntatem, si iis fraudetur, quae ad illam ceu unicam adaequatamque caussam referuntur: et quod 8) distincta potestate obtinendae salutis ab

(1) De praedestinat. cap. V. thesibus XI—XII.

(2) Synopsis Papismi, de reparat. gen. humani, p. 145.

(3) Quorum alia ad rem prorsus non faciunt, alia vero de iis agunt effectibus, qui a Deo tamquam *principe* et *adaequata* caussa proficiscuntur.

(4) Pagg. 37—93—252—293—298—339—416 . . . .

eiusdem consequutione, illam voluntati antecedenti, hanc consequenti tribuerint; illam independentem, hanc ab humana eaque libera cooperatione dependentem crediderint; illam denique nudis donis, hanc donis simul praemiisque accensuerint. Ceterum potestatem salutis omnibus per gratiam offerri, deque gratia cum Hildeberto turonensi (1) verissime dici: *officiosissima est hominibus gratia Dei, et velut in eorum iurata obsequium.*

CCLXXIV.

COROLLARIUM LXX.

Doctrinae systema, quod neque construi neque explicari potest, nisi hypothesibus assumptis, quae vel suam illico falsitatem produnt, vel erroris suspicionem vehementer iniiciunt; ea inter merito recensetur quae seponi ac vero etiam reiici improbarique debent. Neque enim assensione videri dignum potest, quod cum errore consertum est, quodque ut sibi constet, hypothesibus indiget quae cum errore affinitatem societatemque praeseferunt. Eiusmodi porro est eorum ratio systematum, quae ut in lucem promerentur, eorumdem auctoribus necesse fuit ab iis discedere, quae (2) de misericordi Dei benignitate, de reparatione per Christum, de universali gratiae amplitudine, de mutuo habitu inter ordinem clementiae ac iustitiae, de praedestinatione, de reprobatione, deque prima et secunda voluntate praestituimus. Hi namque omnes ut sibi aliisque sua placita suasque opiniones persuadeant, poscunt immo exigunt, ut ea inter quae fixa indubitataque poni debent, numeremus: 1) non aliunde principem supremamque normam iudicandi de instituto salutis ordine repeti oportere, quam ex absoluto Dei dominio, absolutaque potentia: 2) non alium credi institutum ordinem posse, nisi e quo absoluta Dei iustitia, absolutaque misericordia splendidius eni-

(1) Pagg. 203—206—210—224—246—255—284—297—351—359—380—389....

(2) Epist. XXXIII.

tescant: eius propterea ordinis institutionem 3) tenendam esse, in qua electio et praedestinatio ad coronam nullas ab hominibus gratia excitatis ac adiutis dependentes conditiones patiatur: 4) fidem, bona opera, finalemque perseverantiam ab electione ad gloriam, ceu prima originalique caussa proficisci; nullatenus vero praevisam ad extremum usque perseverentiam conditionem esse meritumque electionis ad gloriam: unde 5) modum quo se habet aeterni propositi exsequutio, quae fit in tempore, ab eo plane diversum esse, quo praedestinatio ad gloriam ex aeternitate decreta fuit.

Hae sunt hypotheses calvinianis, iansenianisque communes, atque hisce hypothesibus plus minusve temperatis ac mollitis ii etiam innituntur (1) omnes, qui solutam a praescientia electionem ad gloriam coronamque tuentur. Sed cuiusmodi hae hypotheses aestimari debent? probatae ne et patrum traditionisque consensu suffragioque receptae, an eodem potius improbatae ac proscriptae? arbitrium (2) iudiciumque penes illos sit, qui quum ea legerint quae maiori quo potuimus studio, collegimus atque illustravimus, probe norunt, doctrinam sententiamque christianae traditionis e divinis litteris haustam ac depromptam his omnino capitibus comprehendi: *a*) de ratione instituti salutaris ordinis illos dumtaxat ad amussim divinae revelationis iudicare, qui non aliam illi originem, neque alium assignant fontem, quam χαριν, φιλαν-

(1) Cf. Josephi Tricassini disput. theologic. de praedestinat. hominum ad gloriam. Par. I. sect. VI., itemque Caroli du Plessis d' Argentré comment. historicum de praedestinat. ad gloriam et de reprobatione, cap. X. pagg. 207 seqq,

(2) In altero capite illius commentarii, quem modo laudavimus, refert Carolus du Plesiis *testimonia veterum patrum, qui ante s. Augustinum floruerunt, de praedestinatione ad gloriam*; refert vero nominatim testimonia *Irenaei, Clementis alexandrini, Origenis, Gregorii nazianzeni, Cyrilli alexandrini, Chrysostomi, Theodoriti, Photii, Gennadii, Theophylacti, Oecumenii, Ambrosii, Hieronymi* et *Sedulii*; tum subdit: « Quisquis luculenta testimonia veterum patrum modo adducta non praeiudicata opinione perpenderit, hoc certe confitebitur, illos ecclesiae doctores, si praedestinationem ad gloriam post praevisa merita decerni docere voluissent, sicut in scholis theologorum pars docet, sententiam suam non aliter enuntiaturos fuisse ».

θρωπιαν, ἐλεον, χρηστοτητα και ὑπερβαλλοντα πλουτον της χαριτος: *b*) electum salutis ordinem talem esse, in quo misericordia dominatur ac regnat, nec antea suum iustitiae locum permittit, quam benignitatis effectus in irritum cesserint: *c*) Deum ex sese omnibus salutem velle, pro omnibus destinasse ac misisse redemptorem, ac omnibus impertiri quae ad salutem adipiscendam necessaria sunt ac sufficiunt: *d*) nihil a Deo in hominum genus per Christum et in Christo reparatum *absolute* proficisci, nisi quod fructus sit misericordiae, et benignitatem clementiamque praeseferat: *e*) damnationem et quidquid cum damnatione coniunctum est, nonnisi *hypothetice* et decerni et infligi: *f*) hypothesin esse praevisum misericordiae contemptum; *g*) ab hypothesi quoque pendere tam sempiternum decretum tribuendae coronae, impertiendaeque perseverantiae, quam temporariam utriusque exequutionem: *h*) hypotheses esse hinc quidem praevisam perseverantiam, inde vero liberam cum iis gratiis cooperationem, quarum ope perseverantia obtinetur: igitur *i*) quo modo se habet aeterni decreti exequutio, quae fit in tempore, eodem etiam modo se habere ipsam, quae facta est ex aeternitate, electionem ad gloriam; ita ut quemadmodum iustitia actualis caussa est actualis salutis, ita praevisa finalis iustitia caussa sit praedestinatae salutis,

CCLXXV.

SCHOLION.

Quod in astronomicis, physicisque disciplinis non raro contingit, ut cum doctrina alioqui certa ac explorata unum alterumve φαινομενον vix aut ne vix quidem componi posse videatur; mirum esse non debet, si in divinarum quoque rerum tractatione plus semel idipsum eveniat. Ac evenit sane in iis quae de Deo uno trinoque profitemur: in iis evenit, quae ad unigeniti personam eiusque οἰκονομιαν pertinent, ac in iis evenit, quae ad instituta divinitus sacramenta referuntur. Sed quid propterea? obtinet nimirum vigetque lex non minus prudentum (1) suffragio, quam perspicuo rationis iudicio compro-

(1) De hac lege insigniter disserunt auctor recognitionum Clementis

bata: fas non esse de iis ambigere quae certa sunt, quia *modus* non affulget, quo haec cum ceteris omnibus ad harmoniam concentumque revocentur. Obtinet vigetque lex ab auctore operis de vocatione omnium gentium (1) his concepta verbis : « Quae Deus occulta esse voluit, non sunt sentienda. Quae autem manifeste fecit, non sunt neganda; ne in illis illicite curiosi, et in istis damnabiliter inveniamur ingrati ». Unde (2) Tertullianus : « Cedat, inquit, curiositas fidei, cedat gloria saluti. Certe aut non obstrepant, aut quiescant adversus regulam. Nihil scire omnia scire est ». Obtinet demum vigetque lex illi simillima, qua edicitur, sat nobis esse debere, si ὅτι, non item διότι rerum noverimus: si noverimus τί ἐστι *quid est*, sed non πῶς *quomodo* (3) *res* est, cumque reliquis apte conspirat. *Ne sis sapiens* יותר *nimis*, clamat (4) Scriptura; nihil enim sapiunt qui nimis sapiunt : et nihil sciunt, omnia qui se scire dicunt. Quod non vidit, qui Anaxagorae lapidi hoc ellogium (5) insculpsit:

Ἐνθάδ' ὁ πλεῖστον ἀληθείας ἐπὶ τέρμα περήσας,
Οὐρανίου κόσμου, κεῖται Ἀναξαγόρας.

Hic iacet ille, cui rerum patuere recessus,
Atque arcana poli magnus Anaxagoras.

Haec autem recolenda paucis idcirco existimavi, quod probe cernerem non defuturos, qui *demonstratam universalem reparationis amplitudinem* argumento inde ducto oppugnarent, *quod plures semper extiterint, qui antea supremum clauserint diem*,

lib. III. cap. 37, Thomas Bonartes Nordtanus *in concordia scientiae cum fide* lib. III. §§. 27. seqq., et Leibnitius *in sermone de concordia rationis et, fidei*, §. 80.

(1) De vocat. omnium gentium, lib. I. cap. VII. Eodem spectant Adami Rechenbergii disputatio *de insana in Theologia curiositate*, et Valentini Valthemii disquisitio *de ignorantia Theologorum laudabili*.

(2) De praescriptt. cap. IV.

(3) Legi utiliter possunt Christiani Augusti Heumanni Actt. Philosoph. Part. X n. III. p. 579.

(4) Cohel. VII. 17.

(5) Apud Aelianum, variarum histor. lib. VIII. cap. XVIII.

quam mediis reparationis potuerint adiuvari. Ac numquam sane plures non extiterunt infantes, qui eumdem matris sinum et vitae et mortis initium experirentur, ac impares propterea essent, quibus necessaria reparationis praesidia conferri possent.

Non nego sumptam *ex hoc facto* difficultatem omni funditus specie carere: non nego momentum illi aliquod inesse, quo persuasio de universali raparatione quati posse videatur: ac ultro do, non continuo menti succurrere, quo pacto cum universali reparatione componatur tot infantum acerba mors, *qua facultas applicandae reparationis praeripitur.* Nihilominus addo permitti non posse, ut ea de caussa in discrimen doctrina vocetur, quae autoritate suffragioque christianae traditionis demonstratur. Auctoritate vero suffragioque christianae traditionis (1) efficitur, *eosdem esse limites reparationis et praevaricationis, neque hanc magis quam illam nota ac tessera omnimodae universalitatis insigniri.* Quamvis ergo modus non appareat, quo universalis reparatio ac tot infantum praecoces exitus concilientur; prudentis tamen est cordatique non negare quod lucet, sed ingenue confiteri quod latet: non negare quod summa auctoritate stabilitur, sed nobis dictum arbitrari quod apostolis Christus (2) respondit, *οὐχ ὑμων ἐστι γνωναι, vestrum non est hoc scire.*

CCLXXVI.

Verum nulla ne prorsus ratio suppetit, qua eiusmodi difficultas complanetur, et apparens dissidium componatur? antequam interrogationi respondeo, e re esse puto lectoribus significare, propositum mihi esse tum huic nodo expediendo operam quam potero diligentiorem impendere, quum Augustini commentarios in Pauli (3) verba, *qui vult omnes homines salvos fieri*, examini subiiciam; in praesentia autem me iis continere quae sin minus ad consensionem *aperte* osten-

(1) Pagg. 203—206—224—246—255—284—351—380—389—396...

(2) Actt. I. 7.

(3) De his Augustini commentariis conferri possunt quae habet Ioh. Baptista Faure in notis ad caput LII. Enchiridii.

dendam, ad depellendam certe pugnam oppositionemque per quosdam veluti gradus conducant.

Itaque I. ordo universalis reparationis hoc unum exigit, ut quotquot concipiuntur homines, eo in statu concipiantur, qui ex sese immunis sit a necessitate pereundi, iisque divinitus instructus opibus, quae singulis quibusque facultatem obtinendae salutis impertiant. Haec enim si obtineant, ordo universalis reparationis in tuto est. At vero quo in statu ii concipiuntur infantes, qui prius obeunt, quam possint mediis reparationis donari? dubio procul in statu concipiuntur qui ex sese a necessitate pereundi solutus est, mediisque ad salutem obtinendam idoneis affatim abundat : in statu concipiuntur non damnato sed per Christum reparato: ac in statu concipiuntur qui debetur misericordiae salvanti, non iustitiae punienti. Praecox igitur illorum obitus non is est, qui institutioni universalis reparationis adversetur.

Praeterea II. cuinam voluntati referri in acceptis debet universalis reparationis institutio? primae ne et antecedenti, an secundae potius et consequenti? tribui omnino debet voluntati primae et antecedenti. Sed primae et antecedentis voluntatis est, non ipsam *actu* conferre reparationem, sed *copiam facultatemque* reparationis largiri, omniaque, *quantum ex sese est*, ita moderari ac regere, ut nemo ea facultate privatus merito videatur. Si quid igitur *actualem* dumtaxat *reparationis collationem* impediat, id neque voluntati antecedenti, neque proprio eiusdem effectui, qui est universalis reparationis institutio, ullatenus repugnat. Atqui praematura infantum mors impedit quidem actualem reparationis collationem, sed e medio minime tollit vel reparati ordinis institutionem, vel communia media quae omnibus prostant. Quod mihi videor argumento e re simillima ducto illustrare non minimum posse. Lex est (1) divinae pietatis, ut quamdiu homines praesentem vitam vivunt, licet maximis obligati flagitiis, possint tamen, gratia illis adspirante, e suo coeno emergere, adoptionem recuperare, salutemque adipisci. Fac porro unum ex his aliquem in amentiam subito offendere, amentemque vita

(1) Pagg. 128—176—292—305—327....

fungi. Quid, amabo, statues, quodve feres iudicium? istud ne, legem illam divinae pietatis aut abrogatam esse aut circumscriptam? non puto. Et nihilominus qui peccatis obstrictus in amentiam incidit, vitamque amens absolvit, is profecto *physica impotentia* non potuit beneficia pietatis in suum commodum utilitatemque convertere. Obex igitur impotentia physica inductus talis non est, qui universalem reparationis amplitudinem impediat.

Ad haec III. facile quisque intelligit, adultos inter infantesque hanc iniri comparationem posse, quod sicut illis ut beneficio reparationis fruantur, *duo* necessaria sunt, *e quibus alterum ab uno Deo pendet, omnibus commune est, oblatisque idoneis gratiae praesidiis constat: alterum vero post Deum et cum Deo a libero adultorum cooperatione dependet, proprium est, illisque privum qui gratiae non obnituntur*; ita infantibus ut reparationis fructum consequantur, *duo* pariter necessaria sunt, *quorum prius ab uno Deo repeti debet mediorumque supernaturalium destinatione continetur: posterius vero in eo physicarum legum cursu situm est, qui non antea infantum vitam exstinguat, quam* ipsi *in lucem prodierint*. In qua quidem comparatione me prorsus fugit quid non sit concinnum, quidve merito desideretur. Ex ea autem consequens est, quod sicuti defectus adultorum libere cooperantium universali reparationis amplitudini non officit; ita neque cursus legum physicarum qui praecocem inferat mortem, non impedit quominus ad ipsos quoque infantes reparationis ambitus extendatur.

Rursum IV. quum originali praevaricatione *duplex ordo subversus fuerit, supernaturalis ac praeternaturalis*; quaeri utiliter potest, quo proprie reparatio spectet, et quibus veluti adstricta legibus suum σκοπον assequatur. Nemo autem in dubium vocet, eo proprie reparationem spectare, ut eversus supernaturalis ordo restituatur, tribuaturque facultas vincendi peccati, repetendae adoptionis, hereditatisque obtinendae. Ad ordinem namque praeternaturalem quod spectat, quique donis immortalitatis, integritatis, immunitatisque a doloribus coalescebat, credimus quidem illum (1) aliquando restitutum i-

(1) I. Cor. XV. 25—26.

ri, quum ultima vincetur mors, quum corruptibile corpus induet incorruptionem, ac Deus erit omnia in omnibus; sed illum non esse in praesentia restitutum abunde sentimus. Omnes enim morimur, omnes effraenem experimur concupiscentiam, ac omnes doloribus molestiisque cruciamur. Jamvero hoc discrimine inter utriusque ordinis restitutionem animadverso, videri alienum a veritate non debet, omnibus quidem praesto esse media reparationis, neque quemquam illis ex principe Dei voluntate privari; nihilominus *propinquam* quam dicunt *possibilitatem applicationis* cum iis esse consertam et ab iis dependere, quae defectum restituti praeternaturalis ordinis comitantur. Omnibus, inquam, reparationis media praesto esse, sed *propinquam* illis utendi facultatem impediri malis posse, quibus hominum genus obnoxium idcirco est, quod Deus noluerit praeternaturalem ordinem restitutum. Quae quum ita sint, duo manifeste colliguntur: ac principio *duplicem* obtinendae salutis distingui *facultatem* oportere, *propinquam* et *remotam*: tum vero ex ordine reparato per se quidem in omnes propinquam facultatem dimanare, sed iis remotam dumtaxat suppetere, qui ne ea uberius fruantur, physicis impediuntur malis, quae ex defectu praeternaturalis ordinis nondum restituti proficiscuntur. Horum autem numero infantes veniunt, quos antea mors occupat, quam in lucem prodierint,

CCLXXVII.

Quod si haec minus arrideant, indignaque assensione videantur, alteram V. in promptu hypothesim habeo, qua factum immaturae mortis qua tot rapiuntur infantes, cum universali reparatione componam. Hanc autem mihi suggerit auctor operis de vocatione omnium gentium, qui illam his plane verbis (1) exponit: « Non irreligiose arbitror credi neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineat gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus; qua utique si bene eorum uterentur

(1) Lib. II. cap. XXIII.

parentes, etiam ipsi per eosdem iuvarentur. Omnia namque exordia parvulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiae sub arbitrio iacent voluntatis alienae, nec ullo modo eis nisi per alios consuli potest, et consequens est illos ad eorum pertinere consortium, quorum vel recto vel pravo aguntur affectu. Sicut enim ex aliena confessione credunt, ita ex aliena infidelitate aut dissimulatione non credunt; et cum ipsi nec praesentis vitae desiderium habuerunt nec futurae, quam ipsorum (idest parentum) factum est nasci, tam ipsorum efficitur non renasci ». Jamvero haec hypothesis non minus suffragio illius commendatur, qui eam proposuit, quam perspicua analogia. Commendatur sui auctoris suffragio, quem Gelasius romanus praesul (1) *ecclesiae magistrum* salutavit: tum ea commendatur analogia, qua videmus *naturae ordinem* ita esse comparatum, ut infantes crediti prorsus sint studio curisque parentum. Horum opera studioque concipiuntur, sinu foventur, in lucem veniunt et ad triplicem vitam naturalem, moralem, religiosamque informantur. Quid ergo *ad analogiam* manifestius expressum, quam illos ad supernaturalem quoque vitam quod pertinet, parentum operae benevolentiaeque committi? iuvat parentes Deus, ut illi prolem iuvent: parentes excitat, ne illi filiis desint: et amorem in prolem acuit, ne illi erga carissima pignora ullam officii partem praetermittant. Si *naturae*, si *gratiae* obediant, et si *cum Deo communi omnium patre* suam ipsi quoque operam coniungant, infantes servantur; sin minus, hi quidem pereunt, sed non ideo pereunt, quod his Deus defuerit, suamque benevolentiam denegarit, sed quod coeca hominum malitia divinam οἰκονομιαν interverterit.

Caeterum VI. ista mihi alteram in animum hypothesim vocant, quam nolo silentio pressam, quamque legentium arbitrio, ut de ea statuant, libens subiicio. Velim itaque ex ordine recolantur: 1) quod apud Iacobum (2) legimus, *orate pro invicem ut salvemini*: 2) quod in symbolo (3) profitemur,

(1) Cf. Scipionis Maffeii Histor. Theolog. de Gratia, lib. XVI. §.II. nn. 3 seqq.

(2) Jacob. V. 16.

(3) Hunc articulum, quem in vetustioribus Orientis ac Occidentis sym-

credo sanctorum communionem: 3) quod Paulus (1) crebro inculcat, *unum ex omnibus corpus coalescere*, ac omnino oportere, *ut pro invicem membra sint sollicita:* et quod 4) in baptizandis infantibus ecclesia agere (2) consuevit. Consuevit nimirum non antea illos baptizare, quam fidem ab illis postularit : neque illos antea abluere , quam illi per alios (3) fidei confessionem reddiderint. Sed quorsum haec? ut ex his mutuo collatis innotescat ,, nos a vero minime aberaturos si arbitremur, ad infantes quod spectat, propinquam facultatem participandae reparationis non a parentibus solum , sed ab omnium quoque precibus, sanctorumque communione pendere: si arbitremur legem esse ordinis reparati, ut plurium infantum salus nonnisi adultis cooperantibus obtineatur: et si arbitremur, Deum in adultis ac per adultos prospectum illis voluisse. Profecto nihil in his est dissonum a professione christiana, immo nihil non consonum cum Jacobi doctrina, cum Symboli articulo *de communione sanctorum* , cum ecclesiae consuetudine, cumque adhibitis a Paulo imaginibus, quae eo pertinent, ut omnium unitas commendetur , incendatur caritas, et beneficia quae ex omnibus in singulos dimanant , ac e singulis in omnes vicissim refluunt, ad vivum raepraesententur.

CCLXXVIII.

Haec si sufficiant , bene est: sin vero esse pergant qui refragentur , ea postremo VII. defensione utar, qua nodum vel expediam, vel certe praecidam. Quemadmodum igitur *damnatio duplex* , ita *duplex* secerni potest *universalis reparationis acceptio*. Sicut enim alia est damnatio *positiva* , alia *negativa*: alia quae cum privatione intuitivae visionis sempi-

bolis frustra quaeras, ideo crediderim deinceps adiectum, ut eiusdem professione donatistae proscriberentur.

(1) Rom. XII. 4—5, I. Cor. X. 17, XII. 12—14, XV. 16—27 , Ephes. IV. 4, V. 30, Coloss. III. 15.

(2) Cf. Iosephi Binghami Origg. Ecclesiast. lib. XI. cap. VIII.

(3) Qua de re testes sunt Tertulianus de baptismo, cap. XVIII, Augustinus ad Bonifacium epist. XXIII, et op. imp. lib. I. n. 56, auctor hypognostic. lib. VI. cap. VII, et Gennadius de eccles. dogmat. cap. LII.

ternos quoque ignes complectitur, et alia quae sola intuitivae visionis privatione concluditur; ita universalis reparatio *duobus modis* intelligi potest, *vel* ut necessitati incurrendae positivae damnationis opponatur, illiusque declinandae copiam facultatemque suppeditet, *vel* ut ipsam quoque negativae damnationis necessitatem excludat. Cum ergo universalem dicimus reparationem, quaeri potest, illa ne universalis a nobis affirmetur, quatenus necessitati positivae damnationis opponitur, an *etiam* quatenus necessitatem negativae damnationis excludit. Neque enim perinde est, sive priore sive posteriore sensu universalis statuatur. Atqui licet difficultate adacti fateremur, ambitum reparationis ad eos se non porrigere infantes, qui antea moriuntur, quam potuerint media recipere, quibus originalis labes detergitur ac splendor adoptionis tribuitur; nullatenus tamen consequeretur, neque *priore sensu* reparationem dici credique universalem oportere. Si de caussa interroges, habeo quam promam omnino luculentam. Hypothesis videlicet est, quam nemo prudens spernat, nemo citra temeritatem condemnet: *infantes sola obstrictos originis culpa non alia damnatione quam negativa mulctari.* Hanc hypothesim *a*) unice probavit ac probat (1) orientalis ecclesia: hanc *b*) non pauci ex latinis patribus (2) unice sequuti sunt: huic *c*) Schola a seculo XII ac deinceps (3) unice suffragata

(1) Cuius rei testes sunt uterque Gregorius, nazianzenus et nyssenus, ille in orat. XL. de baptismo, iste in orat. de infantibus, auctor quaestionum ad orthodoxos, quae Iustini nomine circumferuntur. q. LVI, auctor quaestionum ad Antiochum inter Athanasii opera, q. CXIV, et Nicetas in commentario ad eam, quam laudavimus, Gregorii nazianzeni orationem. Cf. Isaaci Habert Theologiam graecorum patrum de gratia, lib. II. cap. X. §. II.

(2) Quos inter commemorari debent Ambrosius de Abraham lib. II. cap. XI. n. 84, Ambrosiaster comm. in epist. ad Rom. V. 12, Anselmus de conceptu Virginis et orig. peccato, cap. XXIII, de concordia grat. et lib. arbitrii, cap. IX, in Monolog. capp. LXXII—LXXIII, et Bernardus in Cantic. Hom. LXIX. His autem non immerito addi posse crederem Siricium epist. I. ad Himerium cap. II. Innocentium I. epist. XXX. n. 5, Gelasium I. epist. VII. et Ioannem VIII. epist. CLXXXVIII. ad Anselmum lemovicensem, cuius verba referunt Ivo, Part. I. cap. CCCVI, et Gratianus can. VII. caus. XXX. q. I.

(3) Locupletissimi huius consensionis testes adsunt Petrus Lombardus

est : hanc *d*) Innocentius III. disertis verbis (1) confirmavit : hanc *e*) florentina Synodus (2) non obscure praetulisse videtur: haec *f*) mentes animosque fidelium (3) unice occupavit: atque hanc *g*) dogmatum analogia , doctrinarumque concentus (4) unice persuadet. Quamquam ergo beneficia reparationis ad eos non pertinerent infantes, qui acerbo fato praeripiuntur; fixum tamen ratumque maneret, neminem esse qui necessitate ferendae *positivae* damnationis prematur, quique in gehennam idcirco ruat , quod potestate caruerit qua tantam perniciem declinaret.

CCLXXIX.

ENARRANTUR

QUAE DOCET PAULUS

I. Tim. II. 1-7.

Inter ceteras dotes, quibus insignem ostendimus christianam traditionem, cuius ope veram sinceramque doctrinam de divina voluntate prima ac secunda , de reparato salutis ordine, de gratiae amplitudine , de praedestinatione deque reprobatione explicavimus; ea commemorari postremo loco non debet , qua illam ἐξηγητικὴν dici haberique oportere (5) demonstravimus. Inde enim sua sponte sequitur, propositam ex-

in II.dist. XXXIII , Alexander Halensis in S. P. II. q. CV. membr. X. §. I, Albertus in S. P. II. Tract. XVII. q. CXIII, Thomas in Quaestt. disputt. q. V., aa. I – II. in II. dist. XXXIII. q. II. a. I, Bonaventura in II. dist. XXXIII. q. II Egidius romanus in II. dist. XXXIII. q. II. a. I. et Scotus in II. dist. XXXIII. q. I.

(1) Decret. Lib. III. Tit. XLII. cap. Maiores, §. *sed adhuc.*

(2) Cf. Caietani Mariae De-Petio addit. ad Felicis Potestatis moralem theologiam, Append. XXI. diss. IV.

(3) Huc facit propositio XXVI. ex iis, quas Pius VI. proscripsit.

(4) De hoc doctrinarum concentu praeclare disserit Bonaventura in Breviloquio, P. III. cap. V.

(5) In corollariis, quae operae pretium fuerit animo recolere.

politamque traditionem non aliter spectari posse, quam ut regium uberrimumque flumen, quod e divite Scripturarum vena defluxerit. Et nihil sane docuerunt patres, nihilque ad nos usque transmiserunt, quod ex oraculis Scripturarum non deprompserint, quodque divinarum litterarum testimoniis non confirmarint. E quibus licet pleraque omnia illustria sint, et ad rem sive stabiliendam sive exornandam accommodata, unum tamen habetur, quod reliquis praecellit, quodque frequentius, omniumque consensione usurpatur. Est autem illud quod in priore Pauli ad Timotheum epistola legitur, quodque eo consilio diligentius enarrandum adgredimur, ut omnes videant, iure quam qui optimo patres, traditionisque testes ad eiusmodi se oraculum recepisse, illudque fontis instar habuisse, e quo praestituta omnia doctrinae capita apte deducerent. Ne vero aut ordine aut perspicuitate commentarius destituatur, *principio textum ipsum describemus, varias deinde si quae sint lectiones indicabimus, tum illum in praesenti controversia principem, ac ut dicere solent, classicum existimandum esse evincemus, mutuum partium nexum, incisorumque συναφειαν declarabimus, ac tandem singula quaeque examini quo fieri poterit accuratissimo subiiciemus.*

CCLXXX.

In receptis itaque graecis editionibus apostolicum testimonium sic (1) habet :

1 *παρακαλω οὑν, πρωτον παντων ποιεισθαι δεησεις, προσευχας, ἐντευξεις, εὐχαριστιας ὑπερ παντων ἀνθρωπων,*

2 *ὑπερ βασιλεων και παντων, των ἐν ὑπεροχῃ ὀντων, ἱνα ἠρεμον και ἡσυχιον βιον διαγωμεν ἐν πασῃ εὐσεβειᾳ και σεμνοτητι.*

3 *τουτο γαρ καλον και ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων, θεου,*

4 *ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν.*

5 *εἱς γαρ θεος, εἱς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος ἰησους χριστος,*

(1) I. Tim. II. 1—7.

6 ὁ δους ἑαυτον ἀντιλυτρον ὑπερ παντων, το μαρτυριον καιροις ἰδιοις.

Latine autem a vulgato interprete his verbis redditur.

1 Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.

2 Pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.

3 Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo,

4 Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

5 Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus:

6 Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis.

Lectiones variae neque plures sunt numero, neque ita comparatae, ut vim sensumque orationis immutent.

a) Ubi legimus παρακαλω, aliquot codices apud Griesbachium et Lachmannum habent παρακαλει, iisque suffragantur versio antiqua apud Sabatierum, itemque Hilarius (1) et (2) Ambrosiaster, qui vertunt *obsecra*, *exhortare*.

b) Quod in graecis latinisque exemplaribus *infinite* effertur, *obsecro* (vel, *obsecra*) *igitur primum omnium fieri . . .*; id, interserto pronomine *abs te*, Syrus interpres *definite* reddit: *peto igitur abs te, ut ante omnia deprecationem offeras Deo . . .*

c) Postremum sexti commatis incisum in aliquot codicibus, quibus suffragantur versio antiqua et Ambrosiaster, sic est: οὗ το μαρτυριον καιροις ἰδιοις ἐδοθη, *cujus testimonium temporibus suis datum est.*

Alia si quae sunt, non tam variae lectiones, quam codicum, allegationumque σφαλματα censeri debent.

(1) In Ps. CXL. col. 535.
(2) In I. Tim. II. 1.

CCLXXXI.

Qui de legibus rite interpretandi subtilius disserunt, quum alia bene multa, tum istud etiam scite monent: cavendum omnino esse, ne plura quae forte occurrant eadem de re testimonia, eodem numero habeantur; sed si quae pleniora evidentioraque sint, ea praeferantur ceteris, ac ex iis lumen in cetera derivetur. Haec autem vocant *locos interpretationis principes*, nec raro *locos classicos*. Jamvero in praesenti controversia accensendum istis esse testimonium apostolicum quod retulimus, et cuius lectiones varias indicavimus; *internis aeque externisque argumentis* comprobatur.

Argumenta namque *interna* postulant, ut is locus *princeps* videatur, cuius lectio ad rei summam quod pertinet, indubia est, qui vocibus constat perspicuis atque communibus, cuius structura simplex est, nullisque salebris impedita, et quo res ipsa non obiter innuitur, sed accurate edicitur, dataque opera explanatur. Haec enim si confluant, id suppetit omne, quo ratio loci principis absolvitur. Nihil vero horum in Pauli testimonium non aptissime quadrat: illius namque lectio ad summam quod spectat, certa fixaque est: vocibus coalescit perspicuis, usuque tritis: syntaxin praefert nitidam, nodisque solutam: de salutifera autem voluntate sic eo agitur, ut quaecumque ad illius notitiam conferunt, plene luculenterque proponantur. Internis ergo spectatis argumentis, testimonio Apostoli *ratio loci principis* denegari non potest.

Neque denegari eidem potest, si *externa argumenta* perpendantur. Externa autem argumenta voco, quae *ex auctoritate* petuntur, quaeque *bifariam* patent. Aut enim ex auctoritate ducuntur, quae *simpliciter* persuasionem creat: aut ex auctoritate ducuntur, cui vis faciendae fidei *nonnisi hypothetice* competit. Prioris generis sunt, quae ex fonte christianae traditionis dimanant: posterioris vero, quae partium alioqui digladiantium consensus suppeditat. Atqui non minus christiana traditione, quam decertantium consensu vis ac dignitas loci principis apostolico testimonio vindicatur.

Vindicatur I. Christiana traditione, tum quod *a*) graeci

patres prorsus omnes (1) in controversiis de voluntate Dei salutifera, de statu reparationis, de redemptione per Christum, de gratiae amplitudine, de praedestinatione ac reprobatione ad hoc se testimonium receperint, illud uno eodemque commentario explanarint, ac apertam ex eo praeclaramque quaestionum solutionem derivarint: tum quod *b*) nondum obortis pelagianis semipelagianisque contentionibus, ne unum quidem (2) inter latinos scriptores reperire liceat, qui in eamdem cum orientalibus interpretationem non penitus conspirarit: tum quod *c*) ingravescentibus pelagianis semipelagianisque dissidiis scriptores gravissimi atque apprime orthodoxi (3) priscam, universalem, et ab ipsa apostolorum aetate profectam interpretationem asseruerint naviterque defenderint: tum quod *d*) seculo nono haec ipsa originalis et apostolica interpretatio editis canonibus (4) propugnata confirmataque fuerit; tum quod *e*) Schola universa (5) ex hoc inprimis oraculo partitionem divinae voluntatis in antecedentem et consequentem desumpserit; antecedentis autem voluntatis infinitam amplitudinem, fecunditatem, et cum utraque consertum reparationis statum uno ore docuerit.

(1) Quod ex universo commentario manifestum est.

(2) Sane plerosque omnes in commentario retulimus, omnesque cum graecis plane conspirasse animadvertimus.

(3) Hos habes magno numero in medium prolatos §§. XXVIII. seqq.

(4) §. CXXXIII.

(5) Quod ex iis perspicuum est quae tradunt Petrus lombardus in Collectaneis ad I. Tim. II, Alexander alensis in S. P. I. q. XXXVI. membr. II. Thomas in I. dist. XLVI. q. I. a. I, de verit. q. XXIII. a. III, in S. P. I. q. XIX. a. VI, in I. Tim. II, et in epist. ad Hebr. XII, Bonaventura in I. dist. XLVI. a. I· q. I. Aegidius Columna in I. dist. XLVI, et Scotus in I. dist. XLVI. q. unica. His addi debent iudicia eodem pertinentia, quae graeci recentiores tulerunt, quaeque leguntur partim in *Actis et scriptis Theologorum Wirtembergensium et Patriarchae Constantinopolitani D. Hieremiae, quae utrique ab anno* 1576. *usque ad annum* 1581. *de augustana confessione inter se miserunt,* quaeque edita fuerunt Witembergae an. 1584; partim in *Censura orientalis ecclesiae de praecipuis nostri saeculi haereticorum dogmatibus,* edita anno 1581. curis Stanislai Socolovii; et partim in opere inscripto, *Synodus Ierosolymitana adversus calvinistas haereticos anno* 1642. *sub Patriarcha Ierosolymorum Dositheo celebrata.*

Accedit decertantium consensus, quo II. apostolicis verbis dignitas loci principis vindicatur. Calviniani namque omnes, sive supra-lapsarii ii sint, sive infra-lapsarii, lutherani, ianseniani ac orthodoxi (1) summam ex illis controversiae pendere ultro fatentur, nullumque propterea non movent lapidem, ut illa sibi, suisque placitis suffragari, vel certe non refragari persuadeant. Liquet igitur *interna externaque argumenta* eo pertinere, ut in hoc quod habemus controversiarum genere principem locum, supremamque sedem (2) Pauli ad Timotheum verbis tribuamus.

CCLXXXII.

Haec autem ita comparata sunt, ut quae ex ordine sequuntur incisa, eorum quae antecedunt caussam rationemque praeseferant. Cuius intestini nexus indicia argumentaque sunt, *quum rationalis particula* γὰρ, enim, *semel iterumque* (3) *usurpata, tum materies ipsa orationi subiecta.* Auspicatur namque Paulus a commendando cultu, eiusque inculcanda nobilissima parte, quae oblatis ad Deum precibus continetur; sancitque (4) ut pro omnibus omnino hominibus, ac pro regibus nominatim, ceterisque qui praesunt, orationes instanter fundantur. Tum praecepti caussam continuo (5) subiicit, illamque ex duplici fonte *honestatis, divinaeque voluntatis*, caelestisque beneplaciti mutuatur. Voluntatem porro Dei esse, ut pro omnibus oretur, *partim* apposito *Salvatoris*, quo Deum insignit, ac *partim* diserta de eo sententia, *quod velit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, Paulus (6) demon-

(1) Cf. Petavium de Deo, lib. IX. cap. VII, lib. X. cap. I, de Incarnat. lib. XIII. cap. I seqq, Guillelmum Forbesium in Institutt. Historico-Theolog lib. VIII. cap. XVIII, Foertschium in Selectis theologicis, P. I, Samuelem Bochartum opp. T. II. p. 1043, et Hoornbeeckium in disputt. miscellaneis pag. 373.

(2) I Tim. II. 1. seqq.

(3) Usurpata nimirum vv. 3—5.

(4) I. Tim. II. 1—2

(5) Ibid. vv. 3—4

(6) Ibid. v. 4.

strat. Quibus non contentus, fontem e vestigio reserat benignae adeo misericordisque voluntatis, illumque situm in eo esse docet, *quod* (1) *unus idemque sit omnium creator et pater, quodque unus idemque Christus sit omnium mediator*, *ac semetipsum* (2) *pro omnibus redemtionem dederit.* Manifestum igitur est, hanc esse sermonis ἀκολουθιαν, ut quae sequuntur, eorum caussam rationemque praeferant, quae antecedunt: omnia vero eo spectent, ut orandum (3) pro omnibus esse *vel edicant, vel probent.* Edicit initio Paulus pro omnibus orandum esse. Tum praecepti caussam postulantibus, reponit: *quia bonum id est et acceptum coram Salvatore nostro Deo.* Sed quo pertinet *Salvatoris* appellatio, quidve ea significatur? hoc significatur, *velle Deum omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* At unde intelligemus, tam benevolam Deo Salvatori inesse erga omnes homines voluntatem? palam id nobis erit, si animo reputemus, *unum esse Deum, unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.* Quemadmodum igitur unus est omnium Deus, ac unus omnium mediator atque redemptor; ita pro omnibus orandum est, ut omnes salvi fiant, veritatisque cognitione potiantur. Sed ipso quem adgredimur commentario, singula splendidius enitescent.

CCLXXXIII.

Noverat Paulus quae virtutes, quaeve dotes ornare episcopum debeant, ut suam ipse possit dignitatem tueri, commissumque munus, creditamque gregis administrationem, quemadmodum par est, obire. Timotheo igitur, quem (4) habebat carissimum, quem τεκνον, *filium* (5) vocitabat, cui κατα τας προαγουσας προφητιας, *secundum praecedentes prophetias*, idest,

(1) Ibid. v. 5.
(2) Ibid. v. 6.
(3) Ibid. v. 8.
(4) I. Tim. I. 2.
(5) Ibid. v. 18.

κατα πνευματος ἀποκαλυψιν, *secundum* (1) *Spiritus revelationem* manus imposuerat, quemque ephesinae ecclesiae praefecerat, nihil horum celatum voluit; sed tam ea quae ad ipsum, quam quae ad gregis custodiam pertinerent, ex ordine significavit ac praescripsit. Et illa quidem consueta (2) sibi imagine significavit, Timotheo edicens, ut (3) *bonam militaret militiam*, quam hac una esset conditione militaturus, si (4) πιστιν *fidem* contra ἑτεροδιδασκαλους, *perversos doctores*, et ἀγαθην συνειδησιν, *bonam conscientiam* adversus flagitiosos scelestosque constantissime retineret. Ad ea mox progressus, quibus cura gregis ecclesiaeque administratio constat, a publico solemnique cultu initium ducit, ac hisce verbis Timotheum (5) compellat: παρακαλω οὐν πρωτον παντων, *obsecro igitur*, hortor, admoneo, immo (6) precando adhortor, adhortandoque precor, et quidem *ante omnia*, inprimis ac maxime, ut rei momentum sentias, gravitatemque cognoscas. Quid vero? ποιεισθαι δεησεις, προσευχας, ἐντευξεις, εὐχαριστιας ὑπερ παντων ἀνθρωπων, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Ubi tot simul iunctae congestaeque voces studia interpretum excitarunt, ut sedulo inquirerent, quid censendum de illis sit, quaeve illis significandi potestas adnecti debeat. Qua de re duas novi veterum recentiorumque extitisse opiniones, quibus compendio enarratis, addam quid mihi statuendum esse videatur.

Itaque e priscis interpretibus (7) Origenes, Chrysostomus (8), Augustinus (9), Theodoritus (10), alii quorum (11)

(1) Ut habet Oecumenius, ac iis illustrari potest quae occurrunt Actt. XIII. 2, XX. 28.

(2) Ephes. VI. 10. seqq, et II. Tim. II. 3.

(3) I. Tim. I. 18.

(4) Ibid. v. 19.

(5) Ibid. II. 1.

(6) Rom. XV. 30, I. Petr. II. 11.

(7) De orat. §. 44.

(8) In comm. ad h. l.

(9) Epist. CXLIX. ad Paulinum.

(10) In comm. ad h. l.

(11) In Comm. ad h. l.

Theophylactus meminit, singularum vocum potestatem subtiliter rimati sunt, inventamque Pauli testimonio tribuendam esse existimarunt. En Origenis verba: « Δεήσεις, τὰς ἐλλείποντός τινι μεθ' ἱκεσίας περὶ τοῦ ἐκείνου τυχεῖν ἀναπεμπομένας εὐχάς. Προσευχάς, τὰς μετὰ δοξολογίας, περὶ μειζόνων μεγαλοφυέστερον ἀναπεμπομένας ὑπὸ τοῦ προσευχομένου. Ἐντεύξεις, τὰς ὑπὸ τοῦ παῤῥησίαν τινὰ πλείονα ἔχοντος, περί τινων ἀξιώσεις πρὸς θεόν· Εὐχαριστίας, τὰς ἐπὶ τῷ τετυχέναι ἀγαθῶν ἀπὸ θεοῦ μετ' εὐχῶν ἀνθομολογήσεις. *Rogationes* vocat eius, cui aliquid deest, suppliciter pro eo adipiscendo missas preces. *Adprecationes*, preces cum celebratione, pro maioribus bonis magnanimiter ab adprecante missas. *Compellationes*, petitiones ad Deum pro rebus aliquibus, ab eo factas, qui maiorem quamdam habet fiduciam. *Gratiarum actiones*, laudationes cum precibus propter accepta a Deo bona ». Theodoritus vero sic habet: » Δέησις μέν ἐστιν, ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τινων λυπηρῶν ἱκετεία προσφερομένη. Προσευχὴ δέ, αἴτησις ἀγαθῶν. Ἔντευξις δέ, κατηγορία τῶν ἀδικούντων. ἡ πάλη δὲ ἡμῖν οὐ πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις κατὰ τούτων προσείμεν τῷ δικαιοκρίτῃ, καὶ τὴν δικαίαν αἰτοῦμεν ἐπικουρίαν. ἡ δέ γε Εὐχαριστία ὑπὲρ τῶν προυπηργμένων ἀγαθῶν προσφέρεται τῷ θεῷ. *Obsecratio* quidem est ad malorum quorumpiam depulsionem oblata supplicatio. *Oratio* autem est bonorum petitio. *Postulatio* acccusatio iniuriam inferentium. Est autem nobis colluctatio non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus principes huius seculi, adversus spiritalia nequitiae in caelestibus. Adversus hos iustum iudicem adimus interpellantes et iustum auxilium petimus. *Gratiarum* autem *actio* Deo offertur pro bonis, quae nobis iam obtigerunt ».

E recentioribus huic articulatae interpretationi suum prae ceteris adiecere calculum Grotius et Vitringa, quorum ille (1) ait: « Δεήσεις sunt deprecatioues (2) ad mala averten-

(1) In Comm. ad h. l.

(2) Actt. I. 14, Philipp. IV. 6.

da, תחנה. Προσευχαι sunt preces (1) ad bona nobis obtinenda, תפלות. Ἐντεύξεις sunt preces (2) pro aliis פגעים. Εὐχαριστιαι sunt gratiarum actiones pro bonis iam acceptis quae (3) precibus adiungi debent, תודות ». Vitringa autem (4) comparat precum genera a Paulo commemorata cum iudaicis, ita ut δεησεις sint תחנות. προσευχαι תפלות: ἐντευξεις בקשות, aut שאלות, et εὐχαριστιαι ברכות: additque errare eos, qui ἐντευξεις de precibus pro aliis fusis interpretantur, quum revera eo nomine *precationes supplices* designentur.

Sed aliter Theophylactus censuit, cuius ista (5) sunt verba: « Obsecratio autem et oratio et postulatio, ceu idem significantia ab Apostolo sunt assumpta ob perspicuitatem, quippe qui tot vocum congerie inevitabiliter citra recusationem facere efflagitat quod postulat, et ad quod hortatur. Nonnulli inter haec discrimen curiose fecerunt, asseverantes δεησιν esse supplicationem quae offertur pro liberatione e tristibus durisque rebus: προσευχὴν vero petitionem esse bonorum : ἐντευξιν autem postulationem, sive interpellationem, accusationemque impie agentium et (6) iniuriam inferentium ». Cum Theophylacto, ne plures commemorem, in eamdem ivere sententiam Georgius Raphelius et Henricus Heinrichs, quorum ille (7) principio scribit : « Nomen ἐντευξις per se non significat interpellationem pro aliis, sed generatim congressum, colloquium compellationem preces denique quasvis, ut etiam ex I. Tim. I. 5. apparet, Isocrate ad Demon. τας ἐντευξεις μὴ πυκνας ποιου τοις αὐτοις, *ne crebrius cum iisdem colloquere et congredere*, et Plutarcho in Solone, ἡ προς Κροισον ἐντευξις, *congressus et colloquium cum* Croeso. Idem in suo περι δυσωπιας libello dicit, προς ἡγεμονας ἐντευξεις, *compellationes*, *quibus*

(1) Ephes. I. 16, VI. 18.

(2) Rom. VIII. 26.

(3) Philipp. V. 6.

(4) De vetere synagoga, p. 1025. Concinunt Triglandius in diatriba de secta Karaeorum, p. 167, et Schoetgenius in Horis hebraicis ad h. l.

(5) In comm. ad h. l.

(6) Consentit Hesychius scribens: ἐντευξις, ἀπαντησις κατα των πλημμελησαντων· δεησις εἰς ἐκδικησιν. *Postulatio est exceptio contra eos qui deliquerunt; est petitio vindictae.*

(7) Annotat. in I. Tim. II. 1.

nimirum compellantur et conveniuntur aliqua de re. Quae loca Stephanus collegit in Thesauro. Quibus Pricaeus addit ex eodem Plutarcho in vita Numae, τας προς το θειον ἐντευξεις. Unde ἐντευτικος dicitur *ad quem facilis patet aditus, qui adeuntibus facilem se praebet* ». Tum pergit : « Neque tamen nego, ἐντευξεις ὑπερ παντων ἀνθρωπων esse preces pro omnibus hominibus; sed hoc tantum dico, non minus etiam δεησεις et προσευχας ὑπερ παντων ἀνθρωπων esse intelligendas, cum utraque vox saepissime hac significatione et constructione reperiatur. Et δεησις quidem Rom. X. 1, δεησις ὑπερ του 'Ισραηλ. II. Cor. I. 11, IX. 14, Phil. I. 4, Iac. V. 16. Item δεομαι Actt. VIII. 24. δεητητε ὑμεις ὑπερ ἐμου, et Luc. XXII. 32. Προσευχη vero, Actt. XII, 5. προσευχη ὑπερ αὐτου, Rom. XV. 30, Col. IV. 12 , Philem. 22. Iacob. V. 17—18, nec non προσευχομαι, Luc. VI. 28, Actt. VIII , 15 , IX. 40, Phil. I. 9, Col. IV. 3, I. Thess. V. 25, Hebr. XIII. 18, Jacob. V. 14 ». Ac postremo infert: « Ex hisce tot locis mihi non est dubium , quin tria haec vocabula, δεησις, προσευχη et ἐντευξις promiscui sint usus , et hoc quidem loco emphaseos caussa cumulentur ad preces pro aliorum salute tanto magis commendandas. Interim non improbo receptam a plerisque theologis precum divisionem, licet eam his verbis contineri non existimem ». Brevius suam Heinrichs sententiam (1) promit scribens : « Satagunt interpretes in discutienda harum vocum differentia, quas ego synonymas, eumque in finem cumulatas credo, ut eo vehementius efferatur sententia, *impensissimae preces*; retenta tamen naturali illa praecum distinctione, qua vel poscimus Numen aliquid, vel voti compotes gratias reddimus ».

CCLXXXIV.

In qua opinionum varietate impeditum haud arbitror quid praeferendum sit, definire, si quae subdimus , considerentur. Si I. consideretur , usurpatis a Paulo vocibus propriam ex sese distinctamque significationem subesse. Sa-

(1) Ibid.

ne *a*) δεησις proprie est *indigentia*, et Harpocratione teste, δεησις dicitur ἀντι του ἐνδειας, quo sensu (1) legimus οὐδε προσωχθισε τῃ δεησει του πτωχου. Hinc δεησις non solum est ἡ αἰτησις ἐνδεων, *eorum quae desunt petitio*, ut a Gregorio nazianzeno (2) explicatur; sed proprie ac nominatim *malorum deprecatio*. Ad rem (3) Theodoritus: δεησις ἐστιν, ὑπερ ἀπαλλαγης τινων λυπηρων ἱκετεια προσφερομενη, *deprecatio est ad malorum quorumpiam depulsionem oblata supplicatio*. Neque aliter Theophylactus (4) inquiens: δεησις ἐστιν ἱκετηρια προςφερομενη ὑπερ ἀπαλλαγης τινων λυπηρων, *deprecatio est supplicatio quae offertur pro liberatione* (5) *a rebus quibusdam tristibus*. Sequitur *b*) προσευχη, quae vox etsi latissime pateat, omnemque piam sensuum animi declarationem Deo factam, precesque omnis generis complectatur; speciatim tamen *petitionem* exprimit *ad Deum directam* quasi εὐχην προς τον θεον, *ut quae bona sunt consequamur*. Προσευχη, verba sunt (6) Theodoriti, ἐστιν αἰτησις ἀγαθων. Concinit (7) Gregorius nyssenus: προσευχη ἱκετηρια ἐστι περιτινος των συμφεροντων προσαγομενη θεῳ, *oratio est supplicatio ad Deum pro re aliqua utili*. Simillima habent (8) Basilius, Olympiodorus (9), Cyrillus alexandrinus (10) et (11) Suida. Audiatur Cyrillus: προσευχη ἐστιν ἡ των ἐκ θεου προς σωτηριαν χορηγουμενων τοις ἀνθρωποις ἀγαθων ἐξαιτησις, *oratio est postulatio bonorum, quae hominibus ad salutem suppeditantur*. Porro *c*) ἐντευξις proprie est accessus, quo alterum adimus cuiuscumque rei gratia. Hinc Cyrillus (12) et Hesychius ἐντευξιν reddunt ἐντυχιαν et ἀπαντησιν. Quoniam vero adire alios sole-

(1) Ps, XXII. 25.
(2) In carm. iamb. XV.
(3) In com. ad. h. l.
(4) Ibid.
(5) Hebr. V. 7.
(6) In comm· ad h. l.
(7) Tract. II. in Psalmos, cap. III. p. 295. opp. T. I.
(8) Orat. in Iulittam martyrem.
(9) Comm in Eccles. V.
(10) In collectaneis, p. 63, et ad Is. XLIX. p. 666·
(11) Ad h. v.
(12) In Lexicis.

mus, ut aliquid vel petamus vel deprecemur; factum idcirco est, ut ἐντευξις in vita quidem *communi* intercessionem significet, qua cum altero colloquentes illi res amicorum nostrorum commendamus, in vita autem *religiosa* preces exprimat, quas ad Deum pro aliis fundimus. Ad rem Lexicon ms. ab Albertio (1) citatum: ἐντευξις παρακλησις προσαγομενη θεῳ περι σωτηριας ἑτερων. Tandem *d*) εὐχαριστια est gratiarum actio, gratique animi testimonium, quod Deo, hominibusque deferimus. Eucharistia, scribit (2) Crysostomus, *tum dicitur*, ὅταν τις ὑπερ ὧν εὖ ἐπαθεν, εὐχαριστῃ τῳ θεῳ *quum quis pro acceptis beneficiis Deo gratias agit.*

Si II. consideretur, usu loquendi obtinuisse, ut voces δεησις, προσευχη atque ἐντευξις, promiscue ac ἀδιαφορως adhiberentur. Exmpla, quae promiscuum eiusmodi usum ad evidentiam usque demonstrant, magno numero collegerunt (3) Suicerus, Wall (4) et (5) Shleusnerus; neque operae pretium esse arbitror in re vulgatissima diutius immorari.

Si III. consideretur, eum commentarium ceteris merito anteferri, quo et vocabulorum proprietati, et illius qui scribit animo, sensibusque apte consulitur: quo scilicet non minus *interpretationis grammaticae* quam *psychologicae* (6) ratio habetur. Perfectus enim suisque absolutus numeris commentarius is est, quo utriusque interpretationis leges sancte custodiuntur.

Si consideretur IV. formam habitumque orationis a Paulo adhibitae talem esse, qualis esse solet, quum quis excitato inflammatoque animo scribit. Hanc enim sensuum animique commotionem *innuit* verbum παρακαλω: *plenius ostendit* incisum πρωτων παντων: *apertissime* vero *demonstrant* cumulatae voces, ποιεισθαι δεησεις, προσευχας, ἐντευξεις, εὐχαριστιας ὑπερ παντων ἀνθρωπων.

(1) Ad Hesychii T. I. p. 1261.

(2) Cf. testimonia Chrysostomi apud Suicerum in Thesauro, col. 1269.

(3) In Thesauro ad eiusmodi voces.

(4) In clavi ad N. T.

(5) In novo lexico ad N. T.

(6) De ratione interpretationis psychologicae accurate scribit Pareau in Hermeneutica codicis sacri, P. II. cap. III §. XXXI. pagg. 400. seqq. edit. Groningae 1846.

Quibus, uti decet, consideratis, ii mihi videntur acu rem tangere, qui statuant: *a*) ad leges grammaticae interpretationis, vitandamque tautologiam nihil posse accommodatius dici, quam distinctas vocum notiones retinendas esse; adeo ut δεησεις, *malorum deprecationes*: προσευχαι, *bonorum precationes*: ἐντευξεις, *fusas pro aliis obsecrationes:* et εὐχαριστιαι, gratiarum actiones significent. Tum vero *b*) ad leges *psychologicae interpretationis* censendum esse Paulum de propriis singularum vocum notionibus *distincte* non cogitasse, illas vidisse *confuse* et tot propterea voces cumulasse, ut quo vehementius posset, *omnigenas preces* designaret, illudque exprimeret quod alibi (1) compendiosius dixit: *δια πασης προσευχης και δεησεως*. Qua in re consentientem nobiscum habemus Elsnerum, etsi paullo secus de singularum vocum potestate iudicarit. Scribit (2) enim: » Quum etiam synonyma coniuncta distingui aliquo modo debeant, ut tautologia vitetur, et εὐχαριστια sine dubio a ceteris distincta sit; sic crediderim exponenda, ut δεησις sit *deprecatio malorum*, προσευχη *votum bonorum*, ἐντευξις *vehemens rogatio* seu *postulatio*, ut recte Vulgatus hebraicum בקשה, alias αἰτημα Phil IV. 6, εὐχαριστια *gratiarum actio:* ut iubeantur fideles omnium mala deprecari, bona optare vehementerque rogare, denique omnium loco gratias agere Deo ».

CCLXXXV.

In quo commentario sic omnia apta nexaque sunt, ut mutuo sibi fidem splendoremque concilient. Si enim *ὑπερ παντων ἀνθρωπων*, *pro omnibus hominibus* orandum est, quid evi-

(1) Ephes. VI. 18.

(2) Observatt. Sacr. ad I. Tim. II. 1. Hinc etiam Lodovicus Bauerus in Logica Paulina, cap. VI. de methodo Pauli, §. III. p. 394. scribit: « I. Tim. II. 1. Paulus dividit preces in δεησεις a δεομαι, *indigeo*, cum bona precamur, mala deprecamur: προσευχας, cum Deum per se colimus, maiestatetem eius celebramus; ἐντευξεις, pro aliis: εὐχαριστιας, cum gratias agimus pro beneficiis. Vera haec est divisio, apta et origini usuique vocabulorum et naturae rei, consilio conditionique precum, quarum nullum genus hic omissum requiras ».

dentius quam *omnigenas* fundi *preces* oportere? et si *omnigenae* fundi *preces* debent, fierique δεησεις, προσευχαι, εντευξεις, ευχαριστιαι, quis non cernit *pro omnibus* orandum esse? his autem vis roburque accedet, si cum praeclara Christi doctrina componantur. Refert (1) initio Christus praescriptum antiquae legis, pravamque iudaeorum interpretationem, inquiens: ἠκουσατε, ὁτι ἐρῥεθη, *audistis quod dictum est:* ἀγαπησεις τον πλησιον σου, *diliges proximum tuum.* In lege (2) Levitici est רע, quod, ut nomen πλησιον, alterum quemvis designat, quum quivis homo alterius hominis coniunctione naturae proximus sociusque sit; unde alexandrini quoque interpretes (3) רע verterunt ἑκαστον. Pressius tamen is dici πλησιος consuevit, qui nobiscum arctiori vinculo coniunctus est. quales censentur amici, cognati, contribules, eiusdemque religionis sectatores. Hinc etiam (4) alexandrini vocem אח *fratrem* reddiderunt πλησιον. Porro angustiore hac significatione legem interpretati sunt iudaei, atque ex ea, ut Christus (5) pergit, inferendo concluserunt: και μισησεις τον ἐχθρον σου, *et odio habebis inimicum tuum.* Inimicos autem appellabant non eos solum, a quibus laesi essent, verum etiam (6) omnes, qui non eamdem cum ipsis religionem profiterentur.

Depravationi legis adeo manifestae suam Christus (7) doctrinam opponens subdit: ἐγω δε λεγω ὑμιν, *ego autem dico vobis*: vide legislatoris maiestatem, qui suo nomine praecepta condit, suoque iure leges sancit: ἀγαπατε τους ἐχθρους ὑμων, *diligite inimicos vestros*, tum qui vos laeserint, tum qui aliena a vestris instituta sectentur: εὐλογειτε τους καταρωμενους-

(1) Matth. V. 43.

(2) Levit. XIX. 18.

(3) Uti videre licet, Exod. XVIII. 16.

(4) Gen. XXVI. 31, Ioel. II. 8.

(5) Matth. V. 43.

(6) Quod non obscure ex iis colligitur, quae habent Lucas, cap. X. 27. seqq. Iosephus, Antiquitt. lib. II. cap. VI, et Tacitus, Annal. lib. V. cap. IV.

(7) Matth. V. 44.

ὑμας, *bene illis dicite, qui male vobis dicunt*; crebro (1) namque εὐλογειν, ברך est *alicui bene dicere*, et καταρασθαι *male alicui dicere*: καλως ποιειτε (2) τοις μισουσιν ὑμας, *benefacite iis qui vos oderunt*; est enim καλως ποιειν, היטיב idem ac (3) ἀγαθοποιειν, *benefacere*: και προσευχεσθε ὑπερ των ἐπηρεαζοντων ὑμας, και διωκοντων ὑμας, *et orate pro iis qui vos* (4) *persequuntur et vexant*. Quibus caritatis mandatum Christus instaurat, illius amplitudinem patefacit, functionesque praescribit.

Instaurat caritatis mandatum repetita lege, ἀγαπησεις τον πλησιον σου, *diliges proximum tuum*. Tum illius patefacit amplitudinem, eumque in finem corruptelam reiicit ab iudaeis invectam, μισησεις τον ἐχθρον σου, *odio habebis inimicum tuum*: hominesque universos in duas tribuit classes των πλησιων και των ἐχθρων, *amicorum et inimicorum*, alteramque classem in quatuor dividit ordines, των ἐχθρων simpliciter, των καταρωμενων, των μισουντων, et των ἐπηρεαζοντων και διωκοντων, et erga singulos quosque ordines caritatis legem servandam edicit. Sed quos recenset ordines, aut quae erga singulos officia caritatis iniungit? ordines, quos recenset, ita comparati sunt, ut *consequens* hominibus constet qui iis sint nobis infensiores qui *praecedente* continentur. Priori namque ordine recensentur, qui ἐχθροι simpliciter appellantur, succedunt καταρωμενοι, hos excipiunt μισουντες, seriemque claudunt ἐπηρεαζοντες και διωκοντες. Atqui ἐπηρεαζοντες και διωκοντες hostiliores nobis sunt quam μισουντες: hi nobis acerbius adversantur quam καταρωμενοι, ac isti in nos suas atrocius inimi-

(1) Iacob. III. 9, Rom. XII. 14, I. Cor. IV. 12, quo postremo loco εὐλογειν et λοιδορειν sibi invicem opponuntur.

(2) Plane assentior Fritzschio, qui in comm. ad h. l. reprehendit Griesbachium et Lachmannum, quod expunxerint verba, εὐλογειτε τους καταρωμενους ὑμας. καλως ποιειτε τοις μισουσιν ὑμας, illaque huc translata ex Luc. VI. 27. seq. crediderint.

(3) Zach. VIII. 15, Luc. VI. 33—36.

(4) Quamquam ἐπηρεαζειν non raro sit verbum forense, idemque valeat ac *reum agere falsoque criminari*, quod Boisius ac Elsnerus idoneis exemplis commonstrarunt; multo tamen frequentius latiorem induit significationem, idemque notat ac *laedere*, *damnoque afficere*. Porro eiusmodi significationem heic esse praeferendam, orationis ductus, plenaque inimicorum distributio efflagitant.

citias exercent, quam qui ἐχθροι simpliciter audiunt. Crescit igitur oratio, graviorisque inimicitiae gradus continenter proponuntur.

E quo intelligimus, caritatis officia nobis erga τους ἐχθρους iniuncta, multo esse magis erga τους πλησιους explenda, et quae nobis praestanda indicuntur erga τους ἐπηρεαζοντας και διωκοντας, multo maiori iure in τους μισουντας και τους καταρωμενους και τους ἐχθρους conferri oportere. Nobis autem praecipitur, προσευχεσθε ὑπερ των ἐπηρεαζοντων ὑμας και διωκοντων ὑμας, *orate pro iis qui vos persequuntur*, *vosque factis operibusque lacessunt*. Nemo igitur inficias eat, hoc ipsum *orationis* officium *iure longe potiori* in eos explendum esse, qui nos *minus* habent *inique*, quosque Christus vocat τους μισουντας, τους καταρωμενους και τους ἐχθρους.

His autem cum Pauli testimonio comparatis, *quinque* eruuntur in rem praesentem opportunissima *consectaria*. Ac I. eruitur, Christum *distributa oratione perque gradus crescente* illud ipsum *adsignificando* iubere, quod Paulus *infinite absoluteque significando* praescribit. Christus enim *recta* iubet pro iis orandum esse qui nos persequuntur et vexant; forma vero habituque distributae crescentisque orationis *adsignificat*, pro omnibus deprecandum esse: *significat* pro iis orandum esse, qui suum in nos hostilem animum factis demonstrant; *adsignificat* vero pro iis multo magis orandum esse, qui nos interno solum odio prosequuntur, qui nos verbis tantum lacessunt, qui a nobis dumtaxat aut gente aut sacris dissident, quique nobis amici sunt atque cognati. *Adsignificat* nimirum pro omnibus prorsus hominibus orandum esse. Sed huc redit quod Paulus infinite absoluteque *significat* monens, orandum esse ὑπερ παντων ἀνθρωπων *pro omnibus hominibus*. Eruitur II. Christi Paulique testimonia *nonnisi ratione modoque* unius eiusdemque rei exprimendae differre, proindeque esse *omnino simillima* ac *plane digna* quae mutuo conferantur et illustrentur. Eruitur III. infinita Pauli verba, ὑπερ παντων ἀνθρωπων, posse ac vero etiam debere ita resolvi, ut *distribute* complectantur τους πλησιους, τους ἐχθρους, τους καταρωμενους, τους μισουντας και τους ἐπηρεαζοντας και διωκοντας, *cognatos*, *inimicos*, *obloquutores*, *osores*,

persequutores , idest omnes quotquot sunt homines. Eruitur IV. tam verbis a Paulo adhibitis, ὑπερ παντων ἀνθρωπων, quae omnimodam ex sese praeferunt universalitatem, quam Christi doctrinae illos (1) refragari, qui apostolicum oraculum circumscribunt atque coarctant. Eruitur tandem V. , originem intimam , supremamque caussam apostolicae cohortationis , *omnigenas preces pro omnibus hominibus fundendas esse* , ea caritatis lege contineri , qua singulis quibusque indicitur , ἀγαπησεις τον πλησιον σου, *diliges proximum tuum*, quemcumque scilicet habes eiusdem humanae naturae consortem.

CCLXXXVI.

Sed pergit Apostolus , verbisque ὑπερ παντων ἀνθρωπων continuo (2) addit, orandum esse ὑπερ βασιλεων, *pro regibus* quorum nomine inprimis veniunt *romani imperatores*, qui licet regiam appellationem recusarent, ea tamen a graecis, iudaeisque frequenter (3) ornabantur : και παντων των ἐν ὑπεροχῃ ὀντων, *et omnibus in sublimitate constitutis*, qui (4) alibi ἡγεμονες, κειμενοι ἐν ὑπεροχῃ, et (5) ab Josepho ὑπεροχαι vocantur: ἱνα ἠρεμον και ἡσυχιον βιων διαγωμεν ἐν παση ἐυσεβεια και σεμνοτητι, *ut quietam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et gravitate.* Idem namque valet ἐν ac συν , et σεμνοτης , quae proprie est *reverentia* ac *veneratio* , per metonymiam significat quum quidquid venerationem parit, tum maxime *gravitatem* levitati inconstantiaeque oppositam. Unde Aristotales σεμνοτητα interpretatur βαρυτητα εὐσχημονα, *gravitatem honestam.*

Sed quo ista nexu cum praecedentibus iunguntur ? non eo sane *a*) cohaerent , quo fiat , ut orationis subiectum *extendatur*: siquidem βασιλεις και παντες ἐν ὑπεροχῃ ὀντες ambitu παντων ἀνθρωπων comprehendutur. Neque eo *b*) cohae-

(1) Horum nomine intelligo calvinianos , iansenianos , et quotquot voluntatem Dei salutiferam, amplitudinemque reparationis corripiunt.

(2) I. Tim. II. 2.

(3) I. Petr. II. 13—18.

(4) I. Petr. II. 14, et II. Maccab. III. 15.

(5) Antiquit. lib. VI. cap. IV.

rent, quo fiat, ut subiectum orationis *coarctetur.* Huius enim limitationis nullum apparet indicium sive *verbale*, sive *reale,* sive ex orationis ductu, sive ex materia desumptum. Nexus igitur *c*) quo cum prioribus posteriora cohaerent , ille ipse est, quo *contentum cum continente*, *et cum universali particulare* devincitur. Jam vero *d*) *in officiis praescribendis* hac sermonis forma uti solemus, quum ad rationes universales propriae privaeque accedunt , ac id quod particulare est maioris ducimus esse momenti, dignumque quod vehementius inculcetur. Ac aderant sane propriae privaeque rationes, quae Paulum ad iubendas *nominatim* preces pro regibus , praesidibusque commoverent. Aderant illae , quarum ipse meminit scribens, *ut quietam tranquillamque vitam agamus cum omni pietate et gravitate* : quies enim pacataque vitae civilis ratio principibus maxime praesidibusque debetur. Aderant et aliae, eaeque non minus perspicuae quam graves. Plures enim ἑτεροδιδάσκαλοι, quos Judas (1) *impios* vocat, non levem in christianam religionem eo nomine conflabant invidiam, quod κυριότητα *dominationem* spernerent, δόξας δὲ, *maiestatem autem* blasphemarent. Fuit igitur cur Paulus pro regibus praesidibusque iniunctis nominatim precibus ostenderet, quantopere ab eiusmodi opinionum flagitiis christiana pietas abhorreret. Quo mihi videtur non obscure spectasse (2) Petrus inquiens: « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum ; sive *regi* quasi praecellenti ; sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum , laudem vero bonorum : quia sic est voluntas Dei , ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam . . . Omnes honorate: fraternitatem diligite: Deum timete: *reges* honorificate ». Quibus gemina scribit (3) et Paulus, cui ad preces pro regibus *speciatim* commendandas non minimi ponderis videri et illud debuit, quod Christus diserte iusserit, orandum pro iis esse *qui nos persequntur et vexant.* Romani namque imperatores, provinciarumque praesides ii erant, qui Paulo ad Timotheum scribente , in christianos coetus saeviebant. Qua-

(1) Iudae 4—8.
(2) I. Petr. II. 13—18.
(3) Rom. XIII. 1. seqq.

propter accommodatissima totius loci paraphrasis haee est: « moneo atque adhortor, ut omnigenae pro omnibus hominibus fundantur preces; inprimis vero ut pro regibus, ceterisque auctoritate praestantibus Deus exoretur ».

CCLXXXVII.

Cui paraphrasi splendorem addunt, fidemque conciliant, quae *profanis, iudaicis, christianisque monimentis* consignata leguntur. « Persae veteres, inquit (1) Elsnerus in sacris bene precabantur *universis persis*, et inprimis *regi*, teste (2) Herodoto: peste autem (3) aliquando in universo terrarum orbe strages edente, athenienses iubebantur Appollinis oraculo *pro omnibus vota facere*, ὑπερ παντων εὐχας ποιησασθαι ». De iudaeorum consuetudine plura insigniaque habent (4) Grotius, Ligtfootus (5), Ottius (6) Elsnerus (7) et Heinrichs (8), e quibus Elsnerus scribit: « Iudaei orabant olim (9) pro regibus Persiae: deinde etiam pro imperatoribus romanis, v. c. pro Augusto, cuius quotidie holocaustum offerebatur in templo hierosolymitano, teste (10) Philone: pro Caio itidem (11) solemnia vota fecerunt, hecatombis immolatis. Iudaeorum precibus regnum suum (12) commendat Iulianus. Pontifex maximus dicitur a Philone (13) in s. sanctorum vota nuncupasse pro universo genere humano, εὐξαμενος εἰρηνην ἁπασιν

(1) In observatt. sacris ad I. Tim. II. 1—2
(2) Lib. I. cap. CXXXII.
(3) Cf. Suidam, v. Ἄβαρις
(4) In comm. ad h. l.
(5) In horis hebraicis ad h. l.
(6) Ex Iosepho. ad h. l.
(7) Loco cit.
(8) In adnotatt. ad h. l.
(9) Esdrae VI, 10.
(10) Legat. ad Caium, p. 1036.
(11) Ibid. p. 1041.
(12) In epistolis, p. 397.
(13) Loco cit. p. 1035.

ανθρωποις ». Hinc praeceptum (1) R. Chaninan : *ora pro pace regni, nisi enim metus esset, alter a lterum devoraret.*

Ad christianos tandem quod pertinet, insignia sunt testimonia (2) Athenagorae, Theophili antiocheni (3), Tertulliani (4), Cypriani (5), Lactantii (6), Pseudo-Ignatii (7), Chrysostomi (8), Prosperi (9), et ne plures commemorem, auctoris (10) librorum de vocatione omnium gentium. Praeclare Athenagoras, qui ut conceptam significet animo spem fore ut christiani ab imperatoribus exaudirentur, legationem his verbis absolvit: « Quinam enim digniores qui ea quae petunt impetrent, *ἡ οἵτινες περι μεν της ἀρχης της ὑμετερας εὐχομεθα, quam qui pro imperio vestro precamur*, ut filius a patre, prout aequissimum est, regnum accipiatis, et accessionibus ac incrementis imperium vestrum, omnibus ditioni vestrae subiectis, augeatur! atque id quidem nostra etiam interest, quo tranquillam vitam agamus, et imperata omnia alacres ministremus ». Theophilus vero de amore inimicorum, cognatisque virtutibus disserens, inter cetera scribit: « Illud etiam iubet Scriptura sancta, ut magistratibus et potestatibus subiiciamur ac pro iis precemur, *ut tranquillam et pacatam vitam agamus.* Ac omnibus omnia reddere (11) docet: *cui honorem, honorem: cui timorem, timorem: cui tributum, tributum, nec quidquam ulli debere*, *ἡ μονον το ἀγαπαν παντας*,

(1) In Pirke Aboth. cap. III. §. 2.

(2) Legat. pro christianis, §. XXXVII. Neque aliter Polycarpus Athenagora vetustior in epist. ad Philippenses, pag. 189. apud Cotelerium, T. II. Patrum apostolic. edit. Antuerpiae.

(3) Ad Autolycum, lib. III. §. XIV.

(4) Apologet. cap. XXX, lib. ad Scapulam, cap. II.

(5) Epist. ad Demetrianum. Concinit Origenes in libro VIII. con. Celsum, ubi inter alia scribit: *laboramus pro Imperio romano, dum iuste viventes vota pro eo facimus.*

(6) De mortibus persecutorum, cap, XXXIV.

(7) Epist. ad Philadelphenses.

(8) In I. ad Tim. II. Hom. IV. et Hom. XX. ad populum antiochenum.

(9) §. LXII.

(10) Lib I. cap. IV. Ceterum numerum testium longe maiorem habes in Aurelii Pelliccia dissertatione *de christianae ecclesiae tum publica tum privata prece pro Principibus,* edita Neapoli an. 1778.

(11) Rom. XIII. 7—8.

nisi ut diligamus omnes ». Concinit Tertullianus inquiens: « Illuc (in caelum) suspicientes christiani manibus expansis, quia innocui capite, nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore, oramus pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis et Caesaris vota sunt ». Quae brevius complexus (1) Prudentius cecinit;

Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloriam
Procinctus, utque subiugatis hostibus
Ductor quietum fraenet orbem legibus.

Unde Prosper: « Sincerissime credendum est atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cuius est ista sententia, solicite praecepit, *quod in omnibus ecclesiis piissime custoditur*, ut Deo pro omnibus supplicetur ». Quibus pulchre respondet ecclesiastica solemnisque (2) precatio: *omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas.*

CCLXXXVIII.

Commendatis orationibus sive quae pro omnibus universim hominibua fundi debent, sive quae pro regibus praesidibusque speciatim offerri; pergit Apostolus: *τουτο γαρ, hoc enim* quod commendavi, quodque ut fieret institi, *καλον, honestum* est, officioque maxime consentaneum; quae est vis *του καλου*, quum (3) ad humanos actus refertur, idemque valet ac *honestum*, *laudabile* et *το προσηκον*, *ad vitutem ex-*

(1) In agone s. Romani.

(2) Quae frequens est in vetustis sacramentariis, ac in hodierna quoque liturgia celebratur.

(3) Hoc sensu adhibetur Matth. V. 16, XV. 26, Rom. VII. 18—21, ubi *τω καλω* opponitur *το κακον*, et II. Cor. VIII. 21. nbi *το καλον* idem est ac *το προσηκον*, *officium.*

pressum, και αποδεκτον, *et dignum quod recipiatur*, pro nativa significatione του αποδεκτου, quod Hesychius reddit επαινετον, *laudabile*, et Glossae veteres cum Vulgato interpretantur *acceptum*: ενωπιον του σωτηρος ἡμων Θεου, *in conspectu*, neque enim ενωπιον est adverbium, sed elliptice (1) adhibetur pro κατ' ενωπιον, לפני, *Salvatoris nostri Dei*.

Iamvero necti ista cum praecedentibus duplici constat indicio: *logico* quod ex orationis serie splendescit, et *grammatice*, quod particula γαρ, *enim*, continetur. Sed cuiusmodi est huiusce nexus ratio, quaeve mutuo copulantur? posteriori quaestioni occurrit (2) Grotius scribens: « τουτο γαρ, *hoc nempe ut oremus pro reipublicae rectoribus*. Et quid? *oramus ut reges principesque una cum regia potestate inveniantur etiam sana mente praediti*, ait Iustinus martyr. Haec precatio eventum suum habuit aliqua ex parte in Adriano, Severo, Antonino, qui christianis aequi admodum fuere: perfectius vero in Constantino et post eum principibus romanis, deinde et aliorum populorum regibus». Censuit nimirum pronomen τουτο non ad omnia quae praecedunt, sed ad incisum dumtaxat ultimum referri. Qua in re sagacem interpretem a vero aberasse, plura sunt quae demonstrant. Demonstrat 1) consensus graecorum latinorumque, quibus in mentem numquam venit, ut heic verba τουτο γαρ cum propinquo solum inciso coniungerent. Demonstrat 2) consensio recentiorum propemodum omnium, qui τουτο γαρ interpretantur *hoc quod est pro omnibus orare*. Demonstrat 3) idea, quae sponte lectorum animos occupat, quaeque praecipit, ut antecedentia omnia cum insequentibus copulentur. Demonstrat 4) forma ipsa sermonis, quo praecedentia efferuntur. Efferuntur enim non duabus propositionibus, sed *una eademque propositione complexa* quae constat *tum membro principe*, παρακαλω ουν πρωτον παντων ποιεισθαι δεησεις, προσευχας, εντευξεις, ευχαριστιας ὑπερ παντων ανθρωπων, *tum membro incidente*, ὑπερ βασιλεων και παντων των εν ὑπεροχῃ οντων. Hac vero animadversa forma sermonis, quisque videt, non minus incisum τουτο γαρ

(1) Quod scite advertit Lambertus Bos de Ellipsibus graecis, p. 443.
(2) Comm. ad h. l.

quam verbum *παρακαλω*, ad omnia quae antecedunt necessario referri. Demonstrant 5) quae habet Paulus, ut modum rationemque nexus inter *τουτο γαρ* et antecedentia declaret.

Scribens enim, *τουτο γαρ καλον και ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου*, declarat, nexum haec inter et praecedentia esse *caussalem*, caussasque duplici ex fonte dimanare. Ac primum ex eo dimanare quod *καλον* sit id exsequi quod antevertit: ex eo deinde dimanare, quod idipsum *ἀποδεκτον* sit *ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου*. Atqui utraque caussa *universalis* est, neque potest nisi absurde regum praesidumque ambitu limitari. Universalis est prima caussa, sive *in se* verba spectentur quae Paulus usurpat, sive cum iis quae Christus adhibuit, conferantur. Paulus namque scribit, *τουτο γαρ καλον*, quod de precibus fundendis admonui, honestum est et ad officii normam expressum. Quis vero haec de precibus accipiat, quae pro regibus solum praesidibusque offerantur? quis non potius ad preces referat, quibus universim *ὑπερ παντων ἀνθρωπων*, ac speciatim *ὑπερ βασιλεων και παντων των ἐν ὑπεροχῃ ὀντων*, Deus supplicetur? praeterea officium precum ex ea lege Christus (1) desumit, qua unicuique edicitur, *ἀγαπησεις τον πλησιον σου*, *diliges proximum tuum*. Sed lex haec est infinitae amplitudinis, quae ad omnes protenditur, quaeque citra iudaicam praevaricationem coerceri non potest. Immo coeceri non potest, quin hoc alterum (2) Christi effatum, ac eodem omnino pertinens, *και καθως θελετε, ἱνα ποιωσιν ὑμιν οἱ ἀνθρωποι, και ὑμεις ποιειτε αὐτοις ὁμοιως*, *et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter*, praepostere detorqueatur. Quisquis enim sibi vult atque cupit, ut omnium opera, omniumque precibus apud Deum adiuvetur. Prima igitur caussa, qua usus est Paulus ut precum officium iniungeret, quamque his verbis expressit, *τουτο γαρ καλον*, universalis prorsus est ac ita comparata, ut ad propinquum *dumtaxat* incisum, *ὑπερ βασιλεων και παντων των ἐν ὑπεροχῃ ὀντων*, referri nequeat.

(1) Matth. V. 43.
(2) Luc. VI. 31.

CCLXXXIX.

Quod quidem et de altera caussa, *και ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου*, repetendum est. Peto enim mihi candide explicetur, quid *acceptum coram Salvatore nostro Deo* existimari debeat. Credo, quod sit officio consonum, quod cum latis ab eo legibus consentiat, quod ipsa *του σωτηρος ἡμων θεου* appellatione significetur. Atqui nihil horum est limitatum ac definitum, sed singula infinita sunt ac prorsus universalia. Universale est officium, quod *το καλον* dicitur; quum honestum sit ac laude dignum *pro omnibus* deprecari: universalis est lex, *ἀγαπησεις τον πλησιον σου*, *diliges proximum tuum;* utpote quae neminem prorsus excludat: ac id tandem universale est, quod appellatione *του σωτηρος ἡμων θεου* continetur.

Quod quidem I. parallelis Christi verbis efficitur. Proposita namque (1) lege, *προσευχεσθε ὑπερ των ἐπηρεαζοντων ὑμας, και διωκοντων ὑμας*, hanc illius caussam rationemque Christus (2) e vestigio subdit: *ὁπως γενησθε υἱοι του πατρος ὑμων του ἐν τοις οὐρανοις*, *ut sitis* ac porro etiam videamini *filii* ac *μιμηται* imitatores (3) *Patris vestri coelestis*, *ὁτι τον ἡλιον αὐτου ἀνατελλει ἐπι πονηρους και ἀγαθους*, *qui*, sed significatione (4) potius exegetica quam relativa, *solem suum exoriri iubet*, verbum siquidem *ἀνατελλω* ex sese *intransitivum*, *transitivo* (5) sensu adhibetur, *super malos et bonos, και βρεχει ἐπι δικαιους και ἀδικους*, *et pluere* (6) *facit super iustos et iniustos.* Sed caussa haec est plane universalis, quaeque ex universali Dei in omnes homines beneficentia desumitur. Quum igitur illi sit gemina, quam Paulus urget inquiens, *και ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου*, consequens est appellatione *του σωτηρος ἡμων θεου* caussam universa-

(1) Matth. V. 44.

(2) Ibib. v. 45.

(3) Ephes. V. 1.

(4) Particula *ὁτι* crebro adhibetur sin minus loco pronominis *ὁς qui*, certe ad rem explicandam; adeo ut reddi commodius nequeat quam *videlicet, nimirum.* Cf. Matth. VI. 5, XI. 29.

(5) Atque ita adhibent alexandrini, Gen. III. 18, alibi.

(6) Gen. II. 5, ubi additur ο θεος.

lem exhiberi , eoque pertinentem ut pro omnibus oretur. Sane II. nonnisi hoc pacto obtineri illud (1) potest , *ἐσεσθε οὖν ὑμεις τελειοι, ὥσπερ ὁ πατηρ ὑμων ὁ ἐν τοις οὐρανοις τελειος ἐστι*, *sitis ergo vos perfecti*, omnique (2) vitio maloque carentes , *quemadmodum Pater vester coelestis perfectus* sanctusque est: et nonnisi hoc pacto *σωζομενοι*, quo epitheto *ἐξαιρετως* insigniuntur (3) *fideles*, gerere voluntatem possunt illi conformem, quae propria est *του σωτηρος ἡμων θεου*.

Sed III. quo pertinet ista formula , quidve Paulus significavit nominans *τον σωτηρα ἡμων θεον*? quemadmodum *σωζειν* idem generatim valet ac aliquem salvum incolumemque praestare, sive id fiat malis aversis ablatisque, sive tributis collatisque beneficiis; ita *σωτηρ* is omnis generatim dicitur, qui tuendo, mala depellendo, impertiendoque beneficia confert, ut salvus quis sit, et incolumis evadat. Ad rem (4) Tullius: *is est σωτηρ, qui salutem dedit*. Graecis autem *σωτηρ* et *εὐεργετης* vocabula erant honoris iis tributa omnibus, qui depulsis malis, auctisque bonis (5) inclaruissent. Quum igitur Paulus Deum dicit *τον σωτηρα*, eum exhibet ut qui salutem incolumitatemque afferat , vel *negative* profligatis malis , vel *positive* bonis ornamentisque concessis. Dissimulari tamen non debet , Deum neque simpliciter neque absolute *τον σωτηρα* a Paulo dici, sed pronomine adiecto, *τον σωτηρα ἡμων*. Unde sua sponte quaestio oboritur, quo huius pronominis additio pertineat. Video autem responderi posse, huius pronominis vim plus semel (6) eam esse, quae non coerceat obiecti amplitudinem, sed omnes qui eiusdem nobiscum sunt naturae complectatur: responderi posse , eiusmodi pronomen haud infrequenter sumi *significatione specifica*, nullatenus ve-

(1) Matth. V. 48.

(2) Is enim sensu morali τελειος dicitur, qui vitiis caret, splendetque virtutibus, Deut XVIII. 3, I. Regg. VIII. 62.

(3) Actt. II. 47, I. Cor. I. 18, II. Cor. II. 15.

(4) In Verrem, Orat. II § LXIII.

(5) Cf. Deylingii observatt. sacr. P. II. p. 96, Stephani Le Moyne adnotatt. ad varia sacra, pagg, 127-134, et Schlaegeri commentarium *de diis, hominibusque servatoribus*.

(6) §§. CLXX. seqq.

ro *aliquo hominum ordine circumscripta*. Sed quae ἀμεσως antevertunt, ἱνα ἠρεμον και ἡσυχιον βιον διαγωμεν, talia sunt quae suadent ac etiam persuadent, pronomen ἡμων de certo hominum ordine, *deque fidelibus* usurpari : proindeque quod dicitur, ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων Θεου, idem valere ac *acceptum coram salvatore fidelium Deo*. At si eiusmodi est formulae potestas, nonne illud periclitatur quod tuemur: alteram quoque adhibitam caussam, ut precum officium commendetur, *universalem* esse? nonne merito quis colligat, ideo *particulares* iniungi preces , quod Deus *particularis* fidelium salvator exhibeatur? ne quis huic consequutioni fidem adhibeat, intra limites me continens novi testamenti ea referam, quae radicitus difficultatem convellant.

CCXC.

Adverti itaque 1) debet hanc ipsam formulam , iisdem conceptam verbis alibi occurrere: occurrere ubi (1) dicitur, *Paulus apostolus Jesu* Christi κατ' ἐπιταγην θεου σωτηρος ἡμων, και Χριστου Ἰησου της ἐλπιδος ἡμων *secundum imperium* (2) *Dei salvatoris nostri, et Christi Iesu spei nostrae*: occurrere ubi (3) legitur, *manifestavit autem* Deus *temporibus suis verbum suum in praedicatione quae credita est mihi* κατ' ἐπιταγην του σωτηρος ἡμων Θεου, *secundum praeceptum salvatoris nostri Dei* : occurrere ubi (4) scribitur , *non fraudantes sed in omnibus fidem bonam ostendentes*, *ut* την διδασκαλιαν του σωτηρος ἡμων Θεου, *doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in omnibus*: occurrere ubi (5) traditur, *cum autem benignitas et humanitas apparuit* του σωτηρος ἡμων Θεου, *salvatoris nostri Dei*: et demum occurrere ubi (6) Iudas habet, μονῳ θεῳ σωτηρι ἡμων δια Ἰησου Χριστου του κυριου ἡμων, *soli Deo sal-*

(1) I. Tim. I. 1.

(2) De variis huius loci lectionibus plura dabunt Millius in Proleg. n. 1207, Bengelius, Mattheius, Griesbachius et Lachmannus.

(3) Tit I. 3.

(4) Ibid. II. 10.

(5) Ibid. III. 4.

(6) Iud. v. 25.

vatori nostro per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia.

Adverti 2) debet, quemadmodum salvatorem *nostrum*, ita Deum semel (1) dici salvatorem *meum*: *et exultavit spiritus meus* ἐπι τῳ Θεῳ τῳ σωτηρι μου, *in Deo salvatore meo.*

Adverti 3) debet, non minus salvatorem *nostrum* et salvatorem *meum*, qnam salvatorem *omnium hominum* ac *inprimis fidelium* Deum (2) nuncupari: *in hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus* ἐπι θεῳ ζωντι, ὁς ἐστι σωτηρ παντων ἀνθρωπων, μαλιστα πιστων, *in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

Adverti 4) debet, semel ac rursum Christo appellationem fieri salvatoris nostri: *manifestata est autem* gratia *nunc* δια της ἐπιφανειας του σωτηρος ἡμων, Ἰησου Χριστου, *per illuminationem salvatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam et incorruptionem per evangelium: gratia* (3) *et pax* ἀπο Θεου πατρος και κυριου Ἰησου χριστου, του σωτηρος ἡμων, *a Deo Patre et Domino Iesu Christo salvatore nostro: exspectantes* (4) *beatam spem* και ἐπιφανειαν της δοξης του μεγαλου θεου και σωτηρος ἡμων Ἰησου χριστου, *et adventum gloriae magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi: quem* (5) spiritum-sanctum *effudit in nos abunde* δια Ἰησου χριστου του σωτηρος ἡμων, *per Iesum Christum salvatorem nostrum: sic enim* (6) *abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum* του κυριου ἡμων και σωτηρος Ἰησου χριστου, *Domini nostri et salvatoris Iesu Christi:* et (7), *si enim refugientes coinquinationes mundi* ἐν ἐπιγνωσει του κυριου ἡμων και σωτηρος Ἰησου χριστου, *in cognitione Domini nostri et salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.*

(1) Luc. I. 47.
(2) I. Tim. IV. 10.
(3) II. Tim. I. 10.
(4) Tit. II. 13.
(5) Ibid. III. 6.
(6) II. Petr. I. 11.
(7) Ibid. II. 20.

Adverti 5) debet, Christum salvatorem nuncupari *corporis sui*, quod est ecclesia: *vir* (1) *caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiae, και αὐτος ἐστι σωτηρ του σωματος, et ipse est salvator corporis.*

Adverti 6) debet, frequentes esse Scripturarum locos, in quibus Christus absolute ac simpliciter *salvator* nominatur. *Quia* (2) *natus est vobis* hodie *σωτηρ, ὁς ἐστι χριστος κυριος, salvator, qui est Christus Dominus* : *hunc* (3) Jesum *ἀρχηγον και σωτηρα, principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli et remissionem peccatorum* : *huius* (4) Davidis *Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israelis σωτηρα* Ἰησουν, *salvatorem Jesum*: *nostra autem conversatio in caelis 'est, unde etiam σωτηρα salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum* Christum: *ut* (5) *memores sitis eorum, quae praedixi verborum a sanctis prophetis, et apostolorum vestrorum, praeceptorum του κυριου και σωτηρος, Domini et salvatoris*: *crescite* (6) *in gratia et in cognitione του κυριου ἡμων και σωτηρος ἰησου χριστου, Domini nostri et salvatoris Jesu Christi.*

Adverti 7) debet, Christum appellatione ornari *Dei salvatoris.* Sic enim angelus (7) Josephum edocet: *pariet autem* Maria *filium, και καλεσεις το ὀνομα αὐτου* Ἰησουν· *αὐτος γαρ σωσει τον λαον αὐτου ἀπο των ἁμαρτιων, αὐτων, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Rationibus autem, uti (8) par est, subductis, existimandum est: *a*) nomen Ἰησουν, hebraice ישוע, dictum esse *ἀντι του* יהושע: *b*) יהושע contractum esse ex שוע et יהוה: *c*) vocem שוע nomen esse derivatum a radice ישע: *d*) tam insita radicis significatione quam vocabuli forma exigi, ut ישוע reddatur *salus*: *e*) nihil esse frequentius quam pro *con-*

(1) Ephes. V. 23.
(2) Luc. II. 11.
(3) Actt. V. 31.
(4) Ibid. XIII. 23.
(5) II. Petr. III. 2.
(6) II. Petr. III. 18.
(7) Luc. I. 31.
(8) Cf. Schultensii origines hebraicas, p. 18.

cretis abstracta adhiberi, atque adeo *salutem* pro *salvatore* : ergo *f*) tantumdem valere ישוע, 'Ιησουν, ac *Iehovam Salvatorem.* Quod mihi videtur non obscure iis confirmari, quae post explicationem nominis Jesu ab angelo propositam, Matthaeus (1) continuo infert : « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, *και καλεσουσι το ὀνομα αὐτου ἐμμανουηλ, ὁ εστι μεθερμηνευομενον, μεθ' ἡμων ὁ θεος*, et vocabunt nomen eius *Emmanuel*, quod est interpretatum *nobiscum Deus* ». Verum quo ista tandem nexu cohaerent ? aut quomodo ex antecedentibus , quibus Mariae filio *Jesu nomen* imponitur , consequens est, impletum fuisse Isaiae oraculum , quo nasciturum e Virgine filium vocatum iri *Emmanuelem*, praediceretur ? non me latet plura conquisita fuisse diligenter , subtiliterque excogitata, ut haec mutuo iuncta copulataque ostenderentur. Sed neque me latet hisce omnibus adprobatam satius fuisse enarratorum industriam , quam factam lectoribus persuasionem. Aderat nihilominus ratio, eaque prona satis et obvia , qua evangelistae deductio illustraretur. Utique non constat, genitum ex Maria filium dici consuevisse *Emmanuelem* ; sed plane constat, solemnissimum illius nomen fuisse *Jesum.* Atqui sono quidem et litteris Jesus et Emmanuel differunt , sed re significandique potestate consentiunt. Ecquid enim Emmanuel ? *nobiscum Deus.* Nimirum e recepto (2) Scripturarum loquendi usu, *Deus vindex noster*, *Deus assertor noster.* At *Jesus* est *Deus Salvator*, Deus qui e malis eripit, bonisque cumulat. Sic ergo Jesus et Emmanuel re et significatione conspirant, ut iure Matthaeus angelum prophetamque coniunxerit, ac ideo Christum appellatum *Jesum* scripserit , quod praedictum esset, ipsum vocatum iri *Emmanuelem*: angelicum namque nomen *Jesus*, Deusque salvator idem omnino est cum prophetico *Emmanuele.*

Adverti 8) debet , Christum *mundi salvatorem* infinite

(1) Matth. I. 22—23.

(2) Quibus tamen negatam minime velim significationem quam prope dixerim *ontologicam*, quaeque est alterius fundamentum, et qua ἐμμανουηλ idem valet ac ὁ λογος σαρξ γενομενος , *Verbum caro factum.*

nuncupari: *ipsi* (1) *audivimus et scimus*, ὅτι οὗτος ἐστιν ἀληθως ὁ σωτηρ του κοσμου, *quia hic est vere salvator mundi*: et (2) *nos vidimus et testificamur*, ὅτι ὁ πατηρ ἀπεσταλκε τον υἱον σωτηρα του κοσμου, *quoniam Pater misit Filium salvatorem mundi.*

Adverti tandem 9) debet, Christum et *peccatorum*, et *eorum qui perierant omnium, salvatorem* appellari: *fidelis* (3) *sermo et omni acceptione dignus*, ὅτι χριστος Ἰησους ἠλθεν εἰς τον κοσμον, ἁμαρτωλους σωσαι, ὧν πρωτος εἰμι ἐγω, *quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum:* tum (4) ἠλθε γαρ ὁ υἱος του ἀνθρωπου σωσαι το ἀπολωλος, *venit enim filius hominis salvare quod perierat.*

CCXCI.

Quibus, uti decet, animadversis, en quae sua sponte consequuntur. Consequitur *a*) eodem titulo, eademque appellatione *salvatoris nostri* Deum et Christum pariter insigniri. Consequitur *b*) titulum appellationemque *salvatoris nostri*, sin minus semper, crebro tamen, idem valere ac titulos appellationesque *salvatoris fidelium*, et *salvatoris illius corporis*, quod est *ecclesia*. Consequitur *c*) tam Deum quam Christum nominibus ornari sive *salvatoris omnium hominum*, sive *salvatoris mundi.* Consequitur *d*) titulum *salvatoris omnium hominum* esse prorsus universalem: tum quia 1) eiusmodi est nativa verborum vis: tum quia 2) potestate aequipollet appellationi *salvatoris mundi*: tum quia 3) potestate aequipollet appellationi *salvatoris peccatorum*, *eorumque omnium qui perierant*: tum quia 4) respondet formulae distributae *salvatoris inprimis fidelium* ac *deinde infidelium*. Consequitur *e*) titulos *salvatoris nostri*, *salvatoris fidelium*, *salvatoris ecclesiae* Deo Christoque tributos tales esse, qui vim praeferant *non exclusivam* atque *negantem*, sed *aientem*, mo-

(1) Ioh. IV. 42.
(2) I. Ioh. IV. 14.
(3) I. Tim. I. 15.
(4) Matth. XVIII. 11.

dumque salutis praestantiorem significantem. Qui enim hisce decorantur titulis, insignibus quoque ornantur *salvatoris omnium, hominum, salvatoris mundi, salvatoris peccatorum, salvatoris fidelium omnium ac infidelium* , et *Dei salvatoris* ac *salvatoris* simpliciter atque absolute. Unde tandem *f)* consequitur, nomine *salvatoris nostri* ita fidelium salvatorem *significari*, ut communis universalisque salvator *adsignificetur.*

Quapropter eo redeuntes, unde necessario deflexîmus , pronum est intelligere, iis quae Paulus scribit, officium precum acceptum esse *ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου*, hunc sensum inesse: *officium precum placere Deo, qui est salvator omnium hominum , maxime fidelium.* At vero caussa ex illius deprompta beneplacito , qui licet fidelium inprimis salvator sit, est tamen omnium quoque hominum salvator, *infinita* est, *universalis*, et cum qua nonnisi fusae pro *omnibus* preces apte conveniunt. Liquet igitur, officium precum *ὑπερ παντων ἀνθρωπων, pro omnibus hominibus*, altera etiam caussa a Paulo adhibita, ac inde desumpta, quod acceptum illud sit *coram salvatore nostro Deo*, insigniter confirmari.

CCXCII.

Sed quae Paulus e vestigio subdit, rem totam uberiori luce perfundunt. Vix enim commemorato *salvatore nostro Deo*, in mentem illi continuo venit enucleatius explicare , quid ea appellatione significetur, ac unde Deus dictus *σωτηρ* existimari debeat. Continenti igitur sermone adiecit : *ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν, qui* Deus salvator, et idcirco dignus nomine salvatoris , *omnes homines vult* voluntate salvatoris propria *salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* Ubi haec per partes definienda sunt: I cuiusmodi sit *voluntas*, cuius Paulus meminit: II *quanta* illius extensio ac amplitudo: III quid proprie significet verbum *σωθηναι* : IV quo pertineat formula , *εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν*: et V quae gemina Scripturarum testimonia his illustrandis stabiliendisque conducant.

(1) I Tim. II. 4.

Cuiusmodi igitur est voluntas, quam Paulus exprimit inquiens, ὅς θελει, *qui vult?* voluntas est *propria salvatoris*: et voluntas est *propter quam* Deo salvatori gratum acceptumque est, ut preces pro aliorum salute fundantur. Voluntas autem salvatoris neque *sterilis* esse potest neque *infecunda*; quum salvatoris neque rem neque nomen tueri is possit, qui opem non ferat, perniciem non avertat, salutique non consulat: neque *sterilis* pariter et *infecunda* esse voluntas potest, quae eo suapte natura fertur, ut ad preces pro aliorum salute fundendas excitet ac inflammet. Eius ergo voluntatis meminit Paulus, quae *fecunda* est, *efficax*, *actuosa*, quaque virtus evadendae miseriae, assequendaeque felicitatis tribuitur.

Sed quos illi ponit fines, quamque illi amplitudinem assignat? eam videlicet amplitudinem assignat, quam 1) praeferunt verba παντες ἀνθρωποι: quam 2) postulant antecedentia: quam 3) exigit sermonis nexus: quaeque 4) decet salvatorem omnium hominum et maxime fidelium. Nihil autem horum est, quod omnimodam salutiferae voluntatis amplitudinem, infinitamque universalitatem non perspicue demonstret. Hanc enim *a*) demonstrant verba, παντες ἀνθρωποι, quibus infinita subest extensio: hanc *b*) demontrant antecedentia, in quibus loquutio, ὑπερ παντων ἀνθρωπων, nonnisi infinite accipi potest: hanc *c*) demonstrat sermonis nexus; consequens enim haud esset, pro omnibus plane hominibus orandum esse, si Deus non omnes, sed aliquos dumtaxat homines salvari vellet: hanc postremo *d*) demonstrat ratio et proprietas *salvatoris omnium hominum*. Neque enim est, aut censeri *omnium hominum* salvator potest, qui ex sese non est ita comparatus, ut omnium hominum incolumitatem velit, procuretque salutem.

CCXCIII.

Quam salutis procurandae voluntatem ut Paulus efferat, utitur (1) verbo σωθηναι, inquiens: *qui vult omnes ho-*

(1) I. Tim. II. 4.

mines σωθηναι. Sed quaenam huic verbo subiici potestas debet? profecto σωζω idem generatim valet (1) ac *salvum et incolumen aliquem praesto, illumque e malo, calamitate et periculo eripio ac libero;* forma autem passiva idem est ac *servari, eripi, a malo periculoque liberari.* Igitur σωθηναι idem erit ac *servari,* sive, uti vulgatus habet interpres, *salvum fieri.* Intelligi autem istud potest quum *de actione inchoata,* tum *de actione absoluta ac perfecta.* Est igitur operae pretium accurate definire, quaenam ex duplici hac acceptione praeferenda sit. Sed ratio (2) temporis *aoristi,* cuiusmodi est σωθηναι, difficultatem praecidit, ostenditque σωθηναι de actione suis absoluta numeris intelligi oportere, neque aptius reddi posse quam *salvum esse.* Sicut enim (3) apud Herodotum: ὀπισω ἐς οἰκον σωθηναι, est *integrum sospitemque pervenisse domum,* et (4) apud Euripidem, σωθηναι κακων valet *servatum esse a malis;* ita Pauli verba, ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι, hunc fundunt sensum: *qui vult omnes homines esse servatos, esse felices, eaque actu incolumitate potiri, cuius assequendae vim facultatemque nacti sunt.*

E quo verissimo commentario et ad verborum proprietatem accuratissime expresso, haec sua sponte dimanant. Dimanat I. salutiferam Dei voluntatem in ipsam ferri universorum hominum salutem, obtentamque ab universis hominibus salutem *obiectum* esse, quod ex sese salutifera voluntas intendit. Dimanat II. illos vehementer falli, qui non ipsam salutem, sed media dumtaxat ad salutem obtinendam accommodata, ceu proprium habent salutiferae voluntatis obiectum. Vult utique Deus media, quibus salus compararetur; sed vult inprimis salutem, ac salutis gratia tum media disponit, quum illa benignissime impertit. Dimanat III. idcirco Paulum scripsisse, *qui vult omnes homines* σωθηναι *salvos esse*, nullatenus vero, *qui vult omnes homines* σωζειν *salvare*, ne cuius

(1) Matth. I. 21, VIII. 25, X. 22, Ioh. XII. 27, Rom. V. 9, Hebr. V. 7, et apud alexandrinos. Gen. XIX. 17, Ios. VIII. 23, Iud. II. 16—18.

(2) Aoristorum enim haec vis est, ut actionem expletam perfectamque designent. Cf. Matthiae syntaxin, §. DVI.

(3) Lib. IV. §. 97.

(4) Or. v. 769.

animum suspicio occuparet, Deum esse non *principem* modo sed *plenam* etiam *adaequatamque* salutis caussam. Est sane Deus princeps salutis origo, ac ex sese suaque misericordi bonitate salutem vult, mediaque tribuit, quibus salus comparetur; sed ipsam non rependit salutem, nisi subiuges quoque caussae suam operam conferant, suumque studium adhibeant. Cuius supernae ordinationis inde perspicuum existit argumentum, quod Deus qui ex sese vult omnes homines salvos esse, idem quoque vult, ut ὑπερ παντων ἀνθρωπων, *pro omnibus hominibus* preces fundantur, illudque expleatur, quod (1) scriptum est, *orate pro invicem, ut salvemini.*

CCXCIV.

Pergit Apostolus, verbisque, *qui vult omnes homines salvos esse*, continuo (2) addit, και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν, *et ad agnitionem* (3) *veritatis venire*. Ubi nihil esse nobis antiquius debet, quam rite definire, quid heic *veritatis* appellatione demonstretur. Patet autem demonstrari *posse* veritatem, quae ἁπλως και ἐξαιρετως eiusmodi sit, quae sit ἡ αὐτοαληθεια, ipsumque Deum οὐσιωδως spectatum praeseferat. Ac vult sane Deus universos homines beatos esse, proindeque vult ab illis substantivam veritatem cognitione possideri. Patet deinde demonstrari *posse* veritatem ὑποστατικως acceptam, quae ipse est unigenitus Dei Filius, qui de semetipso (4) dixit, *ego sum via* και ἀληθεια, *et veritas, et vita*, et de quo (5) legimus, *haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum.*

Sed quamquam haec veritatis nomine demonstrari *possint*, anceps tamen esse non debet, in hoc quod versamus

(1) Iacob. V. 16.

(2) I. Tim. II. 4.

(3) Caelestinus epist. XVI. legit, *et ad scientiam veritatis venire.* Accommodate omnino ad vocem ἐπιγνωσιν, quae non tam *nudam notitiam*, quam *perfectiorem exactioremque cognitionem* significat; quum praepositio ἐπι in compositis haud raro significationem intendat.

(4) Ioh. XIV. 16.

(5) Ioh. XVII. 3.

Pauli testimonio, *reipsa* significari *doctrinam salutis*, quae christiana professione continetur. Enimvero *a*) talis est frequens in novo testamento *veritatis* acceptio, quemadmodum perspicuis exemplis (1) efficitur. Quibus *b*) praeterea efficitur, sibi mutuo significatione (2) respondere hinc quidem *την ἀληθειαν veritatem*, inde vero *την ἀληθειαν του εὐαγγελιου, την ὁδον της ἀληθειας, τον λογον της ἀληθειας και τον λογον της ἀληθειας του εὐαγγελιου, veritatem evangelii, viam veritatis, verbum veritatis et verbum veritatis evangelicae*. Hinc *c*) scriptores ecclesiastici, Basilius (3), Cyrillus alexandrinus (4), Oecumenius (5), aliique (6) pro more in Bibliis recepto, *την ἀληθειαν* interpretantur modo *την ἀληθειαν δογματων, veritatem dogmatum*, modo *την καταληψιν πραγματων, των ἐπι τον μακαριον βιον φεροντων, earum rerum comprehensionem, quae ad beatam vitam conferunt*, et modo *την δια των εὐαγγελικων θεσπισματων παιδευσιν, την ἀληθους και ἐν πνευματι λατρειας την δυναμιν ἐχουσαν, institutionem quae fit per evangelica dogmata, quaeque veri spiritalisque cultus vim habet*. Quam interpretationem *d*) huius loci propriam esse, partim ductu filoque orationis, ac partim verborum copulatione evincitur. Evincitur *e*) ductu filoque orationis, siquidem Paulus in id incumbit, ut ordinem comparandae salutis auctore Christo institutum edoceat. Hic autem ordo effertur (7) verbis, *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur*. Ac iterum *f*) evincitur copulatione verborum *σωθηναι* et *ἐλθειν εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας*· Alibi (8) namque *σωθηναι, salvum esse* cum formula *εἰσελθειν εἰς την βασιλειαν του θεου, intrare in regnum caelorum*, idest, *cre-*

(1) Ioh. VIII. 31—32, II. Cor. IV. 2, Gal. III. 1, Coloss. I. 6, II. Thess. II. 10—12, II. Tim. II. 18, Tit I. 14.

(2) Gal. II. 5—14, II. Petr. II. 6, Coloss. I. 5, II. Cor, VI. 7, Ephes. I. 13, Iacob. I. 18.

(3) Hom. in. Ps. XIV.

(4) Comm. in Is. LV.

(5) Comm. in Ephes. VI.

(6) Apud Suicerum in Thesauro ad v. *ἀληθεια*.

(7) Marc. XVI. 16.

(8) Matth. XIX. 24—25, Marc. X. 25—26.

dere, permutatur: unde etiam τοις σωζομενοις, *iis qui servantur*, οἱ ἀπειθουντες, *increduli* opponuntur.

Quare totius membri sententia huc redit: *qui vult omnes homines salvos esse, et ad agnitionem veritatis* (1) *venire*, idest, *credere*. Vult nimirum Deus, ut quotquot sunt homines, salvi sint, ut a malo sint exempti ac beatitate donati: sed quoniam vult, ut per fidem, cognitionemque veritatis (2) salventur, idcirco omnium quoque vult fidem, ac vult ut omnes credant, omnesque in fide, ceu in semine, fructum salutis nanciscantur.

Neque vero id vult voluntate *circumscripta* ac *sterili*, sed voluntate prorsus *universali* ac *fecunda*. Id enim vult voluntate *salvatoris*, et salvatoris quidem *hominum universorum*. Sed voluntas salvatoris suapte natura efficax est atque actuosa; voluntas autem salvatoris hominum universorum adstricta et particularis esse non potest. Ad haec nemo neget, Dei voluntatem in Christo maxime enituisse, ac eiusdem propterea οἰκονομιαν, ceu perfectissimam illius manifestationem, iure merito (3) existimari. Christus autem tam *parabolis*, quam *apertis effatis* significavit, divinam voluntatem de provehendis hominibus ad cognitionem veritatis *universalem* esse et *actuosam*. Significavit parabolis, atque adeo (4) conferens suae doctrinae asseclas cum semine probae indolis, monuit, agrum

(1) De significatione του ἐλθειν idem repeti debet, quod de verbo σωθηναι animadvertimus.

(2) Sicuti enim humana felicitas suis expleta numeris liquida infinitae veritatis cognitione potissimum continetur; ita nonnisi inchoata quadam ac rudi eiusdem cognitione ad illam tenditur. Quare Deus, qui (Hebr. I. 1.) πολυμερως και πολυτροπως *multifariam, multisque modis olim loquutus est patribus in prophetis*, universo quoque hominum generi continenter prospexit: Prospexit ea voce, quae in omnium animis (Rom. II. 14—17) intime resonat: prospexit ea voce, quam (Actt. XVII. 26—28, Rom. I. 19—26) terra caelique altissimam edunt: ac ea voce prospexit, cuius auctor est Verbum, quod (Ioh. I. 9.) *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Nihil igitur reliquum nobis est, quam hinc quidem demirari την ποικιλον σοφιαν του θεου et exclamare, ὠ βαθος πλουτου και σοφιας και γνωσεως Θεου! inde vero illos omnes ἀναπολογητους censere, qui in tenebris mortisque umbra perstiterint.

(3) Ioh. V. 30, VI. 38, VIII. 29.

(4) Matth. XIII. 38.

in quo eiusmodi semen crescere deberet, ipsum esse *τον κοσμον*, *mundum*. Ubi autem suos asseclas (1) imaginibus depingit a grege desumptis, testatur sibi praeter (2) iudaeos alias esse oves quibus consulat, et quarum sollicitus curam gerat. Parabolis adiecit diserta testimonia, sive quum (3) romani centurionis alacritatem demiratus, praedixit fore ut multi ex universo terrarum orbe ad fidem accederent, ac foederis initi cum Abrahamo, Isaaco et Jacobo participes essent: sive quum declaravit, eo tandem (4) iudaeorum persequutiones redituras, ut et ipsi ac reliquae gentes salutari doctrina imbuerentur: sive quum (5) verbis, *nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*, illico subiunxit, *venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos*: sive quum (6) in caelum ascensurus indixit apostolis, ut evangelium annunciarent *πασῃ τῃ κτισει*, *omni creaturae* et *παντα τα ἐθνη*, *gentes omnes* in (7) discipulorum numerum adlegerent.

Neque sane mirum, *oportebat* (8) enim *Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum εἰς παντα τα ἐθνη, in omnes gentes*. Oportebat (9) ut apostoli Christo *testes* essent *in Jerusalem et in omni Jndaea et Samaria, και ἑως ἐσχατου της γης, et usque ad ultimum terrae*. Oportebat (10) ut *εἰς πασαν την γην, in omnem terram exiret sonus eorum, και εἰς τα περατα της οἰκουμενης, et in fines orbis terrae*

(1) Ioh. X, 16:

(2) Matth X, 5. coll. XV. 24.

(3) Matth VIII. 11.

(4) Matth. X. 18.

(5) Matth. XI. 27—28.

(6) Matth. XXVIII. 19—20. coll. Marc. XVI. 15—16.

(7) Verbum *μαθητευειν* ex sese est *neutrum*, ac valet, *discipulum esse*; usu tamen haud infrequenti accipitur *significatione activa*, idemque notat ac *discipulum facere*. Eiusmodi porro acceptionem heic esse tenendam, vel ex eo apparet, quod aperte a verbo *διδασκειν*, *docere* secernitur.

(8) Luc. XXIV. 47.

(9) Actt. I, 8,

(10) Rom. X. 18. coll. Ps. XIX. 5.

verba eorum. Et oportebat (1) ut verbum salutis proponeretur *τοις ἀνθρωποις πασι, omnibus* (2) *hominibus, ut πανταχου ubique omnes poenitentiam agerent.*

Quod autem oportebat, expletum abunde fuit. De apostolis namque scribit (3) Marcus : *illi autem profecti praedicaverunt πανταχου ubique.* Concinit (4) Paulus de fide romanorum inquiens : *fides vestra annunciatur ἐν ὁλῳ τῳ κοσμῳ, in universo mundo.* Et (5) alibi : *quem* Christum *nos annunciamus, corripientes παντα ἀνθρωπον, omnem hominem, et docentes παντα ἀνθρωπον, omnem* (6) *hominem in omni sapientia, ut exhibeamus παντα ἀνθρωπον τελειον ἐν χριστῳ Ἰησου, omnem hominem* (7) *perfectum in Christo Jesu.* Si qui ergo non credunt, neque veritatis lumine collustrantur, hoc inde repeti debet, quod (8) *Deus* quidem *tota die manus expandat, sed populus contradicat*: quod (9) *Deus* quidem *vocet*, *sed homines renuant* : quod (10) *verbum* quidem *praedicetur, sed illud homines blasphement* : quod (11) *Spiritus* quidem *interius moveat, sed illi homines resistant*: et quod (12) *multi, qui Dei vocem audiunt, sua corda obdurent.*

CCXCV.

Deus enim non minus ex sese vult omnes homines salvos esse, quam eosdem velit fide locupletes et cognitione veritatis insignes. Cui doctrinae praeclare suffragantur *ge-*

(1) Actt. XVII. 30.

(2) Vulgatus omittit *omnibus,* sed interserit *omnes*, legens : *hominibus, ut omnes ubique poenitentiam agant.*

(3) Marc. XVI. 20.

(4) Rom. I. 8.

(5) Coloss. I. 28.

(6) Sic legit Vulgatus, sed a receptis editionibus graecis abest *παντα ἀνθρωπον.*

(7) Appositum τελειον desideratur in graecis codicibus non paucis.

(8) Is. LXV. 2.

(9) Prov. I. 24.

(10) Actt. XIII. 46.

(11) Actt. VII. 51.

(12) Hebr. IV. 7.

mina (1) *Scripturarum testimonia*, quae cum Pauli verbis omnino conferenda sunt. Atque conferri principio debet quod iis Petrus respondet, qui propterea extremum Christi iudicium in dubitationem vocabant, vel etiam penitus inficiabantur, quod nondum de improbis scelestisque sumi poenas animadverterent. Respondet autem (2) his verbis: *οὐ βραδυνει ὁ κυριος της ἐπαγγελιας, ὡς τινες βραδυτητα ἡγουνται, ἀλλα μακροθυμει* (3) *εἰς ἡμας, μη βουλομενος τινας ἀπολεσθαι, ἀλλα παντας εἰς μετανοιαν χωρησαι.* Idest ex vulgata interpretatione: « Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti ». Ubi explicari in antecessum debet, *a*) quid sit *βραδυνει της ἐπαγγελιας*, *b*) qui sint *τινες βραδυτητα ἡγουνται*: *c*) quo spectet incisum, *ἀλλα μακροθυμει εἰς ἡμας*: et *d*) quo nexu cum insequente vinciatur. Tum vero 1) integri commatis sensus eruendus est, ac 2) Petri doctrina cum Pauli sententia comparanda.

Itaque (4) Grotius adductis verbis, *οὐ βραδυνει ὁ κυριος της ἐπαγγελιας*, illa sic vertit, *non tardat Dominus promissi*, tum subdit: « Putem scriptum fuisse *τας ἐπαγγελιας promissa*, quomodo Esaiae XLVI. 13. *σωτηριαν οὐ βραδυνω, salutem non tardo* ». Sed 1) nullus est graecus codex, qui non legat *της ἐπαγγελιας*, quique praeferat *τας ἐπαγγελιας*. Ad haec 2) quamquam *βραδυνω* significatione *activa* sumatur, quemadmodum a vulgato interprete sumitur, opus tamen non est, ut recepta lectio tentetur; sed sufficit vel cum Drusio (5) animadvertere, infrequentes haud esse apud scriptores sacros casuum permutationes, ac mirum idcirco esse non posse, si *βραδυνω active* acceptum non cum accusativo, sed cum casu patrio construatur; vel orationem supplere,

(1) §. CCXCII.

(2) II. Petr. III. 9,

(3) Vulgatus legit *δἰ ὑμας propter vos*, atque ita pariter ferunt aliquot graeci codices, nec non itala versio. In aliis graecis codicibus legimus *δἰ ἡμας propter nos*.

(4) In. comm. ad h. l.

(5) Ibid.

et post της ἐπαγγελιας animo intelligere substantivum ἀναπληρωσιν, sive τελειωσιν, aut aliud hisce simile quod *implementum* designet. Caeterum 3) ipsa constructionis ratio satis innuit, βραδυνειν non secus heic adhiberi ac alibi (1) saepe, *notione intransitiva*, adeoque phrasim, οὐ βραδυνει ὁ κυριος της ἐπαγγελιας, aptissime reddi sive cum (2) antiquo interprete, *non tardat Dominus promissis*, sive (3) cum Hieronymo, *non moratur Dominus in promisso.*

Subdit Petrus, ὡς τινες βραδυτητα ἡγουνται, *sicut quidam tarditatem existimant*, quasi diceret: non moratur Dominus in promissis suis eventu confirmandis, quemadmodum de mora deque tarditate *quidam* arbitrantur, ii nimirum, qui quum nondum videant divinitus sumptas de improbis poenas, sumendas numquam esse concludunt. Sed quinam appellatione των τινων intelligendi sunt? non alii profecto quam (4) ἐμπαικται και ψευδοδιδασκαλοι, quos unice haec ratio interpretandae divinae tarditatis decebat. Qui ergo τινες audiunt, hi sunt ementiti falsique doctores.

Improbato ψευδοδιδασκαλων iudicio, germanam continuo Petrus divinae tarditatis originem in infligendis poenis patefacit, inquiens: ἀλλα μακροθυμει εἰς ἡμας, *sed longanimis in nos est, nobis indulget, ac propter nos, nostrique gratia ultionem differt.* Summa est enim Dei μακροθυμια, *longanimitas*, quia (5) summa est eiusdem χρηστοτης, *benignitas*, qua (6) ipsa quoque σκευη ὀργης, *vasa irae* ἐν πολλῃ μακροθυμιᾳ *incredibili patientia* sustentat. Si ergo de caussa quaeras illius tarditatis, qua Deus intentatas poenas infligit, hanc tibi exhibet Petrus, sitamque esse docet quum in ea longanimitate, qua Deus prope invitus ad puniendum accedit, tum in eo amore, quo fideles pronomine ἡμας significatos, prosequitur, et quorum saluti benignissime consulit.

Qua de re nulla tibi esse dubitatio poterit, si nexum

(1) Gen. XXXV. 19, Deut VII, 10. I. Tim. III. 15.
(2) Uti videre licet in ms. corbeiensi, et apud Lachmannum.
(3) Epist. ad Cyprianum, opp. T. II. col. 698.
(4) II. Petr. III. 3.
(5) Unde Rom, II. 4. μακροθυμια και χρηστοτης copulantur.
(6) Rom. IX, 22.

praeterea spectes, quo haec verba cum insequentibus coniunguntur. E vestigio namque additur *μη βουλομενος τινας ἀπολεσθαι, ἀλλα παντας εἰς μετανοιαν χωρησαι*, *quum non velit aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*. Iamvero *duo* ex his manifestissima sunt, ac initio quidem manifestissimum est, vocabulum *παντας* vi oppositi *τινες* non posse nisi *plenissime* accipi, ac de omnibus omnino tam *collective* quam *distributive* intelligi oportere. Deinde vero non minus liquet, incisa *ἀλλα μακροθυμει εἰς ἡμας*, et *μη βουλομενος τινας ἀπολεσθαι, ἀλλα παντας εἰς μετανοιαν χωρησαι*, eo ad invicem habitu referri, quo *thesis cum hypothesi* cohaeret, et quo *universalis propositio cum particulari propositione eidemque subiecta* copulatur. Idcirco enim Deus ad ulciscendum tardus est, ac in nos qui credidimus longanimitate patientiaque utitur, quod sic animo comparatus est, ut quantum ex sese est non velit *vel unum hominem* perire, et contra quantum ex sese est velit *omnes ac singulos* ad poenitentiam se convertere, ad meliorem mentem redire, aeternaque salute potiri,

CCXCVI.

Quae quum ita sint, liquet integri commatis sententiam hac paraphrasi aptissime comprehendi: *non ideo cunctatur Dominus in suis promissionibus eventu confirmandis, quod, uti mendaces doctores existimant, eas sit numquam opere expleturus; sed pro sua longanimitate nobis indulget, nostrumque gratia poenas differt, quum prorsus non velit quemquam perire, sed sincerissime velit omnes poenitere, omnesque per poenitentiam salvari.*

Porro hanc inter paraphrasim doctrinamque Pauli, quam expendimus, non una existit similitudo. Existit enim *a*) similitudo *grammatica*, quod enim Paulus aiendo tradit, inquiens, *ὃς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν*, *qui vult omnes homines salvos esse, et ad veritatis cognitionem venire*; hoc Petrus partim *negando* ac partim *aiendo* repetit, scribens, *μη βουλομενος τινας ἀπολεσθαι, ἀλλα παντας εἰς μετανοιαν χωρησαι*, *nolens aliquos pe-*

rire, *sed* volens *omnes ad poenitentiam reverti*. Existit *b*) similitudo *logica*, siquidem non minus apud Paulum quam apud Petrum verba quae modo descripsimus, eorum quae praecedunt *caussam rationemque* comprehendunt. Ac existit *c*) similitudo *realis*, eaque duplex, e quibus prior *ad amplitudinem*, posterior *ad vim efficaciamque* salutiferae voluntatis refertur. Sane quemadmodum Paulus, ut universalem declaret salutiferae voluntatis amplitudinem, utitur propositione universali affirmante inquiens, *qui vult omnes homines salvos esse*; ita Petrus tam propositione particulari negante, *qui non vult aliquos perire*, quam propositione universali affirmante, *qui vult omnes ad poenitentiam reverti*, eamdem salutiferae voluntatis amplitudinem menti animoque subiicit. Quemadmodum vero Paulus *vim efficaciamque* salutiferae voluntatis inde ostendit, quod voluntas sit *Dei Salvatoris*, quodque sit voluntas eius, *cui gratum acceptumque est* ut preces pro omnium salute fundantur; ita Petrus *vim efficaciamque* eiusdem voluntatis inde demonstrat, quod sit voluntas τῆς μακροθυμίας, *longanimitatis*, ac eius qui propterea virgae parcit, indulgentiaque utitur, *ut omnibus sit poenitentiae copia, ac nemini desit assequendae salutis facultas*.

CCXCVII.

De qua voluntate sunt prorsus egregia, quae Deus apud Ezechielem Israelitis opponit, qui (1) eo nomine conquerebantur, quod a filiis innoxiis poenae debitae improbis parentibus repeterentur. Inquit (2) enim: *iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et iustitiam: vita vivet, et* (3) *non morietur*. Propemodum di-

(1) Ezech. XVIII. 2.

(2) Ibid. vv. 20—21.

(3) Licet copula *et* desit in vulgatis editionibus hebraicis ac in plerisque codicibus, illam tamen praeferunt quum codices aliquot Kennicottiani et Rossiani, tum versiones antiquae omnes, si chaldaicam exceperis.

ceret, Hieronymo (1) interprete: « Intantum peccata patrum ad filios non redundant, nec iustum filium sceleratus praegravat pater, neque alii pro aliorum sceleribus puniuntur; ut ipse unus atque idem qui prius impius fuerit atque peccator, si postea egerit poenitentiam et ad meliora conversus pristina peccata deleverit, non iudicetur vetustate peccati, sed in meum suscipiatur gregem, innovatione virtutis ».

Pergit (2) Deus, subdens: *omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor: in iustitia sua quam operatus est, vivet.* Sed unde tantae longanimitatis origo? ac unde fons tantae benignitatis dimanat? originem fontemque reserat (3) Deus his verbis: החפץ אחפץ מות רשע, quae alexandrini reddunt, μη θελησει θελησω τον θανατον του ἀνομου, *numquid voluntate velim mortem iniqui?* Vulgatus, *numquid voluntatis meae est mors impii?* Syrus *non oblector morte peccatoris.* Et chaldaeus, *num volens volo mortem impii?* iamvero etsi versiones istae omnes ad rei summam quod spectat, praeclare conspirent; chaldaica tamen vim potestatemque originalis textus accuratius repraesentat. Quum enim et praefixum ה interrogationi inserviat, verbum autem חפץ, cui vicina sunt קפץ et חפז, *proprie* exprimat, *flexit, incurvavit,* ac *metaphorice,* sive (4) sequente ב, sive (5) accusandi casu, denotet, *propensus fuit, delectatus est, voluit;* integrum incisum aptissime vertitur, *numquid volens volo mortem impii, dicit Dominus Deus?* quo autem istud pertineat, licet ex sese perspicuum sit, splendidius tamen innotescit ex proximo inciso, quod sic habet: הלוא בשובו מדרכו וחיה, *nonne*

(1) In comm. ad h. l.

(2) Ezech. XVIII. 22.

(3) Ibid. v. 23. Aliquot codices Kennicottiani et Rossiani non habent מות, *mortem,* sed במות, *in morte,* atque ita legendum esse Hubigantius sancit inquiens: « Lege במות *in mori* impium, ut postea legitur בשובו *in reverti ipsum.* Ita scriptum legitur loco parallelo infra XXXIII. 11. ita etiam ultimo versu huius ipsius capitis ».

(4) Gen. XXXIV. 19, Deut. XXI. 14, Num. XIV. 8, II. Sam. XV. 26, Ps. XVIII. 20, Is. LVI. 4, LXV. 13.

(5) Ps. XL, 7. LI. 8 – 18 – 21, Is. I. 11, Mich. VII. 18.

ut revertatur (1) *a via sua, et vivet?* sibi ergo membra ita respondent, ut antecedat propositio universalis (2) negans, sequatur vero (3) propositio universalis affirmans. Illa sic habet: *numquid volens volo mortem impii?* idest, *nullatenus volo mortem impii.* Posterior haec est *nonne* delector *in conversione eius a via sua, et vivet?* idest *sed volens volo conversionem eius a via sua, et vivet.* Utriusque autem sententiam his verbis Theodoritus (4) complectitur: « Non mortem iniqui, sed poenitentiam cupio; neque enim ut punirem hominum naturam creavi, sed ut cum ea vitam communicarem. Et rebus verba testimonium dant: siquidem neque prophetas suo numine afflasset, aut apostolos misisset, et scriptas leges tradidisset, polliceretur que bona et gehennam minaretur, si punire cuperet: sed permisisset homines eo ferri, quocumque vellent ».

CCXCVIII.

Huic oraculo geminum est alterum (5) apud eumdem Ezechielem, de quo Hieronymus (6) scribit: « Si negligenter legamus, videtur nobis eadem prophetia esse, quae (7) supra, in qua dicitur: *numquid volens cupio mortem iniqui, dicit Dominus, nisi converti eum a via sua mala et vivere?* et in fine (8) eiusdem prophetiae: *convertimini et redite ab universis impietatibus vestris, et non erunt vobis in tormen-*

(1) Plurimi codices cum Keri et Vulgato habent *a viis suis.*

(2) Est enim canon minime dubius, in affirmantibus interrogationibus ה interrogativo vim *negandi* subesse; ut II. Sam. VII. 5, Zach. I. 5.

(3) Graeca versio *absolutam* hebraici textus *orationem in comparatam* permutat his verbis: *οὐ μη θελησει θελησω τον θανατον του ἀνομου, λεγει ἀδωναι κυριος, ὡς το ἐπιστρεψαι αὐτον ἐκ της ὁδου αὐτου της πονηρας και ζησαι αὐτον. Numquid voluntate velim mortem inqui, dicit Adonai Dominus, sic ut converti ipsum a via sua mala, et ipsum vivere?*

(4) Comm ad h. l.

(5) Ezech. XXXIII. 11.

(6) In comm ad h. l.

(7) Ezech. XVIII. 23.

(8) Ibid. v. 32.

tum iniquitates. Ibi enim ad eos sermo fit, qui volunt agere poenitentiam, et iustitia peccata delere, ut cum fiducia convertantur, et pleno animo agant poenitentiam. Hic autem ad eos loquitur, qui magnitudine peccatorum, imo impietatum suarum desperant salutem, et (1) dicunt: *iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus?* et est sensus: quum semel nobis mors proposita sit, et vulneribus nostris, nulla medicina possit restituere sanitatem, quid necesse est laborare et frustra consumi et praesentem vitam non cum desperatione transigere, ut saltem hac fruamur, quia futuram perdidimus? quibus respondet (2) Deus, non velle se mortem impii, sed ut revertatur et vivat. Et apostrophen facit ad impios desperantes: *convertimini a viis vestris pessimis.* Atque ut sciamus, qui sunt impii ad quos loquitur, sequens sermo demonstrat: *quare moriemini, domus Israel?* vita autem et mors in hoc loco (3) non haec significatur, qua omnes communi cum bestiis lege naturae vel vivimus, vel morte dissolvimur; sed illa, de qua (4) scriptum est: *placebo Domino in regione vivorum.* Et (5), *anima quae peccaverit, ipsa morietur.*

Itaque desperantes de vita, deque salute israelitas ita Deus (6) per prophetam compellat: *dic ad eos: vivo ego, dicit Dominus Deus,* אם־אחפץ במות הרשע, *si delector in morte im-*

(1) Ezech. XXXIII. 10.

(2) Ibid. v. 11.

(3) Immo, scribit Rosenmuellerus, in scholiis ad hunc locum ,, *mortem naturalem esse intelligendam, vix dubitari potest.* Eo enim in statu tunc erant res iudaicae, ut non procul hierosolymitani cives abessent a morte, aut ab illa vita, si mortem effugere contingeret, quae propter servitutem aerumnosam et duram instar haberet acerbissimae mortis «. Verum *a*) neque verba, neque orationis series comparata sic sunt, ut quae dicuntur, de morte, deque clade dumtaxat temporaria ac naturali intelligi queant. Praeterea *b*) si Deus ex sese a temporali hominum clade tantopere abhorret, multo sane vehementius ab aeterna eorumdem pernicie abhorrebit.

(4) Ps. CXVI. 9.

(5) Ezech. XVIII. 4.

(6) Ibid. XXXIII. 11.

pii, כי אם־בשוב רשע מדרכו והיה. *sed in reverti impium a via sua, et vivet.* Quae quidem ad latinae linguae ingenium aptius exigentur, si animo reputetur: *a*) particulae אם, quae ex sese vim praefert *conditionis*, in formulis iurisiurandi, cuiusmodi est praesens, significationem (1) subesse negandi, idemque valere ac *non*: deinde vero *b*) particulas כי אם arctius iunctas et ad eandem sententiam relatas, praevia negatione, aequipollere (2) particulae adversativae, *sed*. Hisce namque praestitutis apparet, verborum quae adduximus, hanc esse germanam sententiam: *dic illis: vivo ego, dicit Dominus Deus: non delector* (3) *in morte impii*, neque illam volo; *sed* delector *in resipiscentia impii a via sua*, hanc volo, *et ipse vivet.*

Haec autem eiusmodi sunt, ut non minus cum praecedenti oraculo, quam cum Petri Paulique testimoniis adamussim conspirent, et non amplitudinem minus quam efficaciam, sinceramque indolem salutiferae voluntatis exhibeant. Conspirant cum praecedenti oraculo, et Petri Paulique testimoniis; quod enim 1) heic est, *dic illis, vivo ego, dicit Dominus Deus: non delector in morte impii*; in praecedenti oraculo ita se habet, *nullatenus delector in morte impii;* vel ut aliquot (4) interiectis subditur, *quia nolo mortem morientis*, idest, eius (5) qui dignus est morte, quique, nisi resipiscat, moriturus est. Petrus vero hoc ipsum efferens, de Deo scribit: *qui non vult aliquos perire.* Rursum 2), quod heic est, *sed delector in resipiscentia impii a via sua, et vivet;* tum hisce respondet praecedentis oraculi, *sed volens volo*

(1) I. Sam. XIV. 45, II. Sam. XIX. 14, XX. 20, Ps. XCV. 11.

(2) Gen. XV. 4, XXXII. 29, Ios. XVII. 3. I. Sam. VIII. 19. Unde plus semel in Keri omittitur אם.

(3) Versio alexandrina hoc etiam in loco pro oratione *absoluta comparatam* exhibet; est enim huiusmodi: *εἰπε τοινυν αὐτοις, ζω ἐγω, λεγει ἀδωναι κυριος, ὁτι οὐ βουλομαι τον θανατον του ἁμαρτωλου, ὡς το ἀποστρεψαι αὐτον ἀπο της ὁδου αὐτου, και ζην αὐτον.* Dic igitur eis, vivo ego, dicit Adonai Dominus, quia nolo mortem peccatoris, *sicut* converti ipsum a via sua, ac ipsum vivere «.

(4) Ezech. XVIII. 32.

(5) Quae est vis του המת, *mortui*, ut Kimchius ac deinde Michaelis et Rosenmuellerus observarunt.

conversionem impii a via sua, et vivet, quum hisce sive Petri, *sed vult omnes ad poenitentiam se convertere*, sive Pauli, *qui vult omnes homines salvos esse, et ad cognitionem veritatis venire.*

CCXCIX.

Quibus sane nihil potest desiderari evidentius, quo vel infinita amplitudo salutiferae voluntatis, vel eiusdem virtus, efficacia, ac sincera prorsus indoles reseretur. Et infinita quidem salutiferae voluntatis amplitudo reseratur, partim *a*) *propositionibus negantibus*, quibus Deus perhibetur *nolle mortem impii, ac nolle vel unius interitum atque perniciem*; et partim *b*) *propositionibus aientibus*, quibus Deus perhibetur *velle impii poenitentiam , velle omnium conversionem, ac omnium velle salutem.*

De efficacia vero, virtute ac sincera prorsus indole salutiferae voluntatis tot propemodum argumenta suppetunt , quot verba. Argumentum namque est 1) quod fallax voluntatis simulacrum, non autem voluntas censeri ea possit, quae neque sincera sit, neque actuosa. Argumentum est 2) totius orationis color, qui voluntatem exhibet non ementitam sed veram, non segnem sed efficacem. Argumentum est 3) quod Deus non sine iureiurando negat velle se cuiuspiam mortem ac interitum; et quod non sine iureiurando affirmet velle se omnium poenitentiam ac salutem. Argumentum est 4) quod eiusmodi voluntati tribuitur quum ea longanimitas , qua Deus malos improbosque sustentat , tum ea indulgentia, qua malis improbisque tempus copiamque poenitentiae impertit. Argumentum est 5) quod eiusmodi voluntas modo ex eo repetitur , quod Deus salvator est , modo ex insita eidem in homines benevolentia , ac modo ex eo quod nihil ipsi antiquius sit, quam caussam humanae perditionis a semetipso longissime avertere. Argumenta denique sunt 6) vehementissimae cohortationes, quas Deus (1) subtexit inquiens: *revertimini et vivite: convertimini, convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini domus Israel ?* unde quum illi propter obfirmatam in malitia voluntatem supremum immi-

(1) Ezech. XXIII. 32. colll. XXXIII. 11.

neret excidium, unigenitus Dei Filius (1) *videns civitatem*, ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, *flevit super illam.*

Flevit quod illam amaret: flevit quod illius ex sese perniciem nollet: flevit quod illius vellet incolumitatem: flevit quod inanes viderit curas quibus tantopere studuit, ne (2) fructuum defectu excultam a se arborem tandem aliquando excidere cogeretur: ac postremo flevit ut omnes in ipso paternum ingenium, paternamque in homines benignitatem suis prope oculis usurparent.

Sic enim (3) Paulus iudaeos alloquens, qui nullum peccatis ponebant modum, Dei in illos animum depingit : ἢ του πλουτου της χρηστοτητος αὐτου και της ἀνοχης και της μακροθυμιας καταφρονεις; ἀγνοων, ὅτι το χρηστον του θεου εἰς μετανοιαν σε ἀγει; κατα δε την σκληροτητα σου και ἀμετανοητον καρδιαν θησαυριζεις σεαυτῳ ὀργην ἐν ἡμερᾳ ὀργης και ἀποκαλυψεως και δικαιοκρισιας του θεου; *an divitias* magnitudinemque *benignitatis eius et* (4) *tolerantiae et lentitudinis aspernaris, neque advertis benignitatem* (5) *Dei* eo spectare, *ut te ad poenitentiam adducat? sed tu, quae* (6) *tua est duritia et cor malitiae tenax, tibi iram* (7) *cumulas in die irae, quo revelabitur* (8) *iustum Dei iudicium.*

(1) Luc. XIX. 41—45.

(2) Luc. XIII. 6—10:

(3) Rom. II. 4—6.

(4) Est ἡ ἀνοχη non modo *tolerantia calamitatum, rerumque miserarum,* sed is etiam animi habitus, qui humanitus fert errantes, nec illico poenas sumit.

(5) Idem valet το χρηστον του θεου, ac ἡ χρηστοτης του θεου. Geminam sententiam habes Sap XI: 23, et apud Philonem in altero libro de allegoriis: οὐδε τοις ἀμαρτανουσιν εὐθυς ἐπεξεισιν ὁ θεος, ἀλλα διδουσι χρονον εἰς μετανοιαν και την του σφαλματος ἰασιν.

(6) Nonnisi hoc loco occurrit dictio, ἀμετανοητος καρδια, *cor insanabile,* et quod vix quidem emandari potest: scilicet cor mali tenax, et in pravitate obfirmatum.

(7) Verbum θεσαυριζειν plus semel, abiecta thesauri notione, idem valet ac *comparare sibi aliquid, sibique aliquid cumulare et conciliare,* adhibeturque non minus in bonam quam in malam partem, Prov. I. 18, Amos. III. 10.

(8) Quod dicitur, ἐν ἡμερᾳ ὀργης και ἀποκαλυψεως, accipi debet ac si diceretur, ἐν ἡμερᾳ ὀργης, ἐν ᾗ ἀποκαλυφθησεται.

Ubi inter alia animadverti debet : *a*) idcirco vocabula της χρηστοτητος, της ἀνοχης και της μακροθυμιας congeri, ut immensa Dei erga impios benignitas luculentius describatur : *b*) hanc ipsam Dei immensam benignitatem indulgentiamque efferri, quum non χρηστοτης, sed πλουτος της χρηστοτητος appellatur: *c*) divitias caelestis benignitatis non segnes sterilesque exhiberi, sed fecunditatis virtutisque plenas, eoque pertinentes, ut suam Deus iram contineat, impiosque gratiis internis externisque donet, quibus ad meliorem mentem redeant ac salute potiantur : *d*) hominum σκληροτητα και ἀμετανοητον καρδιαν, *duritiam et cor mali tenax* in causa esse, cur tot tantaque Dei benefacta in irritum cedant : denique *e*) neminem *in die irae ac manifestationis, iustique iudicii Dei* damnatum iri, nisi qui το χρηστον του θεου, *divinam benevolentiam* factamque medicinae copiam repulerit. Est ergo cur, praeeunte (1) Theodorito, colligamus : «Quis pro dignitate admirari poterit Domini bonitatem ? qui neglectus ab iis, quos beneficiis affecit, sibi admodum ingratis , tamen ingratissimos omni providentia prosequitur , ut eorum conspiciat mutationem. Idcirco subiicit paternam et benevolentiae plenam admonitionem: ἐπιστροφῃ (2) ἐπιστρεψατε ἀπο της ὁδου ὑμων της πονηρας, και ἱνα τι ἀποθνησκετε οἰκος ἰσραηλ ; *conversione convertimini a via vestra mala , cur enim moriemini domus israel ?* ὁ δε διπλασιασμος της ἑβραιων γλωττης ἰδιωμα, δηλοι δε της ἐπιστροφης το γνησιον. Duplicatio hebraeorum linguae idioma est , declaratque (3) ingenuam conversionem ».

CCC.

Ceterum non satis Paulo fuit disertis verbis testari , velle Deum ut omnes homines salvi sint, et ad veritatis cognitionem perveniant; sed illico quod affirmaverat, compro-

(1) Comm. ad Ezech. XXXIII. 11.

(2) Hebraice est, שובו שובו, *revertimini, revertimini.*

(3) Atqui aliud heic idioma obtinet, quo repetitur idem verbum, et vehementia ac ardor cohortationis significatur. Cf. Glassium in app. Gramm. Sacr. tract. II. observat. XIV.

bare (1) pergit subdens: εἶς γαρ θεος, εἶς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος Χριστος ἰησους, *unus enim Deus, unus* (2) *et mediator Dei et hominum, homo* (3) *Christus Iesus.* De quo commate quaeri potest ac vero etiam debet: I. quo sensu, quave significandi potestate *Dei* nomen sumatur: II. quid sibi proprie ac plene μεσιτης velit: III. quae quantave mediationi Christi extensio tribuatur: IV. cur Paulus Dei, Christique mediatoris unitatem tantopere inculcet: V. qui sit mutuus incisorum habitus: VI. quae totius commatis sententia: VII. quo pacto cum praecedentibus cohaereat: ac tandem VIII. quae sit amplitudo, quae vis, quaeque suprema origo salutiferae voluntatis.

Itaque *Dei* nomen in divinis litteris, monimentisque ecclesiasticis (4) modo οὐσιωδως *essentialiter*, ac modo ὑποστατικως, *personaliter* usurpatur: et essentialiter quidem *naturam divinam augustae Trinitati communem* designat, personaliter vero *Patrem* vel *Filium* vel *Spiritum-sanctum* nominatim repraesentat. Est autem canon minime dubius, toties Dei nomen ὑποστατικως non οὐσιωδως, ac praecise de hypostasi Patris adhiberi, quoties cum Filio, qui propriis distinguitur appellationibus, copulatur. Exempla frequentissima sunt, ac passim (5) in exordiis et ad epistolarum calcem occurrunt. Quum igitur in praesenti quem versamus loco, Dei nomen cohaereat cum nomine Filii, qui propria Christi Iesu appellatione secernitur, consequens est, verba, εἶς γαρ θεος, εἶς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος ἰησους χριστος non aliter intelligi oportere ac si scriptum esset, εἶς γαρ

(1) I. Tim. II. 5.

(2) Hilarius in quarto de Trinitate, Ambrosius in comm. ad Luc. XXII, Augustinus in Iohannem, Tractt. XLI—XLVII—LXVI. Ambrosiaster ad h. l., et auctor operis de vocatione omnium gentium, lib. I. cap. XII. transponunt particulam *et*, leguntque, *unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus.*

(3) Henricus Heinrichs suo arbitrio, ac testibus instrumentisque refragantibus omittit ἀνθρωπος.

(4) Hoc pluribus ostendit Suicerus in Thesauro, ad vv. θεος, πατηρ, υἱος et πνευμα.

(5) Rom. I. 1—3, XVI. 27, I. Cor. I. 1—4, II. Cor. I. 1—2—3.

θεος πατηρ, εἰς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος ἰησους χριστος, unus enim Deus Pater, unus et mediator Dei et hominum, homo Iesus Christus,

CCCI.

Verum quo pertinet *του μεσιτου* appellatio, qua homo Christus Iesus insignitur? glossae graeco-latinae sic habent: *μεσιτης, sequester arbitrator, mediator; μεσιτεια, arbitrium, sequestratio, arbitratus.* In glossario latino-graeco legimus: *intercedit μεσαζει, interventio μεσιτεια, intercessor βραβευτης, βοηθος: intervenit, βοηθει, μεσαζει.* Quae omnia synonyma (1) ferme sunt, et pro eo sumuntur, qui interventu suo ac fideiussione aliquem sublevat, et laboranti periclitantique succurrit. Unde in Etymologico apud Bielium his verbis *μεσιτης* describitur, *ὁ μεταξυ δυο ὠν, και σημαινει τον μεσαζοντα.*

In versione alexandrina non nisi semel (2) occurrit vox *μεσιτης*, eaque redduntur hebraica verba יש־בנינו; at in eadem versione (3) et penes Aquilam, formula איש־הבנים redditur *ὁ μεσαζων* vel *ὁ μεσαιος*. Equibus assequimur, eum proprie *μεσιτην* dici, *qui medius inter duo consistit.* Hinc (4) Gregorius nazianzenus, Basilius seleuciensis (5) et (6) Theophylactus *μεσιτην* vocant Iohannem baptistam, *quod medius*

(1) Hieronymus in comm. epist. ad Galat. III. nonnihil ponit discriminis mediatorem inter ac sequestrem, sed citra necessitatem, quum usu loquendi *sequester* sit *μεσιτης ἐντριτος*, *mediator qui inter duos tertius intervenit.* Ad rem Tertullianus, qui in libro de resurrect. carnis cap. LI. de Christo mediatore sic loquitur: « Hic *sequester* Dei atque hominum appellatus, ex utriusque partis deposito comisso sibi, carnis quoque depositum servat in semetipso, arrhabonem summae totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem Spiritus reliquit, ita et a nobis arrhabonem carnis accepit, et vexit in caelum pignus totius summae illuc quandoque redigendae ».

(2) Iob. IX. 33.

(3) I. Sam. XVII. 4.

(4) Orat. XXXIX. p. 633.

(5) Orat. XVIII. p. 105.

(6) In comm. ad Matth. III.

vetus inter novumque testamentum extiterit: atque hinc graeci scriptores (1) μεσιτους dicunt *provocatores, qui stant ac procedunt inter utramque aciem tum suorum quum hostium, bellumque componere ac dirimere singulari certamine intendunt.*

Quocirca, uti Petavius (2) scite monet, μεσιτου, *mediatoris* hoc habet communis et nativa ac necessario subiecta notio, ut is intelligatur, qui sit amborum particeps et quadam cum illis communione sociatus, quorum conciliator est ac sequester. Id autem fieri dupliciter potest, uno modo ut naturae sit nonnulla cum utroque coniunctio, altero vero ut animorum ac voluntatum cum illis conspiratione cohaereat. Prior μεσιτειας species non incommode φυσικη, *naturalis* appellatur: posterior σχετικη, quae solo affectu animi, et hinc exorto opitulandi ac bene merendi officio constat. « Iamvero, subdit Petavius, utrumque mediator Dei et hominum obtinet Christus Iesus, qui ambas in eadem persona sua naturas coniungens, primam illam *naturalis* et *substantivi* formam interventoris implet; tum posteriori multiplici functione respondet, satisfaciendo, interpellando et orando, Deum placando ac nobis promerendo ».

Et re sane vera non minus credimus unum eumdemque Christum esse (3) *filium Davidis, filium Mariae* ac *filium hominis,* quam eum esse (4) profiteamur την εἰκονα του θεου, *imaginem Dei,* το ἀπαυγασμα της δοξης και τον χαρακτηρα της ὑποστασεως θεου, *splendorem gloriae, et characterem hypostaseos Dei,* τον πρωτοτοκον πασης κτισεως, *primogenitum omnis creaturae,* idest, την ἀρχην της κτισεως, *principium creaturae,* τον ἐχοντα ὀνομα ὑπερ παν ὀνομα, και ἐν μορφῃ θεου ὑπαρχοντα, *habentem nomen super omne nomen et existentem in forma Dei,* τον πρωτον και τον ἐσχατον, *primum et ulti-*

(1) Cf. Fischerum de versionibus graecis V. T. pagg. 58. seqq., et Schmidii commentationem, in qua μεσιτου notio indagatur.

(2) De Incarnat. lib. XII. cap. I. §. IV.

(3) Matth. I. 1, VIII. 20, IX. 6, X. 23, XI. 19, XII. 32, XIX. 28, Marc. II. 10, VIII. 31—38, Luc. VI. 5—22, VII. 34, XX. 41, Ioh. III. 13—14, V. 27, VI. 54.

(4) II. Cor. IV. 4, Coloss. I. 15, Hebr. I. 3, Apoc. III. 14, Philipp. II. 6—9, Apoc. I. 18, II. 8, XXII. 13, Ioh. I. 1—14—18.

mum, *τον μονογενην παρα πατρος*, *unigenitum Patris*, et *τον λογον ἐν ἀρχῃ προς τον θεον, και ἰσα τῳ θεῳ ὀντα*, *Verbum quod erat in principio apud Deum, et erat aequale Deo.* Nobis enim, quod est concors christianae traditionis (1) suffragium, mediatore opus erat, qui in semetipso divinam humanamque naturam copularet, qui esset *θεανθρωπος*, quique, uti Bernardus (2) loquitur, *ex aequo partibus congruens, neutri suspectus esset.* » Cunctos enim, qui salutis esse cupiunt aeternae participes, oportet, Fulgentio (3) testante, agnoscere pariter et tenere, non incassum hominem Iesum Christum mediatorem Dei et hominum nuncupatum, nisi quia idem Deus totam in se naturam suscepit hominis, et idem homo totam in se habet substantiam deitatis. Nam quia per peccatum homo fuit separatus a Deo, inter Deum irascentem hominemque peccantem talis utique mediatoris debuit intervenire persona, quae ad propitiandum Deum homini, totum verumque in se Deum de Deo natum haberet, et ad reconciliandum hominem Deo, totum verumque in se de homine natum hominem contineret: atque ita ex utroque in utroque unus Christus esset, ut plenitudo deitatis susceptum non consumeret sed proveheret hominem; et plenitudo humanitatis nec minoraret immensum, nec mutaret impassibilem deitatem: ac sic hominis natura quae mutata fuerat in deterius, per illum tota redintegraretur, quo nihil est melius. Propterea se mediator Dei et hominum plenum Deum, plenumque dignatus est hominem demonstrare ».

Sed quamquam huc redeat sincera mediatoris ratio, si idem *ὀντως* ac *substantive* spectetur; fatendum nihilominus

(1) Cuius traditionis testes sunt locupletes Tertullianus de resurrect. carnis, cap. LI, con. Praxeam, cap. XXVII, Cyprianus lib. II. testimoniorum ad Quirinum, §. X, Novatianus de Trinit. capp. XIV—XV, Lactantius div. institutt. lib. IV. cap. XXV, Hilarius de Trinit lib. IX, Ambrosiaster in I. ad Tim. II. 5, Augustinus de Civ. Dei, lib. IX. capp. IX—XV, Fulgentius de fide ad Petrum, cap. II, Ferrandus in epist. ad Anatolium, Vigilius in quarto con. Eutychen libro, et Gregorius lib. XXII. Moralium. cap. XIII. Graecos eiusdem traditionis assertores Petavius exhibet de Incarnat. lib. XII. cap. III.

(2) Serm. II. in Cantica.

(3) Ad Trasimundum lib. I. capp. XV—XVI.

est, eam potius a Paulo *adsignificari*, quam aperta disertaque oratione *significari*. Et ea sane adsignificatur, quum mentio iniicitur *Christi*, qui est Verbum ipsum incarnatum; at diserte *natura* significatur, qua Christus munia partesque mediatoris obivit. Hoc namque probat appellatio *hominis*, qua dicitur, *εἷς μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος χριστος ἰησους*, *unus mediator Dei hominumque, homo Christus Iesus*: atque hoc itidem probant quae continenter adduntur, *ὁ δους ἑαυτον ἀντιλυτρον ὑπερ παντων*, *qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*. Sic enim comparata sunt, ut non tam personam mediatoris, quam eam efferant naturam, secundum quam mediator Christus pro omnibus satisfecit, passus est, omnesque cum Deo reconciliavit. Quare duplex secerni notio debet a Paulo *mediatoris* nomine expressa: ac principio quidem *notio adsignificata*, et quae est notio *θεανθρωπου*: deinde vero *notio significata*, et quae est notio assumptae humanae naturae, qua Deus Verbum opus mediationis explevit.

CCCII.

De quo mediationis opere nec *modus* dubius est, nec anceps *extensio*. Modum enim exhibet Paulus, adumbrant typi, illustrant patres, ac universa Scripturarum doctrina oculis subiicit. Exhibet illum Paulus, quum verbis, *εἷς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος χριστος ἰησους*, hominem Christum Iesum Deum inter hominesque medium ac sequestrem (1) proponit. Adumbrant illum typi, quos inter eminet (2) Moses, cuius tamquam mediatoris opera (3) lex lata fuit, et de quo Basilius (4) tradit, *gessisse ipsum Christi figuram, Christique personam repraesentasse, quum inter Deum*

(1) Cf. hac de re disserentem Cyrillum alexandrinum in priore dialogo de sancta Trinitate.

(2) Galat. III. 19.

(3) Neque olim defuerunt, neque nostra aetate desunt, qui *μεσιτην* hoc loco non Mosem sed Chsistum intelligant. Dignus prae ceteris est qui consulatur Chrysostomus.

(4) De Spiritu-sancto, cap. XIV.

ac homines medius extitit. Nec vero praetermitti typus debet, qui in summo Iudaeorum Pontifice antecessit, quem Philo (1) *μεσιτην* vocat, quemque *situm* dicit *in quodam divinae humanaeque naturae confinio*, *ἱνα δια μεσου τινος ἀνθρωποι μεν ἱλασκωνται θεον, θεος δε τας χαριτας ἀνθρωποις, ὑποδιακονῳ τινι χρωμενος ὀρεγῃ και χορηγῃ*, *ut hoc mediatore Deus propitietur hominibus, ac eiusdem ministerio porrigat eis largiaturque suam gratiam.* Succedunt patres, e quorum numero Theodoritus (2) sic modum mediationis describit: « Unus est *της εἰρηνης ὁ πρυτανις*, conciliator pacis, qui ea quae erant disiuncta in seipso coniunxit. Christum autem *hominem* nominavit, quia mediatorem vocavit; homo enim factus mediator fuit. Et quemadmodum qui duos quospiam inter se confligentes vult reconciliare, se medium interponens, et hunc dextera illum sinistra tenens, ad amicitiam coniungit; ita ipse cum divinam naturam humanae copulasset, inviolabilem et indissolubilem pacem conciliavit». Ipse enim, ut luculentissimis Bibliorum testimoniis (3) edocemur, *abstulit peccatum mundi*, ipse *purgationem peccatorum fecit*, ipse *emundavit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, ac ipse auctor extitit *veritatis* quae resplenduit, itemque *gratiae* quam Deus erogavit ac porro erogare pergit.

Atque hoc mediationis officium eius esse *amplitudinis* voluit, ut omnes prorsus homines complecteretur. Sane Paulus Christum vocat *μεσιτην θεου και ἀνθρωπων*, *mediatorem Dei et hominum.* At aliquot ne solum, vel plane omnium? responsio apostolicis contenta verbis haec est: Christum esse mediatorem *ἀνθρωπων*, *hominum* absolute ac simpliciter; adeo ut quisquis homo est, humanaeque naturae particeps, hoc dumtaxat nomine ad Christi mediationem pertineat. Mediatio igitur Christi censeri debet *extensione* universalis; quemadmodum, ne quid modo dicam *de consequentibus, deque nexu cum praecedentibus*, vel ipso studio quo Paulus repetit *unum* esse *Deum* ac *unum* esse *Christum mediatorem*, insigniter confirmatur.

(1) In libro De legibus specialibus.

(2) In comm. ad. I. Tim. II. 5,

(3) Ioh. I. 17—29, Hebr. I. 3, IX. 14.

CCCIII.

Dum enim mecum reputo apostolica verba, *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*; probe intelligo desiderari caussas non posse quae Paulum commoverint, ut Dei Christique mediatoris *unitatem* non sine manifesta cura ingeminaret. Neque sane desiderantur, immo duae adsunt, e quibus altera se continuo prodit, altera vero paullo intimior est ac secretior. Itaque 1) eadem de causa Paulus scribit, *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, qua in catholicis symbolis (1) legimus, *credo in unum Deum patrem omnipotentem creatorem caeli et terrae*, et *credo in unum Iesum Christum*. Utraque autem Symbolorum professio suapte natura eo pertinet, ut non minus Deorum mediatorumque multitudo excludatur, quam ut unicus omnium Deus, ac unicus omnium Mediator affirmetur. Ea igitur de caussa unitatem Dei, unitatemque Christi mediatoris Paulus inculcat, quod propositum illi sit tam errores refellere de pluralitate deorum, deque mediatorum multitudine, quam veritates tueri de uno omnium Deo, deque uno eodemque communi omnium mediatore Christo Iesu. Quibus tuendis illustrandisque veritatibus egregie ista (2) conducunt: « An iudaeorum Deus tantum? nonne et gentium? immo et gentium. ἐπειπερ εἷς ὁ θεος, *quoniam quidem unus est Deus* ». Et (3) rursum: « Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi (4) εἰς παντας και ἐπι παντας in omnes et super omnes, qui credunt in eum: non enim (5) est distinctio. Omnes enim peccaverunt, et egent

(1) Cuiusmodi est nicaenum, immo cuiusmodi sunt symbola omnia Orientis, licet vetustiora, in quibus ista occurrit concors fidei professio: πιστευω εἰς ἑνα θεον πατερα, *credo in unum Deum Patrem*, και εἰς ἑνα κυριον ἰησουν χριστον, *et in unum Jesum Christum*.

(2) Rom. III. 29.

(3) Ibid. v. 22—24.

(4) Incisum, και ἐπι παντας, in pluribus codicibus, versionibus, patrumque allegationibus desideratur.

(5) Nimirum divinis beneficiis non est iudaeus dignior ethnico, sed utrique pariter indigni sunt.

gloria Dei ». Tum (1) alibi: « Non enim est distinctio iudaei et graeci. ὁ γαρ αὐτος (2) κυριος παντων, πλουτων (3) εἰς παντας τους ἐπικαλουμενους αὐτον. Nam unus idemque Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnes (4) enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ».

Huic autem caussae 2) altera succedit, quae vix aptius explicari potest quam si dicatur, idcirco scripsisse Paulum, *unus enim Deus*, *unus et mediator Dei et hominum*, *homo Christus Iesus*, quod ratum eidem foret quae in seipsis varia diversaque sunt, ad summam quamdam unitatem revocare, atque ex eo valentius concludere, propterea communi in omnes homines affectu ferri christianos oportere, deque omnium salute solicitos esse, quod ab uno supremoque principio omnia proficiscantur. Sane quum Apostolus scribit *unus enim Deus*, Dei appellatione *Patrem* significat. Est autem Pater ultimum tum personarum divinarum, tum etiam creaturarum omnium principium, adeoque suprema του ὀντος universi origo. Hinc illum Gregorius quidem nazianzenus (5) vocat ἑνωσιν, *unitionem*, Theodorus vero Abucara (6) ἀνακεφαλαιωσιν, *omnium quae sunt in unitatem collectionem et comprehensionem*. Ut enim auctor est (7) Richardus Victorinus, *procul dubio solus Pater habet ut sit secundum principalitatem. Nam ceteri secundum acceptionem, et iuxta alterius similitudinem. Hic ergo colligitur cur ei unitas iuxta hanc considerationem, quasi specialiter attribuitur.* Quare tantumdem est cum Apostolo dicere, *unus enim Deus*, *unus et mediator Dei et hominum*, *homo Christus Iesu*, ac ita loqui:

(1) Rom. X. 12—14.

(2) Formula, ὁ αὐτος κυριος παντων, *idem Dominus omnium*, plane respondet alteri: εἰς ὁ κυριος παντων, *unus Dominus omnium*.

(3) Ephes, I. 7, II. 7. Deus dicitur πλουτος χαριτος, quem nulla quamvis magna credentium multitudo exhaurire potest.

(4) Ioel. III. 5.

(5) Oratt. XXIX—XXXVII- Cf. Petavium de Trinit. lib. IV. cap. XV.

(6) Opusc. XLII. T. I. Bibl. PP. Graeco-Lat. p. 435.

(7) In libello *de tribus appropriatis personis in Trinitate*, quo respondit Bernardo sciscitanti, quid ipsi de illa Augustini sententia videretur, *in qua attribuitur Patri unitas, Filio aequalitas, Spiritui-sancto utriusque concordia.*

unus enim Deus Pater a seipso, nec ab alio procedens et qui omnium fons est ac origo; unus et mediator Dei et hominum apud Patrem, a quo missus fuit, Christus Iesus. Quum vero sic loquimur, quemadmodum omnia ad Patrem, *tamquam ad universalem caussam* redigimus, ita omnia ad Filium, *veluti ad communem universalemque apud Patrem mediatorem* revocamus.

De quo habitu praeclare disserit Paulus, qui (1) hoc veluti theoremate primitus constituto, *scimus* compertumque habemus *nihil* (2) *esse idolum in mundo, et nullum* (3) *alium esse Deum praeter illum unum*, quem nos colimus: ac gentilium deinde superstitione his verbis (4) comprehensa, *nam licet sint qui hominum* (5) *existimatione dii habentur sive in caelo, sive in terra;* tandem inferendo (6) concludit, *ἀλλ' ἡμιν εἱς θεος ὁ πατηρ ἐξ οὑ τα παντα, και ἡμεις εἰς αὐτον· και εἱς κυριος, ἰησους χριστος, δι' οὑ τα παντα, και ἡμεις δι' αὐτου, sed nobis* christianis *unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos* (7) *in ipsum, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Ubi *a*) Patre Filioque connumeratis, ille *Deus*, iste *Dominus* ex solemni lege nuncupatur: *b*) hoc autem Patri tribuitur, ut sit credaturque summa (8) *και μια των παντων ἀρχη, et unica omnium caussa*, atque adeo is in quo (9) augustum *monarchiae* dogma refulget: at vero *c*) ea inter tam visibilia quam invisibilia, quorum Pater principium est sine principio, excellit Filius,

(1) I. Cor. VIII. 4.

(2) Idest, nullum gentilium deum in mundo, rerumque natura vere esse.

(3) Vox *ἑτερος*, *alius* est incertae omnino auctoritatis.

(4) I. Cor. VIII. 5.

(5) Hoc enim sensu intelligi debent λεγομενοι θεοι, id est νομιζομενοι.

(6) I. Cor. VIII. 6.

(7) Nisi *εἰς* sumatur pro *δια*, verbaque, *και ἡμεις εἰς αὐτον*, reddantur, *et nos per ipsum*; tantumdem valebunt ac, *και ἡμεις αὐτῳ et nos ipsi* eiusque cultui addicti.

(8) Apud Basilium, epist. LXXVIII.

(9) De quo praeclare disserit Athanasius in altera adversus arianos oratione.

utpote qui ex illius substantia, illique ὁμοουσιος omnium primus ac plane coaeternus prodierit: et quidem *d*) prodierit (1) ut *Filius unigenitus*, ut *Verbum*, ut *Sapientia*, ut *Virtus*, ut *is per quem omnia facta sunt*: ac propterea *e*) ut is, qui sua origine (2) suaque tessera personali Patrem inter ceteraque omnia *medius* extiterit. Quod Paulus *f*) de eo significat (3) inquiens: ὁς ἐστιν εἰκων του θεου του ἀορατου, πρωτοτοκος πασης κτισεως, *qui est imago* genita *Dei invisibilis, primogenitus* (4) *omnis creaturae*. Sed cur? ὁτι ἐν αὐτῳ ἐκτισθη τα παντα, τα ἐν τοις οὐρανοις και τα ἐπι της γης, τα ὁρατα και τα ἀορατα . . . τα παντα δἰ αὐτου και εἰς αὐτον ἐκτισται. *Quoniam per ipsum creata sunt omnia caelestia et terrestria, visibilia et invisibilia . . . omnia per ipsum et* (5) *in ipsum creata sunt*. Unde *g*) nihil eo verius quod Alexander alexandrinus (6) de Deo Patre, deque procreata ab ipso rerum universitate loquens, ad Filium quod attinet, scribit: ὡν μεσιτευουσα φυσις μονογενης, δἰ ἡς τα ὁλα ἐξ οὐκ ὀντων ἐποιησεν ὁ πατηρ του θεου λογου, ὁς ἐξ αὐτου του ὀντος πατρος γεγεννηται, *inter quae* duo *medium obtinet unigenita natura, per quam Pater Dei Verbi universa condidit ex nihilo, ex ipso vero Patre progenita est.*

CCCIV.

Quum igitur ratio του μεσιτου, per quem omnia ad Pa-

(1) Ioh. I. 1—14—18, III. 18, I. Cor. I. 24.

(2) Tessera inquam personali, minime vero *natura*, quod impie arianos commentos esse tradit refellitque Cyrillus alexandrinus in primo dialogo de Trinitate.

(3) Coloss. I. 15—17.

(4) Visum est Iohanni David Michaelis in annotatt. ad h. l. satius esse cum Isidoro Pelusiota legere non πρωτοτοκος, sed πρωτοτόκος, *primus genitor*, atque adeo verba, πρωτοτοκος πασης κτισεως, reddere, *primus genitor*, idest, *auctor rerum omnium creatarum*. Sed opus non est tenues *de accentibus* lites habere, quum πρωτοτοκος ex usu loquendi frequentissimo sit *qui eminet ac praestat*.

(5) Est enim omnium *principium* et *finis*.

(6) Apud Theodoritum, H. E. lib. I. cap. IV.

trem veluti (1) ad πηγην και ῥιζαν, *fontem radicemque* universorum revocantur, insita Filio sit, neque ab hypostatica eiusdem proprietate divelli possit; *pro duplici ordine sive naturali creationis et conservationis, sive supernaturali reparationis ac salutis* duplex Filii μεσιτεια distinguenda est. Ac distingui inprimis *mediatio* debet, quae illi competit *quatenus* Verbum est, per quod (2) Deus Pater *fecit et secula*, per quod *omnia sustentat*, et per quod omnia ad Deum Patrem, tamquam ad summum omnium principium referuntur. Tum ea distingui mediatio debet, quae Filio *eatenus* convenit, *quatenus* is (3) *carnem induit*, *missusque* a Patre *purgationem peccatorum fecit*, *terrestria cum caelestibus conciliavit*, paternumque opus rite institutum ac hominum scelere corruptum ad pristinam integritatem sanitatemque revexit. Quo discrimine duplicis mediationis animadverso, quisque facile cernit, non priorem sed posteriorem modum a Paulo considerari, atque huius gratia ab eodem scribi, *unum* esse *mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum.*

Haec autem propositio cum antecedente, qua *unus* dicitur *Deus*, non solum (4) haeret *nexu copulativo*, verum etiam *nexu quo suprema salutis caussa et princeps eiusdem medium arctissime conseruntur.* Haeret nexu copulativo, quem ipsa ex sese verba praeseferunt: *unus enim Deus*, *unus et mediator Dei et hominum*, *homo Christus Iesus.* Sed nexu quoque haeret, cuius altero loco meminimus: quemadmodum enim incisum, *unus enim Deus*, huic respondet *unus enim Deus* Pater (5) Salvator et suprema salutis origo; ita incisum, *unus et mediator Dei et hominum*, *homo Christus Iesus*, huc redit, *unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus* a Deo Patre ac Salvatore missus, et per quem Deus Pater idemque Salvator perditum hominum genus ad semetipsum, tamquam ad supremum salutis fontem revocavit.

(1) Cf. Gregorii nazianzeni Orat. XXIX.
(2) Hebr. I. 2.
(3) Ioh. I. 14. Hebr. I. 3.
(4) I. Tim. II. 5.
(5) Tit. III, 4.

Quapropter haec est (1) integri commatis verissima circumloquutio: « Unus enim est Deus Pater, isque salvator ac princeps salutis origo; ac unus item est mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus, quem Pater ideo misit, ut perdito hominum generi mederetur, suaque mediatione ad semetipsum, tamquam ad summum salutis fontem redigeret ». Nimirum *a*) εἷς θεος *unus Deus* Pater *fons et origo* bonorum omnium *ut sint*; εἷς και μεσιτης, *unus et mediator* homo Christus Iesus, *per quem* sarta tectaque sint: *b*) εἷς θεος, *unus Deus* Pater *caussa princeps* ordinis salutaris; εἷς και μεσιτης, *unus et mediator* homo Christus Iesus, *per quem* salutis ordinem credimus reparatum: *c*) εἷς θεος, *unus Deus* Pater, *ex quo* gratia adoptionis in universum hominum genus primum dimanavit; εἷς και μεσιτης, *unus et mediator* homo Christus Iesus, *per quem* (2) *irae filiis* potestas repetendae adoptionis collata fuit: *d*) εἷς θεος, *unus Deus* Pater, qui homines universos secum iunctos amicitiaque in protoparentibus sociatos condidit; εἷς και μεσιτης, *unus et mediator* homo Christus Iesus, *per quem* homines a se divisos sibique rebelles ad amicitiae foedus revocavit: denique *e*) sicuti *unus* est *Deus* Pater, qui omnibus *primitus auctor* fuit ut bene essent, iisque abundarent, quibus dummodo vellent, sempiternam felicitatem promererentur; ita *unus quoque* est *mediator* homo Christus Iesus, *per quem* omnes reparati sunt, omnes in pristinum statum restituti, ac omnes iis donati muneribus quorum ope, nisi sibi desint, summo tandem bono fruantur.

CCCV.

Haec autem abunde sufficiunt, ut cognatio splendescat, quae commata mutuo (3) vincit, totumque sermonem colligat. Quemadmodum enim particula γαρ, qua Paulus (4)

(1) I. Tim. II. 5.
(2) Ephes. II. 3.
(3) §. CCCII.
(4) I. Tim. II. 5.

utitur scribens, εἷς γαρ θεος, εἷς και μεσιτης, *unus enim Deus, unus et mediator*, liquido ostendit, haec cum prioribus eo habitu cohaerere, quem *rationalem* vocamus, et quo caussa ac principium cum suis effectibus conseruntur; ita res ipsae orationi subiectae eamdem affinitatem societatemque demonstrant. Et re sane vera ut Paulus efficiat pro (1) omnibus hominibus eorumque salute fundi ad Deum preces oportere, inde *primum* (2) caussam petit, quod huiusmodi caritatis officium tam καλον, *praeclarum honestumque*, quam ἀποδεκτον ἐνωπιον του σωτηρος ἡμων θεου, *gratum Salvatori nostro Deo* existimari debeat. Ut autem hoc ipsum uberius illustret, ut vim appellationi S*alvatoris* adnexam plenius enarret, prolatamque in medium caussam validius confirmet, de Deo, quem *Salvatorem* appellaverat, *deinde* (3) subdit: ὁς παντας ἀνθρωπους θελει σωθηναι και εἰς ἐπιγνωσιν ἀληθειας ἐλθειν, *qui vult omnes homines esse salvos et cognitione veritatis imbui et ad salutem credere.* Ne qua vero umbra sit reliqua, ac plane evidenterque innotescat, unde universalis salutifera voluntas repeti debeat, *postremo* (4) addit: εἷς γαρ θεος, εἷς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, ἀνθρωπος χριστος ἰησους, *unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.*

Quae profecto hunc reddunt sensum: « *idcirco vult* Deus omnes homines salvos, omnes credentes, notitiaque veritatis imbutos, quia unus est Deus Pater qui universalem primitus instituit salutis ordinem, et quia unus est mediator homo Christus Iesus, per quem universalem salutis ordinem pessumdatum funditusque convulsum reparavit ac restituit ».

CCCVI.

E quibus pronum expeditumque est quum *amplitudinem*, tum *vim supremamque originem* salutiferae volunta-

(1) I. Tim. II. 1—2.
(2) Ibid. v. 3.
(3) Ibid. v. 4.
(4) Ibid. v. 5.

tis ac totius reparati ordinis luculenter definire. Et ad amplitudinem sane quod attinet, respondere illa debet *a*) officio precum, *b*) repetitis formulis, ὑπερ παντων ἀνθρωπων, *pro omnibus hominibus*, *c*) extensioni ordinis salutaris, quem Deus Pater primum instituit, et per Christum reparavit, ac postremo *d*) oeconomiae mediationis, propter quam Christus εἱς μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, *unicus* communisque (1) *mediator Dei hominumque* salutatur. Haec autem nullis coercentur limitibus, notamque universalitatis omnino praeseferunt. Superest igitur ut ipsa quoque salutifera voluntas nullis circumsepta finibus ac prorsus universalis existimetur.

Neque universalis dumtaxat, verum etiam *efficax* et *actuosa*. Illius namque fructus sunt *a*) providentiae ratio qua mutuae preces ad communem omnium salutem iubentur: *b*) media divinitus praestituta, quibus homines ad salutem notitiamque veritatis adducantur: *c*) primitiva ordinis salutaris institutio : ac *d*) eiusdem per Christum θεου και ἀνθρωπων μεσιτην, *Dei hominumque sequestrem* restitutio.

Horum vero omnium ultima et princeps origo neque alia est, neque alia in sacris litteris (2) traditur quam *misericors Dei Patris amor ac voluntas per Iesum Christum com-*

(1) « Graeci latinique omnes interpretes, inquit Petavius de incarnat. lib. XII. cap. V. §. IV, hanc esse loci totius sententiam agnoscunt: praecipit Apostolus preces et orationes fieri pro universis mortalibus, cuiuscumque generis et ordinis, eo quod Deus omnes esse salvos cupiat. Et rationem subinde reddit quod unus sit omnium Deus, et unus inter Deum et homines mediator ac sequester. Ibi vox *unus* proprie ac per se nihil aliud indicat, quam *communem* omnium esse Deum *communemque* mediatorem, ut propterea consultum omnibus velit ».

(2) Dei *benignitas* in novo testamento diversis vocabulis insignitur. Ac 1) generatim laudatur (Rom. V. 5—8, VIII. 39, II. Cor. XIII. 13, I, Ioh. III. 1. IV. 9—16.) Dei ἀγαπη, *amor* quo hominibus bene vult ac benefacit, hominumque felicitate delectatur; diciturque ille *amor* (Ephes. II. 4.) propter *magnitudinem*, ἡ πολλη ἀγαπη, Deus autem dicitur (Ioh. III. 16, XVI. 27, I. Ioh. IV. 10—11—19, Ephes. II. 4.) homines ἀγαπαν et φιλειν, *amare* ac *diligere*, eique (Tit. III. 4.) tribuitur φιλανθρωπια, *amor erga homines*, hominesque a Deo amati ac beneficiis aucti (Rom. IX. 25, XI. 28, Coloss. III. 12, I. Thess. I. 4, II. Thess. II. 13.) dicuntur ἠγαπημενοι, ἠγαπημενοι ὑπο θεου, vel ὑπο κυριου.—Porro 2) Deus *benignus* idemque *beneficus* audit (Luc. VI. 35, I. Petr. II. 3. coll. Ps. XXXIV. 9.) χρηστος,

munem omnium mediatorem ac sequestrem. Hanc 1) tradit Paulus, quum principem salutiferae voluntatis caussam exhibet descriptis toties verbis: *unus enim Deus* Pater institutor ordinis salutaris, *ac unus* item *mediator Dei hominumque, homo Christus Iesus,* per quem ordo salutaris fuit restitutus. Hanc 2) Scripturae passim tradunt, sive quum gratias omnes ex Patre per Filium in universum hominum genus dimanasse ac porro dimanare testantur: sive quum salutarem Filii oeconomiam in Patrem mittentem, non secus ac in supremam originem, refundunt. Utrumque sane ostendunt quae

proprie *utilis*, quique adeo *utilitatem* praebet, eique (Rom. II. 4, XI. 22, Ephes. II. 7, Tit. III. 4.) asseritur *χρηστοτης, beneficentia, utilitas* ac *habitus quo ad benefaciendum propensus est*: item (Rom. II. 4.) *το χρηστον*, idem quod *χρηστοτης*, et *πλουτος της χρηστοτητος, copia benignitatis,* idest, *copiosa atque abundans beneficentia.* —Quoniam vero 3) Dei *amor* ac *benignitas* hominibus impenditur miseris et indigentibus idcirco (Luc. I. 50—54—58—72, I. Tim. I. 2, Tit. III. 5, Hebr. IV. 16.) ea dicitur *ἐλεος*, *misericordia*, item (I. Petr. I. 3.) *πολυ ἐλεος*, ac ipse Deus modo (Rom. IX. 15—16—18, XI. 32, Philipp. II. 27) dicitur *ἐλεειν*, *misereri*, modo (Ephes. II. 4.) *πλουσιος ὢν ἐν ἐλεει, dives misericordia, abunde affatimque misericors,* et modo (Luc. I. 78.) ei tribuuntur *σπλαγχνα ἐλεους*, *viscera misericordiae, pectus misericors ac intima misericordia.* Eadem misericordia divina (Rom. XII. 1, Coloss. III. 12, Philipp. II. 1.) dicitur *οἰκτιρμος*, Deus autem (Rom. IX 15, Luc. VI. 36, Iacob. V. 11, II. Cor. I. 3.) *οἰκτειρειν*, *οἰκτιρμων*, *πολυσπλαγχνος*, et *ὁ πατηρ των οἰκτιρμων*, *pater miserationum* atque adeo *summe misericors.* Sed 4) homines qui Dei beneficiis ornantur, non modo sunt miseri et indigentes, verum etiam plane indigni ac nihil umquam bene meriti; hinc saepe numero (Rom. V. 15—17, XI. 5—6, I. Cor. XV. 10, Ephes. II. 7, Tit. II. 11.) laudatur *χαρις*, *gratuitus favor, benignitas ac beneficentia gratuita*, *χαρις ἡ σωτηριος*, *ὑπερβαλλων πλουτος της χαριτος*, *περισσεια της χαριτος*, ac Deus (I. Petr. V. 10.) dicitur *ὁ θεος πασης χαριτος*. Aliquando (II. Cor. VI. 1, IX. 8.) tamen *ἡ χαρις* indicat *Dei beneficium donumque e gratuito favore profectum*, et (I. Petr. IV. 10.) permutatur cum *χαρισμα* quo (Rom. V. 15—16. VI. 23, XI. 29.) *gratuita Dei beneficia* efferuntur. Unde (II. Cor IV. 15, IX. 14.) *ἡ χαρις πλεονασασα* est *cumulatum Dei beneficium,* et *ἡ ὑπερβαλλουσα χαρις του θεου* est *praestantissimum Dei donum.*—Postremo 5) quum Deus benignissimus *toleret* homines peccantes, poenasque commeritas differat, laudatur (Rom. II. 4, III. 26, IX. 22, I. Petr. III.) Dei *ἀνοχη*, *tolerantia, lenitas, μακροθυμια, longanimitas,* et *πλουτος της ἀνοχης και της μακροθυμιας*, ac ipsemet Deus (Luc. XVIII. 7, II. Petr. III. 9) dicitur *μακροθυμειν*.

subdimus: *gratias* (1) *ago Deo meo semper pro vobis* ἐπι τῃ χαριτι του θεου τῃ δοθειση ὑμιν ἐν χριστῳ ἰησου, *in gratia Dei* Patris, *quae data est vobis in Christo Iesu. Qui* Deus Pater (2) *nos liberavit*... κατ' ἰδιαν προθεσιν και χαριν την δοθεισαν ἡμιν ἐν χριστῳ ἰησου προ χρονων αἰωνιων, *secundum propositum suum et gratiam quae data est nobis in Christo Iesu ante tempora saecularia. Gratias* (3) *agimus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae*, ἐν ᾧ ἐχομεν την ἀπολυτρωσιν (4) δια του αἱματος αὐτου, την ἀφεσιν των ἁμαρτιων, *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Videmus* (5) *Iesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum*, ὁπως χαριτι θεου (6) ὑπερ παντος γευσηται θανατου, *ut gratia Dei pro omnibus* (7) *gustaret mortem. Sic enim* (8) *Deus Pater dilexit mundum* (9), *ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Si ergo (10) *venit filius hominis* ζητησαι και σωσαι το ἀπολωλος, *quaerere et salvum facere* (11) *quod perierat*: et si

(1) I. Cor. I. 4.

(2) II. Tim, I. 9.

(3) Coloss. I. 12—15.

(4) Griesbachius et Lachmannus e textu expunxerunt verba, δια του αἱματος αὐτου, quae tamen retinent vulgatus interpres ac Irenaeus lib. V. cap. II.

(5) Hebr. II. 9.

(6) Vulgatissima est lectio quae non χαριτι θεου, sed χωρις θεου exhibet.

(7) Dictio ὑπερ παντος certissime alteri respondet ὑπερ παντων ἀνθρωπων, *pro omnibus hominibus*.

(8) Ioh. III. 16—18.

(9) De universali του κοσμου significatione in hoc loco agunt praeclare Ikenius in dissertatt. philolog. et theolog. Vol. I. diss. XXIV, et Stronkius in specim. hermen. theolog. pagg. 149. seqq.

(10) Matth. XVIII. 11.

(11) Non semel neutrum genus pro masculino usurpatur, quando nimirum de persona sermo est. Exempla quae hoc ostendunt, frequentia

auctor nobis fuit regenerationis ac salutis; haec inprimis tribuenda sunt Patri, qui et Filium dedit ac misit, et cuius nos (1) ἐσμεν ποιημα, κτισθεντες ἐν χριστῳ ἰησου ἐπι ἐργοις ἀγαθοις, οἱς προητοιμασεν ὁ θεος, ἱνα ἐν αὐτοις περιπατησωμεν, *sumus factura, creati in Christo Iesu in* (2) *operibus bonis, quae praeparavit Deus ut in illis ambulemus.*

Ceterum 3) non frequentia minus quam diserta occurrunt Bibliorum oracula, quae universam reparationem, institutumque salutis ordinem amori misericordiaeque Dei Patris adscribunt et vindicant. Huc profecto pertinent quae modo retulimus de dilectione Dei Patris, qua Filium mundo impertiit: atque huc pertinent ista plane gemina quae Paulus (3) scribit: *commendat autem* την ἑαυτου ἀγαπην εἰς ἡμας ὁ θεος, *caritatem suam in nos Deus, quoniam cum adhuc peccatores essemus,* χριστος ὑπερ ἡμων ἀπεθανε, *Christus pro nobis* (4) *mortuus est*; ac mortem (5) ideo oppetiit, ut per sanguinem eius iustificati salvaremur ab ira Patris, et in gratiam cum eo rediremus. Quare (6) *gloriamur* ἐν τῳ θεῳ δια του κυριου ἡμων ἰησου χριστου, *in Deo per Dominum nostrum Iesum Christum*, δι᾽ οὑ, *per quem nunc reconciliationem accepimus. Complacuit* (7) enim Deo Patri δι᾽ αὐτου *per ipsum reconciliare omnia, et* δια του αἱματος του σταυρου αὐτου, *per sanguinem crucis eius ad pacem redigere ter-*

sunt (Ioh. I. 47, III. 6, I. Ioh. I. 1, V. 4, Hebr. VII. 7, Luc. I. 35, Matth. I. 20, XII. 6.), atque haec inter praesens quoque locus connumerari debet, *venit filius hominis salvare* το ἀπολωλος *perditum, quod periit*, idest, hominem perditum, humanamque familiam.

(1) Ephes. II. 10.

(2) Praepositio ἐπι cum dativo ordinationem destinationemque exprimit; igitur ἐπι ἐργοις ἀγαθοις idem est ac ἐπι τῳ ἐργαζεσθαι ἀγαθα, *ad id quod bonum honestumque est operandum.*

(3) Rom. V. 8—9.

(4) Quod heic dicitur ὑπερ ἡμων, *pro nobis,* etsi circumscriptum videatur, re tamen ipsa, uti contextus evincit, universale est, idemque valet ac ὑπερ παντων, et ὑπερ κοσμου *pro omnibus* et *pro mundo.*

(5) Rom. V. 9.

(6) Ibid. v. 11.

(7) Coloss. I. 19—20.

*

restria ac caelestia. Unde (1) summis dignus est laudibus *Deus et Pater Domini nostri Ieeu Christi*, ὁ κατα το πολυ αὐτου ἐλεος, *qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis:* qui (2) *benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem . . . : qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum,* κατα την εὐδοκιαν του θεληματος αὐτου, *secundum beneplacitum voluntatis suae; qui* demum (3) του ἰδιου υἱου οὐκ ἐφεισατο, ἀλλ' ὑπερ ἡμων παντων παρεδωκεν αὐτον, πως οὐχι και συν αὐτῳ τα παντα ἡμιν χαρισεται; *proprio Filio* (4) *non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

CCCVII

Sed 4) audiendus nominatim est Iohannes, qui omnium praeclarissime reparationis salutisque fontem patefecit. Is enim Deum Patrem semel ac iterum (5) his verbis describit: ὁ θεος ἀγαπη ἐστιν, *Deus* Pater (6) *est amor*, ac eius naturae est homines amore prosequi, beneficiisque cumulare. Tum eo inprimis nomine (quod docet contexta oratio) commendat ac effert την ἀγαπην του θεου, *Dei amorem*, quod Deus nobis ipsum nequaquam amantibus, sed contra legem divinam peccantibus, peccandoque miseris factis morteque adeo dignis, Filium suum unigenitum dederit, qui nos a poenis eximeret, copiaque assequendae felicitatis ornaret. En

(1) I. Petr. I. 3.

(2) Ephes. I. 3—6.

(3) Rom. VIII. 32.

(4) Solent graeci ἰδιον υἱον, *proprium filium* opponere τοις θετοἰς, *adoptivis*. Christus ergo *natura* filius appellatur

(5) I. Ioh. IV. 8—16.

(6) Atque adeo Servator nobis iniunxit his Deum verbis (Matth. VI. 9.) compellare: πατερ ἡμων ὁ ἐν τοις οὐρανοις. Cui compellationi vim inesse *benignitatis significandae*, liquet ex Matth. VI. 26, VII. 9—11. coll Luc. XI. 11—13.

aliquot (1) hanc in rem testimonia: *ἐν τουτῳ ἐφανερωθη ἡ ἀγαπη του Θεου· ἐν ἡμιν, in hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum: ἐν τουτῳ ἐστιν ἡ ἀγαπη, in hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris: et nos vidimus et testificamur, ὅτι ὁ πατηρ ἀπεσταλκε τον υἱον σωτηρα του κοσμου, quoniam Pater misit Filium salvatorem mundi.* Quod et ipse de se Filius testatus (2) est, inquiens: « Haec est voluntas eius qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo , sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam ». Quare (3) *ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si qui audierit verba mea et non custodierit, ego non iudico eum : οὐ γαρ ἠλθον , ἱνα κρινω τον κοσμον, ἀλλ' ἱνα σωσω τον κοσμον, non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum.* Veni enim non (4) ut meam, sed ut Patris voluntatem explerem: *haec autem est* (5) *voluntas Dei* Patris, *ὁ ἁγιασμος ὑμων, santificatio vestra.* Idcirco (6) *ingrediens mundum* dixi : *hostiam et oblationem noluisti , corpus autem aptasti mihi. Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Quae voluntas eo spectavit , ut (7) *sanctificaremur δια της προσφορας του σωματος ἰησου χριστου ἐφαπαξ, per oblationem corporis Iesu Christi semel.*

Suprema igitur beneficiorum omnium origo amore misericordiaque (8) continetur, quibus Deus Pater universum

(1) I. Ioh. IV. 9—11—14.
(2) Ioh. VI. 39—41
(3) Ioh. XII. 46—48.
(4) Ioh. V. 30, VI. 38.
(5) I. Thessal. IV. 3.
(6) Hebr. X. 5—9.
(7) Ibid. v. 10.
(8) Oseae II- 8, Sap. VI. 8, XI, 24, XII. 13, Actt· XVII. 25, I. Petr. V. 7.

hominum genus a se per Filium conditum, donisque caelestibus locupletatum, per Filium item, sed nostra carne indutum, reparavit ac restituit. Et decuit sane ut omnia tandem pro utroque ordine tam naturali quam supernaturali, tam integro quam sanato ac erecto ad unum eumdemque fontem revocarentur: decuit ut unitas principii non minus in creatione et elevatione quam in reparatione splendesceret, ac decuit ut quisque nostrum repetere (1) posset, ἡμιν εἱς θεος ὁ πατηρ, ἐξ οὑ τα παντα, και ἡμεις εἰς αὐτον· και εἱς κυριος ἰησους χριστος, δἰ οὑ τα παντα, και ἡμεις δἰ αὐτου, *nobis est unus Deus Pater ex quo omnia, et nos in ipsum; et unus Dominus Iesus Christue per quem omnia, et nos per ipsum.*

CCCVIII.

Per ipsum scilicet qui est unus communisque mediator Dei et hominum, quique quum alias mediationis functiones (2) sane plures, tum eam omnium nobilissimam obiit, quam Paulus (3) illi tribuit inquiens: ὁ δους ἑαυτον ἀντιλυτρον ὑπερ παντων, idest ex vulgata interpretatione, *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi et του ἀντιλυτρου notio enarrari paucis debet, ac formulae ὑπερ παντων extensio paullo accuratius definienda est.

Itaque το ἀντιλυτρον reddi omnino debet *pretium quod pro aliquo solvitur*, sive *pretium solutum pro redemptione rei aut personae, quae in aliena potestate detinetur.* Hanc enim significationem probat *a*) nomen simplex λυτρον, quod ex usu loquendi tam classicis graecis (4) quam alexandrinis interpretibus (5) communi proprie denotat *pretium sive pro captivis, sive pro re deperdita solutum.* Ad rem Hesychius, λυ-

(1) I. Cor. VIII. 6.

(2) De variis Christi mediatoris functionibus accurate loquitur Petavius de incarnat. lib. XII. capp. VI. seqq.

(3) I. Tim. II. 6.

(4) Thucydidi, lib. VI. cap. V, Aeliano, Var. Histor lib. XIII. cap. XIV, et Diogeni Laertio, lib. II. sect. CV.

(5) Exod. XXI. 30, Num. XXXV, 31—32, Prov. VI. 35.

τρον· τιμημα· λυτρα· καθαρματα, λυτηρια και παντα τα διδομενα εἰς ανακτησιν ἀνθρωπων. Neque aliter Cyrilli Lexicon, λυτρα· δωρα ἐπ' ἐλευθερια αἰχμαλωτων γινομενα, ἠτοι διδομενα. Probat *b*) ipsa forma nominis ἀντιλυτρου. Quamquam enim, uti Grotius (1) scite monet » verum maxime esset, λυτρον accipi posse pro qualicumque *impendio*, etiam quo ad liberandum nemo moveatur, (quod nullo exemplo probatum est) tamen vox ἀντιλυτρου significatior est, quam ut tam frigidam interpretationem admittat. Vox enim ἀντι in compositione aut *contrarietatem* (2) aut *commutationem* significat. Apud Paulum *contrarietas* locum non habet, significatur ergo *compensatio*. Neque alia forma graece (3) dicuntur ἀντιψυχοι, *vicem animae praestantes*, qui pro altero morti se devovent ut ipsum liberent. Sic ἀντιλυτρον est tale λυτρον, *pretium*, in quo liberator simile quiddam subit ei malo quod ei imminebat, qui liberatur; estque egregia eius vocis quasi περιφρασις ad Galat. III. 13: *Christus* ἐξηγορασεν, *redemit* (4) *nos ab exsecratione, factus pro nobis exsecratio* ». Probat *c*) usus prorsus universalis, quem Conradus Schwarzius in commentariis criticis et philologicis linguae graecae novi foederis insigni exemplorum copia (5) asseruit. Probat *d*) Symmachus, qui formulam τιμην της λυτρωσεως ab alexandrinis (6) adhibitam simpliciter reddit ἀντιλυτρον. Probant *e*) ecclesiastici scriptores, Chrysostomus, Theodoritus, Iohannes Damascenus, Theophylactus et Oecumenius in commentariis,

(1) De satisfactione Christi, cap. VIII.

(2) Ut in compositis, ἀντιπαλος, ἀντιδικος, ἀντιγραφον.

(3) Apud scriptores graecos ii dicuntur ἀντιψυχοι, qui seipsos pro altero morti devovent, quemadmodum de Damone et Pythia narrat Cicero de officiis lib. III. cap X. Plura hac de re dabunt Isaacus Casaubonus in notis ad Suetonii Caligulam, cap. XIV, Iohannes Lomeierus de vet. gentilium lustrationibus, cap. XXII. Iohannes Pearsonius in vind. Ignatii, Part. II. cap. XV, et Suicerus in Thesauro ecclesiast. ad v. ἀντιψυχος.

(4) Quibus illustrandis conducunt tum haec I. Cor. VI. 20, ἠγορασθητε γαρ τιμης, *empti enim estis pretio magno*, quum ista I. Cor. VII. 23. τιμης ἠγορασθητε, *pretio empti estis*.

(5) Ad v. ἀντιλυτρον.

(6) Ps. XLVIII. 8.

quibus Apostoli verba explanant. Horum enim nemo est, qui non suffragetur Theophylacto scribenti : τι δε ἐστιν ἀντιλυτρον; ἐνοχος ἠν ἡ φυσις, ὡστε ἀπολεσθαι, ἀλλ' ἀντ' ἐκεινης ἑαυτον ἐδωκε. *Quid vero est redemptionis pretium? Natura erat obnoxia perditioni, is vero pro illa seipsum dedit.* Venit (1) enim δουναι την ψυχην αὐτου λυτρον ἀντι πολλων, *ut daret animam suam redemptionem pro multis*. Probant *f*) latinae interpretationes (2) quum hieronymiana, tum ista vetustior, quae apostolica verba reddunt, *qui dedit seipsum redemptionem pro omnibus.* Probant denique *g*) repetitae eadem de re in Scripturis (3) voces, ἀγορασμος, *emptio*, ἐξαγορασμος, *redemptio,* λυτρωσις, ἀπολυτρωσις, ἀποκαταλλαγη, *reconciliatio* ἱλαστηριον, *propitiatorium* et ἱλασμος, *expiatio*, quae poscunt ut ἀντιλυτρον *de pretio solutionis pro altero* intelligatur.

CCCIX.

Porro de ambitu, deque extensione verborum ὑπερ παντων, nemo est qui ambigere sine iniuria possit. Sane 1) ea *ex sese* universalia sunt, infinite patent, ostenduntque ἀντιλυτρον a Christo *pro omnibus omnino hominibus* fuisse impensum. Eamdem 2) praeferunt amplitudinem *sive cum proximo sive cum contextu paullo remotiore* comparentur. Proxime namque antecedit universalis loquutio, εἱς και μεσιτης θεου και ἀνθρωπων, *unus etiam* communisque *mediator Dei ac hominum:* paullo autem remotius vel memorantur παντες ἀνθρωποι, *omnes homines*, quos Deus incolumes salvosque cupit; vel preces iubentur, quae ὑπερ παντων ἀνθρωπων, *pro omnibus hominibus* fundi idcirco debent, quod Christus semetipsum dederit ἀντιλυτρον ὑπερ παντων, *redemptionem pro omnibus.* Neque illud 3) nihili est quod Henricus Heinrichs (4) animadvertit: « tam crebra repetitione του ὑπερ παντων haud

(1) Matthe XX. 28.

(2) De his eonsule Sabbatierium.

(3) II. Petr. II. 1, I Cor. I. 30, VI. 20, Gal. III. 13, Rom. III. 24, Coloss. I. 20, I. Petr. I. 18, Ephes. II. 16, I, Ioh. II. 2, IV. 10, Matth. XX. 28, Luc. I. 68.

(4) In adnotatt. ad h. l.

absimile esse vero, Apostolum profligare conatum esse iudaeorum superbum *particularismum* ». Cui certe 4) obstitit, siquidem (1) Theodorito interprete, hoc suis verbis expressum significatumque voluit: « Quum omnes redacti essent sub mortis potestatem, Christus qui nec ut Deus fuit morti obnoxius, habet enim naturam immortalem : sed nec ut homo, peccatum enim non fecit quod mortem affert; *οἷον τι λυτρον ἑαυτον δεδωκε, και της ἐκεινου δουλειας ἁπαντας ἠλευθερωσε*, dedit seipsum veluti quoddam redemptionis pretium, et *omnes* ab eius servitute liberavit ». De qua 5) universali liberatione ac pro omnibus persoluto redemptionis pretio, nihil iis, evidentius *quae ex harmonia concentuqne* Scripturarum eruuntur. Principio namque eruitur, apostolicae sententiae de Christo *qui semetipsum dedit redemptionem pro omnibus* ista respondere, quibus idem (2) dicitur *σωτηρ παντων ἀνθρωπων, μαλιστα πιστων*, *salvator omnium hominum, maxime fidelium: σωτηρ του κοσμου, salvator mundi*: et *ἱλασμος propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, ἀλλα και περι ὁλου του κοσμου, sed et pro totius mundi.* Haec autem simul iuncta non ferunt, ut procuratio salutis adstricta finibus censeatur. Sane (3) *fidelis* est *sermo omnique acceptione dignus, ὁτι χριστος ἰησους ἠλθεν εἰς τον κοσμον, ἁμαρτωλους σωσαι, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Nemo autem est hominum, qui non ex sese suaque nativitate *peccator* sit. Venit ergo Christus ut *omnes homines* servaret. *Caritas* (4) *enim Christi urget nos, aestimantes hoc, ὁτι εἰ εἱς ὑπερ παντων ἀπεθανεν, ἀρα οἱ παντες ἀπεθανον. και ὑπερ παντων ἀπεθανεν, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est* Christus. Propter hoc (5) enim » *ἐφανερωθη ὁ υἱος του θεου ἱνα λυσῃ τα ἐργα του διαβολου*, apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli ». Opus au-

(1) In comm. ad h. l.
(2) I. Tim. IV. 10, I. Ioh. II. 2, IV. 14.
(3) I. Tim. I. 15.
(4) II. Cor. V. 14. seqq. coll. Rom. V. 18—19.
(5) I. Ioh. III. 8.

tem diaboli (1) una cum primo homine universam alligavit posteritatem. Carnem igitur induit Dei Filius atque inter homines conspicuus apparuit, ut omnes ab iniectis peccati mortisque vinculis eximeret, exemptisque libertatem filiorum adoptionis muneraret.

CCCX.

Ecqui ergo fit ne plures tanto bono fruantur? ideo ne fit quod illis facultas abrumpendi vincula denegetur? minime gentium, sed ideo fit quod collatam divinitus facultatem aspernentur. Est ex sese (2) suoque consilio Christus το φως το ἀληθινον, *lux vera*, quae non hunc illumve, sed quae φωτιζει παντα ἀνθρωπον ἐρχομενον εἰς τον κοσμον, *illuminat omnem hominem venientem in huuc mundum*: unde (3) simpliciter audit το φως των ἀνθρωπων, *lux hominum*, et το φως ἐν τῃ σκοτιᾳ φαινει, *lux* quae *in tenebris lucet*, ac omnibus propterea splendet hominibus qui a sole iustitiae aversi merito *tenebrae* nuncupantur. Eccur ergo quum nemini lumen desit, tot nihilominus in umbra mortis ac miserrima coecitate versantur? quod (4) ἡ σκοτια αὐτο οὐ κατελαβεν, *tenebrae illud non comprehenderunt*. Poterant excoecati homines salutare lumen comprehendere, poterant amissum visum recipere; sed (5) ingrati sibique inimici repulerunt *lumen quod venit in mundum*, και ἠγαπησαν μαλλον το σκοτος ἡ το φως, *et dilexerunt magis tenebras quam lucem*. Quibus ratio continetur, cur homines coeci sint et veritatis notitia destituti aeternum pereant. Coeci sunt ac aeternum pereunt, non quod copia videndi obtinendaeque salutis fraudentur; sed quod carnem spiritui, erroremque veritati contra Dei consilium et beneficia mediatoris anteponant.

Qua de re audiendus est Iohannes, qui primnm (6) de

(1) Rom. V. 12. seqq.
(2) Ioh. I. 9.
(3) Ioh. I. 4—5.
(4) Ibid. v. 5.
(5) Ioh. III. 19.
(6) Ioh. I. 10.

Verbo scribit: ἐν τῳ κοσμῳ ἠν, και ὁ κοσμος δἰ αὐτου ἐγενετο, *in mundo erat, et mundus per ipsum factus est;* scilicet non aberat Verbum a mundo quem condidit, neque ab hominibus aberat quos creavit, et exspectari propterea debuit, ut illud homines cognoscerent ac uti suum mundique auctorem pie sancteque vererentur. Praesertim quum ne se excusare *ignorantia* possent. Praecursor (1) a *Deo missus venerit* εἰς μαρτυριαν, ἱνα μαρτυρηση περι του φωτος, ἱνα παντες πιστευσωσι δἰ αὐτου, *in testimonium, ut testaretur de lumine, ut omnes crederent per illum.* Quid iamvero contigit? en quae Iohannes (2) subdit: και ὁ κοσμος αὐτον οὐκ ἐγνω. εἰς τα ἰδια ἠλθε, και οἱ ἰδιοι αὐτον οὐ παρελαβον, *et* (3) *mundus eum non cognovit. In propria venit et sui eum non receperunt.* Ferme diceret: nihil reliqui fecit Deus, ut homines luce veritatis perfusi Christum cognoscerent, cognitumque fide complecterentur; at quamplurimi sibi defuerunt, oblatamque omnibus gratiam repudiarunt. « Quotquot autem (4) receperunt eum, ἐδωκεν αὐτοις ἐξουσιαν τεκνα θεου γενεσθαι, τοις πιστευουσιν εἰς το ὀνομα αὐτου, dedit eis potestatem (5) filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius ». Tantum igitur patet gratia adoptionis beneficiumque paternae hereditatis, quantum ipsa sese porrigit credendi facultas. Haec autem omnibus praesto est, ac nemini funditus subtrahitur. Sicut enim (6) *qui credit in Christum,* οὐ κρινεται, *non iudicatur: qui autem non credit,* ἠδη κεκριται, ὁτι μη πεπιστευκεν εἰς το ὀνομα του μονογενους υἱου του θεου, *iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei;* ita οὐ ἀπεστειλεν ὁ θεος, τον υἱον αὐτου εἰς τον κοσμον, ἱνα κρινη τον κοσμον, ἀλλ' ἱνα σωθη ὁ κοσμος δἰ αὐτου, *non misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed*

(1) Ibid. vv. 6—7.

(2) Ibid. vv, 10—11.

(3) Copulativa particula *et* significandi potestate heic aequipollet adversativae *sed.*

(4) Ioh. I. 12.

(5) Nonnus in paraphrasi ἐξουσιαν reddit τιμην *praerogativam, dignitatem;* quo sensu ἐξουσια legitur I. Macc. I. 13, XI. 58.

(6) Ioh. III. 17 – 18.

ut salvetur mundus per ipsum. Omnibus ergo Christus credendi facultatem impertit, atque huc redibit iudicium (1) quo increduli condemnabuntur, *ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, quod lux venit in mundum* ac universis affulsit; *καὶ ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, sed homines praetulerunt tenebras luci.*

Ad Christum enim quod attinet, is de se verissime (2) affirmat: « Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit, ego non iudico eum: *οὐ γὰρ ἦλθον, ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον*, non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum ». Quod inflexa nonnihil ratione loquendi, alibi (3) repetit inquiens: « *ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς*, venit enim filius hominis salvare quod perierat ». Et (4) rursum: « *ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς*, venit enim filius hominis quaerere et salvare quod perierat ». Quibus ista praeclare (5) respondent: « *ὁ γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀνθρώπων ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι*, non enim filius hominis venit animas perdere sed salvare ».

Quae quum ita sint, haud arbitror finem universae tractationi imponi commodius posse quam iis, quibus sanctus Bruno carthusiensium parens huic interrogationi, *cur pro omnibus iubeat orare Apostolus, cum quidam a Deo reprobati sint, pro quibus qui orat, videtur offendere Deum qui eos reprobat?* occurrit (6) inquiens: « Contra haec dicitur, quod Deus quidem ex benignitate et clmentia sua velit omnem hominem salvum fieri, quia quantum in se est in Deo non remanet; sed benignitatem Dei iniustitia impiorum avertit. Unde in Deo duplex voluntas consideratur, altera benignitatis et clementiae, qua omnes vult salvos fieri: altera est vo-

(1) Ibid. v. 19.
(2) Ioh. XII. 46—47.
(3) Mattht. XVIII. 11.
(4) Luc. XIX. 10.
(5) Ibid. IX 56.
(6) In comm. ad. I. Tim. II. 1. seqq.

luntas iustitiae quae malos reprobat, bonos eligit. Secundum autem voluntatem benignitatis Dei praecipit Apostolus orare pro omnibus. Vere Deus vult omnes salvos fieri quod patet ex eo quia *unus est Deus*, idest creator omnium. Cumque Deus omnium creator sit, non est causa quare benignitatem suam neget uni et det alteri creaturae , quam impius utique sibi negat quia impie agit, salva et integra perdurante ad omnes benignitate Dei. Inde etiam palam est quod Deus velit omnes salvos fieri, quia *unus est mediator Dei et hominum*, et non plures mediatores. Unde constat quia omnibus aeque velit proficere, factus est omnium mediator ».

FINIS.


IMPRIMATUR


Fr. D. Buttaoni S. P. A. Mag.

IMPRIMATUR

P. A. Ligi Vicesg






PROVINCIA AMERICANA
3 5282 00103 6899
NOVITIATUS CLERICORUM.

	DATE DUE		

